image
not
available

y Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Ant. Aug. Beck delin. et sculps. Brunsvigae

Digitized by Google

ORIGINES GVELFICAE

QVIBVS

QVAE AB HENRICI MAGNANIMI OBITV
GENS POTENTISSIMA FATA HABVIT,
ET CVMPRIMIS

HENRICI LEONIS SAXONIAE ET BAVARIAE
DVCIS, HEROIS SVA AETATE MAXIMI
EIVSQVE TVM LIBERORVM OMNIVM, TVM PRAECIPVE QVATVOR
FILIORVM, HENRICI PALATINI, LVDERI, OTTONIS IV. IMPERATORIS
ET WILHELMI LVNEBVRGICI
VITAE ET RES PRAECLARE GESTAE,
EX AVCTORIBVS OPTIMAE NOTAE, INSTRVMENTIS ITEM ATQVE CHARTIS
MAXIMA PARTE INEDITIS, NVMIS, SIGILLIS ALIISQVE MONVMENTIS
IN AERE EXPRESSIS RECENSENTVR.

OPVS

VNIVERSAM GERMANIAE, SIGILLATIM VERO CONRADI III. FRIDERICI I.
*HENRICI VI. OTTONIS IV. PHILIPPI, FRIDERICI II. ET HENRICI VII. IMPP. ET REGVM
HISTORIAM EGREGIIS OBSERVATIONIBVS ILLVSTRANS*

EX

ILLVSTRIVM VIRORVM, GODOFREDI GVILIELMI LEIBNITII,
IOH. GEORGII ECCARDI, ET IOH. DANIELIS GRVBERI
SCHEDIS MANVSCRIPTIS EDITVM

CVRANTE

CHRISTIANO LVDOVICO SCHEIDIO, I. C.
SERENISSIMAE FAMILIAE GVELFICAE A SCRIBENDA HISTORIA.

TOMVS III.



HANOVERAE
SVMPTIBVS ORPHANOTROPHEI MORINGENSIS,
EXCVDEBAT HENRICVS ERNESTVS CHRISTOPHORVS SCHLVTERVS.
MDCCLII.

Digitized by Google

AVGVSTISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO V.

DEI GRATIA DANIAE, NORWAGIAE, GOTHORVM, VANDALORVMQVE REGI, DVCI SLESVICI, HOLSATIAE, STORMARIAE AC DITHMARSIAE, COMITI OLDENBVRGICO AC DELMENHORSTIO, &c. &c. &c.

REGI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

VITAM, GLORIAM, PERPETVITATEM

PRECOR.

Digitized by Google

AVGVSTISSIME REX
DOMINE CLEMENTISSIME

ETIAMSI tot inter Potentiſſimos TVOS maiores, REX AVGVSTISSIME, & Sereniſſimam Guelficam Domum affinitates non interceſſiſſent, nec diuae TVAE coniugis memoria, quam incredibili deſiderio moeſtus TECVM moerensque totus orbis cultior luget, Auguſtam illam gentem, quae ab Henrico Leone natales ſuos repetit, MAIESTATI TVAE longe amiciſſimam reddidiſſet; tamen haut verear, ne hoc tertium Originum Guelficarum volumen, quod inter alia Principis huius aetate ſua citra controuerſiam maximi res geſtas explicat, AVGVSTISSIMI TVI NOMINIS ſplendore illuminare dedigneris. Siue enim materiae conſidero dignitatem; ea tanta eſt, vt, quae tum in genere de Guelfici ſtemmatis ſatoribus, tum in ſpecie de inuicta Henrici Leonis in vtraque fortuna conſtantia & miro animi robore narrantur, ſacrae purpurae faſtigio nequaquam indecora ſint: ſiue grato mecum animo reputo, quam indulgentem ſe ac beneficam REGIA TVA MAIESTAS erga me ſemper praebuit; tot ſane proſtant huius TVAE clementiae documenta, vt non ſolum TVIS adhuc ſubditis adſcriptus

Digitized by Google

ſcriptus cum in Regia TVA Academia iurisprudentiam interpretabar, beneficiis innumeris a TE cumulatiſſimum me intellexerim, verum etiam abſens iam pridem & ab oculis TVIS remotus propenſiſſimum REGIAE TVAE MAIESTATIS animum nondum defeciſſe plus vice ſimplici expertus ſim: ſiue denique egregiam rariſſimamque MAIESTATIS TVAE indolem reſpicio, hanc audaciam, quantacumque eſt, non male mihi ceſſuram fore & ſpero & auguror. Vt enim ſileam, quod in tranſitu non dicendum, ſed exquiſita oratione praedicandum exiſtimo, quam TV, REX POTENTISSIME, miro mentis acumine & diuini ingenii ſolertia omne genus meliorum litterarum, cumprimis vero hiſtoriam complectaris; id vnum iam omnibus, qui in litteris audent aliquid, aditum ad TE aperit, quod priſcorum heroum inſtar & nutritor litterarum & eruditorum Princeps nominari non erubeſcis. Hinc illa manat liberalitas & munificentia, qua Dani TVI & Norwagi, licet iam pridem artium bonarum & ſcientiarum cultura nullis gentibus cedant, ad maiora tamen indies audenda ſuſcipiendaque a REGIA TVA MAIESTATE excitantur; hinc ille naſcitur ardor, illud TIBI inſitum ſtudium, quo inter grauiſſimas publicorum negotiorum curas, quibus Regnorum TVORVM & Prouinciarum ſaluti ſapientiſſime proſpicis, ea clarorum virorum ingenii monumenta excipis, ex quibus pietatem acui, amplificari virtutem, augeri eruditionem intelligis; hinc denique innumera illa erga Muſas clementiae

ſpecimina prouenere, quibus vt in Regnis TVIS, quaſi in amoeniſſimo Helicone, conſidere quiete, & ſuis ſacris ſecure operari queant, Regia munificentia effeciſti. Et meo quidem non egent encomio Regiae TVAE virtutes, SACRATISSIME FRIDERICE QVINTE, quae tantam iam celebritatem per vniuerſum terrarum orbem conſecutae ſunt, vt nullius hominis, ne dicam meis laudibus latius diffundi queant. Monumentum omni aere perennius REGIAE TVAE MAIESTATI ponunt praeclariſſima illa facta, quibus peragendis vita TVA nunquam non vacat, & quae non TVIS augendis prouinciis, non coaceruandis opibus, non aucupandae ex multorum hominum ſtrage, vrbium euerſione, aliarumque rerumpublicarum calamitatibus gloriae, ſed promouendae populorum TVORVM felicitati, iuſtitiae, ſecuritati, ob quem vnum finem orbi Reges a DEO O. M. impoſitos nouis, ſapientiſſime impendis. Horum igitur quemadmodum non praeſens modo aetas, ſed ſera quoque poſteritas vberrimos fructus, qui TVI feliciſſimi imperii eam admoneant, percipiet, ſic quod religioni incrementum, virtuti patrocinium, paci tutamen, iuſtitiae fulcrum, eruditioni decus, commerciis praeſidium, ciuibus omnibus aſylum exhibes, AVGVSTISSIMVM TVVM NOMEN numquam deſiturae aeternitati commendabunt. Inclytiſſima autem illa Guelfica gens, qua nulla hodie vetuſtae nobilitatis gloria auguſtior, ſicuti natos ex ſe Reges Reginaſque Europae quam

plu-

Digitized by Google

plurimos vidit; ita in eo quoque immenſam dignitatis & honoris acceſſionem conſecuta eſt, quod tota illa poſteritas, quam vnam ex numeroſa tum Henrici Leonis, tum maiorum eius ſobole florentem conſeruauit SVPREMVM NVMEN, ab Helena Danica, Wilhelmi coniuge, ſanguinem ducat; & viciſſim ex ſe natam videat Catharinam, auiam Chriſtiani I. quem fortunatiſſimum Regum Daniae propagatorem diuina eſſe voluit deſtinatio. Quo quidem vtroque vinculo recentioribus affinitatibus ſaepius & multoties firmato quemadmodum ita conglutinatae videntur vtriuſque *Auguſtae Domus* rationes, vt TVAE quodammodo ſint, REX AVGVSTISSIME, quae de Guelfis praedicantur laudes, & viciſſim in partem gloriae veniat Guelfica gens, quando REGIAE TVAE MAIESTATIS & Diuorum TVORVM Progenitorum merita celebrantur; ſic nemo profecto praeſentis voluminis argumentum a Regiae TVAE Domus hiſtoria alienum reputabit. Immo ſi quidem ad illas inter coelites receptas animas aliqua mortalium rerum cura pertinet, vere de TE, FRIDERICE QVINTE MONARCHA POTENTISSIME, gaudere Henricum Leonem exiſtimo, quando hodie laudibus fauſtisque ominibus, gloriae TVAE plaudentium, cunctae orbis politioris prouinciae reſonant, atque is

. . . . . laetus ab aethere cernit
ſe factis creuiſſe TVIS.

Ego

Ego, qui ſine immenſa animi voluptate temporis iſtius, quo REGIAM TVAM MAIESTATEM praeſens venerari, & non horas modo, verum dies integros de litteris TECVM agere mihi licuit, recordor numquam, omne, dum viuam, pietatis officium in eo poſitum habebo, vt, quantum ad reuerentiam & demiſſiſſimum MAIESTATIS TVAE cultum attinet, prouerbii, quod de peregrinantibus dicitur, veritatem comprobem: *coelum me, non animum mutaſſe.* DEVM autem O. M. precor, vt TE, POTENTISSIME REX, quam diutiſſime ſeruet, aeternaque laude florentem virtutis TVAE gloriam & incolumem & fortem aliis ſuper alia operibus augere iubeat. Faxit cumprimis SVPREMVM NVMEN, quod ſolum Regnorum omnium & regnantium viciſſitudines potenti ſuo nutu dirigit, vt Regia ſoboles, qua DIVA LOVISA TVA Daniam beauit, infinitis ſaeculorum continuationibus vna cum fortuna TVA feliciſſime perennet. Sic perpetuam felicitatem Regnis TVIS, ſic laeta orbi precari exiſtimamus. Scribebam Hanouerae d. VIII. April. A. R. S. MDCCLII.

REGIAE TVAE MAIESTATIS

HVMILLIMVS DEVOTISSIMVSQVE
SERVVS
CHRISTIANVS LVDOVICVS SCHEIDIVS.

Digitized by Google



FACTA DVCIS VIVENT, OPEROSAQVE GLORIA RERVM:
HAEC MANET, HAEC AVIDOS EFFVGIT VNA ROGOS. Ouid.

Q. D. B. V.

LECTORI HVMANISSIMO

S. P. D.

CHRISTIANVS LVDOVICVS SCHEIDIVS.

§. I.

ACCIPIS iam, Humaniſſime Lector, *Guelficarum originum Tomum tertium*, qui HENRICI LEONIS, (a) eiusque Liberorum vitas, fata & res geſtas continet. Inſigne in eo aperitur tum prouidentiae, tum vltionis diuinae theatrum, cui ſimile quid in nulla alia hiſtoria facile deprehendimus. Etenim qui a tempore *Welfi Conquaeſtoris*, (hoc nomen enim optimo iure meruit *Azonis*, *Liguriae Marchionis*, *filius*) vsque ad *Henrici Magnanimi* aetatem, rebus florentiſſimis inclyti, in immenſa potentiae, opum atque diuitiarum affluentia laetiſſimi vixerant *Guelfici Principes*, neque in vniuerſa Germania ditionum amplitudine, miniſterialium & ſubditorum copia, ſplendore & magnificentia domus ab vllo ordinis ſui

Poſt laetiſſima gentis Guelficae incrementa iam etiam iniquiora fata & grauiſſimae, quas a Gibellinis pertulit, perſecutiones explicantur.

a) De cognomine *Leonis*, quod Henrico Duci vulgo datur, praeſtat nihil, quam pauca dicere. Si id adulto demum impoſitum, vel ideo datum eſſet, quoniam contra *Albertum Vrſum* Saxoniae Ducatum tanto animi robore & virtute ſibi aſſeruit, crediderim, reſpexiſſe auctores ad vtriusque animalis naturam, quam ambo Duces, *Henricus* noſter & *Albertus*, bello hoc comprobauerant. Quemadmodum enim *Vrſis* & *Leonibus* ea ineſt corporis vis & praeſtantiſſimum robur, vt a nullo facile animali fortitudine ſuperentur; ſed *Vrſi* maxime praedam, quam iam vnguibus tenent, ſtrenue retinent; *Leones* vero vbi praedam facere licet, ingentes ſpiritus praebent, nec ad vllius animalis occurſum pauent: Sic Henricus noſter de Saxonia Alberto iterum eripienda, fortiſſimi *Leonis* inſtar, omni niſu laborabat; ille contra eamdem, vt *Vrſus* ſpolium ſuum, viriliter defendebat. Verum hos luſus ingenii eſſe facile agnoſco. Propius ad veram huius cognominis originem accedunt ea, quae ſupra *L. VI. c. 4. §. 9.* a Dn. ECCARDO dicta ſunt,

Digitized by Google

ſui Principe ſuperabantur; (b) iam poſt Lotharii Saxonis Imperatoris obitum, poſtquam ad *Hohenſtauſios*, quos nuper ex mediocri fortuna (c) quaſi adoptiuos *Gibellini*

ſunt, vbi Leonis appellationem ex *inſignibus gentilitium nomen (Guelf, Welf, Welpe) referentibus* iam Henrici Superbi aetate Principibus noſtris inditam dicit. Gratiſſimum autem & acceptiſſimum hoc cognomen Henrico Leoni fuiſſe, praeter numos eius, quorum magnam copiam infra *ad p. 165.* aeri inciſam exhibemus, multa alia documenta comprobant; & recte omnino SAGITTARIVS *in diſſertatione de origine Ducum Brunſuicenſium §. 18. p. 10. Leonis*, inquit, *elogium placuiſſe Henrico facile licet animaduertere. Nam & Leo, non, vt alii volunt*, equinus pullus, *ei* pro inſigni *fuit, & ex aere fuſilem in burgo Brunſwicenſi erexit, & Lowenſtadium in Wagria haut procul Lubeca condidit: eſtque veroſimile propugnaculum, quod prope Bilfeldiam, eiusdem Principis iuſſu Bernhardus Comes Lippienſis exſtruxit, pari de cauſſa Lawenburgum nuncupaſſe. Apage igitur fabulas de Leone Henricum ex Palaeſtina reuerſum ſponte ſecuto, ab* ALBERTO CRANZIO *Saxoniae L. VI. c. 34. & L. VII. c. 8. recte exploſas. Ignorabat ſcilicet aſellus iſte bipes (vtar phraſi Krantziana) quicumque fabulam primus commentus eſt*, hunc Principem ab initio aetatis ſuae cognomentum accepiſſe Leonis.

b) Hoc vt probem, ſolum Henricum Leonem producam, de quo recte CRANZIVS *Vandal. L. VI. c. 36.* ſcribit, fuiſſe *inclytum principem, parem multis Regibus.* Etenim famam eius atque exiſtimationem apud exteros per maximam fuiſſe, inter caetera hoc quoque indicio eſt, quod Rex Angliae eum generum praetulit filio Imperatoris ipſius, ceu ex iis patet, quae infra *p. 64. §. 50.* ex ROBERTO DE MONTE relata ſunt. Sed iuuat forte ex eiusdem Scriptoris, grauis ſane & coaeui, relatione quid Angli de opibus, potentia & diuitiis Henrici Leonis ſenſerint, diſcere. Audiamus igitur, quae de filiis & filiabus Henrici Regis Angliae commentaturus ad A. 1182. memoriae prodidit. *Primogenita*, inquit, *nupſit Henrico Duci Saxonum & Baioariorum & Sueuorum.* (neque in hoc fallit ROBERTVS; Licet enim Sueuiae Dux non fuerit Henricus noſter, ampliſſima tamen fuerunt latifundia, neque minora ipſo Ducum Sueuiae patrimonio, quae in hoc Ducatu poſſederat.) *Nec eſt aliquis homo, qui tantas habet poſſeſſiones, niſi fuerit Imperator aut Rex; nam quadraginta vrbes habet & ſexaginta ſeptem caſtella, exceptis pluribus villis.* Hinc quoque factum puto, vt Graeciae Rex (ſic Scriptores noſtri Conſtantinopolitanum Imperatorem appellant) Henricum noſtrum ſplendida legatione honorauerit, quae teſte HELMOLDO *L. II. c. 5.* eo ipſo tempore, ſcilicet A. 1164. cum multo comitatu Brunſuicum venit, cum Dux in perdomandis Slauis occupatus eſſet. Quam rem maximi momenti neque a Dn. ECCARDO, neque ab illuſtri viro, qui obſeruationibus ſuis doctiſſimis eius Commentarios locupletauit atque pleniores reddidit, commemorari haut immerito miramur, praecipue cum nihil cauſſae ſubſit, cur de veritate facti ab HELMOLDO, ſcriptore optimae notaê nobis relati, dubitemus.

c) Licet AVCTOR *hiſtoriae Friderici Imperatoris & parentelae ſuae*, qui plerumque CONRADVM VRSPERGENSEM, ſaeculi XIII. Scriptorem exſcripſit, ex humili & abiecta caſa prodiiſſe *Hohenſtauſios Imperatores* velit, quando *fuit*, inquit, *in partibus Sueuiae parentela nobilium, primo quidem* militarium ſimplicium, *qui dicebantur de Stauſſen, qui tamen ſuis probis & virtuoſis actibus ad hoc deuenerunt, vt inter Barones ſiue liberos deputarentur:* nugas tamen eum agere facile agnoſcet quilibet rerum Germanicarum gnarus, quoniam nec Duces ex alio, quam *primae nobilitatis ordine* legi poterant, nec etiam Imperatoris filiae licuiſſet viro *ingenuae nobilitatis* honore deſtituto nubere. Interim hoc verum, vltra Friderici, primi e Stauffenſibus Sueuiae Ducis, auum aſcendere hactenus non licuiſſe. Patrem quidem FRANCISCVS GVILLIMANNVS *de Epiſc. Argentorat. p. 210. Comitem Conradum* nominat, & matrem *Hildegardim*, quam OBRECHTVS *in Prodromi Rer. Alſat. c. X. p. 230.* ex *Comitibus Hohenloicis* ſatam dixit. Sed vterque ſine auctore loquitur. Rectius enim ex WIBALDI Abbatis Corbeienſis *Codice Epiſtolari* apud MARTENAEVM *Collectione ampliſſima T. II. p. 557.* edocemur, floruiſſe ineunte ſaeculo XI. in Sueuia nobilem, *Fridericum* Friderici filium *de Buren*, cuius filius cognominis Caſtrum *Stophen* ſeu *Hohenſtauſſen* condidit, ab eoque nomen accepit. Hic igitur *Fridericus de Buren* is ipſus eſt, qui coniugem habuit Hildegardim modo dictam, & ex ea ſuſcepit *Fridericum de Stophen*, qui ducta Henrici IV. Imperatoris filia Agnete A. 1080. Sueuiae Ducatum ab obitu Rudolfi Reinfeldenſis vacantem nactus eſt; *Ottonem* Argentoratenſem Epiſcopum, de quo GVILLIMANNVS *l. c.* ediſſerit; *Ludouicum* Comitem Palatinum, cuius inter traditiones Coenobio S. Stephani Würceburgi factas ap. SCHANNAT. *Collect. I. Vindem. litter. n. 18.* mentio fit; *Walterum* denique & *Conradum*, ſolo nomine nobis cognitos; atque filiam *Adelheidem.* Hos enim liberos omnes Hildegardis mater nominat in Charta ſcripta A. 1094. pro Eccleſia S. Fidei Schletſtadienſi apud GVILLIMANNVM *l. c.* Sed vtut quam primum vltra illum Fridericum I. de Buren aſcenderis, omnia de Stauffenſium maioribus incerta ſint tenebrisque perpetuis inuoluta, ita tamen in poſteritate Friderici Ducis, Henrici Imperatoris generi, ad ſummos honores euehenda properauit diuina deſtinatio, vt iam filius eius *Conradus*, Germaniae Rex, nepos, *Fridericus I. Barbaroſſa*, Imperator ſalutatus ſit: penes quem eiusque poſteros *Henricum VI. & Philippum*, Friderici I. filios, *Fridericum II.* Henrici VI. filium, & *Conradum IV.* Friderici II. filium, Imperatores vel Reges Romanorum, ſumma rerum in Orbe Chriſtiano ab A. 1152. vsque ad A. 1254. fere vnice ſtetit.

Dedit

Digitized by Google

bellini aſciuerant, ſumma rerum redierat, ſuo exemplo comprobarunt, fluxas eſſe & inſtabiles res mortalium, neque a fortunae viciſſitudinibus quidquam eximi. Adeo enim nullum non iniuriae genus in *Guelfos*, (Henricum Magnanimum cumprimis & Leonem noſtrum, quem veteres ab animi in vtraque fortuna inuicta magnitudine immenſisque opibus *Magnum* (d) dixere) licitum ſibi exiſtimarunt *Gibellini* hi poſteriores, (Conradus III. praecipue & Fridericus I.) vt nihil impietatis, fraudis nihil atque violentiae omiſerint, quo ſtirpem hanc, hactenus fortunae blanditiis & virtutum curſu ſupra omne laudis decus excretam, quae ſola in pernicioſis de opprimenda Germaniae libertate conſiliis ipſis metuenda videbatur, ſi quo pacto fieri potuiſſet, penitus delerent. Vlta quidem eſt diuina Nemeſis tam inſignem improbitatem, & *genus Guelficum* vsque ad haec tempora floridiſſimum conſeruauit, cum contra paullo poſt *Gibellina domus* complorando ſato funditus interierit: (e) interim tamen id inuidia Regum atque Imperatorum ex hac Familia procreatorum euenit, vt, quae potentiſſima totius Germaniae Familia erat, & fortunae indulgentia acrioreque fortitudinis & prudentiae ſtudio ad ſummam excellentiam adoleuerat, (f) inſtar immen-

Dedit exactiſſimam gentis huius Genealogiam Ill. D. KOEHLERVS, Goettingenſis Academiae ſingulare ornamentum, in diſſertatione Altdorfii Noricorum A. 1721. habita, in qua omnes Familiae Auguſtae Stauffenſis generationes tanta doctrinae vbertate, vetuſtorum Scriptorum fide, probauit, vt Iliadem poſt Homerum ſcribere videremur, ſi in hac genealogia illuſtranda prolixiores eſſe vellemus.

d) Henricum Leonem *Magnum* ſubinde a Scriptoribus dici multis probari poteſt exemplis. Sic ALBERTVS STADENSIS *ad A. 1152* in ſerie Imperatorum *p. 276.* penultimo loco: *Otto*, inquit, *filius Henrici* Magni *Brunſuicenſis* & *p. 277.* in ſtemmate Billingano *Henricus Dux* Magnus *de Brunſuic.* GODEFRIDVS COLONIENSIS *apud Freber. T. I. p. 400. Anno 1235. Otto de Luninburg, nepos* Magni *Ducis Henrici, nouus Dux & Princeps efficitur.* HERMANNVS CORNERVS *p. 814. Otto quartus de Poyters, filius Henrici Leonis* Magni, *Romanorum Imperator coepit - - Anno Domini 1198.* GESTA TREVIRENSIVM ARCHIEPISCOPORVM *ap.* ECCARD. *Corp. Hiſtor. medii aeui T. II. p. 2221. Anno 1198. Adolphus Colonienſis Archiepiſcopus ex conſenſu Treuerenſis habens & ipſe vocem electionis, nomine quorumdam Principum peregre profectorum, vt aſſerebat, Othonem Comitem Pictauienſem, fratrem Henrici ſupra dicti Comitis Palatini, & filium* Magni *illius Ducis de Saxonia, Henrici videlicet, euocauit & vnxit in Regem.* In VETVSTO NECROLOGIO MINDENSI MSCTO dies obitus Henrici Leonis his verbis eſt annotatus: *Obiit Henricus* Magnus *Dux Saxoniae.* In DIPLOMATARIO LVBECENSI, quod LVNIGIVS edidit *Archiuo Imperii Spicil. Eccleſ. T. II.* Chartis & Priuilegiis ab Henrico Leone datis *p. 291. 292. 294.* ſemper rubrica adſcripta eſt: *Henrici* Magni *donatio*, quam veteri manu ita in Diplomatario, ex quo ſua deſcripſit LVNIGIVS, ſcriptam fuiſſe facile coniicere licet. In CHRONICO ROSENFELDENSI MSCTO legimus haec annotata: *Sifridi filius, Sifridus de Bobmeneburg, curiam Hetfelde dedit Clauſtro Amelyngesborne, quam poſtea Dux Henricus* Magnus *Leo de Brunſuick emit a Monachis.* HELMOLDVS *Chron. Slau. L. II. c. 3. Pribizlaus venit Malcowe & Cuſcin, & allocutus eſt homines Ducis, dicens, ſcio vos eſſe viros fortes & nobiles, & obſecundantes imperio* Magni *Ducis, domini veſtri.* Et vt finem faciam in colligendis huiusmodi teſtimoniis, quae plurima adhuc in medium proferri poſſent, Lectorem ad *veterem narrationem de morte Ottonis Imperatoris*, quam infra exhibemus, remittimus, vbi *p. 840.* ANONYMVS AVCTOR: *Igitur*, inquit, *Otto ipſe cum eſſet Comes Pictauiae, Henrici* Magni *Ducis Saxoniae filius, ad Imperatorem aſſumptus eſt anno gratiae MCXCIX.*

e) Lubens quidem & facillimus largior, arcanas diuinorum conſiliorum rationes ita plerumque mortalium intellectum fugere, vt temeraria ſint quam plurima, quae de talione diuina ab hominibus ferri ſolent, iudicia. Interim ſicuti non erraſſe mihi videor, ſi Pharaonem, ſuperbum Aegyptiorum Regem, qui prius innocentiſſimos Iſraëlitarum puerulos *in aqua* ſuffocari iuſſerat, iuſta Dei vltione *in aquis* exſtinctum dixero; ſic forte eadem diuina Nemeſis clare ſatis atque manifeſte ſe prodit in Friderico I. Imperatore, qui Henrico Leoni *religionis cauſſa in Palaeſtinam* profecto laqueos vt in itinere periret tetendiſſe dicitur, vana ſpe illectus, fore vt ampliſſimum eius patrimonium ditionesque potentiſſimas, tamquam proximus cognatus, ad ſe rapere queat. Etenim is poſtea, A. 1190. vt omnibus notum eſt, *in expeditione religionis cauſſa ſuſcepta* in eodem peregrino ſolo, quo Henrici Leonis oſſa tumulari optauerat, miſere periit. Vtque *Hohenſtauffii Imperatores* nihil fecerunt reliqui, quo funditus exſtirparent *Guelficam gentem;* ita deinceps eorum Familia Paparum iniquitate & tyrannide miſerandum in modum depreſſa eſt & extincta penitus.

f) Neſcio an ad praeclaram Domus Guelficae potentiam, opes & nobilitatem digitum etiam intenderit SVGERIVS, qui narrans legationem, quam Dux Welfus, is ipſe qui Henrici Nigri frater, & Henrici Magnanimi patruus fuit, pro Caeſare

immenſae arboris tempeſtatum vi & procellarum impetu deiectae triſte caſuum, quibus humana conditio expoſita eſt, ſpectaculum omnibus praebuerit, & terris Italicis ampliſſimis, Ducatibus Bauariae atque Saxoniae, opimisque in Sueuia poſſeſſionibus ſpoliata ex omni illa priore fortuna ſua, praeter hereditaria in Saxonia bona, quae poſtea *in Ducatum Brunſuicenſem & Luneburgenſem* coaluere, nihil fere retinuerit.

§. 2.

Aemulatio & capitale odium inter has Familias duabus factionibus Italiae funeſtis Gibellinae & Guelficae originem dedit.

Refertur communiter ad haec tempora *Guelforum factionis*, in Italia *Gibellinae* oppoſitae origo; licet quando ſub hoc nomine factiones hae, Italiae funeſtae, coaleſcere coeperint, nondum hactenus manifeſte compertum ſit & exploratum. (g) Miſera enim, quae ex tot diſſenſionibus & turbis emerſerant,

ſare & Imperio ſubiit, diſertis verbis prodit, ipſum non modo multis Archi Epiſcopis & Epiſcopis legationis ſociis ſtipatum, his omnibus dignitate potiorem fuiſſe, verum etiam *gladium ei vbique fuiſſe praelatum.* Verba SVGERII, ſupra *L. VI. c. 3. §. 8.* relata, hic de nouo exſcribere ſuperſedemus. Hoc certum, neminem facile fore, qui id crederet, niſi teſtis omni exceptione maior adeſſet SVGERIVS, qui haec litteris mandauit, & ſe ipſum cum Abbate S. Dionyſii, Adamo, tantae pompae ac celebrati ſpectatorem auditoremque interfuiſſe commemorat. In alieno enim territorio talia non licent, neque vmquam a quoquam Legatorum, quantum memini, vſurpata leguntur. Tolerabiliora tamen videbuntur perpendentibus non ad Regem Galliarum, ſed ad Pontificem in Gallia degentem hanc legationem miſſam fuiſſe, Welſumque iſta pompa oſtendere voluiſſe, circumferre ſe vbique Caeſaris maieſtatem, cuius ſibi, tamquam legationis principi, perſona eſſet impoſita. Forte etiam non ſine aliqua veritatis ſpecie opinari poſſumus, Welſum noſtrum *Imperii Archimareſchallum* fuiſſe, quod licet & Archi Epiſcopis Electoribus, in ſolemni pompa & Epiſcopis ac Abbatibus nonnullis domi gladius praeferri ſoleat; inter Duces tamen is, cui gladius praefertur, ſolus ſupremus Caeſaris & Imperii Mareſchallus eſt. Sed haec vtut dicta ſpecioſa, tamquam altioris indaginis & a ſcopo noſtro nimis remota iam in medium relinquo, locum hunc SVGERII auro contra carum de nouo allegaſſe contentus, quod vnus vt plura nos docet alias ignorata, ita *exemplum* ſiſtit *magnificentiae ſtirpi Guelficae ſemper propriae.* Caeterum Welſum Ducem in legatione a SVGERIO nominatum alium non eſſe, quam Welſum, Welfi Conquaeſtoris, vt rectiſſimo iudicio eum nominandum cenſet Illuſtris Dn. GRVBERVS, filium, Bauariae Ducem, obiter obſeruo. Id quod non monerem, niſi eſſent, qui ſuſpicentur fratrem Henricum Nigrum hac legatione perfunctum eſſe, atque SVGERIVM gentis nomen pro nomine Principis poſuiſſe. vide FELLER *in Hiſtor. Geneal. Brunſuicenſ. p. 190.* Cum enim non niſi *Princeps regnans*, vt ita dicam, tot Archi Epiſcopis & Epiſcopis, legationis ſociis, praeponi potuerit, atque fratrem Henricum hoc tempore in Italia commoratum eſſe aliunde conſtet, (conſ. *L. VI. c. 3. §. 14.* ibique citata diplomata) ſuſpiciones iſtae, qualicumque fundamento nitantur, neceſſe eſt, vt cedant veritati. Praeterea deſcribitur etiam hic a SVGERIO habitus corporis Welfi noſtri hac ratione, vt pateat, quare iam veteres nonnulli, qui vel ipſi eum viderant, vel a maioribus, qui viderunt, id acceperant, *Craſſum* eum atque *Pinguem* cognominarint.

g) Hoc vero certum eſt, factiones ſub hiſce nominibus notas Italiam a temporibus Friderici II. Imperatoris maxime turbaſſe. Cum enim hic grauiſſima Pontificum, Gregorii IX. Honorii III. & Innocentii IV. odia experiretur, & Italiae ciuitatum incolae diuerſas partes ſequerentur, aliis Pontifici, aliis Caeſari fauentibus; diſtinctio tandem inualuit, vt *factio Pontificis* Guelfa, *Imperatoris* vero Gibellina diceretur. Mox accidit odiis creſcentibus, vt nullum fere eſſet in tota Italia oppidum, in quo non aliquod earum veſtigium appareret, & longe lateque diffuſa pernicies omnia cladibus, crudelitate & perfidia foedaret. Ciuitas enim ciuitati contraria, prouinciae prouinciis aduerſae erant; quin immo familiae ipſae in duas partes diuiſae in ſe mutuo ſaeuiebant. Non filio, non patri, non fratribus vnus in vna domo conſenſus; nec conſanguineis eadem voluntas ſuberat, nec hoſpes ab hoſpite tutus agebat. Vt tamen quilibet domi ſuae ſecurior eſſet, hiſce in turbis priuatis tunc aedibus turres adiectae ſunt, quibus Patauium, Ticinum, Cremona, aliaeque vrbes vsque ad haec noſtra tempora abundant. Vicatim enim praeliari, aduerſae factionis aedes incendere ac demoliri pulchrum erat. Et ſub hac factionis larua priuatas vlciſcebantur iniurias, ſaeuerioraque aduerſus aemulos impune moliebantur ac exequebantur homines factioſi. Sed haec minorum ciuium ſtudia videbantur; maiores ex factioſis, clientelis & Papae vel Imperatoris patrocinio, vrbium Principatui inhiabant, ſeque in tyrannos paſſim erigebant. ALBERTINO MVSSATO *L. VIII. Rubr. 6.* teſte, Henrico VII. imperante Gibellinae ſiue Caeſareae partis erant vrbes *Taurinum*, *Nouaria*, *Vercellae*, *Pergamum*, *Cumae*, *Brixia*, *Verona*, *Vicentia*, *Mantua*, *Mutina*, *Laudum*, *Placentia*; at contra factioni Guelfae, ſiue, vt dicebant, Sacro Sanctae Eccleſiae ſe deuouerant *Mediolanum*, *Alba*, *Haſta*, *Alexandria*, *Papia*, *Parma*, *Regium*, *Cremona*, *Padua*, *Taruiſium*, & e ciuitatibus Hetruſcis, vt VECERIVS indicat, *Florentia*, *Bononia*, *Luca*, *Piſtorium*, *Senae*. Vna vero para

Digitized by Google

ſerant, tempora adeo omnem rerum praeteritarum ſcientiam in animis Italorum pene deleuerant, vt, vnde *Guelſorum* & *Gibellinorum nomina*, quae quotidie in ore habebant, veniſſent, ipſimet obliti ſint penitus. (h) Interim OTTO FRISINGENSIS,

pars alteram tanto odio proſequebatur, vt quantum poterant, ſe ſignis quibusdam a ſe inuicem diſtinguerent, diuerſaque ſtudia diuerſis moribus proderent. FELIX OSIVS *in notis ad Hiſtoriam Auguſtam* MVSSATI *p. 146. Inſignia,* inquit, *bellica gerebant aduerſa; & colores, terrae fructus, habitus corporum, ipſe hominum inceſſus, digitorum concrepitus & oris hiatus ſuam habuere partium ſignificationem. His exprimebatur palam volantas & profeſſio ſingulorum: his in feriis ac ludis, profanis ac ſacris, domeſticis & externis diſtinguebantur. Brixiana plebs, ſicut & Bergomenſis, allium quo ſcinderet modo, exiſtimabat plurimum intereſſe; auditumque aliquando eſt in Bergomatum montibus extitiſſe, qui aduenas ex Calabris, Apuliſue aut Hetruſcis viatores hoſpitio receptos, allium, quod ſuo ipſius hoſpitis iudicio in nucleos natura diſtinctos diuidi oportuit, gladio ſcindentes, tamquam diuerſarum partium, interfecerint. Habemus & in veterum monumentis diuerſas alias factionis vtriusque notas. Quippe* Gibellina *factio, vt ex illis conſtat, colores adhibet varios, eosque laeuae parti accommodat, cui plumas etiam ipſas affigit. Attollit eadem indicem, cum iurat, eundemque ſuper imponit rebus omnibus, quas attingit, pomaque ſcindens extenſa ſcindit: ad haec vaſa, quibus vtitur, leuia omnino ſunt, caelata nuſquam: roſa demum candida, natiuique coloris animantibus delectatur. E contra* Guelfa *plumis & coloribus ſuis dexteram partem exornat, fidem ſuam cum obligat, pollicem erigit, & alias ſupra res omnes apponit. Scindit eadem poma tranſuerſa, roſam amat purpuream, animaliaque natiui coloris expertia, & arte laborata vaſa. Clemens IV. Romanorum Pontifex, Florentinis exulibus Guelfis, quod vnacum Carolo, Ludouici Francorum Regis fratre, aduerſus Manfredum, Siciliae tyrannum, ſtrenue dimicaſſent, inſigne ſuae gentis proprium perpetuo ferendum indulſit, quod erat imago Aquilae, prementis caeruleum Draconem unguibus, cuius vertici Guelfi dein ipſi purpureum lilium adiecere.* Haec OSIVS. Boniſacius VIII. Papa, vt erat homo impotentis animi & vindictae ſtudioſiſſimus, inſano plane furore *in Gibellinos* incenſus erat, eorumque internecionem intento animo quaerebat. Dicitur is cum aliquando primo Quadrageſimae die Archiepiſcopus Genuenſis, factione Gibellinus, ad altare accederet, cinerem de manu ipſius deuote ſuſcepturus, cinerem ipſi in oculos ieciſſe, altaque voce (digno, ſi diis placet, Vicario Chriſti zelo) exclamaſſe: *Memento homo, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem reuerteris.* Guelforum tamen perſecutione ipſe tandem Boniſacius hic periit.

h) Equidem vnanimi ferme conſenſu Scriptores Itali BLONDVS, PLATINA, GEORGIVS MERVLA, CAVATIVS aliique affirmant, *Piſtorii* primum haec nomina factionum ſub initium ſeculi XIII. coepiſſe, cum *Cancellarii* vrbe eiciſſent *Panciaticos*: quorum hi ſe Gibellinos, ſiue Imperatoris clientes, illi ſe Guelfos, hoc eſt Papae aſſeclas, vt cauſſae ſuae praeſidia haberent, profitebantur: interim tamen has ipſas appellationes multum ſaeculo hoc antiquiores eſſe, ſi in ſolam *nominis veram originem* curate inquirimus, facillime euinci poteſt. Vtcumque autem ſit, in eo tamen non errant Itali, quando ſibi perſuadent, ſaeculo demum XIII. nomina haec in Italia ab iis, qui turbas in vrbibus vel prouinciis mouebant, eo conſilio vſurpari coepiſſe, vt non modo ſine metu iudiciorum aut poenae, quicquid libitum foret, agere poſſent, verum etiam potentiores ex populo eo facilius ſibi conciliarent. Vti enim hi ipſi ciuium ſuorum ſtudia atque voluntates facillime perſpexerant, ita in partes ſuas eosdem trahere quam commodiſſime poterant ſub ſpecioſo hoc praetextu, ſe non ob aliam cauſſam ab aliis premi, vel alios viciſſim premere, quam quod *Imperatoris* vel *Pontificis* iura tuerentur. Hoc enim tempore turbae Piſtorienſes euenerunt. Placuit poſtea dirum *Piſtorienſium* inuentum *Florentinis*, cum occaſione violatae promiſſarum nuptiarum fidei a *Bondelmontio*, viro nobili, in factiones Nobilitas diſceſſiſſet, vti ARETINVS, caeterique Scriptores Florentini indicant. PTOLEMAEVS, Lucenſis Epiſcopus, temporibus proximus, A. 1215. id contigiſſe teſtatur, ad eum annum ſcribens: *In die Reſurrectionis occiſus fuit Dominus Blondelmonte Vgutionis ab Vbertis, & ex tunc pullulauit diuiſio* Guelfa *&* Gibellina. Eiectis Piſtorio Panciaticis, Cancellarii quidem Guelfi triumphabant, a mercatore ditiſſimo orti, & opibus admodum florentes. Adeo vero creuerat illa gens clientelis, vt VILLANVS *Hiſtor. Florent. Libr. IX. c. 37. ſqq.* ap. MVRATOR. *Script. Italic. T. VIII.* & ex eo alii aſſerant, ipſam centum & amplius potentiſſimos homines inter clientes ſuos numeraſſe. Mox tamen & illi, natis inter ſe diſcordiis, in diuerſum abiere; iamque inimicitiae graues & rixae ad plagas vsque & vulnera manus impulerant, & nouae factiones pollutae proximorum ſanguine patriam omnem turbinibus inuoluerant, vna illarum parte *Alborum*, altera *Nigrorum* appellationem ſibi vindicante, cum ſuſcepta vrbis huius, cui ob has ſectas extremum pene diſcrimen imminebat, cura Florentini, quo id malum late iam erumpens, ſi qua poſſet ope, comprimeretur, capita factionum, quoad refrigeſceret impetus, amouere factu optimum iudicarent. Ita dedita opera partes ambae *Florentiam* deductae ſunt. Verum enim vero ea res non tam Piſtorium purgauit, quam Florentiam ipſam infecit. Simul ac enim eam in vrbem locupletiſſimi homines admiſſi, multisque ac magnis affinitatibus in illa ſubnixi, a propinquis hoſpitio varie ſuſcepti, ac mox fauore ſubleuati ſunt, eiusdem incendii faces in hoſpites iniecerunt. Et ea quidem labes in Nobilitatem primum irrepſit, alio aliis fauente; nec vlla fuit

sis, ſi aliis omnibus deſtitueremur, *L. II. de geſtis Friderici I. c. 1. & 2.* vnde eadem veriſſime deriuari debeant, clare ſatis & aperte indicat. Is enim Friderici I. Imperatoris patrem, Fridericum Ducem, de potentiſſima *Henricorum de Gueibelinga* Familia, (per matrem nempe *Agnetem*, Henrici IV. Imperatoris filiam) deſcendiſſe ait, huic autem *Guelforum de Altorfio*, (vnde mater Friderici I. *Iuditha*, Henrico Nigro Duce Bauariae nata, originem traxerat,) *aemulam gentem* opponit. (i) Non igitur extra oleas

domus paullo inſignior, quae non illic etiam bifariam ſcinderetur. Inde quoniam huiuscemodi controuerſiae in Republica tractandae ſaepius erant, in populares quoque, veluti tabes aliqua, diffuſa eo validius exarſit, quo ampliorem Florentiae, quam Piſtorii, materiam fuerat conſecuta. Quam ob rem ea quoque ciuitas tota diuiſa eſt, diuiſae domus, diuiſae familiae, fratres quoque reperti ſunt, quorum alius alia ſentiret. Ita ſe Florentini, dum alieno morbo facere medicinam ſtudebant, protinus infecerunt, ſtatimque vetus apud illos *Guelforum factio* anceps diſſoluebatur, duaeque aliae ex vna, *Alborum* ſcilicet & *Nigrorum*, calamitoſo & funerum pleno exitu, ibidem emergebant. Feruebant inibi pridem contentiones quaedam inter *Circulos* & *Donatos*, ex vicinitate, qua ſe pene intra vrbem extraque in praediis contingebant, exortae. Ad eas potiſſimum incendendas diſcordiarum Piſtorio allatarum flamma incubuit. Cum enim *Nigra* Piſtorienſium pars plurimum apud *Donatos* diuerſata, immodico Familiae eius fauore, vt propinqua & hoſpitio ſuſcepta, iuuaretur, effectum eſt, vt quicumque *Albis* fauebant, ad *Circulos*, iam pridem Donatorum aduerſarios, acceſſerint. Ita his aut illis omnes cohaeſerunt, veritique Duces Guelfarum partium, ne ob hanc diuiſionem inter ſuos homines coortam Gibellinorum factio in ciuitate reſurgeret, coacti ſunt per Oratores ſuos Bonifacium Pontificem rogitare, vt ad ſe Purpuratum Legatum, pacis domeſticae inter eos componendae gratia mitteret: miſſusque eſt Nicolaus, Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, qui ſerpenti malo occurreret. At is etiam infecta re a Circulis ſpretus, vrbe ſacris interdicta, diſceſſit. Recte igitur RVBEVS *L VIII.* dixit, fuiſſe *Albos* genus hominum ſuperſtitionis nouae, natum *ex Guelfis, eiusdemque factionis ex ciuilibus diſſidiis a ſuorum communione diſceſſiſſe, vnitumque Gibellinis ad omnia Guelforum irritamenta pernitiesque.* Cum autem Piſtorienſes *Guelfos* primum Nigros vocitaſſent, ab iis diuiſi, *intolerantia Gibolengi nominis*, vt MVSSATVS *L. I. de rebus Henrici VII. c. 6.* ait, Alborum *nominis ſibi praenomen elegerunt.* Fabulas itaque narrant MACHIAVELLVS *Hiſt. Florent. L. II.* & SCIPIO AMMIRATVS *in Paralel. c. 24.* qui *Nigros* ex vxore Cancellarii *Nigra* dicta, & *Albos* ex altera eius coniuge *Blanca* prodiiſſe ferunt. Ortum Alborum & Nigrorum Florentiae VILLANVS in Annum 1300. refert, PTOLEMAEVS LVCENSIS vero decennio vetuſtiorem facit. Ad Annum enim 1289. *Iſto*, inquit, *eodem anno D. Albertinus Vrgelenſis de Piſtorio occiditur a parte D. Simonis de Pantano, quae* Nigra *vocabatur, alia vero* Alba, *vnde facta eſt in Luca & Florentia ſciſſura.* Idem non multo poſt addit: *Prius vero per aliquod tempus occiſus eſt D. Dettus de parte* Nigra, *& de eadem domo. Poſtea D. Bertacca de parte* Alba, *& ſic per eos tota Tuſcia ponitur in ſciſſura.* Antea tamen idem PTOLEMAEVS natalem Alborum & Nigrorum apud Florentinos in Annum 1295. retulerat. Ibi enim *item*, ait, *in geſtis Lucenſium inueni, hic incepiſſe feruentem diſcordiam Cancellariorum de Piſtorio, vt nominarentur* Albi *&* Nigri, *quod nomen fermentauit Florentiae & Lucae.* Vt itaque certum ſit, circa finem ſaeculi XIII. *Albos* & *Nigros* ex *Guelfis* prodiiſſe.

i) Haec omnia cum ignorarint Itali, recte omnino Gregorius X. PP. *in oratione ad Florentinum Magiſtratum & Populum habita* de iis dixit: *Gibellinos & Guelfos nomina eſſe, ne ipſis quidem, qui ea proferunt, nota.* Fuerunt enim qui has ipſas appellationes tanto tamque ferali & domeſtico furore concomitatas, nec ſine vrbium excidiis, bonorum direptionibus, humani ſanguinis effuſionibus in nepotum animos transmiſſas a duobus fratribus, *Guelf* & *Gibel*, orta Anno 1334. in Piſtorienſi oppido ſeditione, initium ſumſiſſe dixerunt, vtpote quos inter ſe certaſſe, & hunc *Imperatoris*, illum *Papae* partes ſecutum fuiſſe, finxerant; quo quidem aſſerto ineptius nihil, nihil falſius dici potuiſſet. Nam quae fuerit Piſtorienſis ſeditionis cauſa ex antiquorum Scriptorum teſtimoniis modo (nota h) enarrauimus. Aeque ieiuna & ridicula plane eſt originatio, quam alii protulerunt, *Guelfum* ſignificare *Guardiam* vel *cuſtodiam fidei*, at *Gibellinum* eſſe *Gui. Bel.* id eſt *Guidonem* ſeu *Ducem belli.* Ipſe etiam BARTHOLVS, Iuriſconſultorum ſuae aetatis coryphaeus, longiſſime a ianua aberrat, dum putat Friderici I. quem Papa ſacro anathemate notauerat, hoſtes, *Guelfos* & Eccleſiae defenſores dictos fuiſſe, quod eſſent *fidei amantes & zelatores*; nam *Guelf* Hebraice ſonare *os loquens*; falſum enim hoc eſt, & *Guelfus* nomen eſt proprium, quo & Satorem DOMVS AVGVSTAE & nonnullos Principes noſtros vſos eſſe nouimus; felicior vero fuit in Gibellinorum appellatione eruenda BARTHOLVS, quos ita nominatos ſtatuit, quia Fridericus I. cui poſt excommunicationem adhaeſiſſent, originem *e Gibellina domo* duxiſſet, ſeu, vt loquitur bonus vir, *eius agnatio in Alemannia cognominabatur Domini de Gebello.* Confer eius tractatum *de Guelphis & Gebellinis* inter Conſilia & Tractatus eiusdem, qui Lugduni apud Petrum Fradinum 1552. V. ſpiſſis voluminibus in folio prodierunt. Viderunt hos & alios lapſus TRISTANVS CALCHVS & GEORGIVS MERVLA, cumque meliora ignorarent, maluerunt nihil coniecturae proferre, quam aberrantium coetum

Digitized by Google

oſeas vagari videbimur, ſi in *rebus Guelficis* explicandis occupati, etiam huius aemulationis, cuius toties apud Hiſtoricos mentio fit, originem breuiſſimis eruamus. Et ſub Friderico I. quidem *factioſum* hoc *nomen* natum primum fuiſſe, ceu plerique docti viri perſuaſum habent, vix ac ne vix quidem credo. Licet enim ſub eo vixerit Welfus huius nominis vltimus, Iudithae modo nominatae frater, Princeps potens, & qui auitas Guelforum in Sueuia ſuperiore & ad lacum Conſtantienſem ditiones poſſedit, is tamen Friderico I. Imperatori eiusque genti, ob conſanguinitatem tantopere fauit, vt etiam cum maximo Familiae ſuae detrimento heredem eum omnium bonorum ſuorum ſcripſerit. Tantum igitur abeſt, vt beneficiis Imperatoris huius deuinctus in Italia & caetero Imperio vniuerſo aliquid ei aduerſum palam ſuſceperit, vt potius, quod ſummam erga Pontificem Maximum reuerentiam, cultum & pietatem a parentibus in ſe deriuatam cum Caeſaris amicitia coniunxerat, & vtrique debita officia ſimul ſancte coluerat, de Friderico cum Eccleſia reconciliando omni niſu laborarit. Cum patruo vero Friderici I. Imperatoris, Conrado III. Rege, idem Welfus ob Ducatum Bauariae, quem, poſt fratris Henrici Magnanimi exauctorationem ex hereditaria ſucceſſione ſibi potius, quam extraneo deberi exiſtimabat, acriter antea decertauerat. (k) Memorabile prae caeteris eſt praelium, quo A. 1140. a Conrado Rege quidem victus, (l) verum quoniam a Rogerio, Regnum Siciliae affectante, aliisque potentioribus Italiae Principibus Conrado exoſis, vt Regi huic in Germania reſiſtere, atque eum, ne Italiam intraret, diutius impedire pergeret, anno ſequenti lauta ſtipendia acceperat, viribus & potentia minime fractus eſt, ſed potius *Guelficam* in Germania factionem aduerſus Conradum etiam poſt hanc cladem fortiter ſuſtentauit. At enim cum is tandem aliquam in gratiam cum Rege Conrado rediiſſe, & iter Hieroſolymitanum cum eodem ſuſcepiſſe, nec vnquam in Italia aduerſus ipſius aſſeclas pugnaſſe legatur; *factionis* ſane *Guelficae*, quae apud Italos tantum furoris, caedis, atque incendiorum vaſtitatis infelicibus populis attulit, nec ipſe, nec Conradus Rex *Gibellinae* auctor eſſe potuit; ſed antiquiores ambobus illas ſint oportet. Non immerito igitur SIGONIVS *L. IX. de Regno Italiae*, quamquam FELIX OSIVS id capere nequierit, ſtatuit, renouatam ſaltim in Germania, Saxoniae Baua-

coetum augere. Vnde hic *hiſtoriae Mediolanenſis L. XIV. p. 316. T. II. Theſauri Antiquit. Ital.* modeſte ſatis de ſe ſcribit: *Vnde orta ea nomina ſint, multa quidem traduntur, ſed quod probem, adhuc non legi.* Ille vero in *Antiquit. Vice Comitum L. VI. p. 127. T. III. Theſauri Antiquit. Ital. iuniores Hiſtorici*, inquit, *multa falſa & ſecum diſſidentia memoriae mandant, quare vix certi quicquam de origine & nomine factionum affirmare auſim.*

k) Hinc iterum alii Scriptores Itali ſub Conrado hoc & filio eius Henrico, in Romanorum Regem electo, ſed inuerſo mortalitatis ordine ante patrem fatis functo *factionem Guelficam & Gibellinam* prodiiſſe, Henricumque praecipue ab oppidulo *Guibelinga*, vbi natus, *Gibellinum* dictum fuiſſe credunt. Conf. MERVLA *L. VI. Antiquit. Vicecomit. l. c. p. 127.* & LAMBERTVS VANDERBVRCHIVS *L. I. Hiſtoriae gentiliciae Sabaudorum Ducum in Amadaeo III. p. 27.* Sed Henricum Guibelingae (Waiblingen) Sueuiae oppido natum nemo veterum, quantum ſcio, dixit; nec cum Henrico, ſed cum patre eius Conrado, qui *Guibelini* vel *Weiblingi* nomen per matrem Agnetem accepit, conflictus eſt Welfus noſter. Conf. ſuperius dicta L. VI. c. 4. §. 36. ſq.

l) POGGIVS hinc ſomniat, *Gibellinis* nomen inditum a vico, iuxta quem Conradus Rex & Welfus Dux manus conſeruerint. Sed locus ille non *Guibelinga*, verum *Winsberga* vocabatur, GODEFRIDVS VITERBIENSIS, HERMANNVS AEDITVVS a CRVSIO citatus, NAVCLERVS & plerique alii Scriptores Germanici narrant, in praelio ad Winsbergam clamorem exhortationis ad fortiter pugnandum in exercitu Welfi fuiſſe *Hie Welf*; Fridericum vero, Conradi Regis fratrem, alii Henricum, Conradi Regis filium, habent, ad confuſionem illius praecepiſſe clamari, *Hie Guibeling*, quoniam in villa *Waiblinga* nutrix ipſum infantem lactaſſet. Eodem modo IACOBVS BRACELLIVS *L. II. de bello inter Hiſpanos & Genuenſes p. 1281. T. I. Theſauri Antiqu. Ital.* ab his in caſtris & pugna adhortationibus nomen hoc deriuauit; ſed in hac narratione ſua, quae prolixa nimis eſt, quam vt hoc loco exſcribi poſſit, tot errores admiſit, quot fere periodos ſcripſit. Sic v. g. *Vinſpergam* vrbem Saxoniae fuiſſe fingit, & in vicinia eius villam neſcio quam, *Heleneſon* nominatam locat. Sic porro in exercitu Guelfonis copias auxiliares Rogerii Siculi fuiſſe ſomniat; atque hos milites in Italiam reuerſos barbara haec nomina, quae in caſtris Germanorum didicerant, in patriam ſecum aduexiſſe aſſerit. Apage nugas! Veteres enim, quos ego quidem noui, omnes de hoc celeuſmate tacent; vnde fabellae a recentioribus narratae non tuto fides adhibenda, cum praecipue pluribus aliis erroribus ſcateat, & magis otii fallendi cauſſa a mulierculis inuenta, quam ex rei geſtae veritate conſuta videatur.

Bauariaeque cauſſa, ſub Conrado Rege & Welfo veterem vtriusque Familiae concertationem fuiſſe. Auunculus enim Conradi, Henricus V. eiusque pater, Henricus IV. & huius maiores veri *Gibelingi* erant, orti nempe ex *Wibelinga* Francica, Heidelberga non procul ſita. (m) Quodſi igitur a Conrado III. aſcendimus, ad ingens Pontificii & Imperii diſſidium de inueſtitura Epiſcoporum venimus, ſub Henrico IV. & V. Imperatoribus atque ſub Pontificibus Gregorio VII. Victore III. Vrbano II. Paſchali II. & Calixto II. acerrime vtrinque agitatum. Mathildis, potentiſſima in Italia Ducatrix, vt notum eſt, a partibus Gregorii VII. Pontificis ſtabat. Cum vero praeualente Henrici IV. potentia res Gregorii non modicum vacillarent, & iam Papae aſſeclis ſummum periculum immineret, callide ſatis excogitabatur matrimonium inter Mathildem & Welfum, Welfi Azone Marchione nati, Bauariae Ducis filium. conf. ſupra dicta *L. III. c. 5. §. 9.* Hoc enim matrimonio inter Mathildim & Welfum contracto ita iam de nouo ſuſtentari coeperunt Pontificis auſus & molimina, vt felix, quem poſtmodum habuerunt, euentus ei fere ſoli imputari debeat. Nam & auus Azo & Welfus pater pridem ab Henrico Imperatore alieniſſimi, (n) ſumma, qua pollebant, prudentia & conſilio, filius autem Welfus, Mathildis mari-

m) OTTO FRISINGENSIS *l. c.* horum Familiam verbis claris *de Gueibelinga* vocat. CONRADVS ABBAS VRSPERGENSIS *ad A. 1124.* de iisdem Henricis: *Iidem*, inquit, *Principes* de Wabilingen *oriundi dicebantur.* CHRONICON LAVRESHAMENSE *p. 73.* de Conrado Salico, Henricorum Satore, *qua* inquit (contentione diuerſorum de Regno) *diuinitus ſedata in Cunradum Regem, quem dicunt* de Weibelingen *conuenit Regni vniuerſalis electio. A quo, vt aiunt, proceſſit adhuc permanens Imperialis proſapia. Nam Conradus genuit Henricum III. Henricus item Henricum IV. Henricus quoque Henricum V. Imperatores Spirae ſepultos. Fridericus Dux ex ſorore Henrici V. Conradum Regem & Fridericum II. Ducem, Fridericusque II. Dux Fridericum Imperatorem.* ENGELHVSIVS *in Chronico* his conſentit, dum ſcribit: *Conradus II. Salicus & Spirenſis, quia Spiram valde dilexit, imperauit annis XV. Prius dictus eſt Cuno* de Webelingen *in Sueuia, de genere Ottonum.* Is vero de genere Ottonum erat eo modo, quo Conradus III. de genere Henricorum Wibelingicorum eſſe dicebatur, nempe per matrem. Nec Conradus Salicus Imperator de *Wibelinga Sueuica*, ſed de eiusdem nominis villa in Francia Orientali, Heidelberga non procul jacente, ortus erat. Cuius rei fama mature ad Italos penetrauit. GVALVANEVS enim FLAMMA *in* MVRATORII *Scriptor. Rer. Ital. T. II. p. 615.* dum Conradum Salicum ab Heriberto Archi-Epiſcopo Mediolanenſi Regem Italiae coronatum narrat, *Cononem* eum *Ducem Gibellinum* vocat, & addit verſus:

Dux erat ex villa, quam rite vocant Gibelina (Waiblingen)
Inclyta progenies Regum generatur ab illo.

In monumentis Laureshamenſibus frequens huius villae mentio fit. CHRONICON LAVRESHAMENSE *ad A. 948.* Gerbodonis Abbatis geſta recenſens addit: *Hic eccleſiam ſatis decoram in ſupra dicto loco Brounat, aliamque in* Wibelingen *exſtruxit.* Idem *p. 91.* ſub Conrado III. *curtes Laureshamenſes, Vtrinum, Wibelingen & Gingen Regiae poteſtati pro ſeruitio centum marcarum in concambium tradidas eſſe* refert. Hic ergo Conradus Salicus natus, & hinc cum poſteritate ſua dictus eſt *Gibelingus.* SIFRIDVS PRESBYTER perperam vxorem Conradi Salici *Giſelam de Webelingen* nominat, quia non illa, ſed maritus eius hunc locum patriam agnoſcebat.

n) De Welfi Conquaeſtoris cum Rudolfo Duce Sueuorum aduerſus Imperatorem Henricum IV. conſpiratione ſupra quidem *L. VI. c. 1. §. 10.* a Dn. ECCARDO pluribus actum, & recte ſimul obſeruatum, quod hanc Welfi defectionem vlturus Henricus Imperator feudis atque ditionibus omnibus eum priuauerit; quod ipſum tamen iuſto ſerius narrat Dn. ECCARDVS, quando demum poſt recuperatam ciuitatem Auguſtenſem eueniſſe dicit *l. c. §. 13.* Diſcimus enim ex Charta, qua Imperator *praedium Moringen, ſitum in pago Owesgowe in Comitatu Arnoldi, iuſto iudicio* (vt verba ſonant) HVELFONI *quondam Duci, Regno ſe priuare volenti ablatum, Sanctae Dei genetrici, virgini Mariae Auguſtenſi* in proprium tradidit, iam A. 1077. Welfum Ducatu ex ſententia Imperatoris fuiſſe priuatum. Chartam ex Tabulario Auguſtenſi deſcriptam, nec hucdum, quantum nouimus, editam ſubiicimus: *In nomine ſanctae & Indiuiduae Trinitatis: Heinricus diuina fauente clementia Rex. Scriptum eſt honora dominum de tua ſubſtantia. Deum autem honorare eſt quemlibet ſibi honorem theſaurizare, pro paruis magna, pro terrenis coeleſtia, pro temporalibus aeterna cambire. Quod & nos conſiderantes ſalutis auctorem in eo, per quam ſalus credentibus apparuit, honorare dignum duximus. Videlicet Dei Genetrici Virgini Mariae, Auguſtenſi Eccleſiae nomine & dominatione principanti, de noſtra ſubſtantia illa bona conferendo, quae dilectus noſter Sigefridus Auguſtenſis Epiſcopus petiit, quae nos inhonorantibus legitime auferri iuſtum & honeſtum fore monuit, & Deo eiusque matri dare bonum & ſalutiferum docuit. Praedium ergo quoddam nomine Moringen, ſitum in pago Owesgowe, in Comitatu Arnoldi,* iuſto iudicio HVELFONI quon-

maritus, militari manu toti iam erant in adiuuando Papa. Henricus IV. fortiter quidem contraibat, & his ipſis nuptiis furiis veluti actus, Anno 1090. in Italiam aduolabat, vbi caedibus & incendio in Welfi ſubditos amicosque & bona eorum deſaeuiebat. Sed Welſus, hortatu vxoris, audacter reſiſtebat, & amicos ſibi, vbi poterat, conciliabat, atque ſic in fidelitate S. Petri Eccleſiaeque viriliter perſiſtere contendebat; vti ex iis, quae *L. III.* & *L. VI.* de his turbis copioſe a Dn. ECCARDO dicta ſunt, ſatis manifeſtum eſt. Hoc igitur tempore Italia, praeſertim vero Tuſcia & Longobardia, in factiones *Guelſam* & *Gibellinam*, quarum haec *Caeſaris*, illa *Eccleſiae fidelem* ſe nominabat, primum diuidi coepiſſe mihi videtur. (o) Et licet, poſt diuortium Welfi atque Mathildis, Welſorum patris & filii cum Imperatore reconciliatio ſecuta, atque hinc ſedata paulisper videatur vtriusque factionis rabies, ita vt poſtea ſub Lothario Saxone, Conrado III. Friderico I. ac Henrico VI. Imperatoribus nomina haec in Italia vix audita fuiſſe reperiantur; ſuppoſita tamen cineri doloſo gliſcebat, quae ſemel vtramque partem inuaſerat, aemulatio, & in flammam iterum erumpebat, cum Ottoni IV. *origine Guelſo*, primum Philippus, *Gibellinus ortu*, opponeretur, atque poſtea ſublato Philippo Fridericus II. ad Imperii faſtigium eueheretur. (p) Cum enim paruo interceſſu annorum Otto ad plures iuiſſet, & Fridericus

quondam Duci, Regno nos priuare volenti ablatum, *Sanctae Dei Genetrici Virgini Mariae Auguſtenſi in proprium tradendo firmauimus, firmando tradidimus, cum vniuerſis appenditiis, hoc eſt vtriusque ſexus mancipiis, areis, aedificiis tam Eccleſiarum quam domorum, terris cultis & incultis, viis & inuiis, pratis, paſcuis, ſiluis, venationibus, aquis, aquarumque decurſibus, molis, molendinis, piſcationibus, exitibus & reditibus, quaeſitis & inquirendis, ac cum omnibus vtilitatibus, quae vel ſcribi, vel nominari poſſunt, exceptis his, quae ante hanc conſcriptam cartam cyrographis aliis alii fideles noſtri a nobis acceperint. Huius donationis vel traditionis ſanctae Dei Genetrici Virgini Mariae, Auguſtenſis Epiſcopii Dominae, teſtem cartam praeſentem ſcribi iuſſimus, quam, vt infra videtur, manu noſtra corroboratam & ſigilli noſtri impreſſione inſignitam omnis generationis, tam futurae, quam praeſentis, noticiae relinquimus.*

✠ *Signum Domini Henrici quarti Regis inuictiſſimi.*

Gebehardus Cancellarius recognoui.

Anno Dominicae Incarnationis Mill. LXXVII. Indict. 15. XIII. K. April data. Anno autem Ordinat. Domini Heinrici IIIIti Regis XXIII. Regni XXI. Actum Ratiſponae feliciter in Chriſti nomine amen.

o) De Italia loquor, non de Germania noſtra. Licet enim nomina haec inito inter Mathildem cum Welfo Iuniore coniugio ibidem primum in conſuetudinem veniſſe dixerim, in Germania tamen iam pridem ante haec tempora vtriusque Familiae odia hereditatis veluti portio habebantur, & vulgo nota erant nomina ſibi inuicem infeſta. Welfi Senioris ſiue Conquaeſtoris, Azone nati, controuerſiae cum Henrico IV. Imperatore, de quibus L. VI. c. 1. §. 4. breuiſſimis actum, hoc ſatis oſtendunt, & quamuis is dato Ducatu Bauariae placari poſſe crederetur, parum tamen hoc Imperatori profuit. Manſit enim alta mente repoſta iniuria matris Cunegundis patri, Welfo Comiti, a Conrado Salico olim A. 1027. illata, quem Imperator ob conſpirationem cum Conrado Iuniore, & Erneſto Sueuiae Duce aduerſus ſe initam per aliquot tempus exilio deputauerat, & Comitatu praeterea auito, quem nunc Tirolis nomine nouimus, mulctauerat; de qua re vide ſupra *L. V. c. 7. §. 4. & 5.* Haec enim prima origo, hic fons plus quam Vatiniani inter *Guelfos* & *Gibellinos* odii mihi videtur; &, ſi recte capio mentem Illuſtriſſimi in toga Herois, HENRICI COMITIS A BVNAV, is etiam in eandem ſententiam conceſſit in egregio & abſolutiſſimo *de vita Friderici I. Imperatoris* Commentario *p. 6.* Auxit poſtea odium hoc mutua inuidia, & eo demum, praecipue cum Fridericus Imperator Henricum Leonem tam impie perſecutus eſſet, prouexit, vt ferme ſeris vtriusque Familiae nepotibus exitioſiſſimum extitiſſet, niſi tandem ſupremus rerum omnium moderator DEVS Fridericum II. Ottoni, Puero dicto, Henrici Leonis Ducis Bauariae & Saxoniae nepoti, iterum conciliaſſet. Sed de his L. VIII. plura.

p) Licet enim in *Ottone Guelfo*, ab Innocentio III. PP. grauiſſimis perſecutionibus agitato, *Friderico* vero *Gibellino*, Papae tunc temporis amiciſſimo, eiusque gratia & protectione vnice ſuſtentato, deflexiſſe pauliſper a prima appellationis ſignificatione Guelforum & Gibellinorum nomina videantur; tamen quoniam Otto IV. indignationem Papae non ex odio gentis ſuae ſibi conciliauerat, verum ſacro fulmine percuſſus erat, quod in iuribus Imperii aduerſus Pontificem ſibi aſſerendis ſtrenuum vindicem agere occepiſſet; nec Fridericus ideo ab Innocentio diligeretur, quia ſanguinem ex Gibellina ſtirpe traxerat, ſed quia artis ſimulandi egregius artifex Pontifici palpabat; haec potius rerum conuerſio oſtendit, Italis, quotquot contra Papam ſtarent, *Gibellinos*, id eſt hoſtes & perſecutores Eccleſiae, habitos, *Guelfos* contra amicos & fautores Papae dictos eſſe. Verum non modo exiguum erat temporis ſpatium, quo Ottonis imperium durabat, ſed etiam quae poſt illud ſecutae ſunt, grauiſſimae inter Caeſarem Fridericum II. & Pontificem diſſenſiones mox veram atque primam nominis ſignificationem reduxere.

dericus II. quam primum ſolus regnare coeperat, ob eamdem cauſſam, qua Praedeceſſores ſui atque Maiores, vindicata nimirum & aſſerta ſibi Imperii iura, implacabile Pontificis erga ſe odium concitaſſet, atque hinc ſemel iterumque ſacro fulmine percuſſus eſſet; iam tandem ſub huius imperio, quae exſtincta pene credebantur, funeſta veteris diuiſionis nomina iterum inualuerunt, & denique poſt mortem eius, cum Reſpublica Chriſtiana diu Imperatore, Italia vero Rege careret, Ciuitates autem Italicae libertatem, qua ſub Caeſaribus hactenus feliciter vſae erant, in mutua bella verterent, priuatis quoque odiis aptari coeperunt, atque ſic vniuerſae fere Italiae fatalia facta ſunt. Nam ab hoc tempore ſumta occaſione ex funeſtis, quae inter Imperium & Sacerdotium erant, colliſionibus, dum alii *Caeſaris*, *Pontificum* alii partes ſequebantur, & illi ſe *Gibellinos*, hi *Guelfos* appellabant, (q) non tantum vicini certarunt inter ſe, veluti Piſani cum Florentinis, Bononienſes cum Mutinenſibus, Veneti cum Genuenſibus, alii cum aliis; ſed etiam in eadem vrbe diuerſae factiones ortae ſunt, quae vt animum hoſtilem palam profiterentur, veſtibus, moribus & ipſa viuendi ratione ſe diſcernebant, & internecina odia atque magnas crudelitates inter ſe exercebant, ſuoque exemplo comprobabant, ex optima matre Libertate peſſimam filiam naſci Diſcordiam. Sed de his cum tunc demum euenerint, cum iam *Gibellini* in Germania extincti eſſent, *Guelfi* vero noſtri non amplius rebus Italicis ſe immiſcerent, ſatis. Vnum addidiſſe ſufficiat, duraſſe ſciſſionem hanc vsque ad tempus, quo maior motus minores abſorpſit; id quod factum, cum Carolus VIII. Rex Galliae cum ingenti exercitu in Italiam deſcendiſſet, & in Regnum vsque Neapolitanum penetraſſet. Huius enim expeditionis aemulatione Germani & Hiſpani iterum in Italiam allecti ſunt, tandemque Carolus V. iura Imperii plurima reſtituit. Atque ſic ſenſim furor factionum harum deſaeuiit, & nomina odioſa in deſuetudinem venere, (r) Italiae autem quies reddita eſt; quam ab his temporibus varie turbatam FRANCISCVS I. Auguſtus feliciter imperans, pari virtute & ſapientia, nouiſſime confirmauit.

§. 3.

Singularia quaedam de genere & proauis Lotharii Saxonis Imperatoris, Henrici Leonis aui.

Iam ad illud ipſum Hiſtoriae argumentum redeundum eſt, quod in praeſenti hoc volumine prae caeteris exponendum nobis ſumſimus. Aperit in eo ſcenam *Henricus Leo*, Princeps in tantum laudandus, in quantum ipſa virtus & inuictum animi robur atque in vtraque fortuna conſtantia laudari poſſunt. Neque enim vel inimici facile habent, quae in eo reprehendant. Patre is natus *Henrico Magnanimo*, matre *Gertrudi*, Lotharii Imperatoris filia, ex vtroque latere longa maiorum ſerie inclaruit; Vtque pater eius iam olim per matrem *Wulfhildim*, exſtincta *Billingana Familia*, proximam ſpem ad Saxonici Ducatus poſſeſſionem nactus erat, ſic ipſemet per

q) Licet hoc merus praetextus fuerit, vt ſine metu poenae nihil non impietatis perpetrare poſſent homines factioſi. *Guelfi* enim Imperatoribus, *Gibellini* Pontificibus, quoties id propriae vtilitatis ratio exigebat, verba dare, & fidem atque obſequium ſimulare probe nouerant. Illuſtris Dn. GEBAVERVS, non modo Iurisprudentiae, verum omnis ſolidioris doctrinae decus & ornamentum praecipuum, quem Muſis Goettingenſibus diuina benignitas diutiſſime ſeruet, in diſſertatione *vitae Richardi Imperatoris* adiecta, qua *bellum inter Guelfos Florentinos & Gibellinos Sienenſes A. 1260. geſtum* ex monumentis manuſcriptis Rehdigeriani Codicis egregie illuſtrat, *p. 599. & 606.* aſſerti huius veritatem exemplo comprobat; cui alia addi poſſent, ſi quidem id ad ſcopum praeſentis ſcriptionis praeciſe faceret.

r) Reliquiae tamen quaedam hinc inde in Italia reſtant. Nec enim Familiae veteres maiorum ſuorum geſta penitus obliuioni dederant; neque ita parti contrariae omnia condonauerunt, vt non ſubinde iniuriarum olim acceptarum reminiſcantur. Plumis in pileo, aliisque moribus adhuc diſtinguuntur. GREGORIVS LETVS *Italiae Regnantis P. I. L. IV. p. 204. ſq.* inter alia refert, in domibus Nobilium facile adhuc diſtingui poſſe *Gibellini* ſint, an *Guelfi? Guelfos* enim ad dexteram orbis vniuscuiusque, *Gibellinos* vero ſupra vnumquemque orbem transuerſim cultros & cochlearia ponere; *Guelfos* panem frangere a latere, *Gibellinos* in parte ſuperiori vel inferiori; Guelfos plerumque mala aurantia diſcindere transuerſim, *Gibellinos* vero cultro a ſuperiori ad inferiorem partem ducto eadem diuidere. Quin addit is ipſe auctor, & *foeminas* ſua *ſigna factionum* habere, *Guelfasque* floſculos, quos ornatus cauſſa in capite vel in pectore geſtant, ſemper ad ſiniſtram, *Gibellinas* vero ad dextram ſibi affigere; qua in re morem illi praeciſe contrarium affectant, quem viros in plumis ſuis obſeruare conſueuiſſe ſupra (not. g. pag. 5.) diximus.

Digitized by Google

per auiam maternam *Richenzam* ampliſſimarum ditionum, Northeimenſis atque Brunſuicenſis, heres factus eſt. Nimis longum foret recenſere ſplendidas priſcae nobilitatis imagines, quas Henricus noſter, Guelficae & Lotharianae ſtirpium ſurculus, natalium beneficio in ſe feliciſſime transſcripſit; quem in ſucceſſionem etiam partae ab Ottonibus, Saxonicis Imperatoribus, gloriae haut immerito vocant, qui cum ALBERICO Monacho Trium fontium *in Chronico P. II. p. 68.* Lotharium Imperatorem ab Ottone Palatino, Ehrenfridi & Mathildis filio, Sueuiae Duce, deriuant. (s) Verum vti hactenus *Guelficae Domus decora* recenſuimus, ſic *de Wulfhildis* & *Richenzae Maioribus*, quorum hereditate Guelforum res, Deo ita diſponente, egregie auctae & in hanc Saxoniam noſtram ex Sueuia atque Bauaria translatae ſunt, Tomo IV. data opera & ſtudio agendum erit; vtpote cui peculiares quasdam Dn. ECCARDI diſſertationes, quibus argumentum hoc non perſunctorie tractatur, inſerendas reſeruamus. Atque hinc tantum abeſt, vt hanc Praefationem multis Genealogicis diſcuſſionibus onerare velimus, vt potius, praeter pauca, quae ad ſtemma Lotharii Imperatoris pertinent, vix vnam alteramue quaeſtionem Genealogicam proferendam cenſeamus. Neque hanc ipſam in praeſentiarum exponerem, niſi tot viros egregios hic a ianua aberrantes ope manuſcriptorum Bibliothecae Regiae in viam commode reduci poſſe ſperarem. Et patre quidem *Geuehardo*, *Idae filio*, *Comite Supplingeburgenſi* natum fuiſſe Lotharium, nemo hodie ignorat, niſi qui hiſtoriam patriam numquam a limine ſalutauit. Nec *Idae* huius maiores adeo in obſcuro poſiti ſunt, quin quosdam eorum eruere liceat. ANNALISTA enim SAXO *Idam* illam *Lotharii auiam*, quam CHRONOGRAPHVS SAXO ad A. 1009. nominat, *Querfordenſem dominam* facit ad Annum 1106. *p. 618.* Verba eius integra exſcribimus, vt, quo nobis adminiculo ſint, cuiuis pateat. *Ducatum Saxoniae*, ait, *poſt Magnum Ducem ſuſcepit Lotharius ſiue Liuderus Comes de Suplingeburch*, *ortus ex cognatione S. Brunonis. . . . Pater huius Epiſcopi & Martyris* (apud Pruſſos) *Bruno dicebatur, mater* Ida, *frater Gebehardus. Gebehardus genuit Burchardum &* Idam, *Burchardus genuit Gebehardum, patrem Conradi Magdeburgenſis Epiſcopi.* Ida *peperit Gebehardum*, *patrem Lotharii ſiue Liuderi Ducis*, *poſtea Imperatoris.* Sed paululum difficilius eſt dicere, quis auus fuerit Lotharii, atque *Idae* huius maritus. *Supplingeburgenſis* quidem *Comitatus*, quem iure hereditario a patre ſuo in ſe deuolutum Lotharius Imperator prius, quam Saxoniae Dux renunciaretur, poſſederat, *in pago Darlingou*, inter Comitatum Brunſuicenſem & Sommerſcheburgenſem medius interiacebat; vt rectiſſime obſeruauit Ill. LICHTENSTEINIVS in egregia diſſertatione *Ephemeridibus Brunſuicenſibus* A. 1745. *p. 521. ſqq.* inſerta. Sed quando vir Conſultiſſimus *l. c.* Luidgerum, Arnulfi Halberſtadenſis Praeſulis militem, qui teſte DITMARO ap. LEIBNIT. *p. 365.* A. 1002. Ricberto Comiti ab Imperatore Ottone III. ſuffectus eſt, Supplingeburgenſem Comitem facit, & eumdem fuiſſe credit, cui Ida Querfurtenſis nupta erat; vix mihi rationes in medium prolatae ſatisfacere videntur. Nam vt vnum hoc, pace viri illuſtris, ſententiae eius opponam, Luidgerus hic, *mediae nobilitatis homo*, vtpote Halberſtadenſis Epiſcopi *miles*, nimis humilis ortu erat, quam vt auus Imperatoris eſſe potuerit; quod ſolo BRVNONIS teſtimonio *p. 191.* comprobare poſſe mihi videor. Is enim de praelio agens,

s) Ill. Dn. KOEHLERVS *in Stemmatographia Auguſta Saxonica* Altorfii Noricorum 1731. edita, Tab. II. ſchema hoc Maiorum Lotharii Imperatoris exhibet.

Otto M. Imperator
vx. Adelheis.

Otto II. Imperator
vx. Theophania.

Otto III. Imperator. | Mathildis, maritus Ezo ſiue Ehrenfridus Comes Palatinus.

Otto Comes Palatinus Dux Sueuiae.

N. N. Vxor Geuehardi Comitis Saxoniae.

LOTHARIVS *Rex & Imperator.*

Quod etiam calculo ſuo approbat HAHN *Teutſche Reichs-Hiſtorie P. III. p. 171.* Sed quae hic Geuehardo Comiti adſcribitur vxor anonyma, *Hedewigis* erat, vt mox videbimus, non ex Ottonum Imperatorum ſtirpe, verum e *Comitibus de Formbach* orta. Rectius igitur rem acu tetigiſſe videtur Celeberrimus Dn. GEBHARDI in pereruditа obſeruatione *Ephemeridibus Brunſuicenſibus* A. 1745. *p. 921. ſqq.* inſerta, vbi Ottonem Comitem Palatinum, Ehrenfridi & Mathildis filium, Idae Querfurtenſis maritum conſtituit, adeoque Geuehardi noſtri non *ſocerum*, ſed *patrem* facit. De quo mox plura.

Digitized by Google

agens, quod apud Vnſtrutam A. 1075. inter Saxones & Henrici IV. exercitum commiſſum eſt, Geuehardum, Lotharii patrem, inter *ſummos Imperii Principes*, Folcmarum contra Klettenburgenſem Comitem, in eodem praelio caeſum, inter *medios* locat; quod ſane facere non potuiſſet, ſi Luidgerus patre, milite quondam Halberſtadenſi, editus fuiſſet. Etenim cum Folcmarus aeque ac Geuehardus Comes fuerit, rationis prorſus nihil ſubeſſet, cur alterum ſummis Imperii Principibus adſcripſerit, alterum gradu inferiorem pronunciarit BRVNO, niſi *intuitu ſanguinis & originis* ingens inter vtrumque adfuiſſet diuerſitas, noſterque Geuehardus vel Ducem aliquem patrem habuiſſet, vel ad illuſtriores adhuc & regios natales aſcendiſſet. (t) Et ex hoc ipſo fundamento non magis alterius, quisquis ſit, viri doctiſſimi opinionem in laudatiſſimis *Ephemeridibus* A. 1747. *p. 1689.* propoſitam probare poſſum, quae Geuehardum noſtrum *Bernhardi Comitis Haldenslebienſis* filium facit. Aut enim nobilior fuit, quae genus eius exornauerat, origo, aut BRVNO virum, qui ipſemet Dux nunquam fuit, atque hinc primi Ordinis Proceribus ex muneris, quod geſſit, dignitate annumerari nequit, praeter omnem rationem, quod ego profecto vix crederem, *inter ſummos Imperii Principes* locauit. Hactenus igitur ne quid diſſimulem, prae caeteris mihi placet ſchema ab Ampliſſimo & in ſtudiis hiſtoricis longe doctiſſimo Viro, Dn. I. L. L. GEBHARDI *in Ephemeridibus Brunſuicenſibus loco ſupra citato p. 972.* propoſitum hoc modo:

Gotefridus Dux Lotharingiae Ripuariae
† 963.

Gotefridus Dux. † 972. — Hermannus Comes Palatinus. † 993.

Ezo ſiue Ehrenfridus Comes Palatinus. † 1035. vxor Mechtildis filia Ottonis Imperatoris. — Ezelinus Comes.

Ludolfus Comes Palatinus. — Hermannus Archi-Epiſcopus Colonienſis. — Otto Comes Palatinus, Dux Sueuiae. vxor IDA *Querfurtenſis.* — Henricus de Lacu Comes Palatinus.

Geuehardus Comes Supplingeburgicus, caeſus in praelio ad Vnſtrutam A. 1075. Vxor Hedwigis Formbacenſis.

LOTHARIVS IMPERATOR.

Nam

t) Sed inquis forte, vel *Luidgerum* illum, *Halberſtadienſem militem*, non adeo obſcuri ortus hominem fuiſſe, vel, quod probabilius eſt, *alium eiusdem nominis Supplingeburgenſem Comitatum tenuiſſe*, atque auum Lotharii Imperatoris exſtitiſſe. Poſtremum aſſerere videtur Vir Plurimum Reuerendus I. F. FALKE in ſaepe citatis *Ephemeridibus* A. 1748. *p. 1643.* vbi haec Genealogica ſeries *Lotharii Imperatoris maiorum* exhibetur.

Fritherieus

Luitharius Dux † 929.

Thiadricus Comes. vx. Sypodis.

Luidgerus Comes, Idæ maritus
Lotharii Imperatoris auus.

Et merito quidem haec laus debetur Viro doctiſſimo, quod multa egregie in antiqua patriae hiſtoria eruditis ſuis obſeruationibus hinc inde illuſtrauerit. Sed vt candide dicam, vnum hoc in multis ab eo adornatis tabulis genealogicis hactenus deſideraui, quod parum veterum Scriptorum auctoritatibus, multum ingenio fulciantur. Et forte hiſtoriae patriae ſtudioſi idem etiam in hoc ſchemate mecum deſiderabunt. Pro nulla enim generatione alias affert probationes Vir Clariſſimus, quam quae vel a nominum ſimilitudine, eal a poſſeſſionibus, quas Familiis adſcriptas fuiſſe putat, deſumtae ſunt. Et quando ALBERICI teſtimonium ſuſpectum poſtulat, Monachumque noſtrum, quem omnes eruditi in ſtudio genealogico probum & diligentem Scriptorem dicunt, ex ingenio id confinxiſſe audacter pronunciat, nullam tamen ſeuerae ſententiae condemnatoriae, vt Iurisconſulti aiunt, *rationem decidendi* adiungit; temerarii nimis & praecipitantis iudicii ſuſpicionem merito apud aequos Lectores incurrit. Dictatoris in republica litteraria eſt, ita loqui, ita ſcribere, & pronunciare, vt Vir doctiſſimus ſolet. Quamdiu enim ſub iudice lis eſt, nec veterum Chartarum vel Scriptorum fide res euinci poteſt, homo pudicae frontis numquam approbabit effatum Dn. FALCKE *l. c. p. 1608. §. 14. Dieſer Graf Luidgerus iſt nun* ganz gewiſs *ein Groſs-Vater des Kayſers Lotharii geweſen.* Modeſtum & verecundum ingenium, vbi conjecturas proponit, Lectoribus, quo in pretio haberi debeant, decidendum relinquit.

Digitized by Google

Nam quod caput rei eſt, huic ſchemati & ſupra recitata BRVNONIS verba conueniunt, & ALBERICI Trium fontium Monachi, teſtimonium egregie ſuffragatur. Hic enim in *Chronico P. II. p. 68.* ad A. 1037. *Hermannus*, inquit, *Mathildis ſororis tertii Ottonis, filius, Coloniae ordinatur Archi Epiſcopus - - habuit fratres Ludolphum & Ottonem, Ducem Sueuiae, de cuius linea deſcendit ille Lotharius Dux Saxonum, qui fuit Imperator.* Sed tantum nobis auctoritatis non ſumimus, vt definire aliquid in re tam obſcura audeamus. Adferet forte coniecturis his poſterior aetas meliorem lucem, (ecquis enim omnes bonae notae auctores iam in lucem publicam prodiiſſe exiſtimabit?) quod quam diu ſperare licet, hanc certe reuerentiam debemus doctae poſteritati, ne temere iudicis officium in re dubia & incerta nobis arrogemus. Audaciorem forte aliquantulum me inuenies, vbi quaeſiueris, qua matre editus fuerit Lotharius Imperator? Nam & hanc hactenus nondum apud eruditos omnes cognitam eſſe merito miramur. Edidit enim iam pridem *Chronicon Vernaculum Luneburgicum* Dn. ECCARD. *Corpore Scriptorum medii aeui T. I. p. 1372.* vbi luculenter ſatis Imperatoris huius maiores deſcribuntur, his verbis: *Greue Conrad gewan ene Gertrude, de nam to Wive Friderick van Beiern van Vorenbach, unde gewan van ere Hadewige, di nam Greuen Geuebarde van Suplingenborg; de gewan Greuen Ludere ere Lotharium, darna ward he Hertoge, to iungeſt ward he Keiſere. - - - Na ſime Dode nam diſelve Hadewig Hertogen Dideric van deme Weſterlande* (Lotharingiae Ducem) *bi deme gewan ſi - - twe Dochtere, de erſte nam Greve Florentius van Hollant, de het Gertrud.* (u) Procul dubio haec vidit HIERONYM. HENNINGESIVS, vtpote qui pridem iam idem *de matre Lotharii Imperatoris* ſcripſerat, eiusque nomen & genus paternum recte indicauerat in *Theatro Genealogico Parte altera ſecundi & tertii Regni in quarta Monarchia p. 102.* licet erroris eum ideo accuſauerit, atque hanc eius ſententiam ad nugas & fabulas amandandam cenſuerit HAHNIVS *Hiſt. Imperii T. III. p. 171. not. s.* Sed ipſe Vir doctiſſimus, ſi quidem hodie viueret, aliter ſentiret, &, quem inique reprobauit, HENNINGESIVM lubens ſequeretur. Vt enim CHRONOGRAPHO LVNEBVRGICO aliud addam boni & egregii Auctoris teſtimonium, quaedam hactenus nondum edita in medium proferam. Seruat nimirum Bibliotheca Regia inter plures egregios Codices Manuſcriptos, quibus hiſtoria media Germaniae multum illuſtrari poſſet, Codicem ſpiſſum veteri manu ſcriptum, in cuius fronte minio ſplendent haec verba: *Incipit Chronographia* CONRADI HALBERSTADENSIS *ſummorum Pontificum & Imperatorum.* Horum geſta vsque ad Carolum IV. ex ordine ita commemorantur, vt quae de vnoquoque Imperatore vel Pontifice dicenda ſunt, *per memorabilia* diſtribuantur. Qua methodo cum HENRICVS DE HERVORDIA in Chronico ſuo deperdito vſus eſſe legatur, CONRADVS autem, Halberſtadenſis Chronographus, a nullo Scriptore, quantum ſcio, commemoretur, in ſuſpicionem venio, quemadmodum olim EGGEHARDI VRAGIENSIS Chronicon, ceu ex MARTENEO & DVRANDO nuper in *Praefat. ad T. II. Origin. Guelfic. p. 24. not. i.* obſeruauimus, in nomen CONRADI VRSPERGENSIS deſcriptum eſt; ita etiam in hoc Codice Chronicon HENRICI DE HERVORDIA in nomen CONRADI HAL-

u) Diſcimus hinc clare ſatis atque euidenter, *Gertrudim* Lotharii Imperatoris *ſororem vterinam* fuiſſe, non *germanam*, vt quidem exiſtimauit Auctor diſſertationis, quae in *ſubſeciuis Francofurtenſibus exercitationibus T. III. p. 188. ſqq.* exſtat. A IOHANNE BEKA, IOHANNE A LEYDIS aliiſque Scriptoribus Batauis *Petronella* dicitur. Sed quo minus haec nominis diuerſitas ſcrupulum nobis moueat, euidenter ſatis ANNALISTAE SAXONIS teſtimonio diſcimus, eam *binomiam* fuiſſe. Ita enim ad A. 1123. ſcribit: *In regione, quae vulgo Hollant dicitur, ſoror Lunderi Ducis,* Gertrudis *ſiue* Petronella, *eiusdem Ducis patrocinio confiſa, Imperatori rebellare praeſumebat.* Reuerendiſſimus Dn. Abbas CALMETVS & Theoderici Lotharingici cum Hedwige nuptias, & vtramque eius filiam, Gertrudim ſiue Petronellam hanc atque Odam, ignorat, ceu patet ex eius praeclaro opere *Hiſtoriae Lotharingicae T. I. p. 153.* vbi vnam tantum vxorem Gertrudim ſcilicet, Roberti Flandriae Comitis filiam, Theoderico adſcribit. Immo, quod grauius eſt, *Simoni Lotharingiae Duci*, (quem Hedwigis filium, atque ſic *Lotharii Imperatoris fratrem vterinum* CONRADVS HALBERSTADENSIS nominat,) *p. 158.* coniugem tribuit *Adelheidem*, filiam Geuehardi Comitis de Querfurt, *Lotharii Imperatoris ſororem*; manifeſto, vt apparet, errore, niſi probaueris, Viro Summo dum haec ſcriberet, meliores probationes, ad manus fuiſſe, quam quidem eae ſunt, quas ex CONRADO noſtro & CHRONICO LVNEBVRGICO haurire licet. Quod ego quidem ex adductis ibidem non video.

HALBERSTADENSIS, qui in fronte ſe Profeſſorem ſacrae Theologiae, Ordinis Praedicatorum, Prouinciae Saxoniae, vocat, & fortaſſis in eo deſcribendo non niſi manus miniſterium praebuit, transſcriptum fuiſſe. In hoc igitur ſiue HENRICI, ſiue CONRADI Chronico eadem, quae CHRONOGRAPHVS LVNEBVRGICVS de Familia Lotharii narrat, habentur. Iucundum erit vidiſſe, quomodo ille CONRADVM noſtrum exſcripſerit, itaque huius ſaltim verba, quod Latina ſunt, & etiam ab exteris legi poſſunt, exſcribo: *Poſt mortem*, inquit, *Henrici Imperatoris Principes Electores & alii Domini conuocationem fecerunt Moguntiae in feſto S. Bartholomaei, & ibi elegerunt in Regem Romanorum Luderum Ducem. Volumus modo dicere de genealogia eiusdem. Vnde vnus nobilis Princeps nomine* Eſerd, *qui ſuſcepit* Theodericum, *Theodericus* Bernhardum, *Bernhardus* Bennum, *Benno* Theodericum *Ducem & Marggrauium, qui genuit* Bernhardum, *qui genuit Marggrauium Wilhelmum, &* Conradum *Comitem, & vnam filiam Odam, & vnum Ottonem; huius mater fuit de Ruſſia. Hic Wilhelmus non habuit filios; hic interfectus eſt a Slauis cum duobus Comitibus, Theoderico de Katellenborg & Bernhardo de Domesleyben. Hic Bernhardus fuit proauus duorum fratrum; Vnus vocatus eſt Bernhardus, qui fuit Dyaconus, & alius Aluericus. Comes vero* Conradus *genuit vnam filiam nomine* Gertrudem, *quam accepit in coniugium* Fridericus *de Bauaria &* Vorenbach, *qui genuit cum ea* Hedwigam, *que accepit in coniugium Comitem* Gebehardum de Suppelingeborg, *qui genuit* Luderum *ſeu* Lotharium, *qui poſt hoc factus eſt Dux, & poſt hoc Imperator. Poſt hoc fuerunt accuſati in ſynodo Halberſtadenſi, quod eſſent in linea conſanguinitatis, & quod de iure non poſſent inſimul matrimonialiter viuere, & illud ordinauit Marggrauius Fridericus, qui fuit frater Epiſcopi Bremenſis Adelberti, qui tandem diuiſi ſunt ab inuicem. Poſt hoc non longe a diuiſione ipſa cum matre equitauit per aliquas vias, & tandem Gebehardus Comes cepit eam cum potencia, qui etiam matrimonialiter accepit eam, non aduertens iuramentum eius, nec ſententiam excommunicationis a Borchardo Epiſcopo Halberſtadenſi; qui etiam poſt hoc miſerabiliter mortuus eſt, iuxta Vnſtrote prope Hamborg, & poſt mortem eius Hedewig illa accepit Theodericum Ducem proprie von deme Weſterlande, apud illum genuit Symonem Ducem & duas filias, quarum vnam accepit in coniugium Florencius Comes de Hollandia, que vocata eſt Gertrudis, alia vero accepit Comitem Segehardum de Bauaria, que vocata eſt Oda. Poſt hoc Gertrudis, mater Hedwigis, poſt mortem primi viri ſui accepit Ordolphum Ducem de Lunenborg,* (x) *cum quo genuit Bernhardum, qui cadens de equo mortuus eſt. Comes Luderus & Dux, filius Gebehardi, accepit filiam Hinrici Comitis, qui dictus eſt pinguis, cuius vxor vocata eſt Gertrudis, & coniux eius Rixa. Qui genuerunt filiam nomine Gertrudem, quam accepit in coniugem Henricus Dux Bauariae, frater Welponis, qui genuit ex ea Henricum Ducem, qui dicitur Leo.* (y) Conſentit egregie cum hac narratione *Codex traditionum Coenobii S. Mariae, quod eſt apud Formpach.* In hoc enim Illuſtris Dn. SCHRADERVS legiſſe ſe ſequentia obſeruat: *Anno Domini Milleſimo C°.LVIIII°. obiit Comes Ekkebertus ſecundus huius Eccleſie fundator, Mediolane occiſus huc delatus eſt & ſepultus, vbi etiam pater ſuus Ekkebertus, & auus ſuus Ekkebertus, & ſororius ſuus Dux Dalmacie & Marchio Yſtrie Perchtoldus pariter requieſcunt.* ✠ *Item* Fridericus *pater* Hedwigis, Matris Lotharii Regis, *occiſus huc etiam eſt locatus ad ceteros.* Suſpicari hinc poſſumus, Fride-

x) Conſentit iterum ANNALISTA SAXO, qui ad A. 1117. Gertrudis, inquit, Ductrix, *auia Liuderi Ducis obiit.* Vnde clare patet, hanc Conradi Comitis filiam & Friderici Comitis de Forembach vxorem, Duci cuidam poſt primi mariti obitum nupſiſſe. Sed fuiſſe eum *Ordulphum Saxoniae Ducem* forte nullo idoneo Scriptore probandum eſſet, niſi id iam ex CONRADI teſtimonio conſtaret. Neque enim quempiam fore exiſtimo, qui non maioris faciat CONRADVM noſtrum, quam BOTHONEM, vel, quisquis ille ſit, Picturati Chronici AVCTOREM, apud quem hactenus eadem me legiſſe memini. *p. 305. T. III. ap.* LEIBNIT.

y) Exſcripſimus haec, vt ſpeciminis loco ſint, iurene an iniuria hactenus in ſolius Bibliothecae Regiae pluteis, tamquam carcere & ergaſtulo, haeſerit CONRADVS? Nos igitur *Analectis noſtris* inſerendum eum duximus, quam primum praeſto erit bibliopola, qui ſumtus in eis excudendis ſumptus facere non recuſet. Ipſa vero generationum ſeries, quae ex CONRADO HALBERSTADENSI emergit, coniuncta cum ſuperiore ANNALISTAE SAXONIS narratione, quam *p. 11.* propoſuimus, haec eſt

Digitized by Google

Fridericum ortum eſſe a Thimone Comite, (z) cuius inter benefactores Monaſterii

Ezerd

Theodericus

Bernhardus

Benno

Theodericus Dux & Marchio. DITMAR. *p. 21.*

Bruno Dn. Querfurdenſis. Vxor Ida. — Bernhardus

S. Bruno Pruſſorum Apoſtolus & Martyr. — Geuehardus Dn. Querfurdenſis. — Wilhelmus Marchio, cecidit in praelio contra Winidos A. 1056. vid. LAMB. SCHAFNAB. — Conradus Comes. — Oda. — Otto, ex Ruſſica matre.

Burchardus. — Ida, mar. Otto C. de Supplingeburg. — Gertrudis, maritata 1. Friderico Comiti de Formbach. 2. Ordulpho Duci Saxoniae.

Geuehardus. Vx. Oda filia Theodorici Comitis, Anti-Caeſaris Hermanni Luxemburgici ex ſorore nepotis, teſte ANNALISTA SAXONE. — Geuehardus Comes occiſus in paelio apud Vnſtrut A. 1075. BRVNO *Hiſt. Belli Saxon. p. 116.* — *ex 1. matr.* Haduigis, ipſa poſt mortem Geuehardi nupſit Theoderico Duci Lotharingiae, ex quo nati. — *ex 2. matr.* Bernhardus, qui iuuenis ex equo praeceps obiit.

Conradus Archi-Epiſcopus Magdeburgenſis. — Geuehardus Burggrauius Magdeburgenſis, *ceu fide diplomatum conſtat.* — LOTHARIVS IMPERATOR. — Simon Dux Lotharingiae. — Oda, maritus Segehardus Comes de Bauaria. — Gertrudis ſiue Petronella vxor Florentii Comitis Hollandiae.

z) Confirmant opinionem noſtram AVENTINVS *Tabula XXVI.* Germanicae *Annalium Boicorum* editioni ſubiuncta, & HVNDII *Beyeriſches Stambuch p. 125. ſqq.* cui aliquo modo iungi poteſt LAZIVS *L. VII. de migrationibus gentium p. 376. ſq.* qui tamen, vt ſolet, multa hic inuicem confundit, quae ſeparare operae pretium fuiſſet; ceu iam obſeruauit HVNDIVS *citato loco.* Nos ex his aliisque Auctoribus, addito cumprimis *ſupplemento Bruſchiano* ſeu *Centuria II. de Monaſteriis p. 99.* vberiorem *generis Comitum de Formbach* deſcriptionem hanc exhibemus.

Sigehardus.

Thimo Comes.

Vlricus Comes.

Arnoldus, Welſae & Lambecii Comes. Vx. Regilla Franconicae nobilitatis foemina, ſoror Gotfridi Marchionis. CALLES *Annal. Auſtr. T. I. p. 406.* — Bruno. — Pilgrinus. — Thimo Comes. — Conradus Praepoſitus Sallsburgenſis. — Meinhardus Comes.

Arnoldus Comes. — Adalbero Epiſcopus Wurzburgenſis. † A. 1096. — Hermannus Praepoſitus Bambergenſis. — Dietericus Canonicus. — Henricus. — Thimo. — Fridericus errant AVENTINVS & HVNDIVS in nomine, qui eum Henricum dicunt. Vxor Gertrudis Conradi Comitis filia. Dicitur Imperatoris Henrici IV. neptis ap. BRVSCHIVM, apud LAZIVM vero amita Caeſaris † A. 1074. — Conradus interfuit itineri Italico ab Henrico IV. ſuſcepto. † 1083. Baſileae ſepultus. — Hermannus Comes de Windenberg. Vx. Hedewig. — Odalricus Comes de Windenberg. Vxor Mathildis.

Godefridus C. Putinenſis Marchio. vid. *Vita Adalberonis ap.* PEZ. *T. II. p. 7.* — Mechtildis Putinenſis Comitatus heres. maritus Ecpertus Neuburgi ad Oenum Dominus. CALLES *Annal. Auſtr. T. I. p. 420.* — Erbo forte Thimo. — Henricus. Vx. Adelhais. — Ecpertus Vx. Himeltrudis † 1109. — Hedwigis, maritus Gebhardus C. de Supplinburg, *mater* LOTHARII *Imper.* — Conradus de Ratilinberge.

Gebhardus. — Dietericus. — Gotefridus Monachus. — Eberhardus. — Dietmarus. — Ecpertus † 1143. Vx. Mathildis.

Eberhard. — Ecpertus. caeſus Mediolani in praelio 1158. Vltimus ſuae gentis. Vxor Williberga. — Agnes, vxor Berchtoldi Marchionis Yſtriae.

Ecpertus forte ante patrem †. — Cunigundis.

Proba-

ſterii Formbacenſis apud HVNDIVM *in Metrop. Saliſb. T. II. p. 221. ſqq.* frequens fit mentio. Ibidem ſane *p. 220.* inter teſtes donationi ab Ekberto factae ſubnotatos occurrit *Dietricus Comes de Formpach*, qui ipſemet etiam cum vxore Adelheide beneficus in eamdem Eccleſiam fuiſſe *p. 222.* legitur. Quae coniectura noſtra de Thimone, gentis huius Friderici auctore, multum roboris etiam accipit ex *litteris confirmationis* a *Lothario Imperatore* huic Monaſterio A. 1136. datis *l. c. p. 121.* vbi Imperator diſertis verbis profitetur, *illud a parentibus ſuis fundatum eſſe.*

§. 4.

Henricus Leo primis pueritiae annis patre orbus multa aduerſa tulit; quae tamen feliciter ſuperauit, & omnes fere paternas atque auitas prouincias recuperauit.

Sed clarus licet his maioribus, & hereditario iure in tot tantarumque ditionum ſucceſſionem vocatus Henricus Leo, iam tamen primos ipſius adoleſcentiae annos ab omni fere hereditate paterna deiectus variisque fortunae fluctibus agitatus agere cogebatur. Etenim *Ducatus Saxoniae*, qui auo Henrico Nigro ex hereditario Wulfhildis coniugis iure iam debebatur, ſed ex inuidia & aemulatione, quae ſemper inter *Guelfos* & *Gibellinos* erat, ab Henrico Imperatore ei tunc iniuſte praereptus & nuper (a) demum beneficio Lotharii Caeſaris in patrem eius Henricum Magnanimum transſcriptus erat, poſteaquam nouo iniuriarum genere Conradus III. & ipſe *Gibellinus*, in hunc patrem eius, ſaeuire coeperat, etiam huic iterum ereptus, & *Adelberto, Soltwedelenſi Marchioni*, quem vulgo *Albertum Vrſum* dicunt, collatus eſt. Numquam manifeſtius animi ſui impotentiam prodidit Conradus, quam hac ipſa ſententia aduerſus Principem lata, quem in Imperatoria dignitate aemulum expertus eſt; & quem non ob hoſtilem erga patriam animum, (hunc enim Henricus noſter nec vllo exemplo prodidit, nec habuit vmquam,) verum ob ſummam, quam Dei beneficio nactus erat, potentiam plurimi Germaniae Proceres odio iniquiſſimo proſecuti ſunt. Sed ne hic quidem ſubſtitit Caeſaris ira, qui, vt Guelfos omnibus bonis ſpoliaret, *Bauariae* etiam *Ducatum*, hereditariam iam a tempore Welfi Conquaeſtoris Familiae

Probationes huius tabulae Genealogicae nullas iam damus, cum inſtituti noſtri non ſit *de Formbacenſibus Comitibus* prolixos Commentarios edolare, ſed vnum hoc nobis ſufficiat oſtendiſſe, quo patre auoque edita ſit Hedwigis Lotharii Imperatoris mater. Praecipue vero ſuis auctoribus probanda relinquo, quae de *amita vel nepte Imperatoris*, Friderici Formbacenſis coniuge, tradiderunt LAZIVS & BRVSCHIVS: neque enim hactenus cognita eſt in ſtemmate Conradi Salici Imperatoris Princeps foemina, in quam haec eorum tradita commode quadrarent; Vt iterum maiorem omnino fidem CONRADI noſtri narratio mereatur.

a) De tempore, quo Ducatus Saxonicus a Lothario Caeſare in Henricum Superbum translatus, magnus inter Scriptores diſſenſus eſt, e quo ipſo Dn. ECCARDVS ſupra *L. II. c. 4. §. 20.* non expedire ſe potuiſſe videtur. ANONYMVS *de Guelfis* Henricum Superbum A. 1127. in caſtris ad Noribergam Ducatum Saxoniae ab Imperatore Lothario, ſocero ſuo, ſuſcepiſſe ait. DODECHINVS *apud* PISTOR. *T. I. p. 672.* id iam ſub Anno 1126. narrat. HELMOLDVS contra & ALBERTVS STADENSIS eadem ad A. 1136. referunt. Immo CASINENSE CHRONICON ab illuſtri Dn. GRVBERO ſupra *l. c.* excitatum, tempore mortis Lotharii id eueniſſe ait. Equidem in omni diſſidentium inter ſe Scriptorum conflictu ii praecipue ſequendi mihi videntur, quorum tradita cum fide diplomatum conueniunt. Iam vero ante A. 1136. Henricum noſtrum Ducem Saxoniae fuiſſe non ſolum prodit Lotharii Imperatoris diploma, quo Goſlariae A. 1129. venditionem curtis Abbenrod, in pago Hartingow, *in Ducatu Ducis HENRICI*, generi ſui, ſitae confirmat; (vid. *Tom. II, p. 494. ſq.*) verum id ipſum etiam euincit alia eiusdem Imperatoris Charta A. 1135. ſcripta, qua miniſteriales Eccleſiae Wildeshuſenſis pares eſſe iubet miniſterialibus ſuis & *Ducis HENRICI* (vid. *ibid. p. 521. ſq.*) Etenim in hac Charta non ad Henrici Superbi Ducatum Bauaricum reſpici, ſed ad ſolum *Ducatum Saxonicum* digitum ab Imperatore intendi, etiam exinde clarum fit atque manifeſtum, quia iidem miniſteriales reducuntur ad iura *Ducis Magni*, quem Ducum Saxoniae gentis Billingicae vltimum fuiſſe conſtat. Quare fruſtra ab illuſtri Dn. ECCARDO accuſatur ANONYMVS *de Guelfis*, quaſi ceſpitaret. Tradita enim Scriptoris, quae aliorum diplomatum fide ſuffulta ſunt, non ceſpitant, ſed ſibi conſtant certiſſime. Immo ſi his omnibus deſtitueremur, per diſtinctionem tamen inter *inueſtituram* & inter *traditionem*, niſi me omnia fallunt, fidem MONACHI WEINGARTENSIS adſtruere poſſemus & tueri. Solent enim Principes interdum inueſtiri de terris & prouinciis, quae non ſimul traduntur, ſed demum poſt inueſtituram acquirendae & occupandae ſunt; ita vt inueſtitura *tituli* loco ſit, quo bona occupare valeant, ſi poſſint. Atque talem *inueſtituram* cum tabulis clientelaribus & inſtrumentis de Saxonia A. 1127. Henrico Superbo contigiſſe, dilata in ſeriores annos *reali traditione*, exiſtimo, & hoc modo diſſonantia Hiſtoricorum teſtimonia in concordiam redigenda eſſe cenſeo.

Digitized by Google

miliae Guelficae portionem, (b) Henrico Superbo abſtulit, & in fratrem vterinum, *Leopoldum* Auſtriae Marchionem contulit. Praeludere voluit fortuna futuris Henrici Leonis fatis, & calamitate in ineunte aetate perpeſſa mature firmare eius animum contra futuros inſultus aeque funeſtos & iniquos. Et profecto ſi vllius vmquam virtus aduerſis caſibus tamquam cote acui viſa eſt, noſter Henricus ex tot calamitatibus, vt rupes in medio mari poſita, ſed in mediis fluctibus immobilis, ſemper maior, ſemper auguſtior apparet. Et has quidem primae pueritiae aduerſitates omnes tanta ſuperauit felicitate, vt, qui A. 1139. patre orbus decem annorum puer ab omni fortunae praeſidio deiectus videbatur, iam A. 1142. Saxonia, & A. 1154. Bauaria potitus ſit. Qua in re vtrum magis noſtri Henrici felicitas, an Caeſarum Conradi III. & Friderici I. prudentia admiranda ſit, difficillime definiueris. Etenim, qui iam Ducatus hos tamquam iure optimo maximo in ſe transſcriptos tenuerant, & ſpe quaſi deuorauerant, Principes, *Albertus Vrſus* & ſupra memorati Leopoldi Auſtriaci frater atque in Principatu ſucceſſor, *Henricus Iachſomirgott dictus*, iis nuncium mittere cogebantur; placandi procul dubio multa lenitate, multis perſuaſionibus atque blandimentis, quoniam nemo facile id, quod ſemel ſuis poſſeſſionibus adiecit, eripi ſibi iterum patitur.

§. 5.

An Albertus Vrſus poſt Saxoniam Henrico Leoni reſtitutam Marchionatum Brandenburgicum cum Archi-officio acceperit?

Et Henrico quidem, Leonis noſtri vitrico, *Auſtriam* obueniſſe *a Ducatu Bauariae*, cui hactenus cohaeſerat, *auulſam*, ſuique iuris factam, res vulgo nota eſt, quam infra etiam vberius a Dn. ECCARDO explicatam legimus; quo vero blanditiarum genere delinitus fuerit *Albertus Vrſus*, qui iam ab A. 1139. *Ducis Saxoniae dignitatem, nomen & titulum* in ipſis Caeſarum atque Imperatorum Chartis publicis & diplomatibus aſſumſerat, (c) ac in omnibus Imperii rebus, vt Dux Saxoniae negotia tractauerat, Dn. IACOB. PAVL. DE GVNDLING *in diſſ. de origine Marchionatus Brandenburgenſis* §. 4. his verbis recenſet: *Igitur Adelbertus ſpe ſua de retinendo Saxoniae Ducatu deiiciebatur, ita vt huius Principis rationes exigerent nouam ac aliam gratiam ab Imperatore Conrado efflagitare, vt inter ſummos Imperii Officiales in occupato faſtigio relinqueretur. Non ex re Imperii Conrado III. videbatur, Adelbertum, tam inſignem, tam fidum ſibi ac tam fortem Principem ab occupato inter Duces Germaniae loco deiicere, aut pati, vt is, qui inter Imperii ſummos Officiales Sacri Romani Imperii Archi-Mareſchallus fuerat, ac res maximas & publica negotia tractauerat, inter Principes ſequiores locaretur. Igitur vt Adelbertus eo facilius Ducatum Saxoniae dimitteret, videndum ſibi ratus, quo potiſſimum modo ea poſſet reſarcire,* quae

b) Anceps eſt in iure publico quaeſtio, a quo tempore Principatus atque Comitatus in Germania noſtra hereditarii facti ſint? quam quidem definire non eſt huius loci. De *Bauariae* autem *Ducatu* certiſſimum eſt, eum ex illo tempore, quo Welfus IV. cum Imperatore Henrico IV. reconciliatus Ducatum hunc de nouo quaſi promeruit, *hereditario iure in Familiam Guelficam* transſcribi coepiſſe. Mox enim cernimus ei e viuis ſublato ſucceſſiſſe filium natu maximum, *Welfum Pinguem*; atque hunc ſine prole mortuum in Ducatus regimine excepiſſe fratrem *Henricum Nigrum*; hic vero fato functus eamdem Prouinciam iterum in filium *Henricum Superbum* transmiſit Caeſare numquam iuri hereditario contradicente. Quin immo errare mihi non videor, ſi ſub Henricorum IV. & V. imperio Ducatus & Comitatus Germaniae pleroſque certis Familiis addici coepiſſe dixero. Praeterquam enim quod ipſis rerum geſtarum argumentis hoc facile confirmari poteſt, cauſae ſat arduae fuerunt Regibus & Imperatoribus, cur hanc rerum conuerſionem maluerint. Nam in Regno electitio contra Anti-Caeſares nullum promtius, praeſentius nullum remedium fuit, quam fortiſſimum quemque fideliſſimumque virum hereditaria ampliſſimi beneficii poſſeſſione ſibi ſuisque liberis deuincire, ac ſubinde fideliorem reddere. Sic Rudolfus Anti Caeſar cum filiam Agnetem Berchtoldo Zaeringenſi collocaret, Ducatum Sueuiae dotem dixit; quo praelio ſuperato Henricus IV. Imperator Friderico Hohenſtaufio filiam Agnetem, & cum filia eumdem Sueuiae Ducatum dedit. Hinc *Sueuiae Ducatus in Familiam Hohenſtauficam* immigrauit, qui huc vsque totidem prope, ac Bauariae Ducatus, Duces e diuerſis Familiis habuit. Sed haec obiter.

c) Vide ſupra *T. II. p. 542.* Conradi III. Regis donationem ad Monaſterium Volkolderode A. 1139. in expeditione Saxonica factam. Idem patet ex Charta Alberti Archi-Epiſcopi Moguntini, qua Eccleſiae Catelenburgenſi beneficia anteceſſorum confirmat, quam PFEFFINGERVS Iunior *in Hiſtor. Brunſuic. T. I. p. 590.* ſed more ſuo oſcitanter ſatis edidit, vt operae pretium eſſet, ipſum PFEFFINGERI Senioris apographum ſaluum habere atque integrum, ad vitia, quae editionem hanc corrumpunt, ſananda.

quae dimiſſione Saxoniae Ducatus Adelbertus amitteret. Igitur ***Archi-Camerariatus dignitatem*** *Adelberto conceſſit, ac Marchionatum Soltwidelenſem cum regione inter Albim & Oderam coniunxit, additis omnibus Ducatus iuribus, quae Duces tum temporis reddebant illuſtriores. Non erant in his regionibus Marchio, nec Palatinus, Landgrauius, aut alii Principes ſaeculares, nec Comes, qui aliquid haberet, quod putaret eſſe ſuum. Nobiles, quos in hac regione locabat Adelbertus, erant ipſi clientelari fide addicti, nec vllus ſe in cenſu Imperii eſſe credebat. Epiſcopus vterque ſubditi illi erant, licet Principes Imperii fuerint ob eminentem ſaltim, quam habebant, dignitatem, quae ipſis tamen non vt terrarum Dominis competebat.* Equidem an rem acu tetigerit GVNDLINGIVS ii iudices pronuncient, quibus vetuſtior Germaniae noſtrae ſtatus penitius cognitus eſt atque exploratus. Multa enim hic dixiſſe Virum Illuſtrem, quae nulla annalium vel diplomatum fide probari poſſunt, ii facillime intelligent Lectores, qui a praeiudiciorum labe immunes ſunt. Sic, vt vnum dicam, quis hoc tempore, quo Guelfi noſtri Saxoniae Ducatum tenuerunt, *dignitatem Archi Mareſchalii* cum illo iam *hereditario iure* coniunctam fuiſſe apud veteres auctores vmquam legit? Quis de reliquis *Archiofficiis ad certos Principatus publica lege addictis* hoc aeuo vel ſando aliquid didicit? Id quidem nouimus ex ampliſſimis priuilegiis, quibus Fridericus I. Imperator Henricum Auſtrium, cum Marchionatum eius a Bauaria auulſum in Ducatum erigeret, exornauit, quod in ſolemnibus Imperii Curiis quibusdam Principibus peculiaris prae caeteris honor competierit, iique *pro Palatinis Archi-Ducibus* habiti ſint; Sic enim ibidem Imperator loquitur: *Si quibusuis Imperii Curiis publicis Dux Auſtriae praeſens fuerit, vnus* de Palatinis Archi-Ducibus *eſt cenſendus, & nihilominus in conſeſſu & inceſſu ad latus dextrum Imperii, poſt Electores Principes obtineat primum locum.* (vide infra *p. 462.*) Verum ſi porro quaeſiueris, quinam fuerint illi *Palatini Archi-Duces?* & qualia eorum quilibet in curia Caeſaris munia obierit? altum prorſus eſt ſilentium. (d) Interim tamen cautius forte ſcripſiſſet illuſtris GVNDLINGIVS, ſi *omiſſo perpetui Archiofficii nomine*, vnum id Lectorum ſuorum animis inſinuare curaſſet, Caeſarem tunc in Albertum Vrſum ea iura transſcripſiſſe, quibus eo tempore vſi & gauiſi ſunt in Curiis Imperii *Palatini Archi-Duces*, atque hinc ſucceſſu temporis eueniſſe, vt poſtea in magna illa rerum omnium conuerſione, quae fatale illud *interregnum* in Germania ſecuta eſt, cum reliqua *Archiofficia* hereditario iure in certas Familias vna cum *electorali ſuffragio* transſcribi coeperant, *Archi Cammerarii dignitatem* ſibi *hereditariam* reddiderint *Marchiones Brandenburgici*. Quamquam forte ne hac quidem ſtili moderatione omnia certa reddidiſſet, & dubiis, quibus adhuc premuntur, exemiſſet. Etenim Ducalis vel Principalis honor ea aetate non per Codicillos *in Cancellariis Imperatorum*, ſed publice *in ſolennibus Curiis*, praeuio Ordinum atque Statuum Imperii ſuffragio conferri ſolebat; quemadmodum id exemplo erecti noui Auſtriaci Ducatus, & ſequiori aeuo Ducatuum Brunſuicenſis, Iuliacenſis, Cliuienſis, Montani, Megapolitani, Holſatici, Wurtembergici &c. exemplis diſcimus. Quis vero credat, Imperatorem *de nouo Archiofficio in Albertum Vrſum conferendo* ideo multum laboraſſe, *ne aliis Germaniae Principibus potentiſſimis dignitate is impoſterum inferior eſſet?* Et, ſi vel maxime Caeſar in hoc conſilio deſudaſſet multum, quis perſuadeat ſibi, alios Principes aeque potentes, tam facile conſenſuros fuiſſe in nouum honorem & praeeminentiam, qua ipſis perpetuo iure praelatus fuiſſet Marchio Brandenburgicus? quis tandem non miraretur rei tam arduae & publice in Comitiis geſtae memoriam adeo intercidiſſe penitus, vt nec volam eius, nec veſtigium apud vllum Scriptorem deprehendere liceat? Age enim, quaeſo, videbimus, qui tunc temporis Principes fuerint in Germania opibus & potentia florentes, & facile apparebit, numerum *Archi-Ducum Palatinorum* ampliorem fuiſſe, quam vulgo creditur. Nam aut praerogatiua haec debebatur ſanguinis nobilitati, aut vetuſtiſſimo honori, qui Prouinciis, quibus imperabant, a remotiſſimis temporibus proprius fuerat. Vtroque caſu procul dubio neceſſe eſt, vt Henrico

d) Parum enim iuuamur obſeruatione a CHASSANEO *Libr. V. gloriae mundi. conſideratione XLIIII.* facta, quando, *de Archiducali dignitate* tractans, dicit, *praeferendum Archi-Ducem omnibus Ducibus, quemadmodum Archi-Epiſcopus omnes Epiſcopos praecedit;* & paullo poſt putare ſe fatetur, *eos Duces, qui illo tempore aulas Imperatorum ſequebantur, Archi-Duces fuiſſe vocatos, atque aliis Ducibus praelatos; atque hic Auſtriacos Duces cum in Curiis publicis praeſentes eſſent, his comparatos & iisdem praeeminentiis aequales habitos fuiſſe.*

Digitized by Google

rico Leoni cum reſtituto *Saxoniae Ducatu* Archiofficium etiam reſtitutum fuiſſe concedas. *Bauariam* tunc tenebat Henricus Iachſomirgott dictus, *Sueuiam* Fridericus II. monoculus, Caeſaris frater; vtrique Ducatui competiiſſe Archiofficium, ſi ex vetuſtate gentis & parta a maioribus gloria res aeſtimanda foret, iterum negari nequit. Tria igitur Archiofficia iam habemus certa, explorata atque nulli dubio obnoxia. Quid itaque de *Archi Palatino* ſtatuendum cenſes, ſi Alberto Vrſo quartum collatum Archiofficium dixeris? Num Principis huius ab omni aeuo inter Proceres Imperii maxima dignitate conſpicui nullam tunc rationem in Curia Caeſaris habitam fuiſſe credis? Si citra reſpectum ad Prouincias *Palatinos Archi-Duces* ex gentis dignitate aeſtimabis, videbis Welfum noſtrum, Henrici Leonis patruum, licet Ducatum nullum in Germania actu poſſederit, tantae tamen inter pares dignitatis fuiſſe, vt quoties Imperatorum Chartis teſtis ſubnotatur, primum fere ſemper locum obtineat, ceu plura in hoc & ſuperiori volumine diplomata in medium a nobis prolata euincunt: offendes porro Duces Zaeringiae & Carinthiae, Marchiones Styriae, Landgrauios Thuringiae, cum aliis pluribus principali dignitate conſpicuis Magnatibus, quos omnes natalium atque Prouinciarum honore Alberto Vrſo pares fuiſſe ſine iniuria affirmaueris. Horum ſane nullus facile in huiusmodi priuilegium conſenſiſſet. Et ſi omnes conſenſiſſent, tamen, ſi iam tunc temporis *hereditaria Archiofficiorum iura* in certos Principatus transſcripta fuiſſent, ſi porro ex his iudicatum, qui *potentiores Germaniae Principes*, atque *inter pares primi* habendi ſint, mirum omnino immo incredibile prorſus foret, quod *munus* huiusmodi *hereditarium* non etiam affectauerit Henricus Auſtrius, cum Bauariam inuita plane mente redderet? mirum etiam, quod non ipſe Imperator Fridericus I. pro patruo ſuo id fecerit, quod Conradus III. pro Alberto Marchione, nullo ſibi ſanguinis vinculo iuncto, ex mente GVNDLINGII fecerat? mirum denique, quod Princeps, qui ipſum Archiofficii honorem, procul dubio Bauariae non minus, quam Saxoniae proprium, actu poſſederat, gratis illum dimiſerit, quem tamen Adelbertus, qui numquam in quieta Saxonici Ducatus poſſeſſione fuerat, extorqueri ſibi non aliter paſſus eſt, quam reddito ſibi alio eiusdem praerogatiuae atque honoris Archiofficio? Immo, vt id etiam vrgeam, ipſe Caeſar Conradus III. iniurius fuiſſet in gentem ſuam, ſi quidem Archi Camerarii officium aeterno iure in Albertum Vrſum eiusque poſteros transſcripſiſſet, quoniam hoc modo *Ducatus* ſuos hereditarios, *Sueuicum* & *Franconicum*; honore priuaſſet, quo absque dubio poſteros ſuos noluiſſet carere, vbi forte, vt in Regno electitio facile fieri poterat, Regia dignitas in aliam Familiam migraſſet. Dicamus igitur, quod res ipſa poſtulat. *Archiofficia illa Imperii ante interregni tempora numquam in alicuius Principis hereditaria poſſeſſione fuerunt*; ſed, qui in Curia Caeſaris potiores erant Germaniae Magnates, prouti vel aetate conſpicui erant, vel ſapientia & rerum geſtarum gloria inter ſuos eminebant, vel etiam gratia Caeſaris prae reliquis multum valebant, ad haec munia pro arbitrio Imperatoris admittebantur, iisque hoc modo & ratione fungebantur, vt ius nullum exinde in eorum Prouincias translatum ſit. Vnde etiam ſupra (not. f. pag. 4.) non dubitauimus de Welfo Craſſo hariolari, eum Archi Mareſchallum Imperii fuiſſe, licet Bauariam rexerit, aliique tunc Saxoniae Duces fuerint, penes quos Archi Mareſchalli honorem fuiſſe ſtatuendum eſſet, ſi ex decempeda ſequioris aeui mores illius temporis aeſtimare liceret. Verum haec tamquam a ſcopo praeſentis ſcriptionis remotiora, iam copioſius non proſequimur. (e) Sufficiat

e) Alius me audacior forte etiam ad ſubſcriptiones diplomatum prouocaret, in quibus poſt factam Henrico Leoni Saxonici Ducatus reſtitutionem Adelberti Marchionis fit mentio. Sic enim v. g. in diplomate Conradi III. quo Abbatiam Ringelheimenſem Eccleſiae Hildenſemenſi A. 1151. tradidit (vide infra *p. 439.*) Friderico Palatino Comiti Saxoniae poſtponitur; & in diplomate Wiboldo Abbati Corbeienſi a Friderico I. A. 1152. in Comitiis Merſeburgenſibus dato (vide infra *p. 23.*) non ſolum Welfo, Henrici Leonis patruo, qui tunc nullum Ducatum actu poſſederat, verum etiam Conrado Marchioni Miſniae atque filiis eius poſthabitus deprehenditur; quod idem etiam fit in donatione Augiae minori ab Henrico Leone facta (infra *p. 442.*) Sed quia tunc temporis Notarii, a quibus diplomata ſcribi conſueuerant, non ſemper curatam praeeminentiae & praerogatiuarum, quibus Proceres inter ſe diſtinguebantur, notitiam habuere, multa etiam hic tumultuarie acta fuiſſe videntur, hoc argumentum nullius prorſus roboris eſſe ipſimet fatemur. Sic enim, vt exempla etiam in contrarium afferamus, Albertus Marchio inter Principes ſaeculares, quorum nomina duabus Friderici Imperatoris Chartis A. 1157. Goslariae in gratiam Henrici Leonis datis adſcripta ſunt, primum locum occupat, & ipſi Friderico Sueuorum Duci praeponitur. (vide infra *p. 467. & 469.*) Plura exempla vt proferamus non opus eſt.

ficiat nobis ex veteribus Scriptoribus id cum certiſſimis ſcire atque exploratum habere, *Saxones* fere omnes ita *adamaſſe noſtrum Henricum Leonem*, ita conſtantes in eius fide perſtitiſſe, vt nihil non pro eo fecerint, ipſumque *Albertum Vrſum non e Saxonia modo pepulerint, verum ex ipſa Marchia omnibusque ſuis ditionibus eiecerint.* Quod etiam ex diplomate ab ipſo Dn. GVNDLINGIO in medium producto patet, & infra *L. VII. c. 1. §. 2.* vberius a Dn. ECCARDO probatum eſt.

§. 6.

Arctiſſima inter Fridericum I. Imperatorem & Henricum Leonem amicitia;

Reſtitutus in integrum & in amiſſarum Prouinciarum poſſeſſionem decreto Imperiali miſſus Henricus Leo, ita iam Caeſari adhaeſit fide, amore, obſequio, atque ita viciſſim Caeſarem erga ſe beneuolum & liberalem expertus eſt, vt conglutinatae quaſi vtriusque voluntates, & omnis inter *Gibellinos* & *Guelfos* veteris odii fomes ſublatus omnino & exſtinctus videretur. Erant Henrico Leoni grauiſſimae ſimultates cum Hartwico, Archi Epiſcopo Bremenſi, vt Dn. ECCARDVS infra *p. 13. ſq.* obſeruat, ex praerepta ſibi *hereditate Comitatus Stadenſis* cumprimis ortae; Vnde is ira & odio aduerſus Henricum flagrans nullam praetermiſit occaſionem, vt aegre faceret Duci; cuius colliſionis varia ſpecimina deprehendimus infra *p. 23.* & *p. 35.* Dedit igitur operam Fridericus Imperator, vt vtrumque Principem in concordiam reduceret. Exſtat apud LINDENBROGIVM *Script. Sept. p. 163.* Charta Imperatoris A. 1159. ſcripta (f) quae id euincit, & quam integram ſubiicimus: *In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis*, FRIDERICVS *diuina fauente clementia* Romanorum Imperator Auguſtus. *Quoniam diuina clementia Romani titulo Imperii & corona ſublimare nos & inſignire dignata eſt, ideo ſtudioſius honori & promotioni Eccleſiarum Dei inuigilare debemus, & efficacius inſiſtere. Inde eſt quod venerabilem* HARWIGVM *nobis per omnia dilectiſſimum, ſanctaeque Hammenburgenſis Eccleſiae paſtorem & Archi Epiſcopum, inter ſpeciales noſtros prae caeteris principibus familiarius colligentes, ad perſonae ipſius promotionem, honorem & omnimodam gloriam ſtudium adhibebimus, ſanctamque Hammaburgenſem Eccleſiam ipſius prouidentiae commiſſam fouere, manutenere,*

f) Anno ſuperiore *eodem Imperatore Friderico I. auctore* Hartwicus Bremenſis Archi Epiſcopus & Henricus Leo terram inter Ochtmundam & Bremam, quae hodie Viehland audit, habitabilem reddiderunt, incolisque per partes vendiderunt. Diploma deprehendimus *in dem Bericht von der Landesfürſtl. Hoheit über Bremen c. 8.* & apud LINDENBROG *Scriptor. Septentr. p. 160.* vnde illud ſubiicimus: *In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis*, FRIDERICVS *diuina fauente clementia* Romanorum Imperator Aug. *Si liberalitatis noſtrae munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, & neceſſitates Eccleſiaſticas noſtro releuamus iuuamine, id nobis & ad temporalem vitam tranſigendam, & ad aeternam feliciter obtinendam, profuturum liquido credimus. Omnium igitur Chriſti imperiique noſtri fidelium nouerit induſtria, tam praeſentium quam futurorum, qualiter nos vtilitati Hammenburgenſis ſiue Bremenſis Eccleſiae omni diligentia prouidere cupientes, paludes iuxta Bremam ſitas, videlicet Wegerebroch, Brinkerebroch, Huchtingerbroch, quae prius absque cultura erant, inhabitari & coli conceſſimus, infra hos terminos, a Wexe* (Weye) *videlicet & Drexe* (Dreye) *inter Ochmundam & Wiſeram, vsque ad locum vbi confluunt, & trans Ochmundam inter Brinken & Hasberge. Omnes itaque qui has paludes ex commiſſione dilectiſſimi noſtri* HARTWICI Hammenburgenſis ſiue Bremenſis Archi Epiſcopi *inhabitauerunt, in tuitionem noſtram imperialem ſuſcipimus, & omnia iura, quae idem Archi Epiſcopus eis conſtituerit, rata habebimus, & omni tempore illis decernimus conſeruanda. Quia vero idem Archi Epiſcopus* Bouonem, *venditorem eiusdem paludis, &* habitatorum ipſius iudicem, *noſtro & cognati noſtri* HEINRICI Ducis conſenſu *conſtituit, volumus & imperiali edicto iubemus, vt quicunque a Bouone, ſiue a vicario eius poſſeſſionem in praedicta palude mercatus fuerit, nemo mortalium ipſum aut haeredes ipſius vnquam iniuriari praeſumat. Vt autem deſignatae paludis habitatoribus omnia iura ſua illibata permaneant, praeſentem inde paginam conſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri iuſſimus, adhibitis teſtibus, quorum nomina haec ſunt:*

Arnoldus Moguntinenſis Archi Epiſcopus.
Euerhardus Bambergenſis Epiſcopus.
Geuehardus Werzeburgenſis Epiſcopus.
Albertus Aquenſis Praepoſitus.
Gerhardus Magdeburgenſis Praepoſitus.
Fridericus Dux Sueuorum.
Chunradus Palatinus Comes de Rheno.
Hiudewicus prouincialis Comes.
Marquardus de Grumbach.

Ego Reynaldus Cancellarius vice Arnoldi Moguntinenſis Archi Epiſcopi & Archi Cancellarii recognoui.

Data Franckeneuort XVII. Kalend. April. Indictione VI. Anno Dominicae incarnationis MCLVIII. Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore Aug. Anno Regni eius VI. Imperii vero III.

Digitized by Google

tenere, omnibus modis exaltare operam dabimus. Primum igitur dilectos noſtros Dominum *Bremenſem & Baioariae ac Saxoniae Ducem*, tantae dilectionis vinculo vnire dignum cenſemus; vt, ſi alteruter in alterum exceſſerit, per ſe vlciſci non praeſumat, ſed dictante ſententia ad examen noſtrae iuſtitiae, prout decet, recurrere feſtinet. *Aliam quoque cauſam, quae inter dilectum noſtrum Bremenſem & Verdenſem, honorabiles perſonas, agitatur, iuxta tenorem priuilegiorum vtriusque, adhibito Principum & aliorum ſapientum conſilio, componere ſatagemus. In hac quoque parte fideliſſimo noſtro Bremenſi non poſſumus deeſſe, nec volumus; quia pro recuperanda ipſius haereditatis, quam Magdeburgenſis ſuae poteſtati aſcribit, prout melius & honeſtius poterimus, laborare curabimus. Praeterea vt praefatus Bremenſis noſtrae erga eum dilectionis emolumentum experiatur, ab expeditionibus & a debitis ſeruitiis, & a caeteris laboribus eum iuxta velle ſuum ſupportabimus. Cum etiam vniuerſalem Eccleſiam Romanam viſitare poterimus, debitum honorem Hammaburgenſi Eccleſiae, pro iure noſtro, per omnia requiremus. Adiicimus inſuper quod Waltero de Arneſtede omnia cum beneuolentia dimittemus, quae ab eodem Archi Epiſcopo eum habuiſſe in beneficio cognoſcimus. Dabimus quoque dilecto noſtro Bremenſi Archi Epiſcopo vini carratas XX. quolibet anno; de Bobarden X. & de Maguntino X. Pro eius etiam dilectione* Bouonem in gratia Ducis pleniter reſtituemus, *&, quamdiu viuet, ipſum ad omnia ſibi pertinentia ſub noſtra imperiali tutela conſeruabimus.*

Ego Reynoldus Cancellarius, vice Domini Arnoldi Moguntini Archi Epiſcopi & Archi-Cancellarii recognoui.

Datum Auguſtae anno Dominicae incarnationis MCLIX. Indictione VI. Regnante Domino Friderico Romanorum Imp. Aug. Anno Regni eius VII. Imperii vero IV. Amen.

Sed nec hic ſubſtitit Friderici Imperatoris bene de Henrico merendi voluntas atque opera. Narrat enim SIGEBERTI GEMBLACENSIS *Auctarium Affligemenſe* (cuius auctor ſynchronos incipit A. 1149. deſinit in Anno 1163.) ad A. 1160. Fridericum Imperatorem, *cum videret, propter paucitatem exercitus Mediolanenſes contra ſe inſolentius agere, miſiſſe per omnes fines Regni ſui, vt venirent ei in auxilium, & iuraſſe, ſe non receſſurum a ciuitate, donec caperet eam.* Mox ſubiungit: *vt autem hoc iuramentum ratum maneret, deſignauit, ſi forte vita decederet, duos Imperatores,* (g) *filium Conradi praedeceſſoris ſui, & poſt eum Henricum Ducem Saxoniae.* (h) Reuocauerat ſibi procul dubio in memoriam, cum haec edixerat Fridericus Imperator, praeclaram opem, quam paucis abhinc annis ipſi contra Romanos rebelles exhibuerat Henricus Leo, qui quantum virtute militari omnes ſui aeui Principes ſuperauerit, ſi alio nullo exemplo comprobaſſet, hoc vno tamen omnes adoreas & lauros promeruiſſet. Placet iterum exſcribere, quae in *Chronico Manuſcripto* CONRADI HALBERSTADENSIS ſub Adriano IV. PP. hac de re leguntur, quia alibi vel plane non, vel non ita copioſe, proſtant: *Cum igitur* (A. 1155. Rex Fridericus & Henricus Leo) *propinquarent vrbi* (Romae) *Rex miſit clam nocte DCCCC. loricatos cum Legatis Papę ad dominum ſancti Petri, maneque facto proceſſit Papa cum ſuis, vt Regem ſuſciperet ad gradus. Sic igitur intrantes Baſilicam conſummabant opus conſecrationis: Tunc inter prandendum egreſſi ſunt Romani, & factum eſt prelium ingens. Et paſſi ſunt Romani ruinam magnam, vt antea non legatur vno prelio tot millia Romanorum cecidiſſe, quot tunc a Teutonicis perimebantur. Vnde Rome apud Sanctum Stephanum iuxta Sanctum Laurentium legitur in epitaphio verſus:*

Mille decem decies & ſex decies quoque ſeni.

g) Ne hic copiarum duces intelligas facit ſtilus medii aeui Scriptorum, qui hoc vocabulo Germaniae Reges ſolent deſignare; ſic e. g. paullo infra apud noſtrum Auctorem ſub A. 1166. Conradus III. audit Imperator.

h) Repetit haec ad verbum ALBERICVS Trium fontium Monachus *Chron. P. II. p. 335.* ad annum 1160. quem primum haec tradidiſſe in Praefatione ſua exiſtimauit Vir Summus LEIBNITIVS, ex hoc tamen vetuſtiori teſtimonio facile erroris conuincendus. Inaudiuit aliquid de hac re vetus AVCTOR *Chronici Saxonici Halberſtadenſis*, a Clariſſimo Dn. ABELIO editus *T. III. p. 142.* licet in eo erret, quod hoc demum A. 1177. atque hinc eodem tempore, quo inimicitiae inter Fridericum Imperatorem & Henricum Ducem iam iam palam erumpere coeperant, eueniſſe dixerit. Interim praeſtat verba eius recitari. *Hertoghe Hinrick de Lauwe was dem Kayſer volghet vor Medelan, unde hadde de Helffte mere Volckes to Vote, unde to Perde wen de Keyſer. - - - De Keyſer bat dat he öme hülpe Medelan verſtören*, he wolde öme unde ſinen Kindern de Kronen des Rikes overantworden. *De Hertoghe ſede neyn &c.*

Ibi Henricus Leo Dux Saxonum mirabilia fecit:

Nunc, Hinrice, manet tanti te gloria facti,
Qui decus omne tuis ſtrauiſti cede ſuperbos.
Ceſare victore firmantur federa Rome.
Et patriam repetens ſatagit ſibi ſubdere plebes.

Neque hic ſubſtitit Henrici noſtri erga Imperatorem prona voluntas & obſequium. Erat enim is inter illos etiam Principes, qui A. 1163. Wurceburgi congregati Alexandrum Papam ſummi Sacerdotii honore priuaturi conuenerant: qua in re ſi eum de Friderico Imperatore egregie meritum dixeris, nihil praeter veritatem dixeris. Neque enim Imperator grauiorem hoſtem Alexandro Papa habuit. Licet forte cum ibi conueniſſet inter Principes iurantes, Regem nullum ſe poſt Fridericum electuros, quin idem iuſiurandum praeſtiterit, & Alexandro Papae abrenunciauerit, GOLDAST. *Conſt. Imp. T. III. p. 351.* & *T. I. p. 281.* credibile valde ſit, Henricum iam tunc ad Regale ſolium viam ſibi ſternere voluiſſe.

§. 7.

Quae tamen poſtea in odium grauiſſimum & prorſus implacabile degenerauit, ex quo tanta malorum Ilias Henrico Leoni prouenit.

Quo arctior igitur haec erat inter Imperatorem Fridericum & Henricum Ducem animorum coniunctio, & quo certius eſt, nihil Germanico Imperio amplificando & Imperatoriae dignitatis faſtigio confirmando aptius firmiusque fuiſſe Henrici Leonis virtute bellica atque opum potentia; & viciſſim rebus Henrici Ducis augendis firmandisque tutius nullum & ſecurius praeſidium excogitari potuiſſe Caeſaris fauore; eo magis dolendum eſt hanc vtriusque Principis amicitiam non fuiſſe immortalem, ſed cum inſigni *Gibellinae* atque *Guelficae Familiae* detrimento non modo ſenſim defeciſſe, verum tandem in manifeſtam inimicitiam & capitale odium degeneraſſe. Difficile dictu eſt, quaenam ſubitae huius rerum conuerſionis cauſſa fuerit. Quid autem de ea ſenſerint illuſtres Viri, ECCARDVS & GRVBERVS, infra *p. 84. ſqq.* vberius exponitur. Sed licebit tamen quasdam coniecturas noſtras addere; quibus ſi minus rem acu tetigimus, ignoſcendum erit, cum ipſemet ego eas non magis valere iuſſerim, quam ſuſpiciones valere ſolent in communi hominum vita, & apud Iureconſultos praeſumtiones. Nimirum cum A. 1160. Fridericus Imperator, vt vidimus, Imperium poſt mortem ſuam deſtinauerit Friderico Sueuiae Duci, (hoc enim nomen erat Regis Conradi filio, quem SIGEBERTI GEMBLACENSIS *auctarium Affligemenſe l. c.* non expreſſe appellauit,) eique, ſi interim rebus mortalium eriperetur, ſubſtituerit Henricum noſtrum; iam autem ſublato e viuis A. 1166. hoc ipſo Principe promiſſionem hanc, vel, vt rectius dicam, teſtamentum penitus immutauerit, & A. 1169. Henricum, filium ſuum, adhuc puerum, Aquisgrani in Regem ſublimari curauerit, eoque facto omnes prorſus Henrici Leonis ſpes de capeſſendo Imperio euerterit; factum ego puto ex iuſto dolore, quo is ſe praeteritum in Regno ſentiebat, vt veterem erga Imperatorem amicitiam paulùlum refrigeſcere paſſus ſit Henricus Leo. Sane prima, qua indignationem ſuam prodidit, occaſio in annum incidit 1175. noſtramque coniecturam multum confirmat. Nec a veroſimili recedit, credere, animi tam inſignis Principem, qui iam pridem inter pares primus erat, & *ſolus*, vt ipſe Imperator apud OTTONEM DE S. BLASIO ait, *ad ſubueniendum Imperio hoc tempore potentia & opulentia idoneus*, non ſperaſſe modo, verum confiſum eſſe, fore vt in ſolio Imperiali vnus prae omnibus locaretur. Poterat is facile reminiſci, quam radicatam iam poſt mortem Lotharii Imperatoris, aui ſui, praeſumptionem de adipiſcendo Imperio habuerit pater eius Henricus Magnanimus; quam tunc quidem a Gibellinis ſibi praereptam tam diu aequo ferebat animo, quam diu omnem ſpem Regnum alia occaſione capeſſendi praecluſam ſibi non intelligebat; id quod vero nunc factum, cum, vt diximus, A. 1169. Henricus, Friderici Imperatoris filius, a Germaniae Proceribus Rex ſalutatus eſſet. Sed ſiue ob hanc, ſiue ob aliam cauſſam Henricus Dux Imperatori Friderico iniquior factus mandata eius in Longobardico bello exſequi detractauerit, in eo tamen conſpirant Scriptores omnes, ex hac Imperatoris offenſione totam iſtam malorum Iliadem deriuandam eſſe. Etenim hunc ſui contemtum vlturus Imperator, non aliter iam in eum ſaeuiit, quam in hoſtem manifeſtum & reum grauiſſimi criminis perduellionis.

§. 8.

§. 8.

Equidem nullibi locorum hactenus ipſam ſententiam ab irato Imperatore in Henricum Leonem promulgatam inuenimus; quam tamen produxiſſe e tenebris quam maxime intereſſet, vt exinde intelligeremus, cuius criminis reus Dux noſter ingentem hanc rerum ſuarum euerſionem paſſus ſit. Putares quidem GEWOLDVM eam in manibus & prae oculis habuiſſe; quippe qui *in Commentario de Septemuiratu*, quem etiam *Repraeſentationi Reipublicae Germanicae* A. 1657. Noribergae editae adiectum habemus, *p. 687.* Imperatorem ita in eum pronunciaſſe refert; *Henricum ob feudi noxiam conniſſoriam peractam Ducatu Ripariorum & Saxoniae exfeſtucamus, omnesque eius poſteros dictis dominiis & terris exſpoliamus, & ab eo illiusque generationis hominibus auferimus ius eligendi Caeſarem, qua laudis praerogatiua ipſe ac pater eius ſplendidus extitit.* Sed pace manium Gewoldianorum ſcire vellem, vnde haec hauſerit vir Clariſſimus. Talia enim nec gratis dici, nec ſine idoneo fideiuſſore credi poſſunt. Immo quouis propoſito praemio certarem, ipſummet GEWOLDVM, vt cauſſae ſuae inſeruiret, hanc effinxiſſe ſententiam, (i) vnde etiam alium ſtilum, aliam dictionem redolet, quam ſcriptae illo aeuo Chartae ſolent. Nec plus diſcere poſſumus ex Charta Henrici Regis, qua Hugonem Verdenſem Epiſcopum in protectionem ſuam recepit Anno 1190. Verba enim generalia ibidem poſita, quibus Henricum noſtrum *ſuum & Imperii hoſtem* declarat, nihil probant; (k) quod nullius criminis ab Henrico Leone commiſſi mentionem faciunt, ex quo conſtaret, vnde *hoſtilem erga patriam, Imperium Germanicum, animum prodiderit*, vtpote de quo omnes Scriptores, qui de calamitate eius aliquid referunt, tacent, & qui integerrimi ſunt longiſſimeque a patrium ſtudio alieni, *priuato potius Caeſaris odio* eam adſcribunt. Sententiae igitur loco haberi debet Charta Friderici I. Imperatoris, qua in Philippum Colonienſem Archi-Praeſulem Ducatus Weſtfaliae confertur, quam a GELENIO primum editam infra *p. 101.* integram recitauit Dn. ECCARDVS. In hac Imperator *tam praeſentium*, inquit, *quam futurorum Imperii fidelium nouerit vniuerſitas, qualiter Henricus quondam Dux Bauariae & Weſtphaliae eo, quod Eccleſiarum Dei & Nobilium Imperii libertatem, poſſeſſiones eorum occupando, & iura eorum imminuendo grauiter oppreſſerit, ex inſtanti Principum querimonia & Nobilium plurimorum, quia*

Exponuntur crimina, quae Henrico Leoni ab Imperatore obiecta ſunt, cum vindicata eius ab his imputationibus innocentia.

i) Manifeſtius adhuc, &, vt ſorex, ſuo indicio ſe prodit GEWOLDVS, quando mox ſubiungit: *Pulſo Henrico Leone Fridericus I. Saxoniae Ducatum vnacum Septemuiratu Bernhardo Principi Anhaltino, Alberti Vrſi filio, contulit, & ex litteris inueſtiturae Ratiſponae factae ſequentia adducuntur verba: „In Bernhardum, nobis „ac Imperio fidelem ac dilectum Principem, conſe„rimus tractum Saxonicum, ac* munus Electo„ratitium, *quae Henrico, priori poſſeſſori, omni „iure poſtulante, abiudicauimus, & te iſtis gratiis „ac iuribus ſublimamus ob tua fidelia ſeruitia, „iuſtitia exigente, de voce & inſtigatione Prin„cipum Regni noſtri.„* Adunco enim naſo ſuſpenſos tenere voluit Lectores ſuos GEWOLDVS, quos adeo faciles credidit, vt in Curia Imperatoris his verbis ſententiam concipi potuiſſe exiſtimarent.

k) Proferamus interim Chartam ipſam, quoniam ad res noſtras facit, vti eam in Chronico Verdenſi Mſcto inuenimus: HENRICVS *Dei gratia* Rex Romanorum ſemper Auguſtus. *Omnibus Chriſti fidelibus, tam futuris, quam preſentibus, notum eſſe volumus, quod venerabilis & dilectus noſter* Hugo, *Verdenſis Epiſcopus, nobis lacbrimoſe conqueſtus eſt, quod* noſter & Imperii hoſtis, HENRICVS, quondam Bauarie & Saxonie Dux, *Bardouicum, vrbem vetuſtiſſimam, & matri Eccleſie & predeceſſoribus noſtris & nobis obſequentiſſimam, funditus deuaſtauerit, & ſe ac ſuos ſucceſſores in Epiſcopatu ſummopere ex eo damnificauerit; addens vereri ſe, ne alii, ſuo exemplo inducti, itidem erga loca ſui epiſcopatus peculiaria & alia eccleſiaſtice ſue iuriſdictioni ſubiecta attentarent. Quare ſe & totum ſuum Epiſcopatum, ac omnia illi in temporalibus ac ſpiritualibus ſubiecta, nobis ac noſtre tutele ſubiecit, & predeceſſorum noſtrorum ac aliorum principum literas, in modum priuilegii ſuis predeceſſoribus impertitas confirmari deuote petiit. Nos igitur petitioni ſue iuſte annuentes, eum cum toto ſuo Epiſcopatu, & omnibus attinentiis in temporalibus & ſpiritualibus, in noſtram protectionem ſuſcepimus, & per preſentes ſuſcipimus, & litteras nobis oblatas, numero* ſeptendecim, *ordine ſequentes, confirmauimus ac confirmamus, ſeuere interdicentes, ne quis contra eas, vel potius noſtram confirmationem quid attentet. Si quis autem id preſumpſerit, nouerit, ſe indignationem noſtram & Imperii offenſam grauiter incurſurum. Et vt hec noſtra confirmationis pagina pleniorem obtineat vigorem, & ab omnibus noſtris ſubditis diligentius ac ſtrictius obſeruetur, manu propria eam firmauimus, & ſigilli noſtri appenſione muniri iuſſimus.*

Datum Fulde Anno Dominice incarnationis MCXC. Indictione VIII. Idus Iulii, noſtri Regni ſeptimo.

quia citatione vocatus Maieſtati noſtrae praeſentari contempſerit, & pro hac contumacia proſcriptionis noſtrae inciderit ſententiam. Deinde quoniam in Eccleſias Dei & Principum & Nobilium iura & libertatem graſſari non deſtiterit, tam pro illorum iniuria, quam pro multiplici contemtu nobis exhibito, ac praecipue pro euidenti reatu maieſtatis & ſub feodali iure legitimo, trino edicto ad noſtram citatus audientiam, eo quod ſe abſentaſſet, nec aliquem pro ſe miſiſſet reſponſalem, contumax iudicatus eſt, ac proinde tam Ducatus Bauariae, quam Weſtphaliae & Angariae, quam etiam vniuerſa, quae ab Imperio tenuerat beneficia, per vnanimem Principum ſententiam, in ſolenni Curia Wirziburc celebrata, ei abiudicata ſunt, noſtroque iuri addicta & poteſtati. Ad tria capita hoc loco Imperator crimina Henrico Leoni obiecta reducit, (1.) ſcilicet laeſionem Imperatoriae Maieſtatis, (2.) turbatam ob violata Eccleſiarum atque Nobilium iura publicam Imperii pacem, atque (3.) contumaciam, qua ſemel iterumque in ius vocatus venire recuſauit. (1) Sed nullum horum criminum reuera admiſiſſe Henricum noſtrum, non ea modo probant, quae infra pro eo defendendo prolixe adduxit Dn. ECCARDVS, verum etiam peculiari eoque docto admodum & eleganti opuſculo Argentorati 1715. edito ab omnibus his inculpationibus optimum Heroëm vindicauit Illuſtris atque Conſultiſſimus D. IOH. GEORG. SCHERZIVS, Anteceſſor Argentoratenſis meritis & doctrina celeberrimus, quondam noſter Praeceptor atque hodienum Fautor aeſtimatiſſimus; vt igitur in probanda eius innocentia nobis iam pridem otium factum ſit.

§. 9.

Praetermiſſa quaedam de ſpoliis opimis, quibus cumprimis Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus Eccleſiam ſuam ex Henrici Leonis poſſeſſionibus ditauit.

At enim vero fuerit licet Henricus Leo ſceleris purus, iratum tamen Imperatorem iudicem habebat, apud quem oppreſſio eius pridem firmiter decreta erat; atque hinc nihil iuris, nihil innocentiae fauor valebat. Hic igitur, vt potentiſſimum Principem eo facilius perderet, omnes vicinos, qui iam pridem infenſo & inimico animo opes & potentiam Ducis conſpexerant, in eum concitauit; & quemadmodum iuxta veriuerbium: *ne Iupiter quidem aduerſus duos;* ſic noſter Henricus ab omnibus fere, quos in priore fortuna amicos habuit & clientes, deſertus, atque a tot hoſtibus vndique laceſſitus, vtut intrepidus & fortiſſimus Heros, tandem ſuccubuit, atque fortunae ludibrium factus ex omnibus poſſeſſionibus ſuis ampliſſimis nihil fere ſibi ſuisque liberis ſeruauit, praeter patrimonialia bona, atque ſpem amiſſa recuperandi. Non iam repetam Principum Henrico Leoni aduerſorum nomina, neque concertationes, quas pro tuendis bonis ſuis & poſſeſſionibus cum illis habuit; vtpote de quibus prolixe ſatis infra actum eſt. Racemationes ſunt & ſpicilegia, quae ego dare poſſum, quippe qui poſt plenam aliorum illuſtrium virorum operam ea tantum profero in medium, quae in Commentariis eorum praetermiſſa ſunt. Quae in hoc potiſſimum argumento pauciſſima eſſe facile agnoſco. Praeſules fuiſſe & ſacri Ordinis homines, qui omnium grauiſſime contra Henricum Leonem debacchati ſunt, prolixe ex his de vita eius Commentariis patet. Hos inter Philippus Colonienſis, Hartwicus Bremenſis, Wichmannus Magdeburgenſis, Vdalricus Halberſtadenſis Antiſtites prae reliquis mira concordia conſpirarunt in perdendo Principe, qui & ipſemet praeclare de Eccleſiis eorum meruerat, & iis natus erat Maioribus, quorum beneficiis & liberalitate opes horum Epiſcopatuum inſigniter auctae ſunt. Equidem illi Ducem in iudicio accuſantes, vt ARNOLDVS LVBECENSIS *L. II. c. 16.* ait, *Eccleſiarum oppreſſiones clama-*

1) CHRONICON REICHERSPERGENSE quidem *ad A. 1180. Imperator,* ait, *curiam celebrauit Ratisbonae III. Kal. Iul. . . . Ibi in praeſentia Curiae Imperator publice conqueſtus eſt de Duce Bauariae Henrico, cognato ſuo, quod videlicet iam* multo tempore & regni & vitae ipſius Imperatoris inſidiator fuerit. Sed quia in hac Imperatoris Charta Archi Epiſcopo Colonienſi data harum inſidiarum nulla mentio fit, probabile eſt narrationem ſuam ex rumore vulgi hauſiſſe CHRONOGRAPHVM. Nec enim facile credimus, facinoris huius ſuſpicionem de Henrico Leone habere, aut ſalua fronte allegare in iudicio potuiſſe Imperatorem. Neque nocet Henrici innocentiae GODEFRIDI Monachi teſtimonium *in Annalibus* ſuis *ad A. 1197.* ſcribentis: in Curia apud Magdeburg, ad quam Henricus *ad audientiam vocatus venire aut noluit, aut timuit,* fraudem eius & perfidiam *primum Imperatori detectam eſſe.* Etenim miſelli illi Monachi, a rerum ciuilium tractatione remoti, in clauſtris ſuis in huiusmodi res arduas earumque cauſſas & arcanas rationes inquirere non poterant: itaque quae fando acceperant, in chartam coniiciebant; atque hinc non modo cum grano ſalis legi debent, verum vbi diplomata adſunt, ex quibus meliora diſcere poſſimus, in nullum prorſus cenſum veniunt.

Digitized by Google

clamabant, nullam fere Eccleſiam eſſe dicentes, quae eius direptioni non ſubiaceret. Sed ita quidem verba fecerunt, rem ipſam nullo in medium prolato teſte idoneo probarunt. Interim quam primum ipſis ab Imperatore prouincias & poſſeſſiones Henrici Leonis inuadendi venia data erat, nihil praetermiſerunt, quo & bona eius ad ſe raperent & aeterno iure, ſi fieri poſſet, ſuis Epiſcopatibus vnirent. Inter primos fuit *Wichmannus Archi-Praeſul Magdeburgenſis*, cui iam pridem ſimultates grauiſſimae cum Henrico Leone, tum ex praerepta ſibi hereditate Sommerſeburgenſi, tum etiam ex iure ſucceſſionis in Comitatu Stadenſi, quod Dux ſibi vindicabat, interceſſerant. Has lites & contentiones large ſuper foco ligna reponente Hartwico, Bremenſi Archi-Epiſcopo, ipſemet Imperator hactenus in dies creſcere non ſine animi voluptate videbat; atque hinc etiam Wichmanno in Prouinciis Ducis vexandis nihil non indulgebat. Occupauit igitur Archi-Epiſcopus non modo quae ad Sommerſeburgenſem hereditatem pertinebant latifundia, verum vt eo magis aegre faceret Henrico Leoni, eumque & poſteros ipſius omnes aeternum prohiberet, ne haec iniuſte ſibi erepta armis ab iniquo poſſeſſore reuindicare auderent, Caſtra *Seburg*, *Sommerſcheburg* ac *Iuterbog* ex ſpoliis eius acquiſita ſuo Archi-Epiſcopopatui auctoritate Sedis Apoſtolicae confirmari curauit, impetrato a Lucio III. PP. A. 1184. Priuilegio, ne mortalium vllus eadem Magdeburgenſi Eccleſiae eripere impoſterum auderet. Inueni hanc Chartam in *veteri Diplomatario Mſcto*, quam heic ſubiicio. *Lucius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Wichmanno Magdeburgenſi Archi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Officii noſtri debitum attendentes, quo cunctis ſumus in eo, quod digne poſtulant, debitores, illud ſpecialiter cogitamus, vt in eos, qui nobiscum vocati ſunt in partem ſollicitudinis, grata ſemper & vbique ſolatia de noſtrae refundantur plenitudine poteſtatis. Eapropter, dilecte in domino frater, caritatis tuae ſtudium dignis in domino laudibus proſequentes, quo videlicet eccleſie tibi credite ita ſalubriter prouidiſſe dinoſceris, vt digne in Domino commendabilis habearis, iuſtis petitionibus tuis libenter annuimus, & caſtrum Seburg, quod cum reliqua haereditate praefatae eccleſiae contuliſti, eidem eccleſiae autoritate Apoſtolica confirmamus, & praeſentis ſcripti priuilegio communimus. Statuentes*, vt *Sumerſemburg quoque cum appendiciis ſuis*, & *Iuterbueg cum pertinentiis eius, aliaeque poſſeſſiones & praedia, quae praedictae Magdeburgenſi eccleſiae ſtudium & induſtria tuae ſollicitudinis acquiſiuit*, (m) *firma ſibi & illibata permaneant, nec a dominio*

m) Tam miti vocabulo vtitur Pontifex, vt etiam eccleſias ſpoliis aliorum locupletare ad *ſtudium & induſtriam ſollicitudinis Epiſcopalis* referat. Quod qua fronte dici ſcribiue potuerit, ii videant, qui id defendere volunt. Non tamen, vt id obiter dicam, Henrici Leonis filii hoc praecepto acquieuerunt, aut ſufficere illud ad roborandam Archi-Epiſcopi iniuſtam poſſeſſionem crediderunt. Potius ſicuti iuris naturalis eſſe nouerant, vt iniuſte erepta ab iniquo poſſeſſore quouis tempore iterum reuindicari queant; ſic *caſtrum Sommerſeburg* praeciſe ab iisdem inter poſſeſſiones ſuas numeratum fuiſſe inter alia documenta euincit Charta diuiſionis, quam infra *p. 627. ſq.* exhibemus; quippe qua illud ad Ottonis IV. portionem hereditariam pertinuiſſe edocemur. Neque eſt, vt hic immorigeros eos aut temeratores mandatorum Pontificiorum fuiſſe exiſtimes; Etenim clauſula: *ſi preces veritate nitantur*, quae omnibus Pontificiis reſcriptis ex natura rei ineſt, has ipſas Wichmanni technas a primis ſuis initiis irritas ſtatim atque ipſo iure nullas rediderat, quia nec auditus Henricus Leo, de cuius corio fabula ludebatur; nec iuſtus titulus, quo occupatio illa conſolidaretur, in iudicio allegatus, ſed omnia a Wichmanno tumultuarie acta, atque hinc ipſa confirmatio Pontificia, vt Iureconſulti loquuntur, *ſub- & obreptitie* obtenta erat. Luſus quidem eſt ex ingenio magis, quam rei veritate natus, quando direptae atque ſpoliatae Henrici Leonis prouinciae ſub equi lacerati & excarnificati pictura repraeſentantur. (vide infra p. 161.) veriſſimum tamen ſpectaculum exhibent ab vno latere *eccleſiaſtici*, ab altero *ſaeculares* quidam *Proceres* his exuuiis mirum in modum ditati. Cum non recens ſit pictura, non metuendum foret, vt ſatyram ſcripſiſſe videretur, qui *explicationem Henningeſianam*, ad ſenſum eius rectius diuinandum recitaret. Sed cum nullo prorſus ſale condita ſint epigrammatia illa, noſtris verbis pictam tabulam breuiſſimis explicabimus. A dextro igitur latere cernuntur, quae ſibi vindicarunt I. *Moguntinus* (quamquam falſa ſit HENINGESII opinio Eichsfeldiam ex ſpoliis Leonis ab Archi-Epiſcopo iam acquiſitam fuiſſe) II. *Coloniensis*. III. *Paderbornenſis*. IV. *Bremenſis & Verdenſis*. V. *Halberſtadenſis & Magdeburgenſis*, (qui tamen minus recte in vna perſona coniunguntur, cum vterque ſigillatim rationes ſuas ex hac calamitate plurimum auxerit:) VI. *Hildesheimenſis*. VII. *Mindenſis*. VIII. *Lubecenſis*.

nio & proprietate ipſius temeraria qualibet mutabilitate recedant. Quod vt cautius futuris ſemper temporibus obſeruetur, praeſenti conſtitutione decernimus, vt, quicumque tibi Archiepiſcopali dignitate ſucceſſerint, ſpecialem exhibeant in ſuſceptione pallii cautionem, quod ea, quae a te relicta, vel inter vetuſtas eccleſiae poſſeſſiones inuenta receperint, ſine Apoſtolicae ſedis licentia & conſilio maioris & ſanioris partis Capituli, titulo quolibet alienare non debeant, ſed ea ſemper ad vtilitatem Magdeburgenſis eccleſiae bona fide cuſtodiant & defendant. Decernimus ergo, vt nulli omnino homini liceat hanc paginam noſtrae confirmationis & conſtitutionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisue perſona hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentauerit, ſecundo tertioue commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisque ſui careat dignitate, reamque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & domini noſtri redemptoris Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eam ſeruantibus ſit pax domini noſtri Ieſu Chriſti, quatinus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem praemia aeternae pacis inueniant Amen.

Ego Lucius Catholicae Eccleſiae Epiſcopus ſs.

Teſtes huius ſunt:

Iohannes t. t. Sancti Laurentii Presbyter Cardinalis.

Ego Liborius Presbyter Cardinalis, ſanctae Mariae Transtiberim & ſancti Calixti.

Ego Hubertus Presbyter Cardinalis t. t. ſancti Laurentii in Damaſo.

Ego Paulus Presbyter Cardinalis t. t. Baſilicae XII. Apoſtolorum.

Ego Cunradus Sabinenſis Epiſcopus, & Moguntinae Sedis Archi Epiſcopus.

Ego Theoduuinus Portuenſis Rufinae ſedis Epiſcopus.

Ego Heinricus Albanenſis Epiſcopus.

Ego Theobaldus Hoſtienſis & Sanctae Velletrenſis Eccleſiae Epiſcopus.

Ego Ardicio Diaconus Cardinalis Sancti Theodori.

Ego Gratianus Sanctorum Coſmae & Damiani Diaconus Cardinalis.

Ego Soſredus Sanctae Mariae in via lata Diaconus Cardinalis.

Ego Albinus Sanctae Mariae nouae Diaconus Cardinalis.

Datum Veronae per manum Hugonis Sanctae Romanae Eccleſiae Notarii, VIII. Kal. Nouembris Indictione III. Incarnationis Dominicae MCLXXXIIII. Pontificatus vero Domini Lucii Papae tertii Anno quarto.

§. 10.

Incrementa multarum illuſtrium Familiarum ex ruina Domus Guelficae; inter quas cumprimis

Creuerunt ex hac *Domus Guelficae ruina* Familiae quam plurimae in Germania hodie opibus & potentia abundantes; vt recte iudicauerit Dn. LVDEWIGIVS *Germania Principe L. VI. p. 20. ſi reſtituenda ab ipſis eſſent, quae per latrocinia Henrico Leoni erepta ſunt, multis ad infimas fere caſas redeundum fore.* Memini me non librum, ſed Praefationem ſcribere, atque hinc ſtilum cohibendum eſſe, ne limites Praefationi dictos nimium excedam. Nolo igitur prolixa narratione proſequi, quae de hoc argumento

tenſis. (quamuis cum non tam ad Epiſcopum quam ciuitatem, quae nunc ſui iuris facta Caeſari ſine Duce intermedio ſubiecta eſſe coepit, ex proſcriptione Henrici Leonis commoda illa prouenerint, huius iacturae inter ſpolia ſacri ordinis antiſtitum minus recte mentio iniiciatur.) A laeuo latere repraeſentantur, quae ad Proceres ſaeculares deuoluta ſunt; Vnde hic comparent inſignia I. *Anhaltina* ſiue Aſcaniae Principum, ex quibus Bernhardus primus poſt Henricum Leonem Saxoniae Dux. II. *Brunſuicenſia*, (quod tamen valde ridiculum, cum Brunſuicenſes propago ſint Henrici Leonis, nec ex eius infortunio creuerint.) III. *Bauarica* ſiue rectius Schirenſia. IV. *Palatina*, (iterum tamen lapſu manifeſto; cum Palatinatus non Henrico Leoni, ſed filio eius fuerit ereptus.) V. *Holſatica.* VI. *Miſuenſia.* VII. *Haſſiaca.* (quae tamen Domus tunc nondum nata, ſuperſtitibus adhuc Landgrauiis Thuringiae.) VIII. *Goslarienſia.* Sed haec de *aenigmate Henningeſiano* dicta ſufficiant, quod cum minus accurate rem explicet, multa etiam dicenda plane praetermittat, non recitaſſem, niſi figuram infra typis aeneis expreſſam verbulo illuſtrandam cenuiſſem.

Digitized by Google

gumento dici poſſent. Vna erit inter tot nobiliſſimas gentes, quas hac occaſione ad maiora incrementa euexit diuinorum conſiliorum deſtinatio, *Sereniſſima Wittelsbachica Domus*, quae ideo oculos meos in ſe defixos tenebit, quod mox Ottonis, primi poſt eiectum Henricum Leonem Bauariae Ducis, nepos, *Otto Illuſtris* dictus, *Agnetem*, Henrici Leonis ex filio cognomine neptem, vxorem duxit, atque haec *Guelfica Princeps* vtriusque hodienum florentiſſimae ſtirpis & BAVARICAE & PALATINAE felix *mater & propagatrix* exſtitit. Promeruerat ſane Otto Comes Palatinus de Wittelsbach propter benemerita ſua, ſi minus in Imperium, tamen in Imperatorem, vt noua ſibi fortunae acceſſio fieret; cumque eo deuenerint Guelforum res, vt Bauariae Ducatum praedam aliis relinquere coacti ſint, in digniorem profecto transſcribi is non potuiſſet, quam in *Ottonem*, animo & virtute *Magnum*. Is enim fidiſſimus ſemper Friderici I. aſſecla, in aula *Enſifer*, in caſtris *Vexillifer* ſuit, flagellum hoſtium & inprimis Romanorum Pontificum, quibus grauiores inimicos non habuit Fridericus Imperator. Quantum nominis & honoris Germanici ardore atque ſtudio flagrarit, tunc etiam comprobauit manifeſtiſſime, cum Legatis Papae, qui arrogantius in Caeſaris Curia Imperium Papae beneficio in Fridericum collatum eſſe, iactauerant, ſtricto etiam enſe ſilentium imponebat, teſte RADEVICO *de geſtis Friderici I. Imp. L. I. c. 10.* Idem RADEVICVS *l. c. c. 18.* praeclare nobis imaginem eius depingit, quando refert, Ottonem, tunc adhuc Palatii Comitem, ab Imperatore cum Reinaldo Archi Praeſule Colonienſi & Cancellario, Legatum ad Pontificem miſſum eſſe, & iam de vtriusque charactere morali haec verba ſubiicit: *Inerat vtique his praeclaris viris perſonarum ſpectabilitas gratioſa, generis nobilitas, ingenium ſapientia validum, animi imperterriti: quippe (vt alias de quibusdam dicitur,) quibus nullus labor inſolitus, non locus vllus aſper, non armatus hoſtis formidoloſus. Nullius ſibi delicti, nullius libidinis gratiam faciebant; Laudis auidi, pecuniae liberales erant, gloriam ingentem, diuitias honeſtas volebant. Aetas iuuenilis, eloquentia mirabilis, prope moribus aequales; praeter quod vni ex officio & ordine clericali neceſſaria inerat manſuetudo & miſericordia: alteri quem non ſine cauſſa portabat, gladii ſeueritas dignitatem addiderat. His moribus, talibusque ſtudiis ſibi laudem, imperio gloriam & vtilitates non modicas, domi, militiaeque peperere, adeo quod tunc temporis pene nihil ingens, nullum exquiſitum virtutis facinus in ea expeditione geſtum ſit, in quo hos heroas aut primos, aut de primis non compererim extitiſſe.* Praeter hanc Romanam Legationem Otto & arte & Marte pollens complures alias pro Caeſare *Legationes* obiit, in quibus eminuit *Conſtantinopolitana*, qua pro pace Stephano Hungariae Regi ab Imperatore Manuele impetranda A. 1167. cum Henrico Auſtriae Duce perſunctus eſt, & ex qua, licet re infecta, tamen *magnifice donatus* domum rediit, docente *appendice* RADEVICI *p. 559.* Praeter has animi dotes rariſſimas commendabat Ottonem generis praeſtantia & antiquitas. Originem enim traxerat e vetuſtis Bauariae Ducibus, Luitpoldo & Arnulfo, quorum poſtremus tempore Conradi & Henrici I. Germaniae Regum, cum poteſtate fere Regia Bauariae praefuit, (n) & cui Clerus *Mali* cognomen affricuit, non quod talis eſſet, ſed quia eum ferrea virga regebat. Huius mores cum Otto Wittelsbachius in eo imitari videretur, quod non ſolum Praeſules Bauariae acrius coërceret, ſed etiam ipſos Romanos Pontifices flocci faceret, parum abfuit, quin & ipſe hoc elogio ornaretur. Per OTTONEM, Friſingenſem Epiſcopum, certe non ſtetit, quo minus *Mali* cognomine traduceretur ad poſteros, quippe qui in *Chronico* ſuo *Libr.*

eminet Familia Wittelsbachica, ex qua hodierni Bauariae Duces & Comites Palatini ad Rhenum deſcendunt.

n) Equidem Fridericus II. Imperator in epiſtola ſtomachi plena 1226. apud TOLNERVM *Cod. Dipl. p. 64.* cum Ottone Illuſtri, Agnetis noſtrae marito, Ottonis I. Bauariae Ducis nepote, expoſtulans, *humilem* etiam *&* *obſcuram generis originem* ipſi obiicit. Sed cogitare prius debuiſſet Fridericus, haec conuicia effutiens, quo ipſemet ſanguine cretus ſit. Tenuerunt etenim Ottonis maiores ampliſſimum in Germania Ducatum eo iam tempore, quo Hohenſtaufſiorum progenitores exigua gleba & mediocri fortuna contentos eſſe oportebat. Sed praeſtat totam epiſtolam heic adſcribere, quod breuis eſt, & vnica forte, quae bilem Imperatoris aduerſus Ottonem ſibi caetera fide & obſequio addictiſſimum, redoleat. *Imperator Fridericus Auguſtus* OTTONI Boiorum Duci & Comiti Palatino Rheni *gratiam ſuam & omne bonum. Certior factus ſum litteris Eberhardi Archiepiſcopi Iuuauenſis atque Friderici Ducis Auſtriae, Albertum quendam ſacerdotulum* autoritate Gregorii, qui dicitur Papa, *in nos conuicia iactare, eumque in vicis, oppidis, caſtellis tuis habitare. Quam id impium ſit, tute exiſtimare potes. Mortem moriatur, qui maledicit Principi ſuo.* Te atque tuum auum ex infimo loco ego & auus meus ad faſtigium ſummum euexinus. *Huiuscemodi crimini laeſae maieſtatis obnoxius exigatur. Data in obſidione Fauentiae IV. Non. Octobr.*

Libr. VI. c. 20. vbi Schirenſis quidam Comes A. 955. Hunnos in Germaniam alle-xiſſe arguitur, *ex huius,* inquit, *origine cum multi hactenus tyranni ſurrexerint,* ***Otto Palatinus Comes,*** *perfidi & iniqui patris haut diſſimilis heres, omnes priores malitia ſupergrediens, eccleſiam Dei vsque in praeſentem diem perſequi non deſtitit. Sic enim, mirabile dictu, quo diuino iudicio neſcio, pene tota illa poſteritas in reprobum ſenſum tradita eſt, vt vel nulli, vel pauci vtriusque ſexus, cuiuscumque profeſſionis ſeu ordinis, ex ea inueniantur, quin vel aperta tyrannide deſaeuiant, vel omnino infatuati, ad omnem tam eccleſiaſticum quam ſecularem honorem indigni furtis & latrociniis inſeruientes, miſeram vitam mendicando tranſigant.* (o) Prodidit tamen ſi vmquam alias, tunc certe cum talia effutiret, Friſingenſis Praeſul, quantum plus aequo affectui in ſuis Commentariis dederit; atque hoc ſolo loco confirmauit, quod ipſemet in Praefatione ad Chronicon ſuum fatetur, *ſe nubiloſi temporis turbulentia inductum ex amaritudine animi hoc ſcripſiſſe.* (p)

§. II.

Cur Bauaria tam facile potitus ſit Otto, nec plus pro retinendo hoc Ducatu laborarit Henricus Leo.

Sed quantus fuerit in aula Imperatoris meritis inclytus *Otto Wittelsbachius,* mirari tamen licet, qui factum, vt tam facile *Bauariae Ducatu* potitus ſit; praecipue quod Welfus, Henrici Leonis Patruus, tunc adhuc in viuis erat, quem non modo nihil pro nepote ex fratre feciſſe, verum etiam proprii ſui commodi ra-

o) Non haec animo calumniandi tranſcribo, ſed vt calumniam, detecta cauſſa, quae Ottonem impulit, vt tam atrocia in Commentarios ſuos referret, retundam. Hanc vero in duabus Chartis vulgatis in *Codice Diplomatico* a Maxime Reuerendo P. PEZIO, quem, tamquam praecipuum Ordinis ſui in Germania decus, numquam ſine honorificentiſſimis elogiis allegare poſſum, deprehendiſſe mihi videor. Ex altera enim patet, Ottoni Palatino Comiti de quibusdam decimis & de praedio quopiam litem interceſſiſſe cum Monachis Tegernſeenſibus, cuius decidendae partem Adrianus IV. PP. Ottoni Friſingenſi Epiſcopo demandauerat. Ita enim *P. I. p. 392.* ſonat epiſtola Papae: O. Friſingenſi Epiſcopo. *Ad noſtrum ſpectat officium venerabilia & religioſa loca diligere, & eorum rectores tam per nos ipſos, quam per fratres noſtros Epiſcopos caritate debita confouere, quatenus & Deus honorificetur in nobis, & Eccleſiarum pax atque tranquillitas, quantum facultas noſtra ſuppetit, conſeruetur. Ideoque dilectos filios noſtros C. Abbatem & Fratres* Tegrinſenſis Monaſterii, *qui ſub beati Petri & noſtra defenſione conſiſtunt, fraternitati tuae duximus commendandos, rogantes vt eos diligas & honores, &* de querimonia decimarum & cuiusdam praedii, quam habent aduerſus O. Palatinum Comitem, *cum apud te conqueſti fuerint, debitam eis iuſtitiam facias, & locum ipſum in ſua libertate manuteneas & defendas. Data Signiae XVI. Kal. Decembr.* Hunc iudicem non ferens Otto Palatinus, Epiſcopum, dum Miſſarum ſollemnia celebraret, grauibus contumeliis affecit. Hinc idem Papa Eberhardo, Salisburgenſi Archi Epiſcopo, in mandatis dedit, vt Ottonem Palatinum, adhibito excommunicationis fulmine, ad condignam tanta iniuria ſatisfactionem adigeret, emiſſa alia Charta, quae *ibid. l. c. p. 393.* his verbis concepta exſtat: *E. Salzburgenſi Archi-Epiſcopo. Ex parte venerabilis fratris noſtri* O. Friſingenſis Epiſcopi *aduerſus* Ottonem, filium Ottonis Palatini Comitis, *grauem querelam accepimus,* qui eum dum Miſſarum ſollemnia celebraret, grauibus contumeliis affecerit, &, reuerentia Dei poſtpoſita, inhoneſte tractauerit. *Quod quam graue, & quam diſtricta ſit animaduerſione plectendum, eorum, qui recte ſapiunt, diſcretio non ignorat. Ne igitur tantus exceſſus in Eccleſia Dei remaneat impunitus, & flagitioſis hominibus in eccleſiaſticas perſonas ſaeuiendi facultas praeſtetur; per praeſentia ſcripta fraternitati tuae mandamus, quatinus* praedictum Ottonem diſtricte commoneas, vt de tanto exceſſu praedicti fratri noſtro condignam ſatisfactionem exhibeat. *Quod ſi monitis tuis obedire contempſerit, ipſum* Ottonem excommunicatum denuncies, *& excommunicationis ſententiam tam diu ſerues, & facias firmiter obſeruari, donec de tanto exceſſu Deo & Eccleſiae condigne ſatisfaciat. Praeterea nihilominus fraternitati tuae mandamus, quatenus dilectos filios noſtros Abbatem C. & fratres* Tegrinſenſis Monaſterii *pro beati Petri & noſtra reuerentia in ſuo iure manuteneas & defendas, & de querimoniis ſuis, quas tibi oſtenderint, debitam eis iuſtitiam facias. Data Signiae XI. Kal. Decembr.* Quod quidem dum ſcribo, probe memini, laudatiſſimum Dn. Editorem has Chartas, quae nudum A in fronte gerunt, Alexandro III. PP. adſcripſiſſe. Sed non perpendit Vir Clariſſimus, Ottonem Epiſcopum Friſingenſem ſedente adhuc Adriano IV. PP. diem ſuum obiiſſe, atque Alexandri tempora non attigiſſe. Vnde neceſſario a nobis alius auctor ſubſtituendus fuit, id quod, vt ſperamus, pro humanitate ſua aegre non feret vir meritis & doctrina venerabilis. Clariſſimus P. CALLES *in Annal. Auſtriae T. II. p. 27.* harum litterarum Papalium mentionem faciens rem non aliter refert, ac ſi ad duos Ottones, patrem nimirum & filium, pertineret. Mihi tamen vtraque Pontificis epiſtola ad Ottonem Magnum, Palatinum Wittelsbachium, poſtea Bauariae Ducem referenda videtur.

p) Et qui Ottoni Wittelsbachio parceret noſter Friſingenſis Epiſcopus, qui ne ipſi quidem Conrado III. Regi, fratri vterino, pepercit, ſed eum *L. VII. c 34. tumultuoſiſſimum Imperatorem* vocat, atque *foetulentam* ei *improbitatem* impingit. Poſſunt huiusmodi ſpecimina commonefacere Lectorem, quanta cautione opus ſit in lectione etiam optimae notae Scriptorum, ne temere vel laudes vel vituperia perſonarum ex rei veritate ſcripta credamus.

Digitized by Google

di rationes penitus neglexiſſe, & quaſi calamitas Henrici atque *Guelficae Domus ruina & euerſio* ad eum nullo modo pertineret, otioſum prorſus in omni hac tragoedia ſpectatorem egiſſe ſine ſtupore dicere non poſſum. Is ipſe enim olim proſcripto Henrico Superbo, fratre ſuo, acriter contendit: ***Ducatum Bauariae in hereditaria poſſeſſione gentis Guelficae eſſe; atque hinc, ſi vel maxime frater promeruiſſet, vt ob feloniam a Caeſare eo priuaretur, in alterius Principis poteſtatem transferri non poſſe, ſed ad ipſum, tamquam proximum agnatum, ex lege deuolutum eſſe.*** Verum ſiue id odio dederit, quo erga Henricum Leonem flagrabat, cuius cauſam Dn. ECCARDVS ſupra *T. II. p. 380.* indicauit; ſiue amicitiae, quam cum Friderico Imperatore, ſuo ex ſorore nepote, ſanctiſſime hactenus coluerat; ſiue denique taedio orbitatis, quam poſt mortem filii vnigenae expertus eſt; non ſolum vita, qua tunc fruebatur Welfus Dux, verum ipſa etiam gratia, qua is apud Imperatorem quam maxime pollebat, ne hilum quidem profeciſſe pro iuuanda iuſta Henrici Leonis cauſſa dici poteſt. Immo nec eius auxilium implorasse Henricus Dux legitur, nec, quod mirere, ipſemet de retinendo ſibi *Bauariae Ducatu* multum ſollicitus fuiſſe videtur, vtpote qui omnes neruos, omnem copiarum ſuarum vim pro vno Ducatu Saxoniae conſeruando impendit. Equidem pro excuſando Welfo Duce id etiam dici poteſt, quod tunc iam depontanus ſenex fuerit, vtpote natus 1115. (vide *T. II. p. 360.*) Quae ratio vero Henricum Leonem, qui tot flagitationibus Imperatorem quondam fatigauerat, neque prius quieuerat, quam Bauariam a vitrico iterum extorſiſſet, iam impulerit, vt parum de ea in fide & obſequio ſeruanda laborauerit, nullo modo me explicare poſſe fateor. Nam quod alii dicunt, ***bona patrimonialia ampliſſima, quae ex Billungana & Northeimenſi hereditate Guelfis obuenerant,*** hanc ei impoſuiſſe neceſſitatem, vt de his, ***tamquam praecipuis potentiae Domus firmamentis,*** (q) vnice intentus, cum duobus Ducatibus ſimul ſibi vindicandis aſſerendiſque impar prorſus eſſet, Bauariam deſerere maluerit, quam Saxoniam hoſtibus ſuis dilacerandam relinquere; id quidem verum eſſet, niſi etiam ***in Bauaria & vicina Sueuia ampliſſimae patrimonii Guelfici ditiones*** fuiſſent, quas omnes ſolum Welfum Ducem poſſediſſe, atque donatione mortis cauſſa in Caeſarem transſcripſiſſe nemo ſane, niſi in hiſtoria patria hoſpes, dixerit. Praeterea, cum ab Imperatore in ius vocabatur, *Sueuus*, quam *Saxo* dici maluit, certo indicio, ipſum tunc nondum fortunarum ſuarum rationes in vicina Bauaris Sueuia negligendas eſſe cenſuiſſe, nec in animum induxiſſe, vt ad ſolos Saxones migraret. Vnum igitur supereſt, vt dicamus, Henricum Ducem eo tempore, quo a Caeſare proſcribebatur, Proceres Saxoniae magis in ſe propenſos habuiſſe, quam Bauaros, qui ſere omnes mox ad Ottonem Wittelsbachium atque reliquos Magnates, quos calamitas Henrici Leonis ad lautiorem fortunam euexerat, (r) defeciſſe videntur; atque hinc de Bauaria ſibi conſeruanda nullam,

q) Iam tunc id exemplis plus vice ſimplici probatum erat, Ducem nullum apud Comprouinciales auctoritate polluiſſe, niſi etiam ex bonis ſuis patrimonialibus copioſos exercitus alere, atque ſic fraena mordentes & imperii impatientes Comites & Dynaſtas vi cohibere & ad obſequium redigere potuerit. Comprobauit vero id ipſum poſterior aetas exemplis quam plurimis. Sane vt intra Saxoniae noſtrae limites nos contineamus, Bernhardus nouus Saxoniae Dux numquam inter Saxones adeo Ducis poteſtatem deſpectui haberi paſſus eſſet, ſi quidem lautiore patrimonio inſtructus milites beneficiis magis ſibi deuincire potuiſſet. Idem etiam exemplis Regum & Imperatorum Germaniae confirmatur. Etenim Otto IV. longe maioris auctoritatis fuiſſet, ſi eius bona patrimonialia, praecipue poſt diuiſionem cum fratribus factam, alendo militi ſuffeciſſent. Quae enim profuſe ſatis in alios Principes ex bonis Imperii conferebat beneficia, tam diu eos in obſequio retinebant, quam diu apud alterum Anti-Caeſarem maiora offerri ſibi non videbant, iique largitionibus atque ſtipendiis ad perfidiam non ſollicitabantur. Ipſe Philippus Sueuus haec non ignorans patrimonialia bona pro Imperio ſibi conſeruando ita diſſipauit, vt *praeter inane nomen Domini terrae*, ceu CONRADVS VRSPERGENSIS loquitur, nihil retinuerit.

r) *Bauariae Ducatum* non eodem complexu, quo Henricus Leo illum poſſederat, Ottonem Wittelsbachium accepiſſe, multa ſunt, quae comprobant. Etenim ab hoc tempore non modo Praeſules Salisburgenſis, Friſingenſis, Paſſauienſis, Ratisbonenſis, Auguſtanus liberiorem in ſuis Epiſcopatibus ſibi arrogarunt imperandi modum; verum etiam Ottocarus Styriae Marchio *mutato antiquitatis nomine Dux appellari gloriabatur*, vt CHRONICON AVGVSTENSE *ad A.* 1180. loquitur; & AVENTINVS atque BRVNERVS caeterique Boiici Scriptores teſtes ſunt, Bertholdum Comitem de Andechs, Marchionem Yſtriae, qui Goercenſem atque Tyrolenſem Comitatum ſub Ducum Bauariae poteſtate & imperio hactenus tenuerat, emancipatum ſub *Meraniae Ducis* titulo res ſuas tunc ſibi habere coepiſſe. Leopoldus Auſtrius etiam non prorſus patrimonii ex ſpoliis Henrici Leonis augendi immemor fuit, vt ipſemet Maxime Reuerendus P. CALLES *in Annal. Auſtriacis T. II. p. 67.* non abnuere videtur. Praecipue vero *Ratisbonenſis ciuitas*, quae hactenus Bauariae Ducum ſedes fuit, *ad libertatem*, qua hodie fruitur, in

 ingenti

nullam, de conſeruanda vero Saxonia maximam ſpem concipere ſibi potuiſſe. Licet nec hoc temere dici queat. Vt enim id non pluribus vrgeam, prudentiae regulis, quarum ingenti hac rerum omnium conuerſione peruenit, atque Imperio, ſine Duce intermedio, ſubeſſe coepit; quam dignitatem ſuam poſtea in dies auxit commerciis & opibus florens. Quantum ea Ducibus, Ottocaro Styriae atque Leopoldo Auſtriae debeat, ſubiunctis duabus Chartis ex Tabulario eius depromtis, neque hactenus, vt opinamur, editis probabimus.

N. 1.

Otacher Dux Styriae jura nundinarum Anaſenſis villae ad inſtantiam ciuium Ratisbonenſium renouat & confirmat. Anno 1190.

,,In nomine Sancte & indiuidue Trinitatis.
,,Laudabile & glorioſum eſt ſcripture teſtimo-
,,nium, quod contra emergentes calumnias homi-
,,num inconcuſſam rerum actionem ſua incommu-
,,tabili loquitur veritate. Huius rationis proſpe-
,,ctu Ego Otacher Dei gratia Dux Styrye vniuer-
,,ſitati fidelium notum facio, qualiter iura nun-
,,dinarum Anaſenſis ville, ad inſtantiam Ratiſpo-
,,nenſium, & conſilio meorum miniſterialium, ſci-
,,licet Herrandi dapiferi mei de Wildonia, Nar-
,,tindi de Orte, Marſcalci, Gundalari de
,,Styra, Ottonis de Volchfeld, Ortolli Camerarii
,,de Gonewiz, renouaui, & perpetua ſtabilita-
,,te firmaui, vt non alia iura a Ratiſponenſibus,
,,Colonienſibus, Achenſibus, Vlmenſibus exi-
,,gantur, quam ea, que a prime inſtitutionis
,,tempore, ordinatione patris mei felicis me-
,,morie, Otacheri Marchionis, eis impoſita fue-
,,runt. Forma autem renouationis hec eſt, vt
,,in annunciatione beate Marie virginis queque
,,nauis Anaſum veniens, ibi maneat vſque ad
,,terminationem fori, & nihil ab ea exigatur, hoc
,,excepto, quod, ſi in prima veſpera venerit, tran-
,,ſeat; ſi vero mane, non procedet. Preterea
,,quelibet nauis vinum vel frumentum ferens, vel
,,alia victui neceſſaria liberum habeat tranſitum
,,vſque ad feſtum beati Georii, ſi vero deinde
,,tranſire voluerit, manere cogatur; de nauibus
,,manentibus vero nil exigatur. Peracto vero foro
,,& ibidem nauibus oneratis, Comes Ratiſponen-
,,ſis cum iudicibus de villa ad portum veniens a
,,nautis inquirat, quid queque nauis ferat. De
,,centenario XII. denarios perſoluat, tum de cera,
,,tum de cutibus, & de equipollentibus. Si vero
,,iudices ville nautis non crediderint, de quibus-
,,cunque eos impecierit, naute iuramento ſuo ſe
,,defendant. Quecunque etiam nauis vinum vel
,,frumentum fert in tempore fori, tum de modio
,,frumenti, tum de carrada vini XII. denarios
,,perſoluat. Item cum quelibet nauis iuxta ſta-
,,tutum ſatisfecerit, & Comes Ratiſponenſium
,,receſſerit, quicquid mercis ad litus ducatur,
,,XII. denarios de plauſtro perſoluat. Hoc facto
,,ſurſum naues trahantur, poſterior pars manens,
,,vbi prima fuit, & ſic liberum per totum annum
,,habeant tranſitum. Similiter de plauſtris per
,,pontem tranſeuntibus, quamcunque mercem
,,ferat, XVI. denarios perſoluat. Si vero mer-
,,cator eques tranſeat poſt plauſtrum, nil per-
,,ſoluat. Si autem ſine plauſtro tranſeat, quam-
,,cunque mercem ferat, obulum perſoluat. De
,,equis oneratis nec plus, nec minus, quam VI.
,,denarii exigantur. Plauſtra in Ruziam vel de
,,Ruzia tendentia, XVI. denarios perſoluant, nec
,,retineri debent. Plauſtra que in ipſa villa one-
,,rantur, XII. denarios perſoluant. Inſuper quic-
,,quid emere vel vendere cum auro vel argento
,,voluerint, poteſtatem habeant. Mercatores
,,vltra terminos venientes, videlicet de Maſthri-
,,het, idem de Colonia dimidium fertonem
,,vini, libras piperis tres, duos calceos & cy-
,,rotecas duas nobis dabunt, & in reliquis par-
,,tibus eandem iuſtitiam, quam tempore pa-
,,tris mei dederunt, adhuc perſoluant. Pre-
,,terea inicium, fori debet eſſe feria ſecunda
,,diebus Rogationum, finis eiuſdem in vigilia
,,Pentecoſten; quod ſi factum non fuerit, Ra-
,,tiſponenſes in C. librarum argenti eſtimationem
,,mihi tenebuntur.

,,Hec autem renouationis cartula data eſt
,,anno M. C. XC. primo anno Imperii Heinrici
,,Imperatoris & ſemper Auguſti.

Preſentibus Gerungo de Strechowe.
Pillungo de Chierhaim.
Ortolfo de Griezchierchin.
Dietrico de Hohenſtophe.
Friderico de Miersdorf.
Dietmaro de Putenowe.
Perchtoldo de Stege.
Gotſcalco.
Hartnido.
Otachero de Stangen.
Heinrico de Enſwalde.
Vlrico de Chienowe.
Gerlocho de Chirdorf.
Vlrico de Starchenberch.
Ottone de Wartenowe.
Dietmaro de Jannesdorf.
Richero de Marchperch, & aliis quam pluribus.

,,Vt autem omnis dubietatis ſcrupulus de
,,medio tollatur, hanc Kartam ſigilli noſtri im-
,,preſſione ſignauimus, & contra emergentes ca-
,,lumnias malignantium hominum in perpetuum
,,communiuimus. Facta eſt autem iſta concor-
,,datio, ex legatione Ratiſponenſium & iſtis pre-
,,ſentibus.

Comite. Vtone & Alberto filio ſuo de Prunelatte.
Hartwicus de Pyerchingen & filius ſuus Hartwicus.
Engelbertus Zuſe.
Sygefridus. Pamezare.

N. 2.

Leopoldi Auſtriae Ducis Diploma, datum ciuibus Ratisbonenſibus de ſolutione telonei & aliis iuribus in ditione ſua obſeruandis.

,,In nomine Sancte & indiuidue Trinitatis.
,,Leuipoldus Dei gratia Dux Auſtrie & Styrie.
,,Glorie principis intereſt propenſius obſequen-
tes,,

Digitized by Google

rum ſane in aliis ſuis actionibus Henricus Leo non immemor fuit, conuenientius fuiſſe, in ea Prouincia omnem copiarum vim collectam habere atque in aciem producere,

„tes ampliori affectione diligere, & eorum vtilitatibus curam adhibere efficacem. Sic enim rite „dignitatis ſue priuilegio fungitur, dum bene „meritos ita remunerat, vt ad bene merendum „alios inuitet. Inde eſt, quod nos penſato fideli obſequio ciuium Ratisponenſium, quod „ſerenitati noſtre ſepe numero preſtiterunt, dignum duximus, eos plus ceteris honorandos, „quorum pre ceteris deuotionem euidentibus rerum argumentis totiens experti ſumus. De iuſtitia itaque noſtra, que nobis ſoluebatur, de rebus, quas in terram noſtram venales adduxerunt, „ſolita liberalitate partem ipſis remiſimus, & „contra inſolentiam eorum, qui officiis noſtris „preſunt, eos veluti familiarius nobis obligatos, „ſtabili iure protegamus inpoſterum; immobili „firmitate ſtatuentes, vt ſi aliquis ipſorum vulnerauerit hominem, ita vt exinde detrimentum „membrorum incurrat, quod vulgari *Leme* dicitur, decem talenta iudici componat. Quodſi vulneratus in iam dicto dampno membrorum „fuerit inuentus, pro effuſione ſanguinis tria talenta iudici componat. Ceterum ſi aliquis ipſorum quempiam occiderit, ei certam emendandi „formam non preſcribimus, ſed ſecundum quod „poteſt, cum iudice componat; hoc tamen adiicimus, vt ſi forte iudicem in compoſitione „minus diſtrictum inuenerit, componat cum *domino terre*, ſi voluerit. Statuimus preterea, „vt qui pugno vel fuſte aliquem percuſſerit, ita „vt exinde tumor proueniat, tria talenta iudici „componat; quodſi pecuniam ſoluere non poterit, iudex ſuper cutem & crines eius iudicare „poteſtatem habebit. Eandem etiam patietur „penam, qui ſine detrimento membrorum vulnerauerit aliquem, ſi preſcriptam pecuniam „ſoluere non poterit. Quicunque vero hominem depilauerit, vel in maxillam percuſſerit, „tres ſolidos componat; ſi autem denarios ſtatutos ſoluere non poterit, quadraginta plagas „in preſentia iudicis cum baculo recipiet. Si „vero quiſpiam verba contumelioſa alicui dixerit, & filium meretricis appellauerit, quadraginta denarios dabit. Quodſi filium canicule „vel furem nominauerit, eandem ſuſtinebit penam, quam pro depilatione & maxille percuſſione prenotauimus. Si quiſpiam ſeruientem „ſuum verberibus, vel qualicunque modo corripuerit, iudici ſuper hoc non reſpondebit. „Si ſeruiens alicuius eorum aliquid contra iudicium fecerit, de eo iudicetur iure ſtatuto, & „dominus eius in pace & ſine moleſtia cum omnibus, que habet, manebit. Si iudex alicui eorum aliquid obiecerit, nec ſit, qui ſuper eodem accuſet eum, ſiue querimoniam faciat, „ſola manu ſe purgabit. Si forte querimonia de „conuentione mercationis eorum orta fuerit,

u

„hii, qui vocantur *Litcoſare*, contra eos non admittantur in teſtimonium, verum honeſti viri, „qui appellantur hoſpites, item *Wirte*, & quibus merito credi debeat, ſiue ſint Wiennenſes, „ſiue Ratisponenſes, in cauſa eorum audiantur:

„Si de hereditate inter eos querimonia mota fuerit, iudex de hoc non iudicabit, ſed ad iudicem in cuius iuriſdictione hereditas illa poſita „eſt, eos recurrere faciat. Idem fieri volumus, „ſi pro debito querimonia nata fuerit, niſi probari poſſit, quod de mercatione hic facta res „agatur. Si alibi quam in terra noſtra quiſpiam „eorum quempiam vulnerauerit, & hic poſtea „leſus eum inuenerit, & de eo querimoniam fecerit, ſecundum preſtatutam iuſtitiam de eo iudicabitur. Si vero is, qui leſus eſt, defuerit, „nulli alii ſuper hoc reſpondebit. Si aliquis eorum vni de ciuibus mercimonia qualiacunque „vendiderit, ſi emptor ea, que emit, non preuidet, ſed extra ciuitatem duxerit, & propterea „venditorem ſuper vili mercatione coram iudice „conuenerit, venditor ſuper ipſa mercatione „non reſpondebit. Quodſi dampnum abſconditum poſt mercationem factam ciuis inuenerit, „& hoſpes dampnum ſine iudice emendare voluerit, index poſtea verbum ad hoſpitem ſuper „hoc facto non habebit. Si pannum inciſum „hoſpes vni ciuium dederit, & emptor venditorem ſuper hoc coram iudice pulſauerit, ſi „hoſpes ſola manu ſe hoc ignoraſſe iurauerit, iudici nihil penitus propter hoc ſoluet, ſed „dampnum tamen emendabit; porro ſi iurare „noluerit, dimidium talentum iudici dabit, & „preconi duodecim denarios. Volumus etiam, „vt ſine omni impedimento emant aurum, cutes „& omnia, que voluerunt, excepto argento. „Item de onere plauſtri, quod vulgari dicitur „*ein Wagengiwant*, ſi funibus circumligatis a „Colonia ducitur, tria talenta ſoluantur: ſi „vero telonearío viſum fuerit, veſtes eiuſmodi „onus plauſtri, de quo dictum eſt, excedere, „hoſpes ſola manu affirmabit, nil amplius eſſe. „Item ſi caſu, vel neceſſitate quiſpiam tale onus „diſſoluerit, & denuo ligauerit, ad quantitatem „pannorum, qui de Colonia ligati veniunt, ſe „ligaſſe, ſola manu aſſeuerabit. Item de dimidio veſtimento duodecim ſolidi dentur, de „quarta parte veſtimenti ſex ſolidi, de centum „cutibus L. denarii. In deſcenſu LII$^{o.}$ denarii „iudici ſoluantur in Wienna, in Medelich „XXX$^{a.}$ ſex, ad ſanctum Ypolitum IIII$^{or.}$ in „Tulna XII. de vno curru veſtium. Quandocunque potius terra, quam nauigio cum curribus venire voluerint, vel cum propter hiemis „aſperitatem aliter fieri non poterit, de vno curru veſtium duo talenta dabunt venientes, redeuntes dimidium talentum. Si inſtitores de „mercimoniis ſuis, que *cramgiwant* dicuntur, ſecum duxerint, ſi poſſint equiperari dimidio „currui veſtium, XII. ſolidos dabunt, ſi ad „quartam partem, VI. ſolidos, de paratis vero „pellibus nullus dabit mutam. De centenario cupri, ſtagni, eris campanarum X. denarios apud Steine dabunt, in Muthuſin nichil. „*De onere allectiorum*, quod dicitur *Laſt*, I. denarium in Steine dabunt, in Muthuſin nichil. „Ruzarii quocunque tempore vadant, duo ta-

„lenta

ducere, in qua plus ſubditorum animi ad res nouas & domini mutationem propendiſſe videbantur; quis, quaeſo, credat, Principem, natum patre, auo, proauo, Bauariae Ducibus, ita prorſus amicis & clientibus in hereditario Ducatu deſtitutum fuiſſe, vt mox eodem Dux nouus intruſus nemine reſiſtente potitus ſit? Suſpicor igitur dediſſe Henricum id ſingulari praedilectioni, vt terram, in qua puer adoleuerat, in qua etiam frequentius, quam in Bauaria degiſſe legitur, & quae iam, poſt auulſam a Bauaria Auſtriam, opulentia & magnitudine Bauariae Ducatum multum ſuperabat, (protenſam nimirum a Rheno vſque ad Albim, immo vſque ad Penam, Pomeraniae fluuium,) prae reliquis poſſeſſionibus ſuis omni niſu tuendam conſeruandamque ratus ſit. Licet non abnuerim, cum ampliſſima prorſus, neque ipſo fere Ducatu minora Henrici in Saxonia bona patrimonialia fuerint, potuiſſe eum penes ſe cogitare, ſatis ſibi ſuaeque Domui conſultum fore, ſi vel haec ſola ab hoſtium furore ſarta tectaque conſeruaret, & in ſuos poſteros, tamquam ſeruatas ex ingenti hoc rerum ſuarum naufragio tabulas, transmitteret; in quo non erraſſe ipſum euentus comprobauit. Immo forte id non ſine ratione diceres, pridem iam animo Henrici Leonis inhaeſiſſe cogitationem, vt *Slauicas Prouincias* ſuis armis, ſua virtute acquiſitas in vnum Regnum vniret, atque vt olim Canutus Danus Obotritorum Rex a Lothario, auo ſuo, creari maluit, ſic ipſemet omnium fere huius Regni Prouinciarum poſſeſſionem nactus, qui potentiſſimus ad mare Balthicum Princeps erat, *Slauorum* impoſterum *Rex* ſalutaretur. Sane cum pridem iam tot tantisque beneficiis Epiſcopatus Slauicos ſibi deuinxerat, non alio conſilio de iure inueſtiendi in his partibus Epiſcopos a Caeſare impetrando tam vehementer laboraſſe mihi videtur, quam vt minus obſtaculi in ipſo Regio nomine ſibi vindicando impoſterum offenderet; Et iam eo vſque eius in his terris auctoritas creuerat, vt a Slauorum Proceribus, teſte HELMOLDO, plus quam ipſemet Caeſar coleretur. Hinc Wisbyenſes ampliſſimis priuilegiis ſibi obnoxios reddere ſtuduit; Hinc vt Lubecam propugnaculum munitiſſimum haberet omni niſu allaborauit. Immo nec ipſum Imperatorem hoc Ducis conſilium latuiſſe videtur, quare vt notiſſimum eſt, is in Saxoniam cum valido exercitu irrumpens id vnum egit, vt Lubecam primum ei eriperet, atque ſic meditatum in Terris Slauicis Regnum ante ſolemnes ſuos natales euerteret. Sed hae quidem ſuſpiciones noſtrae ſunt, de quibus quo pretio haberi debeant, aequus diſpiciat Lector. Iam enim vt in Bauariam reuertamur, id vnum addimus, renunciaſſe poſtea iuri ſuo in hunc Ducatum Ottonem IV. Imperatorem, cuius Charta inueſtiturae Ludouico, Ottonis filio, Henrici Palatini genero

„lenta ſoluant, & in reditu ex Ruzia dimidium „talentum; duodecim vero denarios dabunt, vtcumque veſint intrare. Si quis cum muliere ſoluta conſenſu & voluntate eius dormierit, nec iudex, nec alius aliquis ſuper hoc verbum habebit „ad ipſum. Quodſi cum meretrice publica aliquis dormierit, & ipſa, quia non tantum datur, vt vellet, ſuper violentia, que *Notſuche*, „dicitur, de eo querimoniam fecerit, non „audiatur, nec ipſe reſpondere teneatur. Si „autem quiſquam mulierem turpem ad maxillam „percuſſerit, ſiue depilauerit, non quorumlibet, „ſed honeſtorum, quibus credi poſſit, conuictus teſtimonio, ſicut de capellatione preſcripſimus, emendabit. Vt autem iura prenotata, & „a nobis dilectis noſtris ciuibus Ratiſponenſibus „ex ſola liberalitate collata, nulla aliquando preſumptione turbentur, ſed perpetua firmitate & „ſtabilitate ſubnixa permaneant, iſtud noſtre beneuolentie factum, & ſigilli noſtri impreſſione „munimus, & teſtium adhibitione corroboramus, „quorum nomina ſunt hec:

De ordine nobilium.

Comes Conradus de Pielſtein.
Comes Leupoldus de Pleien & frater ſuus Comes Heinricus.
Ekibertus de Tekindorf.
Vlricus de Aſparn.
Wernherus de Grizpach.
Craft de Ærncinſpach.

De ordine vero miniſterialium.

Wichardus de Seuelt.
Hademarus de Chunringin.
Wichardus de Zebingin.
Irinfridus de Gnanindorf.
Vlricus Strum.
Ortolfus Camerarius.
Rodolfus Stubich.
Vlricus de Truemanniſtorf.
Marquardus de Hintperch.
Otto de Haſilowe.
Otto de Chiowe.
Bertoldus de Arnſtein.
Theodericus de Lichtinſtein.
Hugo de Ottinſtein.
Albero de Dobra.

„Data Wienne anno Dominice incarnationis „Milleſimo Centeſimo Nonageſimo ſecundo. Indict. Xma. VII. Idus Iulii. Heinrico feliciter imperante Romanis.

Digitized by Google

genero A. 1208. data, Monachii in Tabulario Electorali adhuc aſſeruatur, ex quo eam heic ſubiicimus: OTTO QVARTVS *Dei gratia* Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. *Notum facimus etati preſencium & poſteritati futurorum Chriſti fidelium, quod nos inſpecta deuocione, quam circa promocionem noſtram Illuſtris Vir* LODEVICVS Dux Bawarorum, *fidelis & dilectus noſter, erit omni tempore habiturus, regia munificentia donamus, & preſentis pagine priuilegio confirmamus tam ipſi, quam vniuerſis ſuis ſucceſſuris heredibus* Ducatum Bawarie *cum vniuerſis terris & poſſeſſionibus, quas idem Dux adhuc viuente Anteceſſore noſtro in manu ſua & poſſeſſione tenuit, tam cum hominibus, quam cunctis eis pertinentibus. Inſuper concedimus eisdem* curtem Moringen, que olim Illuſtriſſimi Genitoris noſtri extitit, *cum pertinentiis eius, & partem illam, que contingit filias quondam Philippi Regis, ſimul eidem Duci & heredibus ſuis tradimus & donamus per excambium vel alio quolibet modo, diſpoſitum quoque, quod dicte Regis filie nominatam hereditatis ſue porcionem grato aſſenſu in manus noſtras reſignabunt. Sic quoque diſpoſitum eſt & ſtatutum, vt dictus Dux cum curte memorata a nobis teneat ducentas marcas in liberis reditibus, & ſi de hac ſumma quicquam defuerit, nos de aliis reditibus noſtris in Bawaria defectum illum ſupplebimus; ſi autem in bonis ipſis aliquid de ſumma preſcripta ſuperfuerit, illud in noſtros vſus cedet.* Et cum fratribus noſtris, H. Palatino Comite Rheni & W. Duce taliter ordinauimus, quod de bonis & hominibus quondam incliti patris noſtri aduerſum Ducem Bawarie & heredes eius nunquam actionem habebunt. *Item feoda, que interfectores Regis Philippi Marchio Hiſtrie & Palatinus Comes de Witlingispahc ab Imperio tenuere, ſepedicto Duci & heredibus ſuis concedimus. Et confirmamus nemus, quod vocatur Bazhart, cum caſtro Nwenburc ad opus Ducis omni iure conſeruatum, ſicut ipſe Dux nos inſtruere poterit & docere. Ad cuius rei certam euidentiam & perpetuam inpoſterum firmitudinem fide data promiſimus & iurare fecimus in animam noſtram Comitem Adolphum de Scowinburc, Cunradum de Dicka, Bernhardum de Hurſtimar nobiles viros, & fidelem noſtrum Gunzelinum Dapiferum, quod cuncta, que premiſſa ſunt, inuiolabiliter curabimus obſeruari; & cum ſigillo noſtro ſigilla Principum, que poſtulauit, huic carte iuſſimus adhiberi.*

Huius rei teſtes ſunt & ſigilla ſua appoſuerunt:

Euerhardus Salisburgenſis Archiepiſcopus.
Magdeburgenſis Archiepiſcopus.
Hartbertus Dei gratia Hildemenſis Epiſcopus.
Cunradus Dei gratia Friſingenſis Epiſcopus.

. . . .

Henricus Argentinenſis Epiſcopus.

. . . .

Conradus Spirenſis Epiſcopus.

. . . . . .

Epiſcopus Patau.
Fridericus Dux Lotharingie.
Hermannus & Fridericus Marchiones de Baden.

. . . .

Landgrau. Thuring.
Theodericus Marchio.

. . . .

Datum apud Vrankinfort. Anno Dominice Incarnationis Milleſimo CC° VIII. Indict. XII. XVII. Kalendas Decembris.

§. 12.

Vtrum inter Principes Henrico Leoni inimicos etiam Conradus I. Burggrauius Noribergenſis fuerit? nuper quaeſitum memini. Dubitat de eo vir Clariſſimus SAMVEL GVILIELMVS OETTER *in Hiſtoria Burggrauiorum Noribergenſium. Tom. I. Libr. IV. Sect. 1.* ſed vix vllam rationem profert, cur ſuſpenſus animo haereat. Nos in *nouis litterariis Goettingenſibus*, quae A. 1751. prodiere, *p. 841.* ex diplomate a GELENIO vulgato, quo Weſtphaliae Ducatus in Philippum Colonienſem Archi-Epiſcopum transfertur, (vide infra *p. 102.*) alioque, quod MEICHELBECCIVS edidit, quo iura fori, thelonei atque monetae, quibus Henricus Leo Monachium locupletauerat, reſcinduntur, atque Villae Veringen reſtituuntur, (vide infra p. 597.) nec non ex

An Conradus Burggrauius Noribergenſis inter Henrici Leonis inimicos numerari queat?

Charta donationis Friderici I. Imperatoris, qua Comitatus Stadenſis in Archi Epiſcopum Bremenſem transfertur, (vide infra p. 553.) oſtendimus, Conradum plus vice ſimplici eiusmodi interfuiſſe actibus, quibus Henricus Leo quam grauiſſime laeſus eſt. Quod ſane fieri non potuiſſet, ſi quidem amicam & beneuolam erga ipſum mentem conſeruaſſet. Non ſolum enim contra ius naturale peccat, qui iudex in iudicio ſedet, quo innocens opprimitur, ſi eius patrocinium publice ſuſcipere negligit, ſed tacite quae acta ſunt approbat; verum iam pridem conſtat, omnem illum iudicum conſeſſum, quem Caeſar damnandi Henrici Leonis cauſſa collegerat, ex eiusmodi Principibus conflatum fuiſſe, quos odio aduerſus Leonem incenſos & inuidiae facibus agitatos nouerat. Hos enim nihil non ſuſcepturos ſperauerat, vt Principem perderent, cuius ingentes opes & fortunam iam pridem inuidis oculis conſpexerant. Et recte animaduertit Ill. D. SCHERZIVS in laudata diſſertatione, qua *Friderici I. Imp. iudicium de Henrico Leone Sax. & Bau. Duce* conſideratur *C. II. ſect. 2. p. 63. tantum abeſſe, ſi omnia quemadmodum geſta ſunt, conſideramus, vt procedendi modus Imperatoris probari queat, vt potius iniquitatis eum arguere cogamur, quod talia hic commiſſa ſint, quae iudicis officio minime congruunt, ſic vt non tam iuſto iudicio, quam* praua conſpiratione *damnatum Ducem dici poſſit.* Sed age, quaeſo, videbimus, an non alia ſuppetant argumenta, ex quibus Conradum Burggrauium cum Principibus Leoni inimicis conſpiraſſe pateat? Et profecto quemadmodum reliqui eius aduerſarii id vnum intenderant, vt ex detractis Leoni exuuiis ipſi res ſuas lautioresclarioresque redderent, ſic etiam Conradum ſtimulare poterat opinio, fore vt depreſſa Henriciana potentia ipſe impoſterum ſecurior de libertate ſua atque dominatu Noribergenſi eſſe queat. Non quidem memini diſertim me legiſſe, aliquid iuris Henricum Leonem Noribergae ſibi arrogaſſe. Cum vero ANONYMVS *de Guelfis* memoriae prodiderit, Henricum Superbum, Leonis patrem, a ſocero Lothario Imperatore *Noribergam* quoque *& Gredingen* in feudum accepiſſe; valde probabile eſt, Leonem noſtrum, qui iactare ſua non facile ſolebat, iura, quae in hoc Caſtrum pater conſecutus erat, numquam penitus dimiſiſſe. Equidem non ignoro, Summum LEIBNITIVM & Dn. ECCARDVM in hac MONACHI WEINGARTENSIS narratione ſcrupulum inueniſſe, quem, quod mirum, doctiſſimi duumuiri ſibi iterum eximere non potuere. (vide ſupra *Lib. VI. c. 4. §. 20.*) Operae igitur pretium fore arbitror, docuiſſe, viros illuſtres praeter neceſſitatem de narrationis huius veritate dubitaſſe. Quod vt eo clarius fiat, ſimulque appareat, cur, & quo iure Lotharius genero ſuo praeter Ducatum Bauariae, quem iam habebat, & praeter Saxoniae Ducatum, quem tunc adeptus eſt, praeterque ſubfeuda eccleſiaſtica, *Noribergam* quoque & *Gredingen* in beneficium dederit? rem ab ouo ordiamur. Obierat diem ſuum Fridericus I. Sueuiae Dux in ipſo illo temporis articulo, quo Henricus IV. a filio Henrico V. Imperiali dignitate exutus eſt, ſcilicet anno 1105. relictis duobus filiis ex Agnete Imperatoris Henrici IV. filia, Friderico & Conrado. Horum natu maior tum quintum decimum aetatis annum, minor autem duodecimum agebat. Ille patri in *Ducatu Sueuiae* ſucceſſit; hic *Franciae Orientalis Ducatum* anno 1116. ab auunculo Imperatore Henrico V. impetrauit. Conſ. OTTO FRISING. *de geſtis Friderici I. Lib. I. c. 10.* CONRAD. VRSPERGENSIS & ANNALISTA SAXO *ad annos 1105. & 1116.* Imperatore Henrico V. anno 1125. ſine liberis defuncto, hi duo fratres, ob matrem, exſtinctae Caeſareae Familiae heredes ſe geſſerunt, manus extendentes etiam ad bona, ex ſententia noui Imperatoris Imperio vacantia, ceu ex traditis ab ANNALISTA SAXONE *ad annum 1127.* patet; qui *Fridericus*, inquit, *Dux Sueuorum & frater eius Conradus, Henrici Imperatoris conſobrini, ipſo adhuc ſuperſtite voluntatis ſuae libertate male potiti, Henrico Imperatore decedente plurima Caſtella & multa alia Regii iuris ſibi vindicantes, temeraria poteſtate ſub Principatus ſui conditionem hereditario iure vſurpauerunt.* In his fuit Caſtrum Noricum, quod illi, tamquam iure hereditario occupatum, impoſito valido praeſidio muniuerant. OTTO FRISING. *l. c. c. 16.* Equidem num Noriberga ab Henricis, qua Caeſaribus, an qua Franciae Orientalis Ducibus, poſſeſſa fuerit? anceps quaeſtio eſt: quae tamen definiri aliquo modo poteſt, ſi fata eius non ex ſequioris aetatis ſcriptorum & cauſidicorum interpretamentis, ſed ex auctorum ſupparium fontibus hauſta deguſtaueris. Primam Noribergae mentionem ego quidem, ſi recte memini, reperi in anno 1072. apud LAMBERTVM SCHAFNABVRGENSEM, ita ſcribentem: *clara & celebris valde his temporibus per Galliam erat memoria ſancti Sebaldi in* Nurnberg. Idem Auctor tradit anno 1073. Henricum IV. Imperatorem aliquot diebus *Noribergae*

gae moratum fuiſſe, & anno 1074. Legatis Pontificiis *Noribergae* occurriſſe; immo teſte BERTOLDO CONSTANTIENSI, anno 1097. Ratisbonae & circa Caſtrum *Nurenberg* totam is aeſtatem tranſegit. Cum anno 1105. filius Henricus V. in patrem Henricum IV. inſurgeret, prima eius cura fuit occupatio Noribergae ſeu *Caſtelli Nurnberg*, quo etiam poſt duorum menſium obſidionem potitus eſt. Hanc Caſtri Norici occupationem ANNALES HILDESHEIMENSES *p. 734.* & *Chronicon* OTTONIS FRISING. *p. 144.* ad annum 1104. CONRAD. VRSPERGENSIS autem *p. 187.* & ANNALISTA SAXO ad annum 1105. referunt. AVCTOR *fundationis Bigangienſis* anno 1110. Henricum V. e Polonia reducem *Noribergam* adiiſſe ſcribit. Ex quo conſequi videtur, Noribergam neque ad Sueuiae, neque ad Franciae Ducatum ſpectaſſe, ſed Imperatori ſoli paruiſſe, adeoque ab Imperatoris obitu eius ex ſorore nepotes & heredes allodiales in poſſeſſionem Caſtri Norici iuiſſe ſine praetore. Quae cum ita ſint, Lotharius Rex Noribergam, tamquam Caſtrum Imperio vacuum, genero ſuo iure optimo in beneficium dare potuit. Sed inquis, narrationem CHRONICI WEINGARTENSIS ideo etiam ſuſpectam videri, quia ab eo res ita narratur, quaſi A. 1127. contigiſſet; cum tamen hoc anno obſeſſum quidem Caſtrum Noribergenſe a Lothario ſciamus, ex OTTONE FRISINGENSI *p. 415.* AVCTORE *additionum ad* LAMBERTVM SCHAFNABVRG. *ad A. 1126.* AVCTORE *fundationis Coenobii Bigaugienſis apud* MADERVM, HOFFMANNVM *&* MENKENIVM, ANNALIBVS HILDESHEIMENSIBVS, CHRONOGRAPHO SAXONE *&* DODECHINI *Appendice ad* MARIANI SCOTI *Chronicon ad A. 1127.* ſed neutiquam occupatum. Obſidionem enim, cuius exitus totam Germaniam & Italiam ſuſpenſam tenebat, praeter omnem opinionem ſoluere Lotharius coactus eſt. At enim vero leuem eſſe & nullius ponderis hanc obiectionem ex iis patet, quae Illuſtris Dn. GRVBERVS *T. II. p. 346. nota o.* profert, vbi diſtinctionem adhibendam eſſe monet inter *inueſtituram abuſiuam & realem*, inter *infeudationem & traditionem.* Concedamus igitur licet, A. 1127. Henricum Superbum praeter ſpem nudam Noriberga aliquando potiundi nihil a Lothario accepiſſe, tamen cum tandem anno 1130. Caſtrum Regi redderetur, Henricus ſimul voto ſuo potitus eſt. vid. ANNALISTA SAXO & DODECHINVS *ad hunc annum.* Atque hinc iam intelligi poſſe exiſtimo, qui factum, vt ab obitu Lotharii, Conradus III. Henricum noſtrum *in Caſtro Noribergenſi* obſederit, teſte GOBELINO *Coſmodrom. Aetat. VI. c. 59.* quorſum auctore AVENTINO *L. VI.* Henricus, tamquam *in caſtrum proprium*, inſignia Imperii tranſtulerat cuſtodiebatque. Et licet tunc rurſus in poteſtatem Caeſaris Noriberga peruenerit, (s) neque ab hoc tempore amplius Henrico Leoni aliquid ibidem iuris fuiſſe vſpiam locorum commemoretur; is tamen forte aliquando cum adhuc candidior ipſi ſplendebat ſol, vel iura patris allegauit, atque reſtitutionem eius efflagitauit; vel Conradus Burggrauius ne id impoſterum fieret, non ſine ratione metuit, quod mores Leonis ita comparati erant, vt firmandae potentiae ſuae nullam occaſionem praetermiſerit. Atque hinc metu hoc perterritus ſatis cauſſarum habere credidit Conradus, vt iis ſe ſociarit Principibus, qui cum Imperatore in perdendo Leone, cuius nimia potentia iam pridem ipſis ſuſpecta erat, conſpirauerant. Quam diu igitur teſtibus idoneis innocentia eius probari nequit, fruſtra ex hoſtium Henrici Leonis catalogo nomen eius expungitur.

§. 13.

Interim quam infelix etiam poſt hanc Imperatoris aduerſus ſe indignationem exſtitiſſe videatur Henricus Leo, tot hoſtium inſultibus expoſitus, totque fortunae iniquioris offenſionibus fatigatus, nihil tamen is a ſumma illa animi conſtantia vmquam remiſit. Omnem vitam eius tam ante, quam poſt caſus hos aduerſos contemplaturus, nihil in ea inueniet, quod Principem dedeceat ad omne laudis decus formatum. Hi fructus erant *Pietatis*, quam cum ipſa nutricis lacte ſuxiſſe dici poteſt. Haec enim ita ſemper *Guelficis Principibus* propria fuit, vt in nulla familia tot praeclara eius documenta reperiri poſſe haut temere dixerim. Quae ſi aliquid ex ſuperſtitione

Spicilegium piarum donationum, quas Henricus Leo fecit.

s) Ad Conradum III. Caeſarem etiam referunt vrbis initia SCHEDELIVS *in Chron.* & IOH. NAVCLERVS *Chronograph. generat. 39. fol. 183. & generat. 38. fol. 176.* Caſtro enim capto Conradus Iudaeos vndique oppreſſos eo fugientes protexit, qui initium municipii dederunt, haut obſcure id indicante OTTONE FRISINGENSI *de geſt. Frid. I. L. I. c. 37.* quorſum etiam referendae litterae protectoriae apud LEIBNIT. *Prodromo Cod. Diplom. fol. 2.*

ſtitione traxiſſe videtur, nec facile aliis, quam operibus externis, qualia tunc apud Deum potiſſimum meritoria credebantur, comprobari poteſt & euinci; conſideranda eſt temporum illorum infelicitas, qua vniuerſa Chriſtiana religio, huiusmodi perſuaſionibus inuoluta, miſere deprauata erat. Inſediſſe interim Henrici animo veram Summi Numinis reuerentiam, & clauo quaſi trabali infixam haeſiſſe beneficiorum a Deo acceptorum memoriam, moriens cumprimis comprobauit; id quod teſtis ocularis, GERHARDVS, Stederburgenſis Praepoſitus, teſtatur. Magnus eſt Epiſcopatuum & Monaſteriorum atque Eccleſiarum numerus, quibus ex liberalitate Henrici Leonis maiora acceſſere incrementa, opes & diuitiae; quod omne, cum infra prolixius recenſeatur, nunc non exſcribo. Addam tamen per modum ſpicilegii vnam alteramue donationis Chartam, quae ſerius in manus meas incidit, adeoque loco congruo amplius recitari non potuit. Sic *Monaſterio Riddagesbuſano* Anno 1161. pinguem ſatis praediorum & bonorum donationem fecit, teſte Charta, cuius autographum in Tabulario Ducali Guelferbytano ſeruatur, ex quo illam deſcripſimus: *In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ego* HEINRICVS *Dei gratia* Dux Bawarie atque Saxonie, *ob cautelam, que neceſſario intereſt, maximeque his, que Dei offeruntur & conferuntur eccleſiis, decreui vtile eſſe ad preſens, & future vtilitati prouenire futuro in tempore, preiacentem paginam ſcribi ad aſtruendam veritatem hiis, que teſtimoniali ſcripto per eandem cedulam repreſentantur. Noſtris igitur contemporaneis moderno tempore viuis, & vniuerſis a filiis ad filios vſque in finem ſeculi poſt victuris, memorabile & notum eſſe facio, quod* eccleſie beate Marie in Riddageshuſen *& fratribus ibidem Deo ſeruientibus contuli in Liſmoderothe quinque manſos: Item in Ottenrothe contuli V. manſos, qui eatenus beneficium erant Rabodonis. Contuli etiam ibidem II. manſos, quos a fratribus Sancti Ciriaci aliis duobus manſis in Lere ſitis commutaui. Item in eadem villa contuli V. manſos & dimidium, quorum IIII. beneficium Bertoldi erant, quos acceptis VIIII. marcis mihi reſignauit, quintus beneficium Heinrici erat, qui acceptis IIII. marcis reſignauit. Dimidius ad menſam meam pertinuit, quem cum reliquis eccleſiae contuli. In Liſmoderothe predicta eccleſia III. manſos & dimidium, & in Herdenrothe vnum, manſo vno in Huckelhem a me concambiuit, & Heinrico, cuius beneficium erant, vt aſſenſum preberet, V. talenta perſoluit. Item in Liſmoderothe manſum vnum a fratribus S. Ciriaci preſata concambiuit eccleſia, datis ipſis tribus marcis, quibus manſum vnum in Aluoteshem acquiſierunt, Prepoſito S. Ciriaci Hatta pro manſo in Liſmodrothe predicta dedit eccleſia. A domina Heteburga manſum vnum VIII. marcis eccleſia emit in Ronſted, & pro ſepultura mariti ſui Mezelini, in oblationem alterum in Hirikisleue recepit. Quos duos manſos cum aliis duobus a Husburgenſe abbate emptis, quorum alter ſitus eſt in Neenthorp, alter in Getecoht, pro aliis V. manſis in Winetorp ſitis, etiam preſata concambiuit eccleſia. In predicta villa manſum vnum eccleſie dedi. In Quernhem V. manſos pro manſo vno in Sutuiſſlinge predicta eccleſia concambiuit. In predicta quoque villa, id eſt Quernhem, Othelricus Clericus, III. manſos habuit, & acceptis tribus a nobis marcis, eccleſie in preſentia noſtra dedit. Ne ergo his, que ſcripta ſunt diffidentia habeatur, ecce! ſigilli mei impreſſio, & nomina perſonarum, que preſentes aderant, indicium veritatis adhibent:*

Geroldus Epiſcopus.
Ekehardus Prepoſitus.
Reingerus Decanus.
Rocherus Vicedominus.
Othelricus.
Baldewinus.
Guncelinus Comes.
Bernardus Comes de Raſceburgh.
Albertus Comes de Werniggerothe.
Luidolfus Comes de Waltingerothe.
Liuthardus de Meinnersbem.
Luidolfus de Peine.
Liudolfus Aduocatus.
Wilhelmus, Fretbericus frater eius.
Iordanis, Ioſarius, Rotherus & alii quam plures.

Acta in Bruneſwic *Anno Dominice Incarnationis MCLXI. Indictione VIII. Regnante Fretherico Imperatore, in Dei nomine feliciter amen.*

(Appendet ſigillum equeſtre Henrici Leonis integrum adhuc & illaeſum.)

A. 1168.

Digitized by Google

A. 1168. *Monaſterio Schimmenſi*, quod ante XX, annos Henricus Mindenſis Epiſcopus ad preces Wilibrandi, Hallermundani Comitis, teſte CRANZ. *Metrop. L. XVII. c. 42.* fundauerat, (t) Luitberti, qui ſecundus ibidem Abbas erat, ſupplicationibus motus, cenſus annuos de quibusdam praediis condonauit. Diploma ipſum nondum hactenus typis exſcriptum ex Chartulario Schinnenſi ſubiicimus: ✠ *In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis* HEINRICVS *diuina fauente clementia* Saxonum & Bawarorum Dux. *Nouerit tam preſentium quam futurorum ſacroſancte Dei Eccleſie fidelium ſagacitas, qualiter vir venerabilis* LVITBERTVS *Abbas de Scinna, noſtram acceſſit ad preſentiam, humiliter ac deuote poſtulans, vt cenſum annualem de prediis in* Herlethe, *& in* Holtſullethe *& in* Northſullethe, *regie maieſtati nobisque, liberalitate & ex gratia ipſius, pertinentem,* Eccleſie in Scinna *& beato Vito eiusque ſeruitoribus dimitteremus. Cuius petitioni, conſilio & interuentu fidelium & amicorum noſtrorum, pia deuotione conſentientes, eundem cenſum ſuper predia denominata, regia noſtraque auctoritate, predicte Eccleſie, nullo reclamante Comite, vel Aduocato, ſeu aliqua iudiciaria perſona pro anime noſtre remedio, perpetuo fruendum donauimus. Vt autem hec noſtre conceſſionis auctoritas maiorem in Dei nomine habeat vigorem, veriusque credatur, ac diligentius ab omnibus ſancte Dei Eccleſie fidelibus ac noſtris, per futura tempora irrefragabiliter conſeruetur, preſentem paginam inde conſcribi iuſſimus, ſigilli noſtri impreſſione aſſignantes.*

Huius quoque rei teſtes ſunt hii:
Berno Epiſcopus de Zwerin.
Bernhardus Verdenſis Prepoſitus.

t) Ipſae *litterae fundationis Monaſterii Schinnenſis* nondum in lucem publicam protractae ſunt; quapropter eas ex eodem Chartulario Mſct. heic ſubiicimus: *In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis.* Henricus *Dei gratia* Myndenſis eccleſie Epiſcopus. *Beneficentie diuinitatis congruum eſt homines reſpondere modulo ſue poſſibilitatis, eiusque gratie dono a terra ſuſcitatum gratuite electionis prerogatiue non exiſtere ingratum. Ego igitur* Hinricus *ſuperhabundanti dignatione Domini* Myndenſis Eccleſie Epiſcopus, *quum animo eſtuanti crebro reuoluerem, qualiter in parochia noſtra mei temporibus ſacerdotii diuine ſeruitutis ampliaretur religio, placuit eidem dominationi omnipotenti meo taliter concurrere deſiderio. Quidam enim fidelium Domini W.* (Wilibrandus Comes Hallermundanus,) *nomine, proſapie nobilis, a progenitoribus & Eccleſie noſtre beneficio infeodatus, nos adiens petiit, vt in villa* Scinne *dicta, que ſibi a maioribus ſuis iure hereditario prouenerat in pago . . . conſiſtens,* (nomen pagi vitioſe ſcriptum erat) *auctoritate noſtra Monachice religionis coenobium inſtruere & ſub titulo & patrocinio Beati Viti, pretioſi martyris Chriſti, dedicare permitteremus: cuius deſiderium cum audiſſem, diuine diſpenſationi gratias agens, vt ad effectum perduceretur, libens elaboraui. Conuentui ſiquidem Eccleſiae noſtrae, deſiderium hominis, omnibus congratulantibus & Deum benedicentibus, aperui, locum illum conſenſu heredum eius, videlicet . filii . vxoris, monaſtice inſtitutioni mancipatum, cum prediis & omnibus pertinentiis ſuis, videlicet ſiluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumue decurſibus, viis & inuiis, Epiſcopalis mee auctoritatis banno firmaui, Abbatem A.* (Arnoldum) *nomine, religioſe conuerſationis virum, de coenobio ſancti Michaëlis in Hildenſem auocatum, conſecraui, prenominato W. aſſiſtente & ab omni proprietate loci illius ſe penitus abdicante, excepta aduocatia. De hac ſane ita, eo volente, ordinatum eſt, vt ipſe eam, quoad viueret, deinde, qui maturior in ſuis poſteris, haberet, & a manu Abbatis commendatam adminiſtraret, nec ea quemquam ſeculariorum, niſi forte Abbate petente & vtilitate loci exigente, inbeneficiaret. Ipſi quoque aduocato cum duobus tantum militibus in die placiti ſeruitium a colonis Eccleſie dari conſtituit. Hoc ergo pie deuotionis ſtudium comprobans, & item ac tertio beati Petri, principis Apoſtolorum, auctoritate, ac noſtri pontificatus officio corroborans, ſtatuimus, vt locus iſte cum Abbate ſuo ab omni oppreſſione ſeculari & ſeruitio cuiuscunque dignitatis humane liberrimus inoffenſam vocationis monachice quietem poſſideat; Abbati ſucceſſorem, cum iſte domino vocante diſceſſerit, libera electione conuentus monachorum ſecundum regulam ſancti Benedicti ſubſtituat; defuncti etiam ſupellectilem a monaſterii & ſucceſſoris ſui vſibus nemo violenter ſubtrahat, ſed & predia, quecunque idem locus modo iure poſſidet, vel in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, Ducum, Comitum, vel quarumlibet perſonarum fidelium, domino prouidente, potuerit adipiſci, vt hec firma, rata & inconuulſa permaneant, eadem auctoritate in virtute ſancti Spiritus communimus. Si que vero impoſterum Eccleſiaſtica ſecularisue perſona modo quolibet hec infringere vel temerare preſumpſerit, gladio verbi Dei a corpore ſegregatus Eccleſie, maledictioni perpetue ſubiaceat. Quicunque autem loco tuitioni & auxilio fuerint, pax ſuper iſtos & miſericordia Dei. Preterea ego H. concedo & concedendo confirmo preſate* Eccleſie Scinnenſi *quidquid adhuc incultum, ſiue ſit in agris, ſiue in ſiluis, ſiue in paludibus, ſiue in paſcuis, ſiue in viis, vt noſtra auctoritate libere colant, & culta ab omni decima libera maneant. Ad cuius confirmationis teſtimonium cartam hanc conſcribi, & ſigillo noſtro fecimus inſigniri coram multis teſtibus, qui hec nobiſcum viſa & audita fideliter nouerunt.*

Actum Mynde, Anno Dominice Incarnationis MCXLVIII. Indictione X. (debet eſſe III.)

Ethilo Lubicenſis Prepoſitus.
Tidericus Megedeburgenſis Canonicus.
Heinricus Sancti Stephani Prepoſitus in Brema.
Tidericus Prepoſitus de Walesrothe.
Comes Conradus de Rodin.
Comes Bernhardus de Wilepa.
Reinbertus de Rikelinge.
Luidolphus Aduocatus de Brunſuic.
Hermannus Hode, (*Hodenberg.*)
Eilbertus de Willipa.

*Anno incarnationis dominice M°. C°. LXVIII. Indictione VIII*ª. (deberet eſſe I.) *Regnante Domino Friderico glorioſo Romanorum Imperatore Auguſto.*

A. 1169. *Coenobio Lamſpringenſi* tertiam partem Eccleſiae in Appelderen pro fundanda ibi anniuerſaria ſui memoria donauit; cuius liberalitatis indicem Chartam conſeruauit Maxime Reuerendus Dn. HAREMBERGIVS *Hiſtoria Gandersheimenſi*, vbi eadem *p. 718.* occurrit his verbis: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Dei eterni.* HEINRICVS *diuina fauente clementia* Saxonum & Bauarorum Dux. *Si Eccleſiarum Dei curam gerimus, earumque ſeruitores congruis honoramus beneficiis, non ſolum vite noſtre ſtatum & honoris augmentum ab hoc proficere credimus, verum etiam eterna in celis premia conſequi non dubitamus. Quapropter nouerit tam preſentium quam futurorum Chriſti & ſancte eccleſie fidelium ſagacitas, qualiter nos, ob amorem Domni noſtri Ieſu Chriſti & intemerate virginis, matris eius Marie, ac beati Adriani martyris, pro anime noſtre ac parentum noſtrorum remedio, & vt annua reuolutione, in Miſſarum fidelium ſolemniis, in elemoſinarum largitionibus, dies noſtre reſolutionis perpetualiter obſeruetur, partem videlicet tertiam eccleſie in Appelderen, que nos hereditario iure contingit, cum omnibus appendiciis ſuis, tam cultis quam incultis, ſiluis, pratis, paſchuis,* eccleſie in Lamſpring *voluntarie & ſine reclamatione cuiuſpiam contradidimus; iura autem ac poteſtatem aduocatie eiusdem partis nulli, niſi noſtre perſone, permittimus. Recipimus inſuper prefatum cenobium in perhenne noſtre tuitionis munimentum, conſtanter adiicientes, vt quicumque hoc aliquo temeritatis auſu contriſtauerit, noſtram procul dubio ſe non dubitet offenſam incurſurum, quod vt verius credatur, & nulli dubium exiſtat, ſed potius omni euo inuiolatum obſeruetur, preſentem paginam inde conſcribi fecimus, ſigilli noſtri impreſſione ſubter ſignantes.*

Teſtes etiam huius rei ſunt hi;
Luthardus de Meinerſem & duo filii ſui.
Conradus Comes de Regenſtein.
Thidericus de Haldesleue.
Otto de Hertbeke, & Hermannus frater ſuus.
Ludolphus de Woltingerode & fratres ſui.
Bernhardus de Poppenburg.
Reinbertus de Rikelinge, Thidericus frater eius.
Hoaldus & Vnico de Horneburg.
Iordanus Dapifer.
Henricus Pincerna.
Ecbertus & Widekindus de Woluerbutle.
Hermannus Marſchalcus de Guſtide, & duo filii ſui.
Thidericus de Salderem.
Bertoldus de Bortfelde.
Arnoldus de Canteresheim.
Rodolphus de Dalem.
Godefridus Capellanus.
Balduinus Capellanus.
Heimo Capellanus.
Albertus Capellanus de Haluerſtedt & alii multi.

Acta ſunt hec anno M.C.LXVIIII. Indict. IIII. (deberet eſſe ſecunda) *Regnante Domino Friderico inuictiſſimo Romanorum Imperatore Auguſto.*

Data per manum Harduici Notarii noſtri apud Gelethe XII. Kal. Maii.

A. 1188.

A. 1188. ad *Monaſterium Luccenſe* bona in Oedelem ſita (u) donauit, teſte Charta cuius autographum in Archiuio Inclyti atque Liberi Monaſterii Luccenſis vidimus,

u) Equidem totidem manſos in Oedelem *Eccleſiae Luccenſi* iam A. 1185. *Adelheis Comtiſſa de Schowenburg* cum conſenſu *matris ſuae*, *Salome*, *viduae Comitis Ottonis de Asle* donauerat. Vnde ſuſpicatus ſum, hic non tam nouam donationem ab Henrico Duce factam occurrere, verum poſteaquam is bona Aslenſium Comitum, extincta hac Familia, ſibi vindicauerat, Adelheidis liberalitatem ſolummodo confirmari. Sed alia prorſus me edocuit Reuerendiſſimus Dn. Abbas, qui, ſi caetera argumenta omnia deeſſent, quae contrarium euincerent, tamen ampliſſimis praediis, quae Monaſterium Luccenſe heic loci poſſidet, hanc Henrici noſtri donationem ab illa Adelheidis Comitiſſae prorſus eſſe diuerſam euidenter confirmari aſſeruit. Operae pretium erit Chartam adiicere Philippi Archi-Epiſcopi Colonienſis, qua A. 1185. Monaſterio Luccenſi de donatione Adelheidis cauet. *In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis.* PHYLIPPVS *diuina fauente clementia* ſancte Colonienſis eccleſie Archiepiſcopus. *Notum facimus omnibus Chriſti fidelibus tam futuris, quam preſentibus, quod neptis mea* Adelheydis Comitiſſa de Scowenburg *XVIII. manſos & vnum molendinum in V̊delem cum omnibus ſuis attinentiis cum conniuentia* matris ſue Salome, ſororis mee, eccleſie beate Marie in Lucke *pro remedio anime ſue in perpetuum poſſidenda contulit. Quoniam autem ex officio nobis commiſſo vtilitatibus ecclefiarum Dei proſpicere tenemur, hanc donationem iam dicte eccleſie rationabiliter factam auctoritate noſtra confirmamus. Statuentes, & ſub anathematis diſtrictione probibentes, ne quis inpoſterum eandem eccleſiam grauando hoc factum irritare preſumat.*

Huius rei teſtes ſunt:

Vlricus Capellarius.
Rodulfus Canonicus maioris eccleſie in Colonia.
Pylegrimus Decanus Suſacienſis eccleſie.
Rogerus Notarius.
Adolfus Comes de Scowenburg.
Ludolfus & Wilbrandus Comites de Halremont.
Widekindus de Sualinberg & filius eius Widekindus.
Ludolfus de Daſſela.
Bernhardus de Lyppia.
Symon Comes de Tekeneburg.
Widekindus de Riethen.
Hermannus Suſacienſis.
Thymo Suſacienſis.
Brunſteinus Suſacienſis.
Hildegerus Suſacienſis, & alii quam plures.

Acta ſunt anno Dominice Incarnationis M. CLXXXV. Indictione III^a. Regnante Friderico Romanorum Imperatore Auguſto, & filio eius Henrico Rege.

Data apud Pyerremont III. Non. Marcii. feliciter Amen.

Appendet ſigillum Philippi Archi Epiſcopi Colonienſis integrum & illaeſum.

Cui aliam ſubiungimus eiusdem Philippi Archi-Epiſcopi Chartam, qua A. 1186. profeſſus eſt, in donatione Comitatus Aslenſis a Salome Comitiſſa Epiſcopatui Hildeſienſi facta hos manſos Luccenſi Monaſterio donatos exceptos fuiſſe. *In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis.* PHILIPPVS *diuina fauente clementia* ſancte Colonienſis eccleſie Archiepiſcopus. *Notum facimus omnibus Chriſti fidelibus tam futuris quam preſentibus, quod* neptis mea Adelheidis Comitiſſa de Asla, vxor Comitis Adolfi de Scowenburc *XVIII. manſos & vnum molendinum* in V̊delen *cum pratis, paſcuis, piſcationibus, & cum omni vtilitate, que ſcribi, vel nominari poteſt, cum conſenſu, & collaudatione* matris ſue Salome, ſororis mee, *eccleſie beate Marie* in Luken, *pro remedio* anime *ſue &* patris ſui, Comitis Ottonis de Asle, *in perpetuum poſſidenda contradidit. Neceſſarium ergo & dignum memoria indicauimus ſignificare, quod poſt hanc donationem eidem* nepti mee defuncte mater hereditario iure ſuccedens, *Asle, & omnem hereditatem Comitis Ottonis, legali iuſticia accepit. Ipſa vero huius vite tedio affecta, ſperans in reſurrectione ſuffragio beate Dei genitricis ſemperque virginis Marie beati muneris percipere portionem, eandem hereditatem eccleſie Hildeneſſemenſi donauit, & prefatum predium* in V̊delen, *cum omnibus ſuis attinentiis exceptum eſt*, pro eo quod ſeruis Dei in cenobio Lucenſi ſub regula beati Benedicti militantibus filia adhuc viuens, vna cum voluntate & collaudatione ſua, ante donauerat. *Dehinc cum in aſſumptione beate Marie virginis predicta emptio Hyldenſemenſis eccleſie in pago Ambergo, in mallo Hollen, in Comitatu Comitis Burchardi de Waldenburge ſtabiliretur, iam dictum predium in V̊delen exemtum eſt, quod & tunc quoque a me & a ſorore mea exceptum eſt, cum a nobis ſuper altare beate Marie virginis in Hyldenſem ſolempniter oblatum coram multis ſecundum predictam diſcretionem reſignaretur. Quia igitur in magni patris familias domo diſpenſatores conſtituti eccleſiarum vtilitatibus & paci proſpicere tenemur, placuit curſum & ordinem huius donationis teſtificando ſummatim perſtringere, & paginam hanc ſigilli noſtri impreſſione roborare. Statuentes & ſub anathematis diſtrictione probibentes, ne quis inpoſterum Lucenſe cenobium grauando, hoc factum, & hanc donationem irritare preſumat.*

Huius rei teſtes ſunt:

Rudolfus Canonicus maioris eccleſie.
Vdelricus Capellarius, & eiusdem eccleſie Canonicus.
Rogerus Notarius.
Pylegrimus Decanus Soſacienſis.
Adulfus Comes de Scowenburc.
Ludolfus Comes de Halremund & Wilbrandus frater eius.
Widekinnus de Sualenberge.
Symon Comes de Tekeneburc.
Bernardus de Lyppia.

Burcar-

mus, & quam pro ſingulari ſua beneuolentia nobiſcum communicauit Reuerendiſſimus Dn. Abbas GEORGIVS, cuius humanitatis fructus vt ad plures redundet, iterum eam integram exhibemus: *In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus ſancti. Ego HENRICVS Dux, videns mentis viſu, caducam huius vmbratilis vitae tranſitionem vanis deduci illuſionibus, niſi aliquo fructuoſi operis ſemine, ſulcum metende ſegetis cum Chriſto ſcinderemus. Quia etiam operari oportet dum tempus vacat, timui mihi, ne reſiduum vite, ſicut in retroactis diebus, perderem otio, ita quod creatori meo munus quodcunque offerre negligerem, concepi intus in animo, aliquam particulam tam large poſſeſſionis a Deo mihi impertite in vſus diuinos locare. Notitie igitur tam preſentibus viuis, quam poſt futuris manifeſtum eſſe deſidero, & memoria extendi a filiis in filios, quoniam* bona illa in Oedelem ſita, *videlicet XVIII. manſos & duo molendina, in liberam poſſeſſionem* Deo & beatiſſime Marie in Luckene *contuli, ad ſuſtentationem ibidem Deo famulantium, pro redimendis peccatis meis, & vxoris mee, & heredum noſtrorum, quorum conſenſu eadem donatio ſtabili nexu firmata eſt. Cenobite vero eiusdem loci, pro remedio animarum noſtrarum perpetuo orabunt. Vt huiusmodi factum non poſſit a quoquam reduci in irritum, teſtimonio ſigilli mei, per impreſſionem iuſſi communiri.*

He ſunt Perſone teſtimoniales, que aderant;

Clerici: Dauid Lubicenſis Prepoſitus.
Adelmannus Canonicus beati Ciriaci in Brunſwich.
Robertus Sacerdos de Razisborg.
Baldeuinus Capellanus.
Gerhardus ſcriptor.
Henricus ſcriptor.

Layci: Bernhardus de Lippia.
Aduocatus de Rethen.
Widekinus (de Wolferbutle)
- - de Vurnholte.
Reinhardus frater ſuus.
Arnoldus de Dorſtat.

Facta ſunt hec anno M.C.LXXXVIII. *Indictione* IIII. (deberet eſſe VI[ta].) *VI. Nonas Octobr. per manum Gerhardi ſcriptoris.*

(Appendet ſigillum Henrici Leonis integrum adhuc, & illi ſimile, quod Tab. I. N. 7. aeri inciſum.)

Et quis ſcit, quantum his adiectura ſit poſterior aetas, excuſſis melius tabulariis, praecipue Bauaricis atque Sueuicis?

§. 14

Burcardus & Hogerus Comites de Waldenberge.
Liupoldus de Eſcherte.
Henricus de Vdelen, & alii quam plures.

Acta ſunt hec anno Dominice incarnationis. M.C.LXXXVI. Indictione IIII[ta].

Appendet idem ſigillum Philippi Archi-Epiſcopi Colonienſis.

Cum vero nihilominus laudatiſſimo Monaſterio lis de hac poſſeſſione poſtea moueretur, in publica Synodo vtraque Charta exhibita, atque ſic effectum eſt, vt tandem bona haec Luccenſibus ſequenti diplomate confirmarentur. *BERNO dei gratia Hildeneshemenſis epiſcopus vniuerſis in Chriſto fidelibus, ad quos preſens ſcriptum peruenerit, ſalutem in domino. Notum vobis facimus, quod domino abbati Lucenſi & fratribus eius mota fuit queſtio ſuper prediis in Odelen, que Comitiſſa* Adelheidis de Scouuenburg, *&* mater eius Salome *Lucenſi contulerunt eccleſie. Propoſita queſtione in dominum abbatem & fratres eius & ventilata cauſa in publica ſynodo, dominus abbas, adiudicante ei ſynodali ſententia, eadem predia, in facie eccleſie preſente tam clero quam populo, ſola manu per iuramentum obtinuit. Hoc autem actum eſt his teſtibus. Abbate Sancti Michaëlis Thioderico. Abbate Sancti Godehardi Thioderico. Decano maioris eccleſie Hylario, eiusdem eccleſie Scolaſtico Rolando. Brunone cellerario. Harberto cantore. Eilberto prepoſito. Poppone Sancti Mauritii prepoſito. Ludoldo Sancte Crucis prepoſito. Laicis vero hiis. Burchardo de Heymeſſem. Konone de Depennoue. Hermanno de Bornhem. Luppoldo de Exberte. Heyrico Camerario. Thioderico de Gholtorne, & pluribus aliis Clericis & Laicis. Hoc etiam ſigillo noſtro munimus, & idem auctoritate apoſtolorum Petri & Pauli, & auctoritate domini apoſtolici & noſtra confirmamus, ne quis in poſterum ſuper dictis prediis prefatam eccleſiam inquietare preſumat; Anno incarnationis domini milleſimo centeſimo nonageſimo ſecundo.*

Recitamus tres has Chartas ex ſuis autographis deſcriptas cum ſumma, quam Reuerendiſſimi Dn. Abbatis beneuolentiae pro earum communicatione debemus, gratiarum actione.

Digitized by Google

§. 14.

Analecta quaedam de tribus in Slauia Epiſcopatibus, quibus ab Henrico Leone liberali dote proſpectum.

De fundatione *trium Epiſcopatuum in Slauia*, quorum vel renouationem, vel ampliorem dotationem, Henrico Leoni merito adſcribimns, pauca ſaltim habeo, quae dictis in hoc volumine ſuperaddam. Exhibet nimirum Dn. DE LVDEWIG *in Reliquiis MSS. T. VI. p. 230. notitiam de Originibus Epiſcopatus & Comitatus Raceburgenſis*, quam integram heic duximus inſerendam: *Anno Domini MCLIV. Domino Adriano Papa Romanam Eccleſiam regente, & Domino Friderico glorioſo Romanorum Imperatore & ſemper Auguſto feliciter regnante fundata eſt* Raceburgenſis Eccleſia *a piae memoriae* Duce HENRICO, filio Henrici Ducis, qui primus Saxoniae Ducatum obtinuit, *conſentiente & ſibi fideliter cooperante Domino Hartwico, Magno Bremenſium Archiepiſcopo. Idem vero praenominatus* HENRICVS Dux cuidam nobili Henrico de Bodwede comitiuam Raceburgenſem in beneficio dedit, per quam primo nomen Comitis idem Henricus ſortitus eſt, *& cum conſilio praenominati* HENRICI Ducis *& aliorum ordinatum fuit, vt in tribus prouinciis* Raceburg, Wittenberg & Godebuz *idem Henricus Comes decimam dimidiam teneret in beneficio ab Epiſcopo, & dimidia vacaret Epiſcopo tam de allodiis Comitis, quam de noualibus per omnia, & vterque tam Epiſcopus, quam Comes de parte ſua inbeneficiarent; quem vellent, & prout vellent, hoc interpoſito, quod in qualibet villa duodecim manſos aut vltra duodecim habente, Epiſcopus duos, Comes duos, ad* ius quod Settenke vocatur, *praeſtare tenerentur; ſi vero minus duodecim, vterque eorum vnum praeſtabit. Id quod pro iure datum fuit, & ab omnibus acceptatum.* Subiiciuntur deinde p. 231. Reuerſales Henrici Leonis Litterae, quas etiam PFEFFINGERVS *in Hiſtor. Brunſu. P. II. p. 672. ſq.* habet, in quibus *Henricus Leo pro iure fundandi Epiſcopatus in Slauia non ſolum Welficae hereditati renunciaſſe, verum etiam faſſus eſſe fingitur, inueſtituram Epiſcopalem ſibi a Friderico I. Imperatore per modum beneficii precario, nec niſi ad dies vitae, conceſſam eſſe:* quo quidem aſſerto licet nihil dici potuiſſet falſius, ipſas tamen litteras has ſpurias & adulterinas heic ſubiungimus. *Anno Domini MCLIV. HENRICVS, Dei gratia* Bauarie & Saxonie Dux, *omnibus in perpetuum ſalutem in eo, qui ſalus eſt omnium. Auditam eſſe volumus & optamus in oculis omnium gentium gloriam Domini in voce exaltationis & confeſſionibus omnium, pro eo, quod* ad dilatandam Chriſtiane deuotionis vnitatem & Imperii Romani terminos dilatandos, *ſtrenue Nobis operam dante HARTWICO, S.* Hamburgenſis Eccleſie Archiepiſcopo *tres Epiſcopatus in* Trans-Albina Slauia, *Raceburgenſem, Lubicenſem, Zuirinenſem, renouauimus, &* ſingulos eorum CCC. manſis de bonis Imperii *ſub vno iure dotauimus. Quapropter, ſicut dicit Apoſtolus, laborantem agricolam primum de fructibus ſuis oportet percipere;* de conſenſu & interuentu Principum, *quorum petitio tanto pro nobis fuit inſtantior, quanto labor noſter vtpote eorum, qui nobiſcum laborauerunt, eis extitit notior,* apud glorioſum Imperatorem FRIDERICVM pro laboribus noſtris & expenſis hoc obtinuimus, vt predictos tres Epiſcopatus ad omne tempus vite noſtre in beneficio ſucceſſiue preſtaremus, *& poſtea ad commune ius imperialium beneficiorum, hoc eſt ad manus Imperii, idem tres Epiſcopatus preſtandi redirent. Ac ſuper hoc & ſcriptum noſtrum, & ſignum in predictas Eccleſias pro teſtimonio deponendum coram Principibus promiſimus, quod & fecimus, pro quo etiam* proprietatem noſtram, que nos de Duce *Welpone*, & in Sueuia & in Bauaria ex ſucceſſione hereditaria contingebat, Imperio libere poſſidendam reſignauimus, *vt, ſi quid Imperio deperire videretur honoris, tantum per factum noſtrum recuperaret vtilitatis. Ne igitur aliquis ſiue de noſtre poſteritatis ſucceſſione, ſiue quisquam aliunde,* quaſi de iure & ratione Ducatus *imperialis gratie factum eſſe nobis & ſibi merito deberi contendat, vt initia naſcentium eccleſiarum nouis cauſis exiſtentie premuniremus, ſcriptum noſtrum cum ſigillis in easdem eccleſias depoſuimus, vt per hoc imperiale factum firmius noſtrum in ſuo vigore ratum permaneat, & poſt tempora noſtra nullus predictas Eccleſias inquietare & moleſtare preſumat.*

Acta ſunt Anno Dominice Incarnationis MCLIV.

Sed ad confutandas has nugas multo labore non eſt opus. Ipſe enim Imperator in Charta infra *p. 470.* recitata diſertis verbis ait, *ſe hoc ius Henrico Leoni conferre, & omnibus ſibi in hac prouincia ſucceſſuris.* Vt merito ſuſpicatus ſit illuſtris Dn. GRVBERVS, documentum hoc confictum, ac forte tempore Alberti I. Ducis, qui potiſſimum A. 1257. hoc iure vti tentauerat, ab imperito aliquo impoſtore cuſum eſſe. vide infr. *L. VIII. cap. 1. §. 65. ſq.* Interim quo praeciſe anno in Henricum Leonem *ius* hoc *inueſtiendi Epiſcopos* collatum ſit, difficulter definire licet.

Priuilegium enim Fridericianum, ad quod modo prouocauimus, notis Chronicis caret; & CHRONOGRAPHVS SAXO, qui ad A. 1160. *Henricus Dux*, ait, *propter multiplicandam Chriſtianitatem conſtituendi & inueſtiendi Epiſcopos in Sclauania poteſtatem a Caeſare accepit*, nimis ſero initia eius refert. Vt enim ea non repetam, quae circa A. 1149. ab Henrico Leone cum Vicelino, Aldenburgenſi Epiſcopo, infra *p. 19. ſq.* acta leguntur, quod forte non omnino ex *Philoſophia Aulica* heic egiſſe Dux noſter videtur; profecto ante Annum 1157. *Raceburgenſem Epiſcopatum ab Henrico Duce inſtitutum* fuiſſe probat ipſa Bulla Pontificis Adriani IV. hoc anno data, quam ex LVNIGII *Archiuo Imperii Spicil. Eccleſ. T. II. Append. p. 150.* integram recitamus his verbis ſcriptam:

„Adrianus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Eberhardo Epiſcopo,
„& dilectis filiis, Canonicis *Raceburgenſis eccleſiae*, tam praeſentibus quam futuris ca-
„nonice ſubſtituendis in perpetuum. Religioſis deſideriis facilem debemus praeſtare
„conſenſum, vt & pia deuotio celerem ſortiatur effectum, & vires indubitanter aſ-
„ſumat, cum ei fuerit a ſede apoſtolica conceſſum praeuia caritate. Eapropter, dilecti
„in Chriſto filii, petitioni veſtrae inclinati precibus chariſſimi filii noſtri HENRI-
„CI, *Bauariae & Saxoniae Ducis, in cuius fundo praedicta eccleſia fundata eſſe dinoſcitur*,
„libenter annuimus, & praefatam eccleſiam Raceburgenſem ſub beati Petri & noſtra
„protectione ſuſcipimus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus, ſtatuentes, vt
„quaſcunque poſſeſſiones, quaecunque bona, eadem eccleſia in praeſentiarum iuſte
„& canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum
„vel Principum, oblatione fidelium, ſiue aliis iuſtis modis, Deo propitio, poterit
„adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus haec
„propriis duximus exprimenda vocabulis; ex dono nobilis viri, HENRICI,
„*Bauariae & Saxoniae Ducis*, trecentos manſos cultos & incultos, cum omnibus ap-
„penditiis ſuis, molendina, Sadelbandiam atque Polabiam totam & integram, cum
„eccleſiis & earum decimis, atque ſubiectis ſibi plebibus; Ad haec adiicientes ſtatui-
„mus, vt ordo canonicus, qui ſecundum Deum & Beati Auguſtini regulam, atque
„Praemonſtratenſium Fratrum habitum, ibidem dinoſcitur inſtitutus, perpetuis in
„eadem eccleſia temporibus inuiolabiliter obſeruetur; obeunte vero Te, nunc eius-
„dem loci antiſtite, vel tuorum quorumlibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptio-
„nis aſtutia, ſeu violentia praeponatur, ſed quem fratres Raceburgenſis eccleſiae,
„conſilio religioſarum perſonarum, ſecundum Deum & ſanctorum patrum conſtitu-
„tiones praeuiderunt eligendum. Decernimus ergo, vt nulli omnino homini liceat
„praefatam eccleſiam temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas
„retinere, munire aut aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſeruen-
„tur, veſtris & aliorum, pro quorum gubernatione conceſſa ſunt, vſibus omnimo-
„dis profutura, ſalua ſedis apoſtolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum eccle-
„ſiaſtica ſeculariſue perſona hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens contra eam
„temere venire temptauerit, ſecundo tertioue commonita, ſi non ſatisfactione congrua
„emendauerit, poteſtatis honoriſue ſui dignitate careat, reamque ſe diuino iudicio
„exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei
„& Domini redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine di-
„ſtrictae vltioni ſubiaceat: cunctis autem eidem eccleſiae ſua iura ſeruantibus ſit pax
„Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, &
„apud diſtrictum iudicem praemia aeternae pacis inueniant. Amen.

„Ego Adrianus, Catholicae Eccleſiae Epiſcopus. ſs.

„Datum Romae, apud ſanctum Petrum, per manum *Rolandi* ſanctae Romanae
„Eccleſiae Presbyteri Cardinalis & Cancellarii. XII. Kalendis Februarii, indictio-
„ne ſexta, Incarnationis Dominicae Anno MCLVII. Pontificatus vero Domini
„Adriani Papae quarti Anno IIII.

Cum igitur huic Eccleſiae *ex plenitudine poteſtatis* Henricus Leo iam olim *Euermodum* Epiſcopum, ad quem etiam Bulla haec Pontificia directa eſt, licet in fronte eius nomen *Eberhardi* ex librarii inſcitia legatur, praefecerit, neceſſe eſt, non primas fuiſſe fundationis Epiſcopatus Raceburgenſis litteras, quae A. 1158. Luneburgi datae apud Dn. DE LVDEWIG *l. c. p. 233. ſqq.* & CRVSIVM *in Annalibus Sueuicis Part.* II. *p. 436.* comparent; (x) licet & has heic legiſſe operae pretium ſit, quapropter integras eas ſubiicimus:

„HEN-

x) Sane vt ſuſpicaces eſſe ſolent homines, ita praecipue qui ſacro ordini ſeſe mancupauerant, nihil non mali ſemper ſibi ab aliis imminere metuebant, atque hinc tunc demum ſecuros ſe de

poſſeſ-

„HENRICVS diuina propitiante clementia, tam *Saxoniae* quam *Bauariae* Dux,
„EVERMODO, dilecto ſibi & reuerendo patri in Chriſto, *Raceburgenſium epiſcopo*
„in perpetuum. Non ad vulgi fauorem, ſed ad adiutoris honorem & rei geſtae ad-
„uerſus omnis boni inimicum & eius membra perpetuam conſolationem, operae
„pretium duximus, ea, quae a nobis, Chriſto adiuuante, peracta ſunt, ad omnium
„fidelium tam praeſentium, quam futurorum perferri cognitionem. Gentes enim
„*paganas*, noſtro *ducatui* in *Saxonia* contiguas, *Winedas* dictos, a priſcis tem-
„poribus magni Karoli Deo ſemper & S. eccleſie rebelles & infeſtos, poſtquam tan-
„dem magno labore fidei Chriſtianae ceruices duriſſimas ſubmiſerunt, ſaepius ad vo-
„mitum idololatriae reuerſas, *hereditario iure* huc vsque a progenitoribus noſtris in
„tributum reductas accepimus, ita tamen, vt perfidorum ſeruilia colla in noſtris tem-
„poribus ferro conterere crebrius etiam deſtiterimus, ac tributum, ob ipſorum ne-
„quitiam, multo ſuper priora adauximus, quas iam hoc modo ſuppreſſas diu quiete,
„cum magno noſtrarum opum augmento, poſſedimus. Interim, cum accepiſſemus
„a vi-

poſſeſſionibus ſuis credebant, quando vnam eamdemque rem ſemel iterumque Chartis ſibi & promiſſionibus Principum confirmatam nouerant. Profecto Euermodus Raceburgenſis Epiſcopus, neque impetrata Bulla Pontificia, neque diplomate A. 1158. ab Henrico Leone ſibi dato acquieuiſſe videtur; verum vt de terminis & limitibus Eccleſiae ſuae ſecurus eſſet, mox iterum A. 1167. Chartam a Duce efflagitauit, quam ex Dn. LVDEWIGII *Reliqu. Mſct. l. c. p. 240.* deſcripſimus. *HENRICVS Dei gratia* Bauariae & Saxoniae Dux *omnibus in perpetuum. Cum a domino vocati ſimus ad culmen honoris, in quo ſumus; quia per eius gratiam, quantum ad humanae ſortis excellentiam plus aliis poſſumus, ad honorem dei promouendum plus aliis intendere debemus. Deo enim fideliter ſeruire regnare eſt, & ibi fides inueniet meritum, vbi per operis oſtenſionem humana ratio praebet experimentum. Cooperante ſiquidem nobis & negotium fideliter nobiscum promouente domino* Hartwico, Hammenburgenſi epiſcopo, *terminos* epiſcopatus Raceburgenſis *ex omni parte diſtinximus, praeſente & nobis etiam conſentiente domino* Hermanno, Verdenſi epiſcopo, *diligenter praecauere volentes, ne nouella plantatio in ſuis terminis aliquam inpoſterum patiatur iniuſtae contradictionis moleſtiam, cum de ſuis theſauris ſecure proferre potuerit noſtrae donationis & monſtrationis paginam. Ad orientem termini ſunt aqua, quae Wiſſemara dicitur, & ſic ſupra verſus meridiem vſque ad aquam Stiuinam & adhuc ſupra vſque in aquam Lusnuniam & ſupra & infra, vbi terra Briexanarum & Zuerinenſium in ſe diſterminatur. Tota ſiquidem terra Zuerinenſium de foro fuit Raceburgenſis Epiſcopi; ſed quia propter paganorum barbariem* ſedem epiſcopalem, quae ab antiquo fuerat in Magnopoli, *de permiſſione & voluntate Domini* FRIDERICI Imperatoris, in Zuerin transtulimus, *pro terra Zuerinenſium, conſentientibus*, epiſcopis Euermodo & Bernone, *terram Briezanorum Raceburgenſi epiſcopo in terminos recompenſauimus; ad meridiem vero diſtinximus, vbi aqua Terſuiza Zudam influit, & regirat in orientem vſque ad paludem, vbi eadem Treſuiza ſortitur originem, & ſic directe vſque in Eldenam, vbi terra Zuerin & Wanzeburg inter ſe terminos faciunt, & ſic per decurſum Eldenae in Albim vſque, quo Bilna Albim influxat. Ad occidentem terminos fecimus inter Raceburgenſem & Lubecenſem eccleſias paludem, quae Glindlsborge (Glindlsbroc) dicitur, & ſic infra ad Aquilonem vſque in aquam Sticnixiam & vltra Wacniziam, in aquam, quae fluuius ducis dicitur, vſque quo mare influit, & ſic per littus maris vſque ad aquam Wiſſemaram, ſupra vero in aquas Grinaue, Beruxe, Zeuenze & Trutarem & ſic in Bilnam & per decurſum Bilnae vſque Albin influit. Quicquid infra hos terminos comprehenditur, epiſcopatui Raceburgenſi aſſignamus, & in omni iure, & in dandis, & ſoluendis decimis, epiſcopo teneri & deberi diſtricte praecipimus, de quibus Raceburgenſis, Wittenburgenſis, Gadebucenſis prouinciarum quartam partem decimarum & cum omni iure in parte dimidia. Hanc eccleſiae etiam libertatem addimus, vt in omnibus eiusdem prouinciae villis tam fundatis, quam nouiter fundandis, duo tantum manſi, qui* Settinke *vocantur, liberi ſemper ſint & absque grauamine. Reliquae omnes prouinciae infra hos terminos comprehenſae in dandis & decimis ſoli epiſcopo libere vacabunt & ſuis ſucceſſoribus. Damus etiam in libertatem eccleſiae, vt, quicunque de ſuis ſiue in agris, ſiue in aliis poſſeſſionibus aliqua conferre voluerit eccleſiae*, ex auctoritate & permiſſione Domini FRIDERICI Imperatoris & noſtra, *liberam ei conferendi habeat poteſtatem.*

Huius rei teſtes ſunt:

EVERMODVS, Raceburgenſis Epiſcopus.
CONRADVS, Lubecenſis Epiſcopus.
BERNO, Zuerinenſis Epiſcopus.
Gerhardus, Praepoſitus de Absburg. (forte: *Alsburg, Olsburg ad Fuſam fl.*)
Odo, Lubecenſium Decanus.
Marquardus, Abbas de Luneburg.
BERNHARD, Comes de Raceburg.
Gonzelinus, Comes de Zuerin.
Conradus, Comes de Raceburg. (forte *Roden.*)
Adolphus, Comes de Schowenburg.
Volradus, Comes de Dannenberg.
Heinricus, Comes de Buzeburg. (forte *Razeburg.*)
Luderus de Harſtorp.
Eilbertus de Welpe.
Walthetus de Berge, & alii plures tam Laici quam Clerici.

Datum in Luneburg *anno verbi incarnati MCLXVII.*

„a vineae dei cultoribus, quod in ipſo male ſtant otioſe, nec aeternum denarium „merentur, quia ſua quaerunt, non quae Ieſu Chriſti, & quod, cum vnus ſeruus „i. e. ordo doctorum, vbi praedicatione diu vocauerit venire recuſantes ad coenam „dei, alter ſeruus, i. e. ordo principum, locum hunc agreſtem, populum ferri vi„batrione compellendi habeat neceſſitatem; quaeſtum pecuniae poſtpoſuimus lucro „animae, vt quas antea pro Caeſaris iure oppugnauimus, pro gratia Saluatoris conſe„cremus. Et ſicut in euangelio: ſpumans & deiiciens & ad multum diſcerpens, exiit „ab eo; ita cum magnis expenſis, militum quoque & populi mortibus plurimis, tan„dem hanc diuina dextra faciente virtutem, tam feroces Chriſtianitati reddidimus, „vt & nos, & nobis cooperantes, aeternum mereamur denarium, ad illud, quod „ante diem extremum in omnes gentes praedicari oportet euangelium. In hoc ita„que negotio, domino deo nobis proſperante, in agendo deuoti perſiſtemus, ideo„que *nouellam in Razeburg Eccleſiam*, cuius negotium agitur, quam Domino *Euer„modo* dudum in Parthenopoli S. Mariae praepoſito, nunc autem hic in pontifi„cem conſecrato, viro per omnia deo & hominibus accepto, & patri multorum „filiorum in Chriſto, commiſimus, qualiter iam de gratia & voluntate & permiſſione „FREDERICI *Imperatoris* fundatam tueri, confirmare & ſublimare decernimus. „Supereſt dicendum, quam etiam prudenter & ſtrenue huic ſedi praeſidet, & cum „ſuis fratribus, religioſis ſecundum regulam B. Auguſtini canonicis, die noctuque fer„uenter Chriſto militat, *in Raceburgo ſedem epiſcopatus ei ſuisque ſucceſſoribus ex auctori„tate imperatoria in perpetuum deſignamus*, & terminos eius circumquaque, *ſicut in an„tiquis annalibus vel priuilegiis Hamburgenſis eccleſiae reperiuntur olim fuiſſe deſignati*, „protendimus, & ab omni querimonia Verdenſis, collatis ei dignis recompenſationi„bus, videlicet *Borgnetwerder* & *Reimerswerder*, terminos Raceburgenſes liberos red„didimus. Execrantes etiam ſtulta quarundam imprudentum obloquia, ſtatuimus „venerando patri & ſuis ſucceſſoribus in eodem ordine firmiſſimam auctoritatem di„ſponendi ac regendi ſui epiſcopatus, in archidiaconatibus vel archipresbyteriatibus „ordinando, & caeteris omnibus, quae S. patres conſtituerunt, nulli licere, niſi ſolis „pontificibus, ipſis etiam canonicis Raceburgenſibus cum ſuo proprio nihil immi„nuere de iuſtitia & honore omnium Cathedralium eccleſiarum, ſcilicet tenere & „regere eccleſias, praeeſſe populis, vt mos eſt, non ſolum per Saxoniam, ſed & „per totam eccleſiam. Annales enim reuoluti, non ſolum nunc, ſed quondam ec„cleſias a religioſis ſemper eſſe fundatas quaſcunque nunc opulentiſſimas tam epiſco„porum, quam metropolitanorum, oſtendunt. Non enim religio derogat honori „& iuſtitiae clericorum, ſed irreligio; & firmiori auctoritate praedicat, a cuius ver„bis reproba vita non diſcordat. In ſuſtentationem autem & antiſtitis & canonico„rum, ad honorem ſanctae Mariae virginis ſanctique Iohannis apoſtoli & euangeli„ſtae *in Raceburg* ad preſens in dotem CCC. manſos cultos & incultos cum totis de„cimis & omnibus vtilitatibus & appendiciis ſuis & aquis omnibus ſpecialiter epi„ſcopo deſignatis de beneficio noſtro, ex imperiali conceſſione, conſerimus, con„ſentientibus & ſimul id agentibus viris honoratis & fidelibus noſtris, *Henrico*, „& *Bernhardo filio eius*, *Comitibus de Raceburg*, quod beneficium ſuum a no„bis liberum ab omni exactione nobis pro deuotione reſtituerunt. Omnis enim „decima per totum epiſcopatum ad epiſcopum pertinet, nec nos vel aliquis, quan„tumcunque potens, inde valet aliquem inbeneficiare, niſi quantum habet ab epi„ſcopo. Ipſius etiam ſedis Cathedralis, item curiae fratrum, & inſuper omnium cu„riarum epiſcopalium, vbi manſionem faciet epiſcopus, Aduocatiam & tuitionem „epiſcopo liberam eſſe deſignamus. Curiae vero Epiſcopales ſunt hae: in Race„burg Verchome; in Brexen Lubinmari (Lubium) villam; Maliante, Greſſowe; „in Wanigge Malcke; in Boyceneburg Benin; in Sadelbandia Puttowe in tres man„ſos; in Dartſowe Biſchopesſtorp; haec omnia cum omni iure & libertate & aquam „Stenowe ſupra & infra liberam epiſcopo donauimus: terram itaque Butin cum „omni ſua integritate a riuulo ducis vsque ad cumulum lapidum prope villam Buni„ſtorp, & ſic per medium ſtagnum Lipſe, & abhinc directe vsque ad quendam lapi„dem magnum, & ab eo in communem ſiluam ad locum, qui vulgo ManHagen di„citur, prope Katlowe & in ſilua verſus villam Zlautipalus, Pipre dicta & riuulus „Linxika, ſicut girat & regirat, vsque Woeniziam influat. Quicquid his locis cir„cumſcriptis interiacet, pro ducentis & quinquaginta manſis ſiue accreſcat ſiue de„creſcat,

Digitized by Google

„creſcat, epiſcopo aſſignauimus. Alios quinquaginta manſos, cum villis quatuor „Rudemorſe, Quiettene, Verchowe, Koſatza & omnibus earum pertinentiis, *de vo-„luntate* **Henrici & Bernhardi comitum** ſub eadem iuris libertate ſuppleuimus. „Vt autem quieti illorum & paci futurum prouideamus, conſtituimus firmiter inhi-„bentes, vt nulli liceat in praedictis manſis aliquas exactiones vel petitiones facere; „ſed liberi ſint ab omni grauamine & a *Wogimotinza*, qui *cenſus ducis* dicitur. De ca-„pitalibus vero cauſis, vbicunque coloniam villarum iſtarum praedictorum trecento-„rum manſorum infra terminos totius epiſcopatus compoſuerint, duae partes epi-„ſcopo & eccleſiae, tertia Aduocato proueniat. Aliae vero cauſae omnes, praeter „iudicium tantum colli & manus, quocunque cauſa emerſerit, ad epiſcopum & ec-„cleſiam vel eorum diſpenſatorem referantur. Et Aduocatiam Butin, quam liberam „eſſe & ſine comitum expeditione cenſuimus, praedictis nobilibus & eorum legiti-„mis heredibus & epiſcopo praeſtandam ſub iure praeſcripto indulſimus. Expedi-„tione tamen ducis cum triginta tantum clypeis ſemel in anno ad ſex ſeptimanas „ad hoc infra Albim ſequentur Vorwercki, circulus ſcilicet Raceburg cum aliis com-„prouincialibus pertinentiis; vnde cuilibet epiſcoporum libere decem Vorwerkos „emancipauimus. Cenſus autem per omnes terminos horum trium epiſcopatuum „erit de vno tres menſurae ſilignis, qui dicitur *Ruriz*, ſolidus vnus, toppus lini „vnus, pullus vnus, ex his habebit ſacerdos parochialis duos nummos & tertium „modium. Poſtquam autem, *Schlauis eiectis*, terra decimalis facta fuerit, decima „tota vacabit epiſcopo, qui cum domino fundi de dotibus aget eccleſiarum paro-„chialium, ſcilicet, vt quatuor manſis dotentur cum cenſu & decima, & ſic per to-„tum ordinabitur epiſcopatum. Damus etiam Raceburgenſi epiſcopo & ſuis ſucceſ-„ſoribus & libere praeſtandas remittimus omnes eccleſias cum iure praeſcripto in „terra Butin eccleſiam in Nuſce, eccleſiam ſancti Georgii in Raceburg & eccleſias „adhuc in ſiluas fundandas per totam Sadelbandiam & in Gamma & in ſilua nondum „culta eccleſias, & eiusdem Sadelbandiae & Gammae decimas, quas de gratia & per-„miſſione epiſcopi ſine feodo tenemus, liberas eſſe epiſcopo, cum ſibi placuerit, re-„cognoſcimus. Ceteras Eccleſias dominis fundi permittimus: dimidiam etiam vil-„lam Panlim, quam dedit praedictus honoratus vir, **comes Henricus**, epiſcopo, & „duas villas Buxune & Walegoza, quas pro anima patris ſui dedit *filius eius*, **Bern-„bardus comes**, fratribus, & quaecunque ipſi in futurum de terra illa, vel alii de „terris aliis pro deuotione obtulerint, *ex auctoritate Imperatoris* eccleſiae ſtabilimus. „Item Bardenthorp de noſtro proprio cum ſiluis & paſcuis & omnibus vtilitatibus „& cum iudicio colli & manus, in dotem eccleſiae conferimus & confirmamus. „Teloneum etiam tam fratribus, quam epiſcopo de omnibus, quae ad victualia ipſo-„rum ſpectant, in *Bardewic* & in omnibus finibus horum trium epiſcopatuum, in „perpetuum libere remittimus. Terminos etiam *Raceburgenſis* epiſcopatus vſque ad „locum, vbi Bilna Albin influit, deſignauimus, annuente nobis & operam dante *do-„mino* **Hartuigo**, *ſanctae Hamburgenſis eccleſiae Archiepiſcopo*, cum conſilio & fauore „tam *Hamburgenſis* quam *Bremenſis Capituli*. Ordinauimus quoque, vt quolibet prae-„dictarum eccleſiarum epiſcopo decedente, nullus Aduocatus vel alia perſona bona „epiſcopi praeſumat inuadere, vel in ſuos vſus mancipare, ne ſacrilegium incurrat; „ſed ſecundum canones prima pars pro anima epiſcopi pauperibus diſtribuatur, ſe-„cunda in vſus eccleſiae, tertia ſucceſſori epiſcopi ſubſidio reſeruetur. Vt autem „haec noſtra conſtitutionis pagina, tam rationabiliter ordinata, firma & inconuulſa „in perpetuum maneat; ſigilli noſtri impreſſione ſignamus, & teſtium ſubſcripto-„rum aſtipulatione roboramus, ſtatuentes, vt bona epiſcopi, fratrum eccleſiae & „loci, nulla ſecularis vel eccleſiaſtica perſona praeſumat inuadere, perturbare & im-„minuere. Si autem inuaſor quilibet his commonitus reſipiſcere contemſerit, ſe-„cundum iuſtitiam ſeculi, *ex Imperiali auctoritate*, perſona & bona eius publicentur. „Secundum Deum vero, *per ſententiam ſummi pontificis domini* **Adriani**, anathemate „feriatur & cum iniquis & perditis depereat. Amen!

Huius rei teſtes ſunt:

EVERMODVS, epiſcopus Raceburgenſis.
GEROLDVS, Lubicenſis epiſcopus.
BARNO, Zuirienſis epiſcopus.

Heardmannus, (CRVSIVS habet *Hermannus*) Verdenſis epiſcopus, qui factum noſtrum banno ſuo roborauerunt.
Marquardus de Luneburg.
Bruniragus de Hullisheim. (Vlsheim, Vlzen, Oldenſtad)
Bruno de Herſeuelde, *Abbates.*
Theobaldus de Raceburg.
Theodericus de Segenberg.
Orbertus de Hammenburg, *Praepoſiti.*
Balduinus. Robertus. Daniel, *Raceburgenſes canonici.*
Dauid. Balduinus, *Capellani ducis.*
Magiſter Hartwicus, curiae notarius.
Rudolphus Hammenburgenſis Decanus.

Laici teſtes ſunt iſti:
HENRICVS Comes de Raceburg & BERNHARDVS filius ſuus.
Adolphus Comes de Schowenburg.
Volradus (CRVSIVS legit *Henricus*) Comes de *Dannenberge.*
Walterus de Berge.
Guncelerius de Hagen.
Hermannus Comes de *Luchow.*
Elibertus de *Welepe.*
Lippoldus de *Hertesberg.*
Iordanus Dapifer & Ioſarius frater eius de *Blanckenborg*, & alii quam plures & clerici & laici.

„Datum in *Luneburg*, anno verbi incarnati milleſimo centeſimo quinquageſimo „octauo, regnante & *in omnibus his conſentiente FRIDERICO*, glorioſo Imperatore & ſemper Auguſto.

„Datum per manus *Hartwigi, notarii curiae ducis.*

Hiſtoriam *Suerinenſis Epiſcopatus*, qui, ipſo Henrico Leone teſte, (vide infra p. 508.) vltimus omnium ab eo in Slauia ordinatus atque conſecratus eſt, Fridericus I. Imperator in diplomate dedit, quod ex authentico Archiui Suerinenſis deſcriptum eo lubentius ſubiicio, quoniam editum hactenus vix credo. Certe in *Diplomatario* a Perilluſtri Dn. WESTPHALIO *T. IV. Monum. Cimbr.* edito fruſtra illud quaeſiui: „In „nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. FRIDERICVS *Romanorum Imperator,* „*& ſemper Auguſtus.* Quia ad praedicandum aeterni Regis Euangelium coelitus „conſtitutum Romanum conſtat eſſe Imperium ſummum, noſtrae Excellentiae officium eſt, eiusdem Euangelii Praedicatores honorare & promouere; ipſos autem „per praedicationem Euangelii conuerſos in ſinu matris Eccleſiae benigne ſuſcipere, „& ſuper his gaudere, tanquam ſuper fratribus, qui mortui & perditi fuerant, & „inuenti ſunt. Quapropter notum eſſe volumus vniuerſitati omnium diligentium „Ieſum Chriſtum, qualiter quidam pauper ſpiritu *Monachus,* nomine *Berno,* ſola fide „Chriſti armatus & Domini Adriani Papae, Apoſtolica autoritate & benedictione „roboratus, gentem paganorum Transalbinam, ſub principe tenebrarum in tenebris „infidelitatis & idololatriae incluſam, primus Praedicator noſtris temporibus aggreſ„ſus eſt, & ab *Swerin* incipiens populo ſedenti in tenebris lumen fidei inuexit, ipſos „baptizans, idola communiens, Eccleſias fundans, ad inſigne & nobile Caſtrum „*Dimin* per multas contumelias & tribulationes, quas a perfidis ſuſtinuit, vſque per„uenit, vbi a *Principibus terrae illius Bogislauo, Catzimaro, Pribislauo,* qui eius prae„dicatione compuncti & labori patientes compaſſi ſunt, benigne ſuſceptus, & ipſo„rum electione & *glorioſi Ducis Saxoniae conſtitutione* primus gentis illius Epiſcopus „efficitur, & ita demum religioſi *Principis Catzimari* auxilio, qui ei fideliter in opere „Chriſti aſtitit, omnes terras in eius ditione poſitas ad agnitionem veritatis poſtpoſito „errore ſuae falſitatis conuertit. Poſtremo quia gens Ruyanorum idololatriae ſpurcitia „Deo & hominibus inuiſa verbo praedicationis flecti noluit, idem praedictus Epi„ſcopus fructum de ſuis nouiter conuerſis quaeſiuit & inuenit: Nam ad hoc Prin„cipes & omnem populum animauit, vt Idolatras zelo Chriſtiani nominis armis ad „fidem cogerent, & ita cum tyronibus Chriſti, quorum ipſe ſignifer effectus, *ma„ximo idolo eorum, Suanteuit, deſtructo,* in die beati Viti Martyris *inuitos ad baptiſmum „coëgit,* quos tamen poſtmodum in virga territos in ſpiritu lenitatis viſitauit, & de „verbo fidei eos familiarius inſtruens voluntarios reddidit. Benedictus per omnia

„Deus,

Digitized by Google

„Deus, qui Eccleſiam ſuam & Romanum Imperium conuerſione tot gentium di-
„gnatus eſt ſublimare. Igitur cum poſt tantos labores idem Epiſcopus ſerenitatem
„noſtram adiit, dignum duximus labori eius compatiendo terminos ſuos autoritate
„Imperiali & ſigilli noſtri atteſtatione ſibi in perpetuum confirmare. Termini autem
„eius ſunt hi: Caſtrum Magnopolenſe, Suerin, Kütin, Kiſſin cum omnibus villis ad
„ipſa caſtra pertinentibus, excepta Terra Pole, & alia, quae dicitur Bretze. Par-
„chim quoque, Kutin & Malchow cum omnibus villis ex vtraque parte aluei, qui
„dicitur Elde, ad ipſa caſtra pertinentibus, eius termini ſunt: Dimin, & cum terris
„& villis ſcilicet Tollenſe, Plote, Loſiſte Tribuſes, Circipene, & omnibus villis prae-
„dictis terris adiacentibus, *terram etiam Ruyanorum de Ducis Saxoniae* terminis Epiſco-
„patus ſui adiecimus. Ad vltimum *Principes terrae illius cum omni populo in plenitudine*
„*gratiae & defenſione Maieſtatis noſtrae ſuſcipimus*, vt liberius in conſtruendis clauſtris
„& aedificandis Eccleſiis & coeteris, quae ad cultum veri Dei pertinent, promo-
„uendis, Domino Deo noſtro vacare valeant. Ipſos etiam *Principes & Maiores terrae*
„attentim monitos eſſe volumus, vt quia *in gratiam noſtri & honorem Principum terrae*
„*noſtrae recepti ſunt*, ipſis impares in cultu Dei non exiſtant, ſed more omnium Chri-
„ſtianorum decimas ſuas, in nullo excepto, Deo fideliter perſoluant, rapinas & la-
„trocinia prohibeant, pacem cum vicinis Chriſtianis teneant, vt Chriſtus, qui eſt
„pax vera, ad patriam pacis & lucis aeternae poſt hanc vitam eos feliciter perducat,
„Amen.

„Ego Hinricus Imperialis Aulae Cancellarius vice Chriſtiani magni Archiepiſcopi „& Archi-Cancellarii recognoui, Anno Dominicae incarnationis MCLXX.

„Acta haec ſunt Indictione tertia regnante Dno Friderico Imperatore Romanorum „glorioſiſſimo, anno Regni eius VI. Imperii autem XV. Data apud Franck-„furdt Non. Ian. feliciter, Amen.

Nec proſtat apud laudatiſſimum Dn. DE WESTPHALEN Confirmatio translationis & fundationis Suerinenſis Eccleſiae ab Alexandro III. PP. Bernoni primo Epiſcopo 1177. facta, quam tamen ideo a Viro Perilluſtri praetermiſſam cenſemus, quia eam ſuis Rerum Septentrionalium Scriptoribus iam inſeruerat LINDENBROGIVS, vbi p. 167. exſtat: „ALEXANDER Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili
„fratri *Berno, Magnopolitano Epiſcopo*, eiusque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis, in
„perpetuum. Benedictus Deus in donis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis,
„qui Eccleſiam ſuam noua ſemper prole foecundat, & Eccleſiae terminos fidelium
„praedicatorum verbo dilatans, in ſagenam fidei barbaras etiam nationes ſua trahere
„miſeratione non ceſſat, ita vt iuxta verbum Prophetae in cubilibus, in quibus prius
„dracones habitabant, & ſtrutiones, ſeminantibus bonis praedicatoribus te, gratia
„ſancti ſpiritus irrigante, oriatur viro calami & iunci. (y) Ex eius vtique munere,
„qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quod vene-
„rabilis in Chriſto *Berno* ad praedicandum paganis & ſeminandum verbum fidei Epi-
„ſcopus inſtitutus, expoſuiſti te ipſum laboribus & periculis, & attendens, quod
„Chriſtus pro nobis mortuus eſt, vt & qui viuit, iam non ſibi viuat, ſed ei, qui pro
„nobis mortuus eſt & reſurrexit; in anxietatibus multis ſparſiſti ſemen diuini verbi,
„& erogaſti talentum tibi creditum ad vſuram, & gentes plurimas, quae ignorabant
„Dominum, veritatis lumine illuſtraſti, & reduxiſti ad cultum Dei, qui ante captiui
„laqueis diaboli tenebantur. Nunc igitur quoniam veniens ad nos cum multo la-
„bore, a ſede Apoſtolica poſtulaſti, vt Epiſcopalem ſedem in loco, qui dicitur *Zuerin*,
„auctoritate ſacroſanctae Romanae, cui Deo auctore deſeruimus, Eccleſiae confir-
„memus; nos poſtulationi tuae grato concurrentes aſſenſu pontificalem cathedram
„in eodem loco perpetuo manere ſtatuimus, & ei ſubſcripta loca dioeceſana lege
„futuris deinceps temporibus decreuimus ſubiacere; videlicet clauſtrum & Eccleſias
„aedificatas vel aedificandas *per prouinciam Ducis HENRICI*, quae prouincia a Zwe-
„rin ex vna parte vſque Vepro pergit, a Vepro vero tendit per Murz & Tolonze,
„perueniens vſque Groſwin & Penem fluuium. Item ex altera parte Zuerin per
„maritima Ruiani inſulam, ipſam Ruiam inſulam dimidiam includens peruenit vſque
„ad oſtium Pene, praedicti fluminis. *Ex dono praedicti Ducis* partem inſulae Zuerin
„ſecundum diſtinctionem *ipſius Ducis*, molendinum vnum, & aliam inſulam, in
„Sadel-

y) Locus corruptus; legendum autem: *oriatur viror calami vncti rore ſancti Spiritus*. Ceu obſeruat Perilluſtris Dn. DE WESTPHALEN *l. c. Tom. IV. p. 896.*

„Sadelbande villam vnam, ex altera parte Albiae villas II. Circa lacum Sturizche „alias duas villas. De terra Bribeslai, inſulam quae dicitur Sanctae Mariae, & villam „Cliue, cum aliis X. villis in Ylo. Caſtrum Butislo cum terra attinenti, & IV. villas „in deſerto Nohum, alias V. villas circa Warin, vſque Glambike, & vltra Niuele, „Wolchza, pleno conſenſu praedicti Principis Pribeslai, cum omni iuſtitia & vtili„tate, villam Sancti Godeardi, quae prius Goderach dicebatur, ex dono *Caſemari Prin„cipis Chriſtianiſſimi,* terram quae dicitur Pitina & villam vnam nobilem in Barth. II. vil„las prope Demin, & I. in Circipene. Praeterea quaſcunque poſſeſſiones, quae„cunque bona eadem eccleſia in praeſentiarum iuſte & canonice poſſidet, aut in futu„rum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, „ſeu aliis iuſtis modis praeſtante Domino poterit adipiſci, firma tibi tuisque ſucceſ„ſoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat „praefatam Eccleſiam temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas „retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſer„uentur, eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, vſibus „omnimodis profutura, ſalua in omnibus Apoſtolicae ſedis auctoritate. Si qua igi„tur in futurum Eccleſiaſtica ſecularisque perſona hanc noſtrae conſtitutionis paginam „ſciens contra eam venire tentauerit, ſecundo tertioue commonita, ſi non ſatisfa„ctione congrua id emendauerit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, ream„que ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo „corpore ac ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque „in extremo examine diuinae vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua iura „ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus hic fructum bonae actio„nis percipiant, & apud diſtrictum iudicem praemia aeternae pacis inueniant. „Amen.

„Datum Romae apud S. Petrum per manum Alberti ſanctae Romanae Eccleſiae „presbyteri Cardinalis & Cancellarii. Indictione XI. Incarnationis Dominicae „Anno MCLXXVII. Pontificatus vero Domini Alexandri Papae III. Anno „XXIV.

Ne autem iuſto prolixiores ſimus, omittimus Bullas Clementis III. ex A. 1189. a Laudatiſſimo Dn. DE WESTPHALEN *l. c. T. IV. p. 896.* & Coeleſtini III. ex A. 1191. a LINDENBROGIO *l. c. p. 169.* editas, & praeſentem de Suerinenſi Epiſcopatu ab Henrico Leone fundato narrationem claudimus ſubiuncto priuilegio Ottonis IV. Imperatoris, quo A. 1211. Brunwardo Suerinenſi Epiſcopo omnia patris ſui dona in Epiſcopatum Suerinenſem liberaliter collata confirmat. Extat illud apud Perilluſtrem Dn. DE WESTPHALEN *l. c. p. 899.* „In nomine ſanctae & indiuiduae Trini„tatis *OTTO quartus*, diuina fauente clementia *Romanorum Imperator ſemper Augu„ſtus.* Quoniam ad eccleſiarum defenſionem diſponente Domino vocati ſumus, im„perialis patrocinii ſollicitudine, quibuslibet eccleſiis, vt iuſtitia dictat, & indigen„tes poſtulauerunt, munimen pium & benignum ſtudebimus prouidere. Hinc eſt, „quod diuino retributionis intuitu, dilecti *genitoris noſtri* piae memoriae *HENRICI „Ducis* priuilegium nobis exhibitum imitando, ea quae *eccleſiae Zuerinenſi* & Cano„nicis eiusdem loci contulit, *dum Bauariae Ducatum & Saxoniae teneret*, ſimiliter au„ctoritatis noſtrae priuilegio eidem loco & Canonicis praeſentibus & futuris Deo „ibidem ſeruientibus pium duximus indulgere. Matrem ergo eccleſiam & ipſius „cathedralem dignitatem etiam & honorem & ius *Pontificalis ſedis* in ipſo loco, qui „*Swerin* nuncupatur, auctoritatis noſtrae edicto ſtatuimus permanere. Praerogati„uam etiam totius eccleſiaſticae libertatis iuxta formam ſacrorum Canonum & leges „Imperatorum tam ipſi eccleſiae Suerinenſi, quam Canonicis eius indulgemus. Ter„mini autem epiſcopatus & *Ducatus Saxoniae* verſus *Rugam* & *Pomeraniam* atque *Mar„chiam Brandenburgenſem* tendentes ſub eodem limite claudi debent & comprehendi, „trecentos manſos & vnam villam nomine *Boriſt* in *Sadelbandia*, & alteram villam di„ctam *Verichim*, duas curias apud villam Todendorp, terram *Buttiſſowe* totam, de„cem villas in *Ylowe*, ſcilicet *Moisledarſiz*, *Gugolnoſci*, *Iazerow*, *Nyechica*, *Pancowitz*, „*Gnesdiz*, antiqua *Ylowe*, *Mentino*, *Quazentin*, *Leytſchoue* & *Goderac*, villam *Wotenka* „prope *Dimin*, cum aliis quatuor villis, villam in *Muritze*, villam in *Warnowe*, item „prope *Zwerin* duas villas *Rampe* & *Lizchowe*, quae alta villa dicitur, inſulam *Zwerin* „adiacentem vſque ad riuulum, & aliam inſulam prope *Dobin*, quae *Lipiz* dicitur,

„molen-

Digitized by Google

„molendinarem locum & aquam prope *Zwerin* verſus aquilonem cum omni vtilitate „& attinentiis ſuis, qualiter haec omnia praefatae eccleſiae ſunt aſſignata; ſpecialiter „autem ad vſus Canonicorum Swerinenſium haec deputamus, duas villas prope „*Zwerin*, Rampe & alteram villam in *Breze*, triginta manſos in *Ylowe*, quatuor villas „de decem ſupradictis *Pacewitz*, *Gnesdiz*, *Mentina* & *Quaſſentin*; villam *Virichim*, duas „curias in *Todendorpe*, villam *Boriſt* in *Sadelbandia* cum omni vtilitate & attinentiis „ſuis; & vbicunque villae vel manſi Canonicorum ſunt, nullam decimam recipiet „epiſcopus; *nouale telonium* in Zuerin, parochiam in *Zwerin* cum omni iure, medie„tatem decimae in *Selenzen*, tertiam partem decimae in *Mickelnborch*, tertiam partem „decimae in *Ylowe*, tertiam partem decimae in *Zarezecis* aquam, tertiam partem de„cimae in *Warnowo*, tertiam partem decimae in *Myrize*; de tot prouinciis ad vſum „canonicorum decimas eo tenore aſſignamus, quoad praetactae decimae Slauorum „lege Chriſtianorum conualuerunt. Swerinenſes canonici ſicut in *habitu*, ita & in „*numero* perſonarum & in aeſtimatione praebendarum *Lubicenſibus canonicis* per omnia „coaequantur; quo facto de reliquo, ſi quod ſupereſt, cum conſilio Epiſcopi tunc „praeſidentis, & *Ducis tunc regnantis* & Comitum de *Zwerin* & de *Raceburg* aliae con„gregationes ſubſtituantur. Praeterea ſtatuimus, vt quicquid de dote eccleſiae Swe„rinenſis, aut de praediis, aut aliis eius rebus ſine communi conſilio & conſenſu capi„tuli fuerit ab Epiſcopo diſtractum, datum aut alienatum, aut conceſſum vel com„mutatum, prorſus irritum habeatur. Si *moriens* vero *Epiſcopus* dicti loci obierit, „*reliquiae eius in tres partes diuidentur*, quarum prima cedet eccleſiae, ſecunda ſuc„ceſſori, tertia pauperibus. Canonicos etiam eiusdem loci liberam electionem in „Epiſcopos, in Praepoſitos, in Decanos, in Canonicos habere decernimus, & ipſis „liberam ordinationem ac poteſtatem in *condendis teſtamentis*, in villis, in poſſeſſioni„bus, in ſtipendiis colligendis, nec non & omnem libertatem, pias & honeſtas „conſuetudines aliorum canonicorum indulgemus; ciuibus quoque eiusdem loci „libertatem hanc & iuſtitiam concedimus habendam in perpetuum, quod in *portu*, „qui dicitur *Wiſſemer*, libere & ſine omni contradictione quorumlibet hominum „duas habeant *magnas naues*, quae *Cogken* appellantur, cum minoribus nauibus, „quotcunque voluerint ad vſus mercandi. Inſuper per omnes terminos Ducatus „Saxoniae liberi erunt & exemti ab omni telonio & exactione. Quia ergo bonae „memoriae *noſter pater HINRICVS, cum eſſet Dux Bauariae & Saxoniae*, fultus auto„ritate tam *Apoſtolicae* quam *Imperialis legationis & commiſſionis*, pro remedio animae „ſuae, filiorum & parentum ſuorum ad dilatandam & propagandam Chriſtiani no„minis religionem in *terra Slauorum transalbina* tres Epiſcopatus inſtituit, *allodiis* & „*redditibus menſae ſuae* cathedrales eccleſias dotauit, ſcilicet *Lubecenſem*, *Raceburgen*„*ſem* & *Suerinenſem*; ne donationes eius & ordinationes deleantur, quas fecit, ſed in „perpetuum valeant iuxta tenorem priuilegii, quod ipſe ex pia & prouida delibera„tione dedit eccleſiae Zuerinenſi, noſtrum ei priuilegium propter praeclara, quae „nobis dilectus ac fidelis noſter Comes *Henricus de Zwerin* exhibuit, ſeruitia, traden„tes & ad petitionem eiusdem Comitis in hac pagina cuncta eius *ſtatuta* rata haben„tes, eadem & alia bona quaecunque fuerint a Chriſti fidelibus praefatae eccleſiae „collata, *quantum ad nos pertinet*, Imperiali confirmamus autoritate & noſtro ſigillo „decreuimus immuniri, ſtatuentes & imperiali edicto diſtricte praecipientes, vt „omnino nulla perſona humilis vel alta, eccleſiaſtica ſiue ſecularis, audeat hancce „paginam infringere, vel huic noſtrae confirmationi auſu temerario contraire, quod „qui fecerit, in vindictam temeritatis ſuae centum libras auri componet, medietatem „*fiſco Imperiali*, reliquam vero *paſſis iniuriam*.

„Huius rei teſtes ſunt:
Comes Hermannus *de Woldenborg*.
Comes Heidericus *de Lutterberg*.
Comes Georgius *de Weden*.
Comes Fridericus *de Altena*.
Comes Thomas *de Cholane*.
Comes *Gentilis*.
Comes Sefridus *de Aliſra*.
Henricus Mareſcalcus *de Kaledin*.
Waltherus Pincerna *de Schoff*.

by Google

Albertus *Strutio.*

Vrſinus, Arnoldus Imperialis curiae iudices, & alii quam plures.

„Acta ſunt haec anno Dominicae Incarnationis MCCXI. Indictione XIV. re-
„gnante Domino *Ottone Quarto* Romanorum Imperatore glorioſo, anno Regni
„eius XI. Imperii vero ſecundo.

„Datum *Capuae* per manus Waltheri imperialis aulae Protonotarii *prid. Non. Ianuarii.*

§. 15.

Oſtenditur ex ſaeculi illius moribus, diuortium Henrici Leonis ab vxore Clementia Zaeringenſi licite fieri potuiſſe.

In domeſticis Henrici Leonis rebus explicandis breuis eſſe poſſum, quod omnia, quae de iis dicenda erant, in his Commentariis tanta accuratione tradita ſunt, vt addenda iis vix habeam, ſi vnum illud exceperis, quod ad exculpandum *Henrici Leonis diuortium* in medium proferendum eſt. Duxerat nimirum is coniugem ſuae nobilitati parem, *Clementiam Zaeringenſem*, quam vulgo dimiſiſſe dicitur, quod minus foecundum vterum nacta eſſet, atque hinc maritus, qui ampliſſimas ditiones in ſeros nepotes transmittere vehementiſſime optabat, ſpe ſe fruſtratum cerneret, fortunam Domus prole maſcula ex ea fulciendi. (vide infra dicta *p. 61.*) Quae quidem ſi vera fuiſſet repudii cauſſa, innocentiſſimae foeminae grauiſſimam illatam fuiſſe iniuriam non abnuerem. At enim ſalua res eſt, quoniam, qui diuortii huius circumſtantias paullo curatius nobis expoſuerunt, veteres Scriptores omnes in eo conueniunt, Imperatorem Fridericum I. magis, quam Henricum noſtrum illud vrſiſſe, atque *iuraſſe, conſtare ſibi de coniugum conſanguinitate matrimonium inter Henricum & Clementiam impediente vel dirimente.* Vtut igitur hactenus arctam eiusmodi conſanguinitatem, quae vel nuptias impedire, vel contractas & prole iam firmatas diſſoluere potuiſſet, inter coniuges hos inuenire ſe non potuiſſe fateatur Dn. ECCARDVS l. c. ſciendum tamen eſt, non modo illa aetate, & antequam *prohibitio matrimoniorum ad quartum gradum* adſtringeretur, (quod demum ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi A. 1115. factum nouimus,) *diſſociationes matrimoniorum*, etiam tunc vbi vix vlla inter virum & vxorem conſanguinitas apparebat, (z) fuiſſe facillimas, verum etiam ex *Philoſophia eius temporis*, Imperatoris *ius iurandum* omnes *iuris & facti defectus* ſupplere potuiſſe. Etenim qui illius aeui monumenta curatius inſpexerunt, tam in ſacris quam profanis tribunalibus magis ſacramentis, quam legum argumentis certatum fuiſſe norunt. Si qua enim lis oriebatur, nec iudex, nec partes litigantes tam de probationibus, quam de eo ſollicitae erant, vtra earum ad iusiurandum admittenda eſſet; quod non ignorarent, eo ſemel decreto atque praeſtito contra illius aſſerta nullam aliam admitti probationem, etſi litteris & ſigillis niteretur. Quae cauſſa eſt, cur Pontifices tam acriter inuecti ſunt in *iura mundi*, in leges & *conſuetudines profanas*, populi praeſertim Germanici. Et ne quid diſſimulem, manifeſtum etiam eſt atque certiſſimum, per hunc iudiciorum ordinem periuriis latam feneſtram aperiri, cum hominibus profanae mentis commodius ſit iurare, quam probare. Praecipue vero morem hunc in cauſſis diuortiorum obtinuiſſe, vt, qui ſeparari vellent, coniuges ſolo *teſtium iureiurando* potuerint *conſanguinitatem probare*, plus vno exemplo edocemur. Sic ex MSCTO CHRONICO TVRONENSI haec iam annotauit IOH. BESLIVS *in hiſtoria Comitum Pictauienſium & Aquitaniae Ducum. Probat. pag. 488. A. 1152. Ludouicus Rex Franciae zelotypiae ſpiritu inflammatus cum Alienorde, vxore ſua, in Aquitaniam vadit -- & poſtea rediens apud Baugentiacum Caſtrum* ***iurata conſanguinitate vxorem ſuam repudiat***; cum qua narratione conſentit GVILLELMVS NEVBRIGENSIS *L. I. c. 31. ibid. p. 490.* qui *iisdem fere diebus*, inquit, *inter Ludouicum Regem & Alienoram Reginam diuortium celebratum eſt, quibusdam Epiſcopis atque Proceribus* ***conſanguinitatem illorum ſub teſtificatione iurisiurandi*** *ſolemniter allegantibus.*

z) Sic, vt exemplis id probem, Ludouicus V. Thuringiae Landgrauius repudiata ob conſanguinitatem priore coniuge, repudiauit & alteram, quam nullo cognationis gradu attingebat, quippe Ruſſam, teſte ARNOLDO LVBECENSI *L. III. c. 15. & 20.* Aliud huius morum laxitatis exemplum deprehendimus in diuortio facto inter Alienoram & Ludouicum, de quo cum infra *p. 251.* in nota ſubiecta magna doctrinae copia, vt ſolet, egerit illuſtris Dn. GRVBERVS, non eſt vt hoc loco multa dicamus.

Digitized by Google

gentibus. (a) Quae cauſſa eſt, cur tot in hiſtoria offendimus diuortia, de quibus *conſanguinitatis vinculum* nullum tradere vel explicare poſſumus; aut ſi quod inuenimus, illud tamen ita remotum eſt, vt incredibile ſere videatur, qui eius rationem habere potuerit iudex. Ipſa, quae inter Imperatorem Fridericum I. & Adelheidem Vohburgicam ſacta legitur matrimonii diſſolutio, rei huius exemplum inſigne nobis ſuppeditat, quippe quam *obiectu conſanguinitatis* repudiaſſe Imperatorem praeter MONACHVM WEINGARTENSEM diſerte etiam OTTO FRISINGENSIS aliique magno numero Scriptores tradunt. Et tamen ſi curate inquirimus, quaenam fuerit conſanguinitas illa, quae inter hos coniuges interceſſerat, neceſſe eſt, vt fateamur, eam remotiſſimam prorſus fuiſſe. (b) Et egregie hanc noſtram de facilitate diuortiorum ſaeculo XIII. vſitata opinionem confirmant dicta a CHIFFLETIO in pererudita epiſtola *de Beatrice Cabilonenſi,* vbi & exemplis & rationibus veritatem huius aſſerti praeclare adſtruit. Poſteaquam enim in cauſſas diuortii Stephani Burgundiae Comitis & Beatricis Comitiſſae Cabillonenſis inquirere occeperat, *p. 19. ſq.* ita philoſophatur: *Il faut donc chercher quelque autre cauſe de la diſſolution de ce mariage. Cette cauſe m'a été juſques à preſent inconnue. Que s'il m'eſt permis d'en parler par conjecture, je vous dirai, que ce mariage ayant été declaré nul entre l'an 1197. & 1202. & les mariages êtans encore en ce temps la probibez incluſinement juſqu'au ſeptiéme degré tant de conſanguinitè que d'alliance (car ce fut ſeulement du temps du Pape Innocent III. & au Concile de Lateran de l'an 1215. que cette defence fut rêtreinte à quatre degrez) il eſt vrayſemblable, qu' Etienne & Beatrix ſe trouverent parens ou alliez au ſix ou ſeptiéme degré, & que ne prenans pas garde à cet empechement, ils s'epouſerent en bonne ſoy, d'où vint que leurs enfans furent tenûs pour legitimes. Qu'ayans reconnû cet empechement, ils pouvoient aiſement en obtenir la diſpence du Pape: mais que le meſcontentemens*

a) Et tamen, ſi BESLIVM *l. c.* audis, cognatio horum coniugum non niſi remotiſſima fuit, immo, vt hodie loqueremur, prorſus nulla. Etenim ibi duplex, quae id euincat, tabula occurrit; quarum prima haec eſt:

Otto Wilhelmus Comes Burgundiae.

Raynaldus Comes.	Agnes nupta Guilielmo IV. Duci Aquitaniae.
Guilielmus Comes, auunculus Agnetis Imperatricis.	Guillielmus VII.
Adela, ſoror Guidonis poſtea Calixti II. PP. nupta Humberto Comiti Moriennae.	Guillelmus VIII.
Adela nupta Ludouico VI. Regi Galliae.	Guillelmus IX. vltimus ſuae ſtirpis Aquitaniae Dux.
Ludouicus VII. Rex Galliae. ═══	Alienordis heres Aquitaniae.

Altera vero hoc modo procedit:

Robertus Rex Galliae.

Henricus Rex Galliae.	Robertus Dux Burgundiae.
Philippus Rex.	Adelardis nupta Guillelmo VII. Duci Aquitaniae.
Ludouicus VI. Rex.	Guillelmus VIII. Dux.
Ludouicus VII. Galliae Rex. ═══	Guillelmus IX. Dux.
	Alienordis.

b) Qui *Friderici I. Imperatoris* cum prima vxore, *Adela* ſiue *Adelheide*, *cognationem* in eo quaerunt, quod *conſobrini* fuerint, nati quippe *ex duabus ſororibus*, Henrici Nigri Bauariae Ducis filiabus, egregie errant. Et tamen neminem doctorum virorum hactenus noui, qui aliam horum coniugum conſanguinitatem ſubſtituiſſet. Omnes hoc ſchema adoptant;

Digitized by Google

ſcontentement des parties les firent pourſuivre la diſſolution de leur mariage. Les divorces pretextez le plus ſouvent de la nullité des mariages pour raiſon de parentage ou alliance en degrez prohibez ètoient tous ordinaires en ce temps là, ce qui ètoit d'autant plus frequent dans les familles des grands, qu'elles ètoient en petit nombre en comparaiſon de celles du vulgaire, il leur ètoit plus difficile d'eviter le rencontre de tels empechemens ſans ſe meſallier. Arrivant donc quelque refroidiſſement entre les parties

Henricus Niger, Guelfus ortu, Dux Bauariae.

Iuditha vxor Friderici Luſci, Sueuiae Ducis.	Mathildis vxor Diepoldi Marchionis Vohburgenſis.
Fridericus I. Imperator. ═══	*Adela ſiue Adelheis.*

Omnes etiam ad WEINGARTENSEM MONACHVM prouocant, qui, cum vnam filiarum Henrici Nigri *Diepoldo Marchioni Vobburgenſi* nupſiſſe ſcribit, Imperatricis vero Adelheidis patrem etiam *Diepoldum Marchionem Vobburgenſem* nominat, temere ab ipſis teſtis auocatur, quaſi etiam dixiſſet, non modo *vtrumque Diepoldum* vnam fuiſſe perſonam, verum etiam ſi fuiſſet, vt quidem lubentiſſime largior, illi ipſi *Diepoldo* non ex *alia coniuge*, quam Mathildi Guelfica, natam eſſe potuiſſe Adelheidem Imperatricem. Sed neutrum horum dicit MONACHVS WEINGARTENSIS; immo, ſi ſuperſtes eſſet, miraretur forte, qui eius verbis ita abuti potuerint viri multis meritis & eruditione conſpicui. Primo enim cum nomina in illuſtribus familiis ſemel recepta conſtanter a poſteris retineri conſueuerint, certiſſimum eſt *plures* fuiſſe *Marchiones Vobburgenſes Diepoldos dictos*, vt non neceſſe ſit, Adelheidem illi praeciſe filiam adſcribere, qui Mathildis Guelficae maritus fuit. Deinde ſi hoc faciendum, AVENTINVS atque HVNDIVS iam docuerunt, *Diepoldum* ante vxorem *Guelficam* aliam coniugem habuiſſe, nimirum *Adelheidem Polonam*, atque ex ea praeter alios liberos ſuſcepiſſe filiam Adelheidem Imperatori poſtea nuptam. Denique ſi tam recens fuiſſet conſanguinitatis inter hos coniuges memoria, id quidem *impedimentum* feciſſet *nuptiis contrahendis*, procul dubio auctoritate Pontificia ante matrimonii ſolemnia per diſpenſationem remouendum; hac vero indulgentia ſemel impetrata non amplius *poenitentiae* vel *diuortio ex capite conſanguinitatis* locus fuiſſet; quia *per fictionem iuris* omne iam impedimentum ſublatum erat, ipſique coniuges ſibi ſalua conſcientia ita licite cohabitare poterant, ac ſi nulla vmquam inter eos interceſſiſſet ſanguinis ratio. Sciendum enim eſt, cum *diuortia in eccleſia iam a tempore S. Auguſtini non amplius licita fuerint*, has ipſas, de quibus loquimur, matrimoniorum ſolutiones non tam pro diuortiis *in foro eccleſiae* habitas fuiſſe, quam quidem proprie *declarationem* continuiſſe ſolemnis alicuius impedimenti, ob quod, *ſi ab initio cognitum fuiſſet*, matrimonium ſine peccati labe contrahi non potuiſſet, & quod ipſum cum iam innotuerit, *nullum* illud atque *irritum* euincat. In *radice* igitur ipſius *matrimonii*, vt Canoniſtae loquuntur, aderat *nullitas*, quae adeſſe non poterat apud eos, qui praeuia diſpenſatione Pontificis thorum conſcenderant. Sed non opus eſt multa diſputatione ad confutandos viros doctos, & eos ab errore ſuo in rectam viam reducendos. Supra enim iam in Originibus Familiae Hohenſtauficae indagandis (pag. 2. not. c.) ad locum prouocaui, ab omnibus, quod mireris, hactenus neglectum, & qui tamen vtramque paginam tam in hac de *conſanguinitate inter Fridericum Imperatorem & vxorem eius* quaeſtione, quam in primis gentis illuſtriſſimae natalibus explicandis facit. Scilicet WIBALDVS, celeberrimus ille Stabulenſis & Corbeienſis Abbas, qui in ipſa Imperatoris aula vixit, multumque eius gratia valuit, in *Codice* ſuo *epiſtolari* a MARTENO & DVRANDO *T. II. Collect. Ampliſſimae* edito *p. 557.* ſequentia nos edocuit.

Ex vno patre & vna matre geniti.	Fridericus.	Genuit Fridericum de Buren. Fridericus de Buren genuit ducem Fridericum, qui Stophen condidit. Dux Fridericus de Stophe ex filia regis Henrici genuit ducem Fridericum, dux Fridericus genuit Fridericum regem.
	Berta.	Genuit Bezelinum de Vilingen. Bezelinus de Vilingen genuit Bertolphum cum Barba. Bertolphus cum Barba genuit Lutgardim. Lutgardis genuit Marchionem Theobaldum. Marchio Theobaldus genuit Adelam.

Vnde iam manifeſtiſſime euincitur, non tam propinquum fuiſſe inter hos coniuges ſanguinis vinculum, ſed longe remotius; atque ita potius generationes ſibi inuicem ſubſtituendas eſſe.

N. N.

Fridericus	Berta.
Fridericus de Buren.	Bezelinus de Vilingen.
Fridericus conditor arcis Stophen. Dux Sueuiae.	Bertolphus cum barba.
Fridericus Dux Sueuiae.	Lutgardis vxor Diepoldi Marchionis Vohburgenſis.
	Theobaldus Marchio Vohburgenſis.
Fridericus I. Imperator. ═══	Adela ſiue Adelheis.

Innotuit aliquid de hac re AVENTINO atque HVNDIO, quorum ille in tabulis Genealogicis editioni Germanicae ſubiunctis, hic vero in egregio de Familiis Bauaricis libro *P. I. p. 144. & 149.* *Luitgardin*, diſertis verbis Adelheidis auiam facit, ſed vterque eam Caſtelli & Sulzbachii Comitiſſam

Digitized by Google

parties, on alloit incontinent rechercher quelque alliance ou parentage entre elles dans les ſept degrez prohibez, qui ſervît de tître pour obtenir la diſſolution de leur mariage. Et faute d'autres preuves, on s'en fioit par fois à des têmoins, lesquels ne pouvans dire avoir vû leurs aſcendans éloignez de ſix ou ſept degrez, têmoignoient ſeulement ce qu'ils en avoient ouy d'aucuns de leurs ancêtres. Et ne quis credat, CHIFFLETIVM haec gratis dicere, tamquam per ſomnium accepta & ex ſolo cerebro hauſta, hanc ſuam hypotheſin exemplis firmat, (c) inter quae etiam illud de Alienora & Ludouico VII. Galliarum Rege, quod paulo ante expoſuimus, atque alterum de Ingeburga Danica & Philippo Auguſto, Rege Galliae, (de quo infra *p. 148. nota s* breuiſſimis actum,) a viro doctiſſimo allegantur. Quare vt in viam & ad Henricum Leonem redeamus, ſi id etiam ab eo factum videmus, quod tunc mos & communis conſuetudo, tamquam *rem licitam*, approbauerat; ſi, exorto inter ipſum & Clementiam friguſculo, vxorem is dimiſit, quam repudiare nulla lex prohibuerat, non video, quomodo id famam optimi Principis apud poſteritatem onerare poſſit; praecipue quod in Imperatorem iurantem opprobrium omne recideret, ſi peieraſſet; (d) neque is excuſandus foret,

tiſſam dicit, quod tamen falſum, cum ex Dynaſtis de Vilingen eam ortam probet noſtri WIBOLDI narratio.

c) Sed praeſtat forte ipſum de his dicentem audire. Pergit igitur *p. 20. ſq. Ainſi liſons nous en l'Hiſtoire du ſiecle qui precede immediatement le Pape Innocent III. que le Roy Philippe I. repudia ſa femme Berthe, fille de Florent, Comte de Hollande & de Friſe, bien que par les prieres & ſuivant les predictions de S. Arnoux Evêque de Soiſſons, elle lui eut miraculeuſement engendré un fils ſucceſſeur de ſa Couronne, qui fût Louis VI. ſurnommé le Gros; que le Roy Louis VII. dit le jeune, fils de Louis le Gros, renvoya pareillement ſa femme Elienor, heretiere de la Duché de Guienne, laquelle s'étant du depuis remariée avec Henry Comte d'Anjou & Duc de Normandie, qui fut encore deux ans aprés Roy d'Angleterre, & lui ayant porté en dot tous ſes domaines, jêta les ſemences des troubles Angloiſes, qui fatiguerrent la France par l'eſpace de plus de trois cens ans; que le Roy Philippe, fils de Louis VII. quitta auſſi ſa femme Ingeburge, ſoeur de Canut Roy de Danmark, au grand ſcandale de toute l'Europe: pour raiſon de quoi le Pape Innocent III. mit ſon Royaume en interdit; que le Duc de Bourgogne Hugue III. ſe ſepara auſſi de ſa femme Aalys de Lorraine, deja mere d'Eude III. ſon ſucceſſeur, pour epouſer Beatrix heretiere de la Comté d'Albon. Que le même arriva du mariage d'André de Bourgogne fils du Duc Hugue III. & de Beatrix fille puiſnée de Rainez de Clauſtral de la Maiſon de Sabran, non obſtant que cette Beatrix lui eut porté en dot la Comte de Forcalquier, à elle êchuë de part Guillaume, Comte de Forcalquier, ſon ayeul maternel.* Ex quibus exemplis ad caſum, de quo ipſe in epiſtola ſua agere debebat, ſcilicet ad diuortium Stephani & Beatricis applicatis, ipſemet tandem *p. 21.* rectiſſimo iudicio infert, nihil in hoc repudio, licet id euenerit poſteaquam Beatrix iam filium enixa erat, ſingulare eſſe, ſed omnia, quae hodie nobis iniqua videntur, illorum temporum moribus probari. *Il ne faut donc pas s'etonner*, ait, *du divorce de nôtre Beatrix & de ſon mary, le Comte Etienne, après que d'eux fut procréé le Comte Jean, heretier de pere & mere. Si les cartiers de Beatrix de Chalon nous étoit auſſi notoires, que ceux de ſon mary Etienne, je penſe, que nous rencontrerions en leurs deſcentes par ſept degrez tant de leurs parens ou alliez, que des alliez de leurs alliez, comme on les conſideroit encore en ce temps là, plûtôt deux ou trois empechemens qu'un, capables de faire invalider leur mariage.* Tandem concludit vir doctiſſimus, his abuſibus motum Pontificem Innocentium III. ſanctione aeterna decreuiſſe, vt matrimoniorum prohibitio ad quartum gradum adſtringeretur. *Ce furent ſans doute*, inquit, *ces divorces dans les plus illuſtres familles de la Chrêtienté ſi frequens & ſi ſcandaleux, qui obligerent le ſaint Siege à reduire, comme j'ai dit, les empechements du mariage à quatre degrez de l'an 1215. Avant lequel temps les mariages, dont nous parlons étant declaré nul, le Comte Etienne demeura libre pour rechercher un autre alliance.* Aliquantulum prolixiora haec ſunt: ſed quod hoc CHIFLETII Opuſculum ſaepicule vix in inſtructiſſimis Bibliothecis comparet, exſcripſiſſe haec multis forte Lectoribus non ingratum erit.

d) Peieraſſe tamen eum non credo. Non ſolum enim Illuſtris Dn. GRVBERVS *infra p. 180. ſq.* multis, iisque non ex triuio hauſtis, ſed pereruditis argumentis, quae vaſtam doctiſſimi ſui auctoris cognitionem hiſtoriarum omnis aeui redolent, demonſtrauit, fuiſſe Henrico Leoni *amicam*, ſanguine Comitum Namurcenſium cretam, & *vxoris Clementiae conſobrinam*, ex qua filiam ſuſtulerat, quae poſtea mater omnium Ducum Mecklenburgenſium facta eſt: verum ſi ad illud attendimus, quod modo a CHIFLETIO egregie dictum audiuimus, (quod ſcilicet tunc temporis non eorum ſolum, qui in linea aſcendente vel deſcendente ſibi iuncti erant, verum etiam collateralium perſonarum, &, quae inter eas interceſſerat, affinitatis vel conſanguinitatis rationem inire iudices conſueuerint,) *duplex* adhuc *conſanguinitas*, ſeu, ſi mauis, *affinitas inter Henricum Leonem & Clementiam Zaeringenſem* fuit. Primo enim Clementiae patris, Conradi, frater maior natu, Bertholdus, in matrimonio habuit Sophiam, Henrici Nigri filiam, amitam Henrici Leonis. Deinde Welfo Duci, patruo Henrici Leonis, nupta fuit Vta, nata Godefrido de Calwe ex Luitgarda, ſorore Bertoldi & Conradi, patris Clementiae. Vnde hoc emergit ſchema:

 Bertholdus

foret, ſi, quod nonnulli ſuſpicantur, infenſus Gallorum Regi, Regem Angliae conciliatis filiae eius cum Henrico, Principe opulentiſſimo, nuptiis, amicum ſibi reddere exiſtimaſſet, (e) vel etiam ob *veteres inter Hohenſtauficam & Zaeringenſem Familiam de Ducatu Sueuico exercitas ſimultates*, vt fere credibilius eſt, *Henricum Leonem*, cui tum ex animo fauebat, hac ratione *ab exoſa ſibi gente abſtrahere*, ac arctius arcanis ſuis dominandi rationibus deuincire voluiſſet. Clementiae vero hoc repudio nulla iniuria illata videtur, quippe quae mariti legibus ſoluta idem ius conſecuta eſt, quod Henricus; atque hinc iterum nupſit *Humberto III. Comiti Moriennae*, qui ſecundus *Sabaudiae Comes* fuit; ex quo filiam ſuſcepit Adelam, quae ſponſa Iohannis ſine Terra, poſtea Regis Angliae, ante nuptias obiit. vid. SANDFORD. *Hiſtor. Genealog. Regum Angliae p. 81. edit. ſecundae.* (f)

§. 16.

Quo iure titulo Saxoniae Ducis poſt patris mortem vſus ſit Henricus Palatinus?

Sed verbulum adhuc iis addendum eſt, quae de proſcriptione Ducis Henrici ſupra diximus. Etenim quam parum iure validam crediderint hanc patris ſui exauctorationem ab irato Caeſare factam, poſt mortem eius manifeſte ſatis comprobarunt filii.

* * Bertholdus II. Dux Zaeringenſis.

* * Henricus Niger Dux Bauariae.

Luitgarda mar. Godefridus de Calwe. — Vta Coniux Welfi Ducis.

Conradus Dux Zaeringenſis. — Clementia ═ Henricus Leo

Bertoldus Dux Zaeringenſis. ═ Sophia

Henricus Superbus Dux Bauariae & Saxoniae. — Henricus Leo

Welfus Dux maritus Vtae Godefridi Comitis de Calwe & Luitgardis filiae. ═ Vta Coniux Welfi Ducis.

Immo ſi cui haec matrimonii impedimenta parum videbuntur valida, hunc perpendere velim, quam ſummo iure mea facere poſſim, quae paullo ante (not. c.) de Beatrice ſua CHIFLETIVS dixerat; Quodſi nimirum nobis hodie ſupereſſet tam accurata de Clementiae proſapia & maioribus cognitio, quam quidem fide certiſſima auos proauosque Henrici Leonis nouimus, facillimum fore, vt duplicem forte, immo triplicem adhuc deprehenderemus conſanguinitatis rationem, quae, ſi ad ſeptimam vsque generationem adſcenderis, matrimonium hoc ex perſuaſione temporum illorum, colore iuris maximo, reddere poterat irritum.

e) Ambiiſſe ipſum Imperatorem nuptias filiae Henrici Regis Angliae pro filio ſuo in Commentariis his intra *p. 64. ſq.* vberius narratur. Hanc forte facilius obtinere ſe poſſe credebat, ſi ſimul & alterius filiae nuptias Henrico Duci comparare poſſet. Miſit enim mox Archi-Epiſcopum Colonienſem in Angliam, qui duas Henrici Regis filias, alteram pro filio Caeſaris, alteram autem pro Henrico Leone procaretur. Res eum habuit exitum, vt Imperatoris quidem filius votis exciderit, noſter autem Henricus Leo ſponſam ſperatam domum deduxerit, tenerrimae licet aetatis puellam, atque tempore nuptiarum vix annos duodecim natam. Quam aetatem licet non facile definiueris, ſi ſolum ROBERTVM PISTORIANVM conſulueris, (vtpote apud quem natalem eius annum fruſtra requiſiueris,) ex eodem tamen ROBERTO DACHERIANO & pleniore certo certius definire licet: Is enim ad A. 1156. ſcribit *Regi Anglorum nata eſt filia nomine* Mathildis, atque in eo conſentientem habet MATHAEVM PARISIENSEM, vt igitur, ſi annum nuptiarum 1168. (de quo infra *p. 69.*) anno natali addideris, computatio noſtra extra dubium poſita ſit.

f) Mirum qui apud noſtros Scriptores omnes hoc ſecundum Clementiae matrimonium ignoretur. Equidem SAMVEL GVICHENONIVS in egregio *Hiſtoriae Genealogicae Domus Regio Ducalis Sabaudicae* Opere *T. I. p. 239.* Humberti III. coniugem *ex Zaeringenſi Familia* natam ſcribit, atque VANDERBVRGIVM aliosque erroris ſui corripit, quod miſere deprauato & corrupto vocabulo *Zaeringen*, neſcio quem *Ducem de Salinge* foeminae huic Principi patrem adſcripſerint. Sed ipſe tamen GVICHENONIVS, quando nomen ei aliud tribuit, & iam A. 1157. in manus ſecundi mariti Humberti eamdem conueniſſe, atque A. 1162. mortuam eſſe tradit, non minus in errore verſatur, quoniam Henricus Leo diuortium cum Clementia ante A. 1162. non fecit. Verba GVICHENONII ſunt: *Secondement le Comte de Savoye prit alliance avec Germaine de Zeringen, (d'autres l'appellent Anne,) fille de Berthold IV. du nom Duc de Zeringen; elle mourut l'an. MCLXII. & fut inhumée à Hautecombe.* Fruſtra etiam ſe torquet doctiſſimus vir *p. 241.* quando diuinare vult, quisnam ille *Dux Henricus* fuerit, cuius *viduam* hanc Humberti vxorem dici, apud Scriptores Anglos legerat. *Viduae* enim *appellationem* hic non *in ſenſu proprio* ſumi, ſed *vxorem* denotare *repudiatam*, nec *Henricum Ducem* alium eſſe, quam noſtrum *Leonem*, omni prorſus dubio caret.

Digitized by Google

filii. Licet enim ANONYMVS SAXO *hiſtoria Imperatorum p. 111. apud* MENKEN. *T. III. Scriptor.* dicat: *pueri quoque ipſius, proprietates ſuas perdiderunt, quod infra annum & diem ab Imperatoria poteſtate eas non abſtraxerunt;* & IOH. STADTWEGIVS *in Chronico vernaculo apud* LEIBNIT. *T. III. p. 271. Frederich - - dede Hinricum Leonem in de Achte, de ön to Keyſer maket hadde. Des he nicht en achtede, und bleiff dar Jar und Dach ynne. Darumme vordeilde man ſyn Lant, und makede ön mit ſynen Kinders ervelos, dat Hertoghe Hinrick werde hertliken;* Ii tamen amiſſa recuperandi ſpem conſtantiſſime retinuerunt. Et alter quidem Otto, poſteaquam Imperator electus erat, vt amicum ſibi redderet Colonienſem Archi Epiſcopum, *Weſtfaliae Ducatum* dimiſit, atque Bauariae Ducem peculiari Charta de hoc etiam *Ducatu* non amplius repetendo ſecurum eſſe iuſſit; alter vero Henricus Palatinus, vtpote filiorum Henrici Leonis natu maximus, adeoque *in Ducali honore* ſucceſſor, *titulum Ducis* (g) non modo ſtatim ab obitu patris aſſumſit; ceu patet ex Henrici VI. Imp. Charta confirmatoria Archi Epiſcopo Magdeburgenſi 1195. in ipſis Comitiis Gailenhuſae celebratis data, cui inter teſtes ſubnotatus *Henricus Dux de Brunſuic:* (vide infra *p. 603.*) verum etiam poſtea diſertim *Saxoniae Ducem* ſe nominauit, eamque appellationem *Ducis Saxoniae* (h) vſque ad extremum vitae halitum, vt ita dicam, conſtantiſſime ſibi retinuit. Immo eodem etiam elogio ab ipſis Regibus atque Imperatoribus ornatus legitur. Forte id a fratre Ottone IV. Imperatore factum mirum nemini videbitur, itaque huius Chartas, tituli huius teſtes, ſponte praetermittimus; Sed factum id etiam ab Imperatore Friderico II. eiusque filio Henrico Caeſare omnem ſuperaret fidem, niſi vno alteroue firmaretur exemplo. Henricus igitur Caeſar in epiſtola A. 1221. ſcripta, qua patri nunciat, ſe conſilio Henrici noſtri Conrado Hildesheimenſi Epiſcopo regalia tradidiſſe, (vide infra *p. 680.*) elogio *Ducis Saxoniae* eum mactat; Idem in Reſcripto ad Henricum noſtrum & Adelbertum Ducem, de pace in his Prouinciis conſeruanda A. 1223. data, hunc *Angariae,* illum *Saxoniae Ducem* appellat. (vid. infra *p. 686.*) Eadem honorifica appellatio occurrit in eiusdem Henrici Regis priuilegio A. 1229. Schoenaugienſibus Monachis dato. (vid. infra *p. 658.*) Nec aliter a Friderico II. Imperatore actum. Is enim A. 1226. mandans Henrico noſtro, vt Conradum Hildenſemenſem Epiſcopum tueretur, & inuaſores eius proſcriberet, diſertim eum *Saxoniae Ducem* ſalutat. (vid. infra *p. 688.*) Apud RAYNALDVM *in Annalibus eccleſiaſticis ad A. 1219. n. 23.* exſtat Reſcriptum Pontificis Honorii III. quo Papa litteris & Oratoribus a Friderico II. Imperatore flagitatus, vt *Henricum Ducem Saxoniae* ad Imperii inſignia ſibi tradenda compelleret, Regi reſcripſit: *Cum tam litteris, quam nunciis tuis nobis intimare curaſti, quod nobilis vir H. Dux Saxoniae, inſignia imperialia detinet, & tibi reſignare contemnit, nos - - - illum monere ac hortari noſtris litteris curauimus diligenter.* Monet porro in his litteris Fridericum Regem Pontifex Maximus, vti *Ducem* in gratiam recipiat, ſi monitis Pontificiis paruerit; ſi vero reſpuerit iuſſa, certiorem facit datam Halberſtadenſi & Hildeſemenſi Epiſcopis Prouinciam, vt ipſum ſacro anathemate feriant, ac *Brunſuicum* eccleſiaſtico interdicto ſubiiciant. Ex quibus litteris ſane id euidentiſſime euincitur, etiam *in Curia Romana pro vero Saxoniae Duce Henricum noſtrum habitum fuiſſe.* Nec alia mens ſedit Germaniae Proceribus, quos eodem honore Henricum noſtrum proſecutos eſſe iterum

variis

g) Vt neſciam fere, quid in mentem venerit ALBERTO CRANZIO, Scriptori alias inter optimos ſuae aetatis merito ſuo collocando, quod in *Metrop. L. VII. c. 36.* poſteaquam Ducem Henricum Caſtrum ſuper Suinge euertiſſe, ex ALBERTO STADENSI ad A. 1216. narraſſet, verba adiecerit: *Scire vellem quis ſit ille Dux?* nam Henricus, Leonis filius, Dux non erat, *& hoc pene tempore defunctus.* In vtroque enim fallit CRANZIVS, & Henricum noſtrum ante annum 1227. hominem non exuiſſe aeque facili opera potuiſſet comperire, ac quidem *de titulo Ducis*, quem tot Chartae comprobant, certior fieri.

h) In ipſis etiam Caeſarum Curiis, quoties ad firmanda diplomata & Chartas Regias teſtis adhibitus, hoc titulo vtitur Henricus noſter. Sic vt vnum ſaltim alterumue proferam exemplum, Chartam a Philippo Rege Walckenriedenſibus Monachis A. 1204. in obſidione Caſtri Wizenſe datam ſignauit *Henricus Dux Saxoniae.* (vide infra *p. 631.*) Sic ius municipale ciuitatis Goslarienſis, quod A. 1219. Fridericus II. Imperator in celebrato ibidem Procerum Conuentu confirmauit, ſignauit *Henricus Dux Saxoniae.* (vid. infra *p. 672.*)

variis euinci poſſet monumentis, (i) niſi fere poeniteret nos, in confutando tam futili errore nimium prolixos fuiſſe. Sed dicendum tamen erat aliquid, vt non modo CRANZIVM, verum etiam recentiores Scriptores, qui heic impegerunt, erroris ſui conuinceremus. Praecipue vero vapulat IOH. GOTTLOB. HORNIVS, qui licet in tractatu ſuo Germanico *de Landsberga p. 38.* in eo praeclaram nobis operam nauauerit, quod *Agnetis Landsbergicae*, poſteriori matrimonio *Henrico noſtro nuptae*, verum patrem indicauerit, & e cinno diſſidentium traditionum extricauerit, inuidiae tamen flammulam erga eumdem Henricum in tantum diſſimulare non potuit, vt *l. c.* ſatis audacter dixerit, *inſolentius eum & Ducis Saxoniae & Comitis Palatini Rhenenſis titulo atque appellatione vſum eſſe, neutriusque ne quidem minimam particulam poſſediſſe.* Quale quid cogitare, ne dicam ſcribere, quomodo in mentem venire potuerit doctiſſimo viro, profecto nullo modo video. Neque enim quisquam Palatinorum Scriptorum nomen eius vmquam inter legitimos *Comites Palatinos* expungere auſus eſt; nec, ſi hoc feciſſet temerarius ſcriptor, vlla appareret ratio, cur eum a poſſeſſione Palatinatus excludere velis, cuius tot actus ſuperioritatis territorialis ibidem exercitos vel in his ipſis, quos iam euulgamus, Commentariis cap. III. coaceruatos atque recenſitos legimus? Et qui poſtea *Palatinatum* transferre *cum filia ad Bauaros* potuiſſet Henricus noſter, ſi ipſemet eius, vt nugatur HORNIVS, ne particulam quidem habuiſſet? Verum age, quaeſo, videbimus pauliſper, qua fronte negauerit Vir Clariſſimus, poſſediſſe Henricum noſtrum magnam Saxoniae partem & tractum Rhenenſem, cuius territorium non ſolum per rectam ſtratam montanam vſque Moguntiam, ſed & a Moguntia defluente Rheno omnia vſque ad mare, docente illa ipſa diuiſionis tabula, quam allegat ibidem HORNIVS, & quam nos infra p. 626. ſq. iuxta autographorum fidem aeri exciſam exhibemus, complectebatur? Deinde perpendemus, quod non ipſemet ſolus ſemet hoc titulo ornauerit; ſed & *Pontificum, Imperatorum, Regum* atque *Principum Germaniae ſtilo publico* (vt modo diximus, & ex ſubiectis infra ad cap. III. probationibus vberius patet,) *& Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rhenenſis* appellatus fuerit; atque iam concluſionem formabimus, quam temerarium ſit priuati Scriptoris iudicium, ſi tam improbe atque contra omnem fidem hiſtoricam honorem & praerogatiuas Principum rodere, eorum iura infirma reddere, immo prorſus ad vſurpationes violentas vel nuda ſomnia relegare audet? Immo etiam ideo fruſtra HORNIVS his Henrici Palatini titulis ſtomachatur, cum tempore adhuc Wilhelmi Regis Romanorum in Charta Luccenſi Monaſterio A. 1252. data apud LEIBNITIVM *Script. Brunſuic. T.* III. *p. 693.* appellatio *Ducum Brunſuicenſium* cum illo *Ducum Saxoniae* nomine *pari paſſu* ambulauerit, & Albertus Magnus Dux Brunſuicenſis, Ottonis Pueri filius, immo ſequiores adhuc ex domo Brunſuicenſi Principes ex veteri vſu *Duces Saxoniae* vocati ſint; ceu id quam plurimis Scriptorum teſtimoniis, (k) ſi quidem in re certiſſima auctoritatibus opus eſſet, probari poſſet & euinci.

§. 17.

i) Sic Colonienſis Archi-Epiſcopus Engelbertus, cum pro auxiliis Hildenſemenſi Epiſcopo praeſtitis gratias nonnullis Principibus referret, diſertim nominat *Henricum Ducem Saxoniae* (vid. infra *p. 643.*) Sic Sigefridus Hildenſemenſis Epiſcopus Eccleſiae S. Blaſii bona Scheuerlingborgenſia ex teſtamento Ottonis Imperatoris ipſi collata confirmaturus, *Henricum illuſtrem Ducem Saxoniae* vocat. (vid. infra *p. 661.*)

k) Vnum tantum alterumue Scriptorem nominabimus. Sic SIFFRIDVS PRESBYTER *L. II. ad A. 1263. ap.* PISTOR *T. I. p. 1046. edit. nou.* cum per Merſeburgenſem Epiſcopum caperetur in Miſnia Albertus noſter: *Albertus*, inquit, *& Ditricus conflictum habuerunt cum* Duce Saxoniae Alberto, *& glorioſe triumphantes ceperunt ipſum Ducem & Comitem Henricum de Anhalt, & alios plures Comites & Nobiles.* Sic GOBELINVS PERSONA, Scriptor coaetaneus, (natus quippe A. 1358.) *Coſmodr. Aetat. VI. cap. 76.* de Iohanna Neapolis Regina *ſperauit ſiquidem*, inquit, *Ottonem Ducem* de domo Ducum Saxoniae *exortum, tunc maritum ſuum, Ieruſalem & Siciliae Regnorum, quorum ipſa gaudebat titulis, in Regem per Papam* (Vrbanum VI.) *coronari.* Sic WOLTERVS *in Chron. Bremenſi ap.* MEIBOM. *T. II. p. 61.* referens, quomodo poſt annum 1273. Giſelberto Archi-Epiſcopo Bremenſi reſiſtere coeperint Stedingi, addit, *conuocaſſe eum exercitum cum* Duce Saxoniae in Luneburg *& Comite Holſatiae, ac contra eos veniſſe.* Sic denique VARILOQVVS ERFVRTENSIS *ap.* TENZEL. *Hiſtor. Goth. Suppl. II. p. 97. ad A. 1331.* narrat, Fridericum grauem Marchionem conueniſſe cum Henrico Langrauio Haſſiae, *Henrico Duce Saxoniae*, (qui iunior eſt Henrici Mirabilis filius,) & Bertholdo Comite de Henneberg. ceu latius id habet FABRIC. *Orig. Saxon. L. VI. p. 642. ſqq.*

§. 17.

Sed vt alios bonos viros, ſic HORNIVM forte decepit peruerſa nonnullorum opinio, quaſi Henricus Leo poſt proſcriptionem illam iniquam *dignitate principali exutus*, atque hinc eius filii *in ſtatum Dynaſtarum*, quos *Barones* vocant, depreſſi fuiſſent; quo quidem aſſerto ineptius nihil, nihil falſius dici poteſt. Equidem noui, quibus armis, qui haec dicunt, pugnare ſoleant. Prouocant enim ad GODEFRIDVM, Monachum Colonienſem, qui *in Annalibus ad A. 1181. ap.* FREHER. *p. 248.* vbi de proſcriptione Henrici Leonis agit, *ille*, inquit, *quondam famoſiſſimus & potentiſſimus in Romano Imperio Dux Henricus Dei voluntate humiliatus & deiectus tandem ad deditionem venit, ſententia cunctorum Principum* nomine & *officio* Principis priuatur, *quicquid ab Imperio & Epiſcopis habuit, ei auſertur.* Allegant porro Ottonis & Wilhelmi, filiorum Henrici Leonis, Chartas, quorum ille vſque dum Imperator electus eſt, *Comes Pictauienſis*, hic vero non niſi *Dominus de Luneburg* audiit. Immo hinc etiam eueniſſe opinantur, quod Mathildis, filia Henrici Leonis natu minor, quam in lautiore fortuna conſtitutus pater nondum viro elocauerat, poſtea Comiti Perticenſi, homini longe infra illuſtrium natalium ſuorum ſortem poſito, nupſerit. At enim vero GODEFRIDI COLONIENSIS teſtimonium de eo tantum capiendum eſt, quod Imperator & coniurati aduerſus Henricum Leonem Principes facere praeſumſerant; neutiquam vero quod id ipſum etiam ad effectum ſit deductum euincit. Nam vti contra iniuſtam hanc ſententiam perpetuo grauiter conqueſtus Leo, neque vnquam eam *vim iudicati* obtinere paſſus eſt; ita nec Caeſar, nec Proceres Imperii diſſimulare potuerunt, penitus ſe conuictos eſſe, quod ipſum ex inuidia, non ex iure condemnauerint. Vnde factum, vt, quoties reſtitutionem ſuam vrſerat, Imperator ipſemet blanda verba ei dederit, promiſeritque ſe hac vel illa conditione interpoſita omnia ipſi redditurum; quo ipſo ſane verborum lenocinio opus non fuiſſet, ſi Leonem iure ſuffragante condemnatum crediidiſſet. Etenim vti ob maleſacta proſcripto legum rigor ſilentium imponit; ſic quando in ſententia non vult acquieſcere, ſeuera fronte coërceri, non blandimentis & promiſſionibus demulceri ſolet. (l) Quae cum ita ſint, ſicuti omnia, quae in iudicio hoc acta ſunt, ipſo iure nulla fuere, neque vnquam conualeſcere potuerunt; ita etiam ſi vel maxime huiusmodi ſententiam pronunciaſſet Imperator, qua Henricum *dignitate & nomine Principis* priuare voluiſſet, ea tamen ipſo iure nulla atque ſine effectu fuiſſet. Verum, ne quid diſſimulem, videntur mihi Scriptores, quando de proſcriptione Henrici Leonis agunt, rem nimis exaggerare, & plus adhuc calamitatis de inſortunato Principe ſiue ex commiſeratione, ſiue ex inuidia in annalibus ſuis referre, quam is reuera expertus eſt. Atque in hunc cenſum Colonienſis Monachi teſtimonium referendum eſſe cenſeo. (m) Vt igitur nihil fere eorum narrationibus fidere debeamus.

An Henricus Leo proſcriptione ſua non ſolum ditionem omnem in vniuerſo Imperio, ſed & nomen Principis perdiderit?

§. 18.

Quod autem ad *ſimplicem titulum Comitis vel Domini* attinet, quo Otto Imperator, ante electionem ſuam, & Wilhelmus, frater eius, per omnem vitam, vſi ſunt, id quidem, quod obiiciunt, verum eſſe, ea, quae infra ad *C. IV.* & *V.* in ipſis his Commentariis in medium prolata ſunt, diplomata euincunt; ſed tamen hoc vnum argumentum neutiquam probat, quod probandum eſſet. Neque enim deſunt alia documenta, ex quibus

Titulus Wilhelmi Luneburgici explicatur.

l) Valde memorabile eſt, quod in noſtro CHRONICO ſiue REINHARDISBORNENSI ſiue MAGDEBVRGENSI MSCT. (conſ. infr. p. 139. not. 000.) refertur ad A. 1191. Henricum VI. Regem antequam coronam a Coeleſtino Pontifice accepiſſet, inter alia promiſiſſe: *quod Ducem Saxoniae cum integritatis reſtauro, tamquam gratiae ſuae fomentis recuperandum, priſtinis honoribus reſtitueret.* Vnde patet de eius innocentia nullum dubium ſubſuiſſe. Alias enim vbi Pontifex reſtitutionem eius vrſerat, Caeſar facile excipere & regerere potuiſſet, *rem non amplius integram & Ducem iam pridem iuſto Principum iudicio damnatum eſſe.*

m) Grauiora adhuc ſunt, quae recentiores quidam narrationibus ſuis admiſcent. Quorſum pertinent HENRICVS WOLTERVS, *in Chronico Bremenſi p. 52. ap.* MEIBOM. *T. II.* & IOH. SCHIPHOWERVS *in Chronico Archi-Comitum Oldenburgenſium p. 145. ap.* EVNDEM, qui priuationis clypei meminere, verbis: *Volens Imperator vindicare pudorem ſuum in Duce Henrico, humiliat eum,* priuans clypeo, *gloria & obedientia ſuorum, & dedit ſuis miniſterialibus & aduocatis praedia & Caſtra, quae a Duce habuerunt.*

quibus Ottonem noſtrum *Ducis* non modo *Aquitaniae*, qui cum illo Comitis Pictauienſis elogio coniunctus erat, verum etiam *Saxoniae titulo* condecoratum fuiſſe intelligas; (n) neque *ſimplicitas tituli*, quem adhibuiſſe legitur Wilhelmus, qui v. g. in diplomate nouae ciuitati Löwenſtadt ad Albim fluuium, quae hodie Bleckede audit, A. 1209. dato, ſimpliciter *Wilhelmus de Luneburch* audit, (vide infra *p. 858.*) quidpiam in praeiudicium vel Henrici, fratris maioris, vel Ottonis Pueri, omnium Henrici Leonis ditionum heredis, probat, vtpote quem poſtremum iterum poſt patrui mortem mox *Brunſuicenſis*, mox *Luneburgici*, mox etiam *Saxoniae Ducis* titulo pridem ante, quam a Friderico II. in Comitiis Moguntinis ſolemni ritu Dux Brunſuicenſis renunciaretur, vſum fuiſſe nouimus. Perpendere enim deberent, qui haec dicunt, & in Principem ſui ordinis non infimum ita iniurii ſunt, vt eum in militarium fere ordinem detrudant, & cum illis *de Munzenberg*, vel *de Vrslingen*, quos vix nobilium choro inſeri patitur veteris aeui notitia, comparent, conſuetudinem olim in Germania vſu approbatam fuiſſe, qua Ducum atque Marchionum filii poſtgeniti, absque vlla imminutione congenitae dignitatis intra Comitum & Dominorum titulos ſe continuere, Ducis atque Marchionis elogio fratri primogenito relicto, ni forte ab eo in ſocietatem imperii prouinciarum adſciti eſſent. (o) Deinde vt nihil de genere & natalibus dicam, quibus ſui aeui Principum, Regum & Imperatorum nullus eum antecedebat; Wilhelmi noſtri, ſimplici veſte *Wilhelmi de Luneburg* inuoluti dignitatem cuiusuis Baronis dignitate longe ampliorem fuiſſe, vel hoc indicio eſt, quod *dominus territorii* fuerit, quo tot *Comitatus*, & quidem *feudales*, continebantur. Vt enim in ſola huius diplomatis ciuitatis Bleckedenſis contemplatione ſubſiſtam, quantus, quaeſo, Baro erit, qui *Comites Dannebergicos*, *Wölpienſes* & *Luchouienſes*, nec non *Dynaſtas de Baldenſele* & *de Oſterwalde vaſallos* habet, abiectoque propemodum vocabulo *homines ſuos* vocat? nec vocat ſolum, quaſi abſentes & ignaros appellare poſſemus, ſed praeſentes cum maxime, ſcientesque & conſentientes? Quis denique vel fando vmquam audiuit, minutorum illorum dominorum aliquem, qui *de loco* aliquo nullo vel *Comitis*, vel *Principis*, vel *Ducis* elogio adiecto appellantur, ſua ſolius auctoritate, & non impetrata a Principe territorii venia, ciuitatem in Germania condidiſſe? Oſtendit igitur potius hoc diploma, quod macula quaſi obſuſcare gloriam AVGVSTAE DOMVS obtrectatores credunt, & magnas opes & elatum Principum, quos enutriuit, animum. (p) Scilicet Wilhelmus hoc tempore, quo, vt

n) Ottonem Imperatorem ante electionem ſuam etiam *Ducem Saxoniae* a Scriptoribus nominari deprehendimus. Paucos in medium produxiſſe probandae rei, quam probandam ſuſcepimus, ſufficiat. Sic MAGNVM CHRONICON BELGICVM *ap.* PISTOR. *T. III. p. 223.* imperium ex bifaria diſciſſione diuiſum fuiſſe refert *in Philippum - - & in Ottonem*, Ducem Saxoniae *& Pictauorum Comitem.* Eodem modo PAVLVS LANGIVS *in Chron. Citicenſ. ad A. 1198. ibid. T. I. p. 1166.* de hoc ſchiſmate agens, *quidam*, inquit, *Philippum elegerunt, alii vero Ottonem* Ducem Saxoniae, *filium Henrici Leonis.* Conſentit CHRONICON AVSTRALE *apud* PREHER. *T. I. p. 449.* Vbi haec habentur: *Philippus Regnum inuaſit Ottone* Saxone *ſibi reſiſtente.* CHRONICON PEGAVIENSE *ap.* MENCKEN *T. III. p. 154. ad A. 1198. Orta eſt inter Electores diſſenſio, vna pars elegit Ottonem tertium* Ducem Saxoniae, *alia Philippum fratrem Henrici* (defuncti Imperatoris.) Immo idem CRANZIVS, qui, vt paullo ante vidimus, ignoraſſe ſe fingit, quo iure Henricus Palatinus Dux fuerit appellatus, *Vandal. L. VII. c. 19. contenderunt*, inquit, *de imperio Philippus Sueuiae & Otto* Saxoniae Duces.

o) Idem in Domo Brandenburgica vſitatum fuiſſe docet diploma apud Dn. DE LVDEWIG *Reliqu. MSct. medii aeui T. IX. p. 538.* ab Ottone & Adelberto fratribus Praeſuli Mageburgico A. 1196. datum, quo ſolus Otto *Marchio*, frater autem Adelbertus non niſi *Comes* appellatur.

p) Facit praeterea hoc diploma ad confutandos eos, qui opinantur, *Comites Saxonicos* Bernhardo, intruſo Saxoniae Duci *eadem ſacramenti religione, qua olim* Henrico Leoni, vero Saxoniae Domino *obnoxii fuerant, fidem ſuam & ſubiectionem addixiſſe;* quo quidem aſſerto nihil falſius dici poteſt. Paulo ante (not. m.) ex WOLTERO & SCHIPHOWERO audiuimus, *Imperatorem miniſterialibus & Aduocatis Ducis Leonis praedia & caſtra, quae ab eo habuerant, dediſſe.* Quae verba alium ſenſum, non admittunt, quam *Imperatorem ex Vaſallis Ducis ſuos feciſſe Vaſallos*, ſeu effeciſſe, *vt, qui Imperio Duce intermedio hactenus obnoxii erant, nunc immediate ſub Caeſare eſſent.* Vnde *Comitatuum immediatorum in Saxonia* initium in haec proſcriptionis Henrici tempora referendum eſſe arbitror. Tentauit quidem poſtea nouus Saxoniae Dux, vt Comites vicinos ad priſtinum nexum reduceret, ceu ex ARNOLDO LVBECENSI *L. III. c. 1. n. 5. ſq.* patet. Nihil autem peractum, aut, ſi quid peractum, id mox reſciſſum fuiſſe, hoc Wilhelmi noſtri diploma oſtendit, quo tot Comites vnius *Domini Luneburgici*, non *Ducis Saxoniae*, *homines* ſe profitentur. Nam quod de Henrico Comite Suerinenſi vulgo dicitur, quod Alberto

Digitized by Google

vt fratrum minimus, detracto & exuto omni ſchemate, (q) quod eum cuiquam mortalium obnoxium oſtendere poſſet, vixit, in ea ſe conditione poſitum vidit, qua

Alberto Duci Saxoniae ſe ſubmiſerit, id non modo ſerius, verum etiam eo conſilio factum eſt, quia Comes, qui captiuitate Waldemari II. Regis Daniae & hunc & Orlamundanum Comitem & noſtrum denique Ottonem Puerum, *verum ſuum Dominum*, grauiter offenderat, atque hinc ſeueram eius vindictam metuebat, in his anguſtiis inter malleum & incudem poſitus probe animaduertebat, Terras Tranſalbinas aduerſus Principes tam potentes, defenſore potentiore, quam ipſemet eiusque confoederati eſſent, opus habere. Subiicimus, vt dictis noſtris fidem faciamus, Chartam hactenus ineditam, ex autographo Suerinenſi ſigillato deſcriptam, qua ipſius huius *ſubiectionis ratio & formula* deſcribitur. Etenim Henricus, qui iam pridem Suerinenſis Comes erat, terrasque in his litteris nominatas poſſederat, vi huius pacti Albertum Ducem beneficio quidem affecit, quod eum tandem Dominum ſuum agnouit, ab ipſo vero noui feudi nomine aliquid accepiſſe non legitur. Sed audiamus ipſas litteras A. 1227. his verbis ſcriptas: ALBERTVS *Dei gratia* Dux Saxonie *omnibus preſentem paginam inſpecturis. Conceſſiones que fiunt Principum largitate ſicut ratas decet eſſe ac ſtabiles, ſic easdem etiam eſſe conuenit perpetuas & perhennes, ideoque in ſcripturas autenticas rediguntur, vt ea, que fiunt a modernis per facti euidentiam, transmittantur etiam ad poſteros per ſcripturam. Eapropter nouerint vniuerſi, quod cum de vnione ac concordia inter nos &* HEINRICVM Comitem de Zwirin, *fidelibus noſtris mediantibus, tractaretur, vt dictus Comes tanto vicinior noſtre mereretur eſſe gratie ac fauori, nobis contra quemlibet hominem, preterquam Imperium, ſeruire bona fide ac totis viribus, fidelitate adhibita repromiſit. Nos vero pro dicto Comite, ſi pro ſeruitio quod nobis exhibet, vel exhibere poterit, pulſatus fuerit, aut grauatus, ſtabimus toto niſu, nullam proinde compoſitionem modo aliquo admittentes, niſi vna nobiſcum in compoſitione admiſſus Comes fuerit prenotatus. Attendentes autem ſua ſeruitia, que nobis exhibuit grata, & exhibere poterit in antea gratiora,* contulimus & conceſſimus Comiti memorato, *vxori ſue ac heredibus eorundem* Boizineburch cum ſuis attinentiis, Zuirin cum ſuis attinentiis, Witthenburch cum ſuis attinentiis, *cultis etiam & incultis. Quod vt ratum maneat & ſtabile perſeueret, formam vnionis compromitti fecimus & ſub ſigillo noſtro conſcribi. Compromiſſores ſunt iſti:*

Burchardus Burchgrauius de Magdeburch.
Heinricus Comes de Waldenberch.
Hermannus Burchgrauius de Within.
Geuehardus & Walterus de Arneſten.
Th. Dapifer.
Olricus de Clepizke.
Widego de Torgowe.
Wipertus Rabil. Conradus de Aldendorp.
Conradus de Gline.

Ex parte vero Heinrici Comitis de Zuirin iſti ſunt promiſſores:

Comes Heinricus de Zuirin perſonaliter.
Heinricus Comes de Sladem.
Hermannus Burchgrauius de Within.
Heinricus Comes de Waldenberch.
Geuehardus de Arneſten.

Et ſi forma data ex parte Ducis infracta fuerit aut caſſata, promiſſores Ducis intrabunt Magdeburch inde praeter licentiam Henrici Comitis de Zuirin nullo vnquam tempore exituri. Si vero ex parte Heinrici Comitis de Zuirin infracta fuerit aut caſſata, H. Comes de Zuirin, & vna ſecum ſui promiſſores intrabunt Lubeke inde preter licentiam Ducis nullatenus egreſſuri.

Actum Lubeke anno Domini M. CC. XXVII. XIIII. Kal. Marcii Indict. XV.



q) Quamquam & id ad confutanda haec ſomnia eaque vno ictu penitus profliganda obiici poſſit, non omnino deeſſe exempla, quod etiam Wilhelmus Luneburgicus Ducem ſe ſcripſerit. (vide infra *p. 850*) quem etiam frater Otto Imperator in diplomate Ludouico Duci Bauariae dato (ſupra §. 11. p. 33.) diſertim *Ducem* appellauit. Vt taceamus, quam euidenter etiam eum nullo Duce inferiorem fuiſſe inde euinci poſſit, quod omnes in Ducum aulis obuios Miniſteriales in ſua quoque aula aluit. Sic Dapiferi eius, Mareſcalci, Pincernae, Camerarii diſertim mentio fit in diplomate infra recitato *p. 857*.

qua *Welſi priores* poſiti erant, cum ampliſſimarum terrarum Domini *egregii generis & egregiae libertatis viri* & erant & dicebantur; quod omne genus officiorum & beneficiorum, adde & titulorum vſum, quibus aliis obnoxii redderentur, ſuique iuris quodammodo eſſe deſinerent, auerſarentur. Quae modeſtia in Wilhelmo noſtro renouata ad poſteros propagata eſt, Principibus noſtris ſolo *Ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis* elogio contentis, cui, ſi aliorum exempla & vſum communem imitari placeret, *Ducis Lauenburgici, Bremenſis & Verdenſis*, nec non *ſexcentorum Comitatuum & Dynaſtiarum titulos* iungere poſſent.

§. 19.

Singularia de Comitum Perticenſium Familia; quibus probatur nuptiis cum Gaufrido contractis non infra ſortem ſuam nupſiſſe Mathildim.

Qui vero matrimonium *Mathildis* cum *Gaufrido Comite Perticenſi* natalibus filiae Henrici Leonis indignum reputant, nae illi hodiernam Comitum Galliae conditionem cum illa veteri dignitate, qua, antequam vnius Regis liberum & abſolutum imperium omnes Galliae Proceres reuereri coacti ſunt, gauiſi leguntur, manifeſte confundunt. Licet enim id forte iam excuſandis his nuptiis ſufficere poſſet, quod *Mathildis Comiti Perticenſi a Richardo Rege, auunculo ſuo, in matrimonium data* dicatur, (vide infra p. 173.) quem ſane ſuam ex ſorore neptem viro vilioris conditionis nuptui collocaſſe vix veri ſpeciem habet; tamen iuuat etiam *de Familia Comitum Perticenſium* pauca hoc loco adiicere, ex ipſis fontibus & optimae notae Scriptoribus hauſta. *Comitatus Perticenſis*, quem haec Familia in Gallia poſſedit, hodie *le Perche* vocatus, ſitus eſt in confinio Normanniae & Cenomaniae, vrbes & oppida habens Belliſſimum, Moritoniam & Nogentum *Rotrocci;* quod nomen a ſuis Comitibus habet, vt diſtinguatur ab aliis huius nominis oppidis, in Gallia obuiis. Olim Alenſonium quoque in finibus Normanniae & Corbolium ad Sequanam, ne quid de ceteris feudis Normannicis, Molino & Bonomolino dicam, his Comitibus paruit. ORDERICVS VITALIS *Lib. XIII. p. 899.* ait: *Alenſion quoque & Nogentum in Pertica - - flammis perierunt*, & *p. 890. Corboniam* Comitibus Perticenſibus ſubiectam fuiſſe tradit. A Moritonia, hodie *Mortaigne*, cui prope adiacet famoſa Abbatia *la Trappe*, (r) Perticenſes Comites etiam *Comites Moritoniae* appellati fuerunt; Sic enim idem, quem iam nominaui, ORDERICVS, de *Pertici & Moritoniae Comitibus libro XIII. ineunte* ita ſcribit: Anno 1099. *Goifredus, Comes Moritoniae, filius Rotronis Comitis, vir in multis probitatibus praedicabilis, vsque ad mortem aegrotauit, & vocatis proceribus Pertici & Corboniae, qui ſuo Comitatui ſubiacebant, res ſuas ſolerter ordinauit. Beatricem nempe coniugem ſuam, quae Conſulis de Rupeforti filia fuit, & Optimates ſuos prudenter inſtruens, rogauit, vt pacis quietem & ſecuritatem ſine fraude tenerent, ſuamque terram cum municipiis ſuis Rotroni filio ſuo vnigenito, qui in Hieruſalem peregre perrexerat, fideliter conſeruarent. Denique ſtrenuus heros, omnibus rite peractis, Cluniacenſis monachus factus eſt, & apud Nogentum, caſtrum ſuum, in Octobris medio defunctus & ſepultus eſt. Ibi quippe pater eius in honore S. Dyoniſii Areopagitae coenobium coeperat, quod ipſe multum terris & opibus ſublimauerat.* Narrat deinde ad annum 1100. reditum filii ex Oriente, bellumque foris in Hiſpania cum Saracenis, & domi cum Roberto de Belliſſimo geſtum, nec non matrimonium eius cum Mathilde, Henrici I. Angliae Regis filia naturali. Henricus enim I. Rex Angliae, teſte WILLELMO GEMETICENSI *Lib. VIII. c. 29.* ſex filios & ſeptem filias naturales habuit, qui omnes ibi ex ordine recenſentur, & in quibus Mathildis Comiti Perticenſi *Rotrocco* in matrimonium data dicitur: quae cum ei filiam peperiſſet Philippam, in Angliam nauigatura cum duobus fratribus naufragio periit. Huius *matrimonii* & *naufragii* meminit quoque ORDERICVS *L. XI. p. 810. Tunc etiam Rex Rotroni, Mauritaniae Comiti, aliam ſobolem coniunxit, quae marito ſuo filiam, nomine Philippam, peperit.* Et *Lib. XII. p. 870. Guillelmus*, inquit, *& Ricardus, filii Regis, & ſoror eorum Mathildis, vxor Rotronis, Moritoniae Conſulis, periere.* Tranſiit Rotroccus ad ſecunda vota, & ex altera Coniuge, cuius & nomen & genus ignoramus, duos filios ſuſcepit, *Rotroccum & Gaufridum*, Henrici Leonis generum. Pater *Rotroccus* Anno

1143.

r) CAESAR HEISTERBACENS. *L. VII. memorabil. c. 9.* In prouincia Partica *domus Ordinis Ciſtercienſis ſita eſt, quae* Trappa *vocatur.* Huius Tabularium ſi excutere nobis liceret, plura procul dubio erui a nobis poſſent vetuſtiſſimae nobilitatis Comitum Perticenſium documenta. Sed forte qui captandae gloriae tam auidi ſunt Galli hoc negotium dabunt viro docto, vt etiam huius gentis priſcam dignitatem eruat & ab obliuione vindicet.

1143. in obſidione arcis Rotomagenſis interiit; vidua autem *Roberto, Comiti Droccnſi, Ludouici VII. Regis Galliae fratri*, renupſit. Vnde concludas, *nobiliſſimi* eam *generis* fuiſſe. Maior natu filiorum Theobaldi Comitis Bleſenſis ſororem in matrimonio habuit, vti *Gaufridus* minor *Mathildem*, filiam Henrici Leonis. Dicta confirmat AVCTOR *Chronicae Normanniae*, quem IO. BESLIVS *Hiſtor. Pictau. p. 492.* RICARDVM HAGVLSLADENSEM appellat, ad annum 1143. *p. 981.* ita ſcribens: *In illa obſidione* (turris Rotomagenſis) *mortuus eſt Perticenſis Comes Rotroccus, relinquens duos filios paruulos, Rotroccum & Gaufridum. Vxorem vero ſuam poſtea Ludouicus Rex Francorum dedit Roberto fratri ſuo.* Et ad annum 1151. *p. 987. Rex Francorum, inſtigante eum Comite maxime Roberto, fratre ſuo, qui duxerat relictam Rotronis, Comitis Moritoniae, & cui idem Rex dederat caſtrum Dorcaſinum, - - caſtrum flammis tradidit.* Porro ad annum 1157. *p. 994. Rotroccus, Comes Moritoniae, ſororius Comitis Bleſenſis Theobaldi, ſiquidem vnam eius ſororem duxerat, qui vſitatius dicitur Comes Perticenſis, reddidit Henrico II. Regi duo caſtella, Molinas & Bonum molinum, quae erant dominica Ducis Normanniae, & quae poſt mortem Regis Henrici I. Rotroccus Comes, pater huius Rotrocci, occupauerat. Rex autem Henricus conceſſit eidem Rotrocco Belliſſimum caſtrum, & ille fecit Regi propter hoc homagium.* Infra p. 582. videbimus, quomodo *Gaufridus* Comes Perticenſis a Rege Iohanne *Molinas & Bonum molinum* recuperauerit, & in feudum acceperit. Filius eius *Thomas Comes Perticenſis*, cuius Chartani infra p. 585. produximus, *iuuenis* anno 1217. *cum multis aliis* Gallis *apud Lincolniam, Angliae ciuitatem*, teſte CHRONOGRAPHO TVRONENSI *apud* MARTEN. *Collect. Ampliſſ. T. V. p. 1058.* occiſus eſt. Quod omne licet imperfectum adhuc ſit, neque integram gentis huius nobiliſſimae delineationem contineat, ſcopo tamen noſtro ſufficit, & praeclaram Gaufridi, Henrici Leonis generi, nobilitatem euincit. Iam enim ex hactenus dictis tale ſchema genealogicum oritur:

Rotronus ſeu Rotroccus I. Comes Moritoniae.

Gaufridus Comes Pertici & Corbolii † 1099.
Vx. Beatrix, filia Comitis de Rupe Forti.

Mathildis filia Henrici I. Angliae Regis † 1119. =1= Rotroccus II. filius vnicus † 1143. Rotomagi. =2= Nobilis femina, quae vidua nupſit Roberto Comiti Drocenſi, Ludouici VII. Regis Galliae fratri.

Philippina.

Rotroccus III. Vx. N. N. filia Theobaldi Comitis Bleſenſis.

Gaufridus II. Comes Pertici † 1201. = Mathildis, Henrici Leonis filia † 1209. ipſa poſt mortem Gaufridi Inguerranno de Cuciaco nupſit. vide infr. p. 174.

Thomas, Comes de Pertico, occurrit 1203. 1214. 1217. quo anno occiſus eſt apud Lincolniam in Anglia.

§. 20.

Sed ſemel adhuc ad *Henricum Palatinum* reuertamur. Pietatis enim ſpeciminibus, quibus erga loca ſacra munificum ſe & liberalem exhibendo memoriam ſuam poſteritati commendauit, addenda etiam eſt Charta, qua is cum fratre Wilhelmo Walckenriedenſibus duos manſos in Badera A. 1197. confirmauit. Recitat eam ECKSTORM *in Chron. Walkenried. p. 57.* his verbis: *In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis.* HENRICVS Dei gratia Dux Saxonie & Comes Palatinus Rheni. *Ad perpetuam notitiam tam preſentium quam futurorum fidelium venire cupimus, quod Albertus de Salza conſentientibus heredibus ſuis, Alexandro, Ludouico fratribus ſuis, & ſororibus ſuis Ode & Peterſche, & matre ſua Peterſche, duos manſos in Badere, coram nobis &* fratre noſtro Wilhelmo, *& nobis aſſenſum prebentibus, quia Miniſterialis noſter eſt, Monachis de Walckenrede, cum omni integritate, paſcuis, ſiluis & piſcationibus pro decem & nouem marcis vendidit. Huius rei teſtes ſunt:*

Analecta quaedam de piis donationibus, quas Henricus Palatinus fecit.

Folbertus S. Cyriaci in Brunſuic Prepoſitus.

Prepoſitus David.
Albertus Notarius S. Blaſii Canonicus.
Laici: Lutthurius de Veltheim.
Baldewinus de Volckmarode.
Anno de Blanckenburg.
Euerhardus Bere.

Facta ſunt hec anno Domini MCXCVII. Indictione decima quinta. Ne autem contra hanc venditionem tam rationabiliter factam in poſterum quis venire preſumat, preſenti Chartula teſtimoniali ſupradictam eccleſiam ſigilli noſtri impreſſione ſignata communiuimus. Sed longe pinguior eſt donatio, quam A. 1204. Abbatiae S. Mariae Stadenſi fecit Henricus noſter, de qua ex Catalogo Abbatum Mſct. ſequentia refert G. ROTH. *rerum Stadenſ. p. 47. Huius Abbatis* (Chriſtophori, cui Chronographus ſucceſſit Albertus) *tempore Anno Domini MCCIV.* Henricus Dux Saxonie & Bauarie, Comes Palatinus Rheni, filius Henrici Leonis, *ob gratam dilecte coniugis recordationem in Monaſterii choro ſepulte, dedit Monaſterio bona in Herdorp, Villah, & Wibenkaten cum omnibus iuribus & attinentiis & omnem ſuam hereditatem in Ditmarcia, videlicet Ländereyen by Tellingſtäde, Bockwolde ſiluam, Borcholte & Oldenborpe by Meldorpe, & aliorum nomina ſunt immutata.* Chartam donationis ipſam fruſtra hactenus quaeſiui, quae tamen ſi ederetur, pluribus Principis munificentiam euinceret. Quomodocumque ſit, id ex his verbis diſcimus, quid *de hereditate Ditmarſica*, quae in diuiſione Prouinciarum paternarum A. 1203. ei obtigerat, (vide infr. p. 202. & 626.) Henricus Palatinus fecerit.

§. 21.

Eius filia Irmingardis, Hermanno Marchioni Badenſi nupta, totius Sereniſſimae Badenſis Familiae mater atque propagatrix exſtitit.

Henricus Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni obiit, vt infra p. 231. vberius docetur, A. 1227. relictis ex prima vxore Agnete Palatina duabus filiabus, *Irmengardi*, Hermanno Marchioni Badenſi nupta, & *Agnete*, quam vxorem duxerat Otto illuſtris, Bauariae Dux, (vid. infr. p. 239. ſqq.) Vtraque mater exſtitit & propagatrix illuſtris ſtemmatis, huc dum in Germania inter Illuſtriſſimas Familias Numinis beneficio florentis. Vtraque tamen hoc ſingulare fatum habuit, quod vnus nepotum ſuorum fatali furentis gladii ſupplicio & cruenta morte in ipſo iuuenilis aetatis flore perierit. Et *Irmengardis* quidem *Badenſis*, *primogenita*, (vt accuratiſſime & Imperiali diplomati A. 1234. dato, quod N. XLVIII. inter Probationes ad T. IV. recitabimus, conuenienter prorſus ALBERTVS STADENSIS ad A. 1227. *p. 304.* ſcripſit:) *Agnes* vero Bauarica *natu minor* erat; licet ordinem hunc peruerterint Scriptores quamplurimi, veluti HVBNERVS *tab. 151.* & *tab. 230.* FELLERVS *hiſtor. Genealog. Brunſuic. p. 373.* PFEFFINGERVS *hiſtor. Brunſuic. T. I. p. 82.* aliique, qui coecos huiusmodi duces minus caute ſecuti ſunt. Vendidiſſe Irmengardim Imperatori ſua in patrimonium Brunſuicenſe iura, quae tamen ſuperſtite Ottone Puero, vero omnium bonorum, quae Henrici Leonis quondam fuerant, herede, nulla habere poterat, tum infra p. 230. tum T. IV. vberius narratur; pro quibus accepiſſe eam *Lauffen*, *Sinesheim* & *Eppingen*, nec non *feudi titulo* ciuitatem *Ettelingen* & ciuitatem *Durlac* ex excerpto VRSTISIANO obſeruauit Illuſtris Dn. GRVBERVS infra *p. 43. not. y.* vbi ſimul alia plura huc facientia in medium ſe prolaturum promiſit, quae tamen fruſtra in eius ſchedis, quotquot quidem mihi traditae ſunt, quaeſiui; atque hinc qualia fuerint cum ignariſſimis ſcio. Interim cum alia, quam egregia & arida pumice expolita numquam dederit Gruberiana doctrina, procul dubio etiam haec ſi alicubi locorum exſtant, arroſos vngues bene redolebunt; vt praeclare omnino de hiſtoria meriturus ſit, qui ea in lucem produxerit. Vrſtiſianum autem hoc excerptum vera narraſſe quodammodo probant ea, quae habet SCHVRZFLEISCHIVS *in diſſertatione de rebus Badenſibus* §. 3. Vbi *Hermannus*, inquit, *inprimis connubio Irmengardis & opes & potentiam auxit, adiectisque ſuperiori hereditati oppidis Durlaco, Pforzhemio atque Etlinga ab Imperatore Friderico II. impetrauit, vt totum hoc vxorii iuris negotium publicis tabulis ratum haberetur. Id cura prouidentiaque ſua conſecutus rem publicam omnibus modis iuuit.* Quamquam non ſatis accuratum fuiſſe SCHVRZFLEISCHIVM, cum haec ſcriberet, nec ipſas tabulas, de quibus loquitur, inſpexiſſe ſuſpicor. CRVSIVS enim, qui *Annal. Sueu. T. III. Lib. II. c. 20. p. 123.* ex Imperatoris Friderici II. beneficio *Durlacum* Marchioni Badenſi obueniſſe refert, non meminit, quod etiam hanc ciuitatem aliaque bona, quae antea *Comitum Kraichgouienſium* fuiſſe ſcribit, Hermanni coniux ob ceſſam Brunſuicenſem hereditatem promeruerit.

Digitized by Google

fuerit. Interim cum mox addit, *maiora incrementa Badenſibus Marchionibus poſt exſtinctam Hohenſtaufenſium Familiam*, cuius ipſa Irmengardis ob matrem Agnetem ſurculus erat, *acceſſiſſe*, non obſcure inculcat, quam hoc matrimonium Hermanno eiusque poſteris proficuum fuerit. Sic *Pforzhemium*, ait, *& Zella, quae pertinuerat ad Ducatum Sueuicum, poſt mortem Conradini peruenerunt ad Marchiones Badenſes, quibus etiam Fridericus II. deficiente Comitatu Kraichgouienſi, & feudalibus locis ad Imperium redeuntibus, Durlacum & Haidelsheimium donauerat.* Sed de his *territorii & ditionum incrementis* ii agant docti viri, quibus Badenſia tabularia patent. Noſtrum vnice eſt, *Genealogicam familiae cohaeſionem atque primas ab Irmengardi ſatas generationes* oſtendere. Occurrit Irmengardis noſtra cum marito Hermanno in Charta, qua A. 1233. Monachi de Alba (Herrn Alba) Ordinis Ciſtercienſis in Dioeceſi Spirenſi a telonio, vulgo *Vngelt* dicto, liberantur, cuius compendium IOH. MEICHSNERVS *in Deciſ. Cameral. T. IV. dec. 35. p. 996.* exhibet, qui tamen perperam tempus, quo Charta ſcripta eſt, in A. 1533. reiicit, cum integris trecentis annis vetuſtior ſit. Eius filius *Rudolfus* in alia Charta A. 1251. data, atque *ibidem l. c.* obuia, tam vtriusque parentis, quam fratris ſui meminit, quem *Hermannum* nominatum fuiſſe ex BERNARDINI *epitome faſtorum Lucellenſium* Bruntruti A. 1656. typis exſcripta *p. 152.* diſcimus. Ibi enim ex *monumento de fundatione Lucidae vallis* ſequentia habentur: *Anno MCCXLVII. in illo magno ſchiſmate, quod fuit inter Eccleſiam & Fridericum Imperatorem, tenente cathedram Romane Eccleſie Innocentio IV. Marchioniſſa* **Irmengardis** *cum duobus filiis ſuis* **Hermanno & Rudolfo**, *Nonna Trutlinde femina religioſa de Walde aſſumpta, & in primam huius loci Abbatiſſam creata, ad capitulum generale Ordinis Ciſtercienſis pro incorporatione domus litteras direxit. Quibus receptis & lectis, petitioneque admiſſa, commiſſa eſt inſpectio loci venerabilibus Abbatibus de Mulenborne* (Maulbrun) *& Tennebacenſi.* Hermannus, filiorum Irmengardis primogenitus, Gertrudem Auſtriacam, filiam Henrici Ducis, coniugem nactus, ex ea filium habuit *Fridericum*, (in quem mater ſpem hereditariae in Ducatu Auſtriaco ſucceſſionis iam transſcripſerat, cum A. 1268. Neapoli iuſſu Caroli Andegauenſis capite plecteretur;) atque filiam *Agnetem*, Vlrico Duci Carinthiae nuptam. Teſtes huius rei habemus STERONEM & AVCTOREM *Chronici Auguſtani*, iam a Dn. ECCARDO *infra p. 240.* adductos, atque hinc non iterum exſcribendos. Gentem igitur propagauit *Rudolfus, Irmengardis filius, natu minor*, qui duos filios ſibi cognomines habuit, ceu ex donationibus praedicto Clauſtro de Alba factis apud MEICHSNERVM *l. c. p. 992.* diſcimus. Senioris Rudolfi coniux, Adelhais Comitiſſa de Ochſenſtein, ibi diſertim nominatur. Vtri horum adſcribenda ſit Charta a Perilluſtri Dn. DE GVDENVS *Syllog. I. p. 233.* vulgata, qua **Rudolfus Marchio de Baden** *Abbati & Conuentui de Schonaugia vniuerſa bona in Oppbowen ſita, quae ad ipſos a ſuo proauo* (Henrico Palatino) *beneficio pietatis & elemoſine deſcendiſſe noſcuntur, vendendi, vel alio quoquo modo ad vſus forſitan meliores alienandi* facultatem liberam concedit, *maxime cum ad hoc ipſum dilecti* **cognati ſui** *Ludouici Comitis Palatini & Ducis Bauarie ſe voluntas optulerit & conſenſus. Datum anno Domini MCCLX.* non facile dixerim. Nec magis ſcio, quisnam ex duobus his fratribus ille ſit *Rudolfus Marchio de Baden*, qui apud BESOLDVM *Docum. Monaſter. Virg. Wurtemberg. p. 372.* Curiam ſuam in Steinheim monialibus ibidem degentibus A. 1255. vendidit; & vtrum, quod forte ſuſpicor, Marchionis huius Rudolfi gener fuerit ille *Bertholdus de Blanchenſtein*, qui ibidem *p. 373.* in Charta de A. 1260. his Steinheimenſibus ſacris ſororibus cauet, *quod ſi Dominus* **Rudolphus Marchio de Baden** *praedium, quod iis vendidit, reemerit, ipſe de conſilio Prioris fratrum Predicatorum in Ezzelingen, & Prioriſſe & conuentus ſororum in Steinhein, & aliorum bonorum hominum, de eodem precio alia predia comparare, & ea nomine clauſtri ad vitam ſuam, tamen eadem conditione, qua nunc emptum, tenere velit.* Neque enim in hoc argumento alia mihi ſubſidia ad manus ſunt, quam vulgares Genealogiarum Scriptores, apud quos tamen nullum *Bertholdum de Blanchenſtein*, neque *Eliſabetham* eius coniugem, cuius etiam ibidem mentio fit, in Badenſium Marchionum ſtemmate inuenio. Hoc vnum omnes, quos noui, Scriptores dicunt, a neutro horum ſatum eſſe genus Marchionum, ſed ſolum ſtemmatis propagatorem fuiſſe *Hermannum*, Rudolforum fratrem, vtpote cui filios adſcribunt *Fridericum* & *Rudolfum*, a quo vltimo *in recta linea* INCLYTISSIMA MARCHIONVM BADENSIVM FAMILIA deſcendit. Friderici Charta iterum apud MEICHSNERVM *l. c. p. 993.* extat, qua

A. 1296. *villam Langenſteinbach ſibi iure proprietatis attinentem, cum Marchia tota, & campis, ſyluis, agris, pratis, aquis, viis, inuiis, Almendis, communitatibus & commoditatibus vniuerſis, beſucht und unbeſucht, & ius Aduocatiae, Dubae, Frevel, Stewer, Beede, Einunge, Hauptrecht und Herdrecht, & vſum glandium, qui dicitur Debem, cum cenſibus, redditibus & hominibus propriis, qui iisdem bonis attinent, aut qui ſibi attinebant, & tum temporis in iisdem morabantur, cum omnibus iuribus & vtilitatibus ac attinentiis vniuerſis, quocunque nomine cenſeantur Clauſtro Monachorum in Alba pro 550. libris, quas ſe integraliter recepiſſe profitetur*, vendidit. Verum haec quidem pro praeſenti ſcopo noſtro ſufficiant. Neque enim doctos viros, quibus ad res Badenſes ſcribendas in tabulariis DOMVS SERENISSIMAE amplior ſeges naſcitur, docere volumus, vbi vetuſtiſſima Gentis monumenta lateant; ſed haec eum ſolum in finem congeſſimus, vt confutemus inſrunitum FELLERI noſtratis aliorumque errorem, quorum ille de Irmengardi agens *in Hiſtor. Brunſuic. p. 373.* eam vnius quidem in *Marchionum Badenſium arbore Genealogica rami matrem* dixit, ſed illius, qui mox in Friderico capite plexo exaruit; cum tamen vniuerſam CELSISSIMAM FAMILIAM, hodienum opibus & Prouinciis florentiſſimam, ab Irmengardi noſtra originem duxiſſe euidentiſſime pateat. At enim condonanda ſunt haec homini, cuius nullae vmquam in ſcribenda DOMVS AVGVSTAE hiſtoria partes fuiſſent, niſi quae LEIBNITIO, cui a manibus erat, ſubtraxerat, poſt mortem Summi Viri pro ſuis venditare, quam legitimo auctori reſtituere maluiſſet. Vnde non mirum, eum toties caecutiiſſe & lapſum eſſe turpiter, quoties extra ſchedas LEIBNITII aliquid affirmare auſus eſt.

§. 22.

Ex altera vero filia Agnete, Ottoni illuſtri Bauariae Duci nupta, Sereniſſimae gentes, Bauarica & Palatina, deſcendunt.

De *Agnetis Bauaricae* liberis copioſior adhuc dicendi ſeges ſupereſſet, ſi quidem ea vellemus congerere, quae non tam ad res noſtras, quam quidem pro ſtatu Bauariae illuſtrando faciunt, ad quem explicandum etiam diplomata huc dum inedita nobis non deſunt. Verum cum typographus vrgeat, vt proxime inſtantium nundinarum rationem habeamus, contrahenda potius, quam explicanda nobis vela eſſe probe intelligimus. Itaque pauca tantummodo, ſed quae potiora credimus, proferamus in medium. Habemus in manibus Chartam ſine die & conſule ſcriptam, qua *OTTO Dei gratia Palatinus Comes Rheni Dux Bauariae notum eſſe vult, quod ob remedium animae patris ſui, nec non ob ſalutem ſuam, & vxoris Agnetis, & dilecti filii ſui Ludeuici eccleſiae Sancti Lamberti Martyris in Subin & fratribus ibidem Deo ſeruientibus hanc praerogatiuam conceſſerit, vt quaedam ad victum neceſſaria ſingulis annis ſine vectigali gratis ad Clauſtrum ſuum deferre poſſint.* Hanc igitur Chartam ante A. 1235. quo Henricus, ſecundus Agnetis & Ottonis Ducis filius, natus eſt, ſcriptam eſſe oportet. Chartam ipſam recitabimus: *In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis Amen.* OTTO *Dei gratia* Palatinus Comes Rheni Dux Bawarie *vniuerſis preſentem paginam inſpecturis ſalutem in eo, qui eſt vera ſalus. Notum eſſe volumus vniuerſis, quod nos ob remedium anime* patris noſtri *pie memorie*, Ludwici, *nec non ob ſalutem noſtram &* vxoris noſtre Agnetis *& dilecti filii noſtri* Ludwici *eccleſiae ſancti Lamberti Martiris in Subin & fratribus ibidem Deo ſeruientibus hanc prerogatiuam conceſſimus, vt apud Burchuſen & alias mutas, infra Saliſpurgam & Pataniam ſitas, omni exactione ſopita, in victualibus ſuis videlicet XII. Cupparum ſalis & II. mille caſeos liberam habeant transuecturam.*

Huius rei teſtes ſunt hii:

Comes Conradus de Mosbach.
Comes Otto de Grunenbach.
Hoboldus de Wolintſa.
Siſridus de Vrowenburch.
Prepoſitus de Ranesbouen.
Mutenarii Perhtoldus, Karulus.

A. 1251. *Ottonem Ducem* & ambos eius filios, *Ludouicum & Henricum* Praepoſitus & totus Conuentus in Homberg Aduocatos ſibi elegit, & ſeruitia eis exhibenda deſcripſit Charta, quam ſubiicimus his verbis ſcripta: *Vlricus Dei gratia Prepoſitus & Archidiaconus Houmbergenſis & Conuentus loci eiusdem, omnibus hanc litteram inſpecturis ſalutem. Quoniam actus modernorum in obliuionem volubilitate temporum deducuntur, niſi ſcripture memoria confirmentur, preſenti ſcripto peruenire volumus ad noticiam poſterorum, quod cum*

cum eccleſia noſtra ex antiquis nobilibus fundata, talem huc vſque habuerit & habeat libertatem eligendi aduocatum, nos, Domino Rapotone Palatino Comite Bawarie decedente, ſicut tunc eccleſia noſtra carebat aduocato, Dominum Ottonem *Illuſtrem Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bawarie, nec non* Ludewicum & Heinricum, filios eiusdem, *bona deliberatione prebabita elegimus in aduocatos & defenſores, promittentes eis omnia ſeruicia exhibere, que ſubſcripta inueniuntur, videlicet de Vogetmulte menſuram Palatinam conſuetam, agnos ad valentiam VIII. denariorum. Nulli equo dabitur plus, quam vna metreta Hohonowerenſis antique menſure, nec ſerui colonum vel familia eorum a ſeruis Domini Ducis in pabulo vel cibo vlterius grauabuntur. Item Steure non imponentur, niſi aliquo ex nobis preſente, qui cognoſcat hominum poſſibilitatem, & per quod hominibus poſſit caueri: Nullum* Tagwerch *ab hominibus noſtris debet exigi, quam diu ſunt in agrorum cultura, moderate etiam ab eis aliis temporibus exigetur. Item libertas Eccleſie & emunitas, tam in principali dote quam in familia, que ſeruit in victu cottidiano, ſine qualibet exactione & vexatione manebit. Item homines noſtri primo coram Prepoſito, niſi ſit manus ſanguinolenta, vel enormis leſio verberum, conueniantur. Item predia, que conferuntur eccleſie ab alienis, qui non attinent Domino Duci, ſi ſine aduocatia conferuntur, iure aduocatie non vexentur; Si vero aliquis ex familia Ducum conferat predium eccleſie, quod ad ius eorum non pertinet, predicta gaudeat libertate. Si autem aliquid conferatur, quod ad ius memoratorum Ducum dinoſcitur pertinere, ius ſuſtineat aduocatie. Item ſi plauſtra, que conſueuerunt ire Hohennowe, aliquo caſu Troſtberch diuerterint, officialis noſter recipiat theloneum; nec a quoquam recipere prohibeatur. Item de qualibet area in foro Troſtberch, quinque denarii nobis ſoluentur, niſi area ſit minor, quod talem cenſum ſoluere non poſſit. Item cenſus de hortis iam cultis & colendis ſecundum noſtram & duorum ciuium eſtimationem nobis etiam perſoluetur. Vt autem hec rata & inconuulſa permaneant, preſentem cartam exinde conſcribi, & appenſione ſigillorum noſtrorum fecimus communiri.*

Teſtes ſunt:

Ortliebius Prepoſitus de Ranshouen.
Swicherus Prepoſitus de Ottingen.
Erbo Notarius Ducis, &
Nycolaus Notarius Domine Duciſſe.
Hoboldus de Welenſa.
Sifridus & Otto de Vrownberch fratres.
Iohannes Dapifer; & alii quam plures.

Data in felici Caſtro noſtro Landeshut. Anno Domini M°. CC°. L°. primo. X^a. Indictione.

Ipſe Otto Dux A. 1241. aream quandam & partem cuiusdam areae Ratisbonae apud Capellam S. Saluatoris fratribus Minorum donans, *hac tamen* inquit *conditione donauimus, vt poſt obitum noſtrum &* Agnetis, *noſtre coniugis dilectiſſime, anniuerſarios iidem fratres in perpetuum debeant celebrare.* Audi iterum, ſi placet, Chartam ipſam: *In Nomine ſancte & Indiuidue Trinitatis Amen.* OTTO *Dei gracia* Palatinus Comes Rheni Dux Bawarie, *omnibus in perpetuum ſalutem in vero ſalutari. Notum ſit omnibus tam preſentibus quam futuris preſentem paginam inſpecturis, quod nos de noſtra plena liberalitate, in remedium anime noſtre, ob diuine pietatis intuitum, in vſum fratrum minorum apud Capellam ſancti Saluatoris degentium, aream illam, in qua ſedet Ymma vidua, quam a nobis Vlricus, & frater eius Cunradus milites, dicti de Schillingeswiſen, feodali iure poſſidebant, & partem illius aree Domini Rudegeri, quam a nobis etiam eodem iure Cunradus miles poſſidebat de Schroſthouen, contulimus eisdem plene & liberaliter imperpetuum poſſidendas. Hac tamen conditione donauimus,* vt poſt obitum noſtrum & noſtre coniugis dilectiſſime anniuerſarios *eidem fratres imperpetuum debeant celebrare.*

Teſtes autem huius noſtre donationis ſunt hii:

Dominus Fridericus & filius eius de Thruhendingen.
Comes Cunradus de Moſeburc.
Albardus de Priſingen.
Sifridus de Vrowenburc.
Heinricus Notarius Ducis.
Fridericus de Stauph.
Gotfridus Capellanus Ducis.
Cunradus Canonicus Wormacienſis.
Richperus, Cunradus de Hohenuels.

Hortlibus de Heide.
Otto de Werde.
Eberhardus de Clybeim.
Heitwlcus Ciuis Ratiſponenſis, & alii quamplures.
Acta ſunt hec anno Incarnationis Domini MCCXLI.
*Datum in Ratiſpona nono Kal. Maii Luna IX*ᵃ*. Indictione XIIII*ᵃ*. Ciclo ſeptimo.*

Appendet ſigillum, in quo eques loricatus, dextra vexillum, ſiniſtra ſcutum ferens conſpicitur. In ſcuto apparet leo erectus cum duplici cauda. Circum legitur inſcriptio: ✠ OTTO DEI GRACIA DVX BAVWARIE.

Poſt mortem patris *Ludouicus*, cui ſeuera erga coniugem Mariam, violati tori ream, animaduerſio *Seueri* nomen apud poſteros contraxit, & *Henricus* patrimonium & Prouincias inter ſe diuiſerunt. Quae ipſa diuiſio, vt fieri ſolet, multis inter ipſos litibus & altercationibus anſam praebuit, ſopitis ſaepius, ſaepius iterum excitatis & recrudeſcentibus, ceu ſola inſpectio transactionum A. 1262. 1276. & 1278. initarum vberius docet. Non tamen cautiorem reddiderunt Ludouicum hae ipſae domeſticae turbae: Immo potius cum ipſi iterum duo filii eſſent, *Rudolfus* & *Ludouicus*, qui poſtea Imperator factus, de iuribus primogeniturae ſtabiliendis parum ſollicitus, A. 1281. ab Imperatore Rudolfo Habsburgico impetrauit, vt, ſi forte diem obiret ſupremum, ſuae Prouinciae atque ditiones aequis partibus inter hos rurſus diuiderentur. (s) Id

r) Diploma iterum ſubiicimus, ignari vtrum iam editum ſit, nec ne? RVDOLFVS *Dei gracia* Romanorum Rex ſemper Auguſtus, *vniuerſis Sacri Imperii Romani fidelibus preſentes litteras inſpecturis, graciam ſuam & omne bonum. Romani decus Imperii in Principibus, quaſi columpnis egregiis, quibus innititur, mirifice ſolidatum, nobilioris decoris ornamentum induit, dum iidem Principes in ſuo vigore durabilioris permanentie ſuſcipiunt incrementum. Nec ipſum Imperium poſſet perſiſtere, ſed minaretur confractis parietibus ad ruinam, ſi ſtatus Principum tenderet ad occaſum. Volentes igitur in filiis Illuſtris* L. Comitis Palatini Rheni Ducis Bawarie, *Principis noſtri kariſſimi, ruine huiusmodi, ſalutari remedio, obuiare, ad vniuerſos preſentis etatis homines & future volumus peruenire, quod idem Dux Bawarie in noſtra preſentia conſtitutus,* ad manus noſtras libere reſignauit Principatus & omnia alia feoda, que a nobis & Romano Imperio tenuit & poſſedit, *deuote ſupplicans noſtre Regie Maieſtati, quod ſibi &* Ludewico *ac* Rudolfo, *& iterum* Ludewico, filiis ſuis, *predictos Principatus & feoda clementer concedere dignaremur. Cuius nos precibus & inſtancia annuentes, eidem Principi noſtro & ſuis filiis prenotatis, principatus & feoda omnia, que vel quos a Celſitudine noſtra & Imperio tenuit, habuit & poſſedit, in feodum conceſſimus & concedimus, & eosdem inueſtiuimus & inueſtimus ſollempnitate debita de eisdem. Voluit tamen predictus Princeps noſter, & ſic etiam de ipſius conſenſu & beneplacito memoratam inueſtituram valere volumus, & eidem talem legem impoſuimus, quod prefati Principis noſtri filii,* ſupradicta feoda, & omnia bona ſua paterna pariter & materna, cum ad eos deuenerint, reliquis memorati ſui patris liberis, *quos iam habet, vel ſucceſſu temporis ex Illuſtri filia noſtra, thori ſui conſorte clariſſima, procreauerit,* condiuiderent, & per omnia in premiſſis omnibus & ſingulis ipſis equam legem in diuiſione ſeruarent, *quod quia predicti fratres approbauerunt, laudauerunt, & ſe non contrauenturos aliquo tempore promiſerunt, in noſtra & infra ſcriptorum preſentia in euidens & perpetuum omnium premiſſorum teſtimonium, ſigilla venerabilium Babenbergenſis, Herbipolenſis Epiſcoporum & Abbatis Vuldenſis ac Illuſtris L. Ducis predicti, vna cum noſtro ſigillo preſentibus ſunt appenſa.*

Teſtes vero huius rei ſunt honorabiles viri:
Magiſter G. Pattauienſis Prepoſitus, noſter Prothonotarius.
Magiſter Andreas Werdenſis Prepoſitus, noſter Notarius.
Illuſtris Hartmannus Comes de Habsburch, filius noſter.
Nobiles viri Hermannus Comes de Hennenberch,
F. Burggrauius de Nurenberg.
Gebhardus Comes de Hirzperch.
Henricus Marchio de Burgawe.
Bertholdus Comes de Graiſpach.
Eberhardus Comes de Catzenellenboge.
Fridericus Comes de Trubendingen.
Fridericus Lantgrauius de Lückenberg & F. filius ſuus.
Chraſto & Godefridus de Hohenloch.
Eberhardus & Vlricus de Sluzzelberch.
Hadmarus de Laber.
Herdegeno de Grindelah.
Hiltprandus Marſcalcus de Bappenhaim.
Chunradus de Ernuels.
Ch. de Paulstorf.
Dietricus de Wildenſtain.
Eberhardus de Curia &
Heinricus de Parſperch, ac quam plures alii fide digni.
Datum Nurenberch Kalend. Auguſti Indictione IX. Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo octogeſimo primo; Regni vero noſtri anno Octauo.

(Appendent quinque ſigilla, quorum in Charta mentio ſit, integra adhuc & illaeſa.)

Digitized by Google

Id quod poſtea multarum ſimultatum atque odii fere implacabilis cauſſa inter SERENISSIMAS DOMVS, PALATINAM ET BAVARICAM, ab his fratribus ſatas, exſtitit; quod vulnus noſtra demum aetate ſanauit diuina prouidentia.

§. 23.

Hiſtoria initi inter Ottonem Strenuum, Ducem Brunſuicenſem, & Mathildem Bauaricam matrimonii,

Iucundiſſimum autem fore arbitror, cum *Ludouici Seueri filia, Mathildis*, priſtinos illos *inter Domum Brunſuicenſem & Bauaricam amicitiae & coniunctionis nexus*, inito cum *Ottone Strenuo* matrimonio prima iterum renouauit, vt huius ipſius connubialis foederis breuis hiſtoria ex meris Chartis ineditis ſubiiciatur. Praeſertim quod manifeſta ſubſint documenta, quae hoc matrimonium *ex ratione ſtatus*, vt loqui ſolent Politici, initum probant, eoque ſopitas dicunt non modo veteres inter vtramque Domum Sereniſſimam ſimultates, verum etiam lites, quae *de Ducatu Saxonico* hactenus *inter Henrici Leonis & Bernhardi poſteros* continuatae videntur. Producimus igitur primo loco procuratorium *Ottonis*, Ducis Brunſuicenſis & Luneburgici, quo Ablegatos ſuos, nimirum Patruum ſuum *Cunradum Verdenſem Epiſcopum, & Hildemarum de Obergen, Balduinum de Wenden & Marquardum dictum Hauerwer*, A. 1287. ad *Ludouicum*, Comitem Palatinum & Bauariae Ducem, miſit, vt *cum vna filiarum eius ſponſalia* vel *matrimonium ſuo nomine contraherent*. (N. 1.) Quia vero tam arcta inter ſponſum & ſponſam interceſſerat conſanguinitas, quae matrimonii vinculum impediebat; (t) hinc etiam de hoc impedimento tollendo ſolliciti, ſummi Sacerdotii, a quo ſibi nuptias has interdictas nouerant, gratiam atque indulgentiam eum in finem implorabant, vt ab obligatione legis huius ſoluerentur. Negotium, vt eo celerius perficeretur, mirifice promouit Rudolfus Habsburgicus, ſponſae auus, qui ſtabiliendo imperio ſuo nihil ſalutarius duxerat, quam vt Ottonem noſtrum, Principem potentiſſimum, hoc modo Familiae ſuae arctius deuinciret, & cum Alberto Saxoniae Duce, genero ſuo, affinitate conglutinatum eo facilius in concordiam reduceret. Atque hinc facile ſe induci paſſus eſt Iohannes Tuſculanus Epiſcopus, Apoſtolicae Sedis Legatus, vt eodem adhuc anno ſolemnes diſpenſationis litteras expediri iuſſerit. (N. 2.) His impetratis *pacta dotalia* ſcripta ſunt, quibus pater virginis ſex millia marcarum puri argenti Colonienſis ponderis dotis nomine ſe daturum promiſit; ſponſus vero facta *donatione propter nuptias* Caſtrum & ciuitatem Luneburgum & alia praedia ſponſae ita obligauit, vt, ſi forte ipſi ſuperſtes foret Mechtildis, ipſamet poſt mortem eius, dum viueret, vel ſingulis annis, reditus quatuor millium marcarum ex hiſce fundis perciperet, vel, ſi mallet, vna ſolutione ſibi ſatisfieri, ex iiſdem duodecim millia marcarum puri argenti Colonienſis ponderis ſibi habere poſſit. (N. 3.) Pro vtroque hoc pacto non ſolum nobiles & miniſteriales quam plurimi fidem ſuam interpoſuerunt, atque ſub promiſſo obſtagii vinculo, pro more illius ſaeculi, ſemet obligarunt; (N. 4. & 5.) verum etiam Rudolfus Imperator, ſponſae auus maternus, id quam ſolemniſſime confirmauit. (N. 6.) Cum autem nihilominus in ſolutione dotis promiſſae moras necteret ſocer, atque A. 1292. tria marcarum millia Ottoni noſtro exſoluenda reſtarent, Adolfus Rex Ludouico, Mechtildis patri, promiſit, ſe laudato genero ſuo, *pro maritagio filiae ſuae ſatisfacturum*. Atque hinc Ottoni noſtro maioris fidei & ſecuritatis gratia alterutram ciuitatum, Goslarienſem ſiue Lubecenſem, vſque dum ipſi praedicta trium marcarum ſumma ſolueretur, oppignoratam eſſe voluit: (N. 7.) Quam oppignorationem etiam datis litteris, conſenſus ſui teſtibus, approbarunt Boemundus Archi Epiſcopus Treuirenſis, (N. 8.) Otto Marchio Brandenburgenſis,

t) Schema cognationis hoc erat:

Henricus Leo.

Henricus Palatinus.	Wilhelmus.
Agnes nupta Ottoni Illuſtri Bauariae Duci.	Otto Puer Dux Brunſuicenſis & Luneburgicus.
Ludouicus Seuerus.	Iohannes.
Mechtildis ═══	Otto Strenuus.

genſis, (N. 9.) immo forte reliqui Electores omnes, quorum tamen Chartae nondum ad nos peruenerunt. Singula haec vna contextus ſerie enarranda duximus, ne ſi ipſa, quae excitauimus, diplomata textui interſperſa produceremus, vti ſaepius quidem in hac praefatione a nobis factum eſt, memoriae & attentioni Lectorum graues ſimus. Iam vero hactenus dictorum fidem ſubiunctis his ipſis Chartis facio, quas omnes ex veris ſuis autographis, quae adhuc Monachii in Archiuio Electorali ſeruantur, curatiſſime deſcriptas patriae hiſtoriae & iuris patrii amatores, vt ſpero, heic non ſine animi voluptate excipient.

N. 1.

Procuratorium Ottonis Ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis ſuis ad Ludouici Ducis Bauariae aulam Ablegatis datum, vt nuptias ſibi cum filia eius conciliarent. 1287.

Illuſtri Principi & conſanguineo ſuo kariſſimo, Domino LODWICO *Comiti Palatino Reni & Duci Bawarie*, OTTO Dei gratia *Dux de Braunſwich & Luneburch* cum affectu ſincero paratam ad omnia beneplacita voluntatem. Ad Excellentie veſtre preſen„tiam venerabilem Dominum *Chunradum Verdenſem Epiſcopum*, ac dilectos fideles noſtros „*Hildemarum de Obergen*, *Baldwinum de Wenden* & *Marquardum dictum Hauerwer*, „transmittimus, & Procuratores noſtros conſtituimus, dantes eis plenam auctoritate pre„ſentium poteſtatem, cum vna filiarum veſtrarum, ſi de gratia & diſpenſatione Sedis Apo„ſtolice fieri poterit, *ſponſalia vel matrimonium contrahendi*, dotem requirendi, ac noſtro „nomine recipiendi, donationem propter nuptias promittendi, in animam noſtram de „premiſſis & aliis, de quibus eis videbitur, complendis iurandi, & omnia alia faciendi, „que *veri & legitimi procuratores* facere poterunt in hac parte, etiam in quibus *manda„tum* exigitur *ſpeciale*; ratum & gratum habituri, quicquid in premiſſis, vel aliquo pre„miſſorum, per dictos Procuratores noſtros fuerit ordinatum. In cuius rei teſtimonium „preſentes literas dedimus noſtri Sigilli robore communitas.

„Datum apud *Tſellis* anno ab incarnatione Domini Milleſimo Ducenteſimo Octoge„ſimo ſeptimo; feria ſexta ante Dominicam, qua cantatur Reminiſcere.



N. 2.

Legati Sedis Apoſtolicae diſpenſatio de libere contrahendo matrimonio inter Ottonem Ducem & Mechtildin, Ludouici Ducis Bauariae filiam, impedimento conſanguinitatis non obſtante. 1287.

Iohannes miſeratione diuina Tuſculanus Epiſcopus, Apoſtolice ſedis Legatus. Dilectis nobis in Chriſto, nobili Viro OTTONI *Duci de Loewenburch* & nobili mulieri MECHTHILDI, *nate* nobilis viri LODEWICI *Comitis Palatini Rheni & Bawarie* „*Ducis* ſalutem in Domino. Etſi coniunctio copule coniugalis in quarto conſanguinitatis „vel

„vel affinitatis gradu ſacris ſit Canonibus interdicta nonnumquam, tamen Apoſtolice Sedis „circumſpectio, rigorem manſuetudine temperans, ſuper hiis proinde diſpenſat interdum, „&, quod negat iuris ſeueritas, de gratia pietatis indulget, preſertim cum neceſſitas exi„git, & cauſa rationabilis id expoſcit. Sane oblata nobis ex parte Sereniſſimi Principis, „Domini R. Illuſtris Romanorum Regis, & veſtra petitio continebat, *quod cum olim inter* „*vtriusque veſtrum progenitores*, nec non inter te, OTTONEM & nobilem virum ALBER„TVM *Ducem Saxonie*, cuius filiis tu MECHTHILDIS Conſobrina exiſtis, *graues fuiſſent* „*exorte diſcordie, ac inimicicie capitales*, quarum occaſione multa hinc inde perſonarum & re„rum, & quod grauius eſt, animarum pericula euenerunt, dictus Rex, ex cuius filia tu MECH„THILDIS noſceris procreata, *ne predicte diſcordie, quarum repullulatio timetur*, veriſimiliter „ſuſcitentur, pro deſiderate pacis & concordie federe conſeruando, & *vt ſtatus tranqui*„*litas maxime in partibus Saxonie procuretur*, affectat vos inuicem matrimoniali federe co„pulari, attendens, quod ex hoc Regno ſuo & Imperio ſaluberima quies ſuccedere poteſt „& roboris incrementum. Quia tamen *quarta conſanguinitatis linea* ad inuicem vos con„tingitis a nobis idem Rex & vos ſuppliciter poſtulaſtis, vt vobis de oportuno diſpenſa„tionis beneficio prouideri in hac parte miſericorditer curaremus. Nos itaque malis & „periculis occurrere, deſiderate pacis & quietis obſeruantiam procurare, Regis quoque, & „potiſſimum Regni & Imperii predictorum, tranquilitatis ſtatum augere, & auctum ex„tollere, quantum cum Deo poſſimus, plenis affectibus cupientes, prefati Domini Re„gis & veſtris poſtulationibus inclinati, vobis cum auctoritate litterarum Sanctiſſimi Patris „& Domini noſtri, Domini Honorii Pape *IIIIti*. ſuper huiusmodi diſpenſationibus facien„dis ab eo ſpecialiter nobis commiſſa, quod, conſanguinitatis impedimento non obſtante „predicto, matrimonium inſimul contrahere licite, & in contracto libere remanere poſ„ſitis, de ſpeciali gratia diſpenſamus. In cuius rei teſtimonium preſentes litteras ſigilli „noſtri munimine roboratas vobis duximus concedendas.

„Datum Herbipoli IIII. Kal. Aprilis. Pontificatus Domini Honorii Pape IIIIti.
„Anno ſecundo.

N. 3.

Pacta dotalia inter Ottonem Ducem & Mechtildin Bauaricam. 1287.

Nos Dei gracia OTTO *Brunſwicenſis & Luneburgenſis Dux.* Notum facimus preſencium inſpectoribus vniuerſis, quod facta per Reuerendum in Chriſto Patrem & Dominum Iohannem Epiſcopum Tuſculanum, Apoſtolice Sedis Legatum, coram „Reuerendis in Chriſto patribus & Dominis, Heinrico, Venerabili Archiepiſcopo Mogunti„nenſi, Sacri Imperii per Germaniam Archycancellario, & Venerabili Arnoldo Baben„bergenſis, & Reinbotone Eſtetenſis eccleſiarum Epiſcopis, Reuerendo in Chriſto Patri, „Domino noſtro & *patruo* perdilecto, *Conrado Verdenſi Epiſcopo*, & dilectis fidelibus no„ſtris, *Hildemero de Obergen*, *Balduwino de Wenethen* & *Marquardo dicto Havernher*, pro„curatoribus noſtris, noſtro nomine plena fide per litteras Sanctiſſimi in Chriſto Patris & „Domini noſtri, Domini Honorii Pape quarti, de poteſtate & auctoritate ſibi tradita ſeu „conceſſa, quod cum certo numero perſonarum poſſit, maxime vbi neceſſitas exigeret, „& cauſa racionabilis id expoſceret, diſpenſare, quod non obſtante quarto conſangui„nitatis gradu, licite poſſent matrimonium contrahere, & in contracto libere remanere; „& habita ſeu obtenta ab eo diſpenſatione huiuſmodi & licencia ſpeciali, Magnificus Prin„ceps, amicus noſter Kariſſimus, Dominus LODOWICVS *Comes Palatinus Reni Dux* „*Bawarie*, promiſit noſtro nomine eiſdem Domino Verdenſi Epiſcopo, Hildemero, Bal„duino & Marquardo, noſtris procuratoribus, ad hoc ex parte noſtri habentibus manda„tum ſpeciale, quod nobis Illuſtrem MECHTILDIM *filiam ſuam antiquiorem*, que nos „*quarta conſanguinitatis linea* contingit, a preterita Octaua Paſche vſque ad anni ſpacium „dabit in vxorem legitimam, niſi de vtriusque noſtrum mutua voluntate tempus longius „aut reciſius fuerit moderatum; Ipſis Domino Verdenſi Epiſcopo & aliis procuratoribus „noſtris, quod eam infra eundem terminum petamus, & recipiamus in vxorem, procu„ratorio nomine noſtro, eidem Domino Duci Bawarie promittentibus vice verſa, ſuper „hoc nichilominus per ipſum Dominum Ducem Bawarie & predictos procuratores noſtros „noſtro nomine corporaliter preſtito iuramento. Prefatus eciam Dux Bawarie promiſit „eiſdem noſtris procuratoribus noſtro nomine *ſex milia marcarum puri argenti Colonienſis*

Digitized by Google

„*ponderis nobis in dotem pro ipſa ſua filia ſe daturum:* Quorum ſex milium tria milia conſu-
„mato inter nos & eam matrimonio vſque ad anni ſpacium, & ab inde, a ſolutionis tem-
„pore primo facte, ad annum reſidua tria milia Moguncie nobis ſoluet, & conducet in
„quolibet premiſſorum terminorum ſolutione facta inibi per terminos ſui dominii ſeu di-
„ſtrictus & vlterius, quantum poteſt. Et ſi premiſſa nobis ſeruata non fuerint, Viri no-
„biles Chunradus de Luppurch, Diethalmus de Pruckberg, Wernerus de Praitenekke,
„Vlricus de Lapide, Hadmarus de Laber, & ſtrenui milites, Winhardus de Rorbach, Chun-
„radus de Wildenrod, Eberhardus de Greiffenberch, Chunradus de Egelincen, Eber-
„hardus de Porta, Wicnandus de Eirinſpurch, Chunradus de Paulsdorph, Dietericus
„de Wildenſtain, Eberhardus de Curia, Chalous de Churn, Vlricus Marſcalcus de Leng-
„uelt, Heinricus de Parsberch, Albertus de Murache, Heinricus Iudmannus,
„& Heinricus de Wildenſtein, quos idem Dux dictis procuratoribus noſtris fideiuſſores
„noſtro dedit nomine, per certos nuncios noſtros vel nuncium, cum litteris noſtris,
„quem vel quos ad hoc deſtinauerimus, poſt premiſſorum terminorum quemlibet ſub fide
„data moniti vſque ad decem dies in oppido *Nouo foro obſtagia ſubintrabunt,* non exituri,
„niſi plena ſolutio nobis fiat. Et ſi aliquis ex ipſis fideiuſſoribus medio tempore, quod
„abſit, decederet, ipſe Dominus Dux Bawarie per litteras noſtras monitus, alium eque
„bonum ſubſtituet infra menſem. Prefatis procuratoribus noſtris eidem Domino Duci
„Bawarie pro dicta filia ſua noſtro nomine promittentibus econuerſo, quod nos *introdu-
„ctione eiuſdem filie ſue Caſtrum noſtrum & ciuitatem Luneburg & ea, que habemus in pre-
„dictis Caſtro & ciuitate & alia eiuſdem Caſtri & ciuitatis pertinencia, &, ſi illa non ſuffice-
„rent, in ſupplementum tantum de aliis vicinioribus & pocioribus bonis noſtris immobilibus,
„que* pro bonorum virorum eſtimacione ſeu arbitrio ad hoc communiter eligendorum a
„partibus *ad quatuor milia marcarum puri argenti ſimiliter Colonienſis ponderis, annuatim
„in redditibus ſe extendant,* dabimus *in donationem propter nuptias,* & tam predicta Caſtrum
„& ciuitatem, quam alia bona, de quibus pretactum eſt, que ſibi dederimus cum omni-
„bus pertinentiis ſuis, bonis & hominibus, cuiuscumque ſtatus aut condicionis fuerint,
„iuribus, honoribus & iudiciis, in eam transferemus nomine *donationis propter nuptias,*
„pleno iure per eam, ſiue inſimul heredes habuerimus, ſiue non habuerimus, poſſidenda,
„ſeu tenenda quoad vixerit, abſque liberorum & aliorum contradictione qualibet & impe-
„dimento, ſiue in partibus illis remanſerit, ſeu ad quemcumque locum alium decernitur de-
„clinandum, ſeu & redeundum quandocumque & quocienscumque ſibi videbitur expedire;
„poſtmodum vero ad vtriusque noſtrum heredes, quos inuicem habuerimus, vel illis non
„ſuperſtitibus ad alios heredes noſtros proximos deuoluentur. Si autem, quod abſit,
„nos abſque liberis, quod abſit, ex ea ſuſceptis, premori contingeret, *a tempore mortis
„noſtre, vſque ad biennium,* quandocumque voluerit, *in optione eius erit, an velit pre-
„miſſa omnia in donationem propter nuptias ei data retinere pro tempore vite ſue, vel pro
„eiſdem duodecim milia marcarum puri argenti Colonienſis ponderis acceptare:* De quibus
„duodecim milibus marcarum, ſi ea preelegerit, a tempore facte electionis huius ſibi per
„eos, qui bonorum noſtrorum fuerint legitimi ſucceſſores, ſex milia marcarum vſque ad
„annum, & ab inde ad anni ſpacium reſidua ſex milia integraliter perſoluentur, non tamen
„dimittet predictam ciuitatem & Caſtrum, cum aliis quatuor milium marcarum redditibus
„per nos in donationem propter nuptias ei data, niſi de premiſſis duodecim milibus mar-
„carum fuerit ei totaliter ſatisfactum, non coadiuuante quoad dictorum bonorum dimiſ-
„ſionem particulari ſolucione aliqua in hac parte. Quo biennio deputato pro facienda
„ſolucione huiuſmodi elapſo nec ſatisfacto ei plenarie, ſi cum bonis noluerit diucius rema-
„nere, poteſtatem & facultatem liberam habebit, bona illa pro ipſis duodecim milibus
„marcarum, vel ea parte, que de ipſis ſoluta non fuerit, in pignus, cui voluerit, obli-
„gandi, facta tamen ante per illos vel illum, cui, vel quibus bona illa in pignus obliga-
„uerit, eis, qui eorundem bonorum noſtrorum legitimi fuerint ſucceſſores, de reſtituen-
„dis ſibi bonis premiſſis cum ea deobligare ſeu abſoluere voluerint, ea, que ſufficiens &
„ydonea videbitur, caucione. Ad quod omnes predictum Caſtrum & ciuitatem reſpicien-
„tes, *qui ei fidelitatem & homagium preſtabunt,* eam coadiuuare, ſiue in hoc cooperari,
„conſulere & aſtare fideliter, manutenere & defendere tenebuntur; qui etiam articulus
„iuramento eorum ſpecialiter includetur. Facta autem infra idem biennium ſolutione ple-
„naria eorundem duodecim milium marcarum, bona illa videlicet Caſtrum Luneburg & ci-
„uitas cum aliis premiſſis ad ſucceſſores noſtros redibunt libere, eisque ſine difficultate &
„contradictione qualibet aſſignabuntur. De hiis & duodecim milibus marcarum argenti
„quam diu ei ſoluta fuerint in toto vel in parte, ſeu in vita ſeu in morte, ſine im-
„pedimento

Digitized by Google

„pedimento quolibet, aget pro ſue libito voluntatis. Electio vero illa locum non ha„bebit, ſi heredes inſimul habuerimus, ſed premiſſis quatuor milibus marcarum argenti „in redditibus annis ſingulis ſtabit contenta pro tempore vite ſue, ſicut ſuperius eſt ex„preſſum. Quod autem, que dicta ſunt de donacione propter nuptias per nos danda, vt „promiſimus, ita fiant; & quod, poſtquam per nos ad propria traducta fuerit, efficaci„ter procuremus, quod Caſtellani, ciues, ſiue Burgenſes eorundem Caſtrorum & ciuita„tis Luneburg, & alii reſpicientes eadem, quocumque nomine cenſeantur, *ſibi iurent* „*obedire, intendere, & obtemperare in omnibus*, ac eam reſpicere ſpecialiter, ſibique fide„liter adherere, & quod inter nos vtrinque contracto & conſummato iuramento efficaci„ter ordinemus & procuremus omnimodo, quod ipſa ſponſa noſtra, poſtquam ſe in terra „noſtra & domo receperit, cedat & renunciet omnibus, que poſſent ad eam ex ſucceſſione „paterna & materna iure hereditario deuenire, niſi forte, quod abſit, affinibus noſtris „kariſſimis, fratribus ſuis, qui iam ſunt, vel fuerint, non extantibus & ſine liberis de„functis, aliquid ad eam iure ſucceſſionis contingeret deuolui, quo caſu cum aliis ſoro„ribus eius equam percipiet porcionem; de hiis nunciis eiuſdem Domini Ducis Bawa„rie, quos ad hoc miſit, per viginti fideiuſſores, incluſis premiſſis Domino C. Verdenſi „Epiſcopo, Hildemero, Baldwino & Marquardo, qui quatuor ſe pro nobis iam eidem „Domino Duci pro adimplendis antedictis fideiuſſorie aſtrinxerunt, preſtabimus ydoneam „caucionem, eosque obligabimus eiſdem nunciis nomine eiuſdem Domini Ducis, ad „ſubeundum *obſtagia*, ſiue loca, & alia, de quibus vtrobique conuentum fuerit, facien„dum, que ad expediendum hec & alia neceſſaria videbuntur. Illuſtres preterea LODWI„CVS & RVDOLFVS, *filii eiusdem Domini Ducis Bawarie*, ſe prefatis nunciis noſtris no„ſtro nomine aſtrinxerunt, fide data & nichilominus de ea ſeruanda preſtito corporaliter iu„ramento, de complendis & perficiendis omnibus, ad que ſe idem Dominus Dux Bawa„rie ſepe fatis noſtris procuratoribus noſtro nomine obligauit. Et ipſi noſtri procurato„res, procuratorio nomine noſtro, obligauerunt nos predictis filiis eiuſdem Domini Du„cis, ſi ipſe Dux ſuperſtes non fuerit, ad complendum & perficiendum ad requiſitionem „eorum omnia, ad que, ſi ſuperuixiſſet, predicto Domino Duci Bawarie tenebamur. „In maioris igitur roboris firmitatem recognoſcimus de bona voluntate noſtra, ac mandato „ſpeciali premiſſa omnia proceſſiſſe, eaque rata & grata nos promittimus ſeruaturos, & in „ipſa auctoritate preſencium conſentimus, dantes eaſdem nichilominus in teſtimonium „ſuper eo ſigilli noſtri robore communitas.

„Datum in Caſtro Lengenuelt in Bawaria Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Octo„geſimo ſeptimo, proximo Sabato ante feſtum beati Georii.

(*Sigillum, quod appendet, idem eſt cum eo, quod p. 68. dedimus.*)

N. 4.

Promiſſio fideiuſſorum, quibus Ottonem Ducem, generum ſuum, de dote filiae Mathildi promiſſa ſecurum reddit Ludouicus Comes Palatinus Rheni & Dux Bauariae. 1287.

Nos Chunradus de Luppurch, Diethalmus de Prukperch, Wernherus de Praitenekke, Vlricus de Lapide, Hadamarus de Laber, Winhardus de Rorbach, Chunradus de Wildenrode, Eberhardus de Greiffenberch, Chunradus de Eglingen, Eberhardus de „Porta, Wichnandus de Eiringſpurch, Chunradus de Paulsdorf, Dietricus & Heinricus „fratres de Wildenſtain, Eberhardus de Curia, Chalhohus de Churn, Vlricus Marſcal„cus de Lengenuelt, Heinricus de Parſperch, Heinricus Judmannus, & Albertus de Mu„rach notum facimus preſencium inſpectoribus vniuerſis, quod cum Magnificus Princeps „Dominus noſter, LODWICVS Illuſtris *Comes Palatinus Reni, Dux Bawarie* nos pro ſex „milibus marcarum puri argenti Colonienſis ponderis, quas excellenti Principi Domino „OTTONI Illuſtri *Duci de Brunſwic & Lunenburch* pro Illuſtri MECHTHILDE *filia ſua* „dare promiſit *in dotem*, eidem Domino Duci de Lunenburch fideiuſſores dederit, quod „conſumato inter prefatum Dominum Ducem, & filiam eiuſdem Domini noſtri Ducis ma„trimonio vſque ad annum tria milia marcarum, & ab inde ad anni ſpacium reſidua tria „milia Moguntie ſibi ſoluat, & conducat per terminos ſui dominii & vlterius, quantum „poteſt; prelibato Domino Duci de Lunenburch fide data promiſimus, & auctoritate pre„ſencium promittimus, quod, ſi ei premiſſa ſex milia marcarum argenti, vt pretactum eſt, „per ipſum Dominum noſtrum Ducem, vel eo non ſuperſtite, per filios ſuos, qui nunc

„ſunt,

„ſunt, vel, qui pro tempore fuerint, ſoluta non fuerint, poſt vtrumque terminorum „predictorum moniti, per certos nuncios vel nuncium cum litteris memorati Domini „Ducis de Lunenburch ſub fide preſtita vſque ad decem dies in opido *Nouo foro* ſepe„dicti Domini noſtri Ducis ad intus iacendum *obſtagia ſubintrabimus*, non exituri, niſi de „hoc, quod in quolibet eorundem terminorum ſoluendum fuerat, plena ſolutio ei fiat. „In cuius rei teſtimonium preſentes damus ſigillorum noſtrorum robore communitas.

„Datum in Lengenuelt. Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Octogeſimo ſeptimo „proximo Sabbato ante feſtum beati Georii.

(*Appenſa erant viginti ſigilla, quorum quinque tamen vetuſtate confracta & delapſa ſunt, reliqua integra adhuc apparent.*

N. 5.

Ottonis Ducis donatio propter nuptias ſponſae Mechtildi Bauaricae facta. 1288.

Nos OTTO Dei gratia *Dux de Brunſwic & Lunenburch*, notum facimus preſentium inſpectoribus vniuerſis, quod magnificus Princeps Dominus LODWICVS, Illuſtris *Comes Palatinus Reni, Dux Bawarie*, Socer noſter Kariſſimus, promiſit nobis ſex milia „marcarum puri argenti Colonienſis ponderis in dotem pro Illuſtri Domina MECHTHIL„DI *filia ſua*, vxore noſtra kariſſima, ſe daturum; quorum ſex milium tria milia ab in„ſtanti feſto beatorum Apoſtolorum Phylippi & Iacobi ad anni ſpacium, & ab inde ad „annum reſidua tria milia Moguntie nobis ſoluet, & ſoluta in quolibet premiſſorum ter„minorum conducet per terminos ſui dominii, ſeu diſtrictus, & vlterius, quantum poteſt. „Que ſi non attenderit, quod abſit, viri nobiles Chunradus de Luppurch, Diethalmus „de Prukperch, Wernherus de Praitenekke, Vlricus de Lapide, Hadmarus de Rorbach, „Chunradus de Wildenrode, Eberhardus de Greiffenberch, Eberhardus de Porta, Wich„nandus de Eiringspurch, Chunradus de Eglingen, Chunradus de Paulsdorff, Senior, „Dietricus de Wildenſtain & Heinricus frater ſuus, Eberhardus de Curia, Heinricus de „Parſperch, Heinricus Iudmannus, Vlricus de Perge, Marſcalcus de Lengenuelt, Al„bertus de Lichtenrode, & Iordanus frater ſuus, quos nobis fideiuſſores dedit, per cer„tos nuncios noſtros, vel nuncium cum litteris noſtris, quem, vel quos ad hoc deſtina„uerimus, poſt premiſſorum terminorum quemlibet moniti, ſub fide, quam de hoc nobis „dederunt, vſque ad decem dies in opido *Nouo foro* ad intus iacendum *obſtagia ſubintra„bunt*, non exituri, niſi pro rata terminorum illorum plena ſolutio nobis fiat. Et ſi ali„quis ex ipſis fideiuſſoribus, medio tempore, quod abſit, decederet, ad requiſitionem „noſtram alium eque bonum ſubſtituet infra menſem, alioquin duo ex ipſis fideiuſſoribus „ſuperſtitibus, quos monuerimus, in predicto loco obſtagia ſubintrabunt, non receſſuri, „niſi fiat ſubſtitutio memorata.

„Nos vero Caſtrum, ciuitatem & Aduocatiam *Lunenburch*, & Caſtrum & Aduoca„tiam *Horburch*, cum omnibus illarum & iſtorum pertinentiis, bonis, poſſeſſionibus, & „hominibus, cuiuſcunque ſtatus aut conditionis fuerint, iuribus, honoribus & *iudiciis*, „vtramque Aduocatiarum Lunenburch & Horburch reſpicientibus, que in feudum ab Im„perio tenemus, ad manus Sereniſſimi Domini noſtri RVDOLFI Incliti Romanorum Re„gis, & ſemper Auguſti, & alia bona & poſſeſſiones cum pertinentiis ſuis, que in eiſdem „Aduocatiis habemus in feudum a Bremenſi & Verdenſi Eccleſiis, ad manus Reuerendo„rum in Chriſto Patrum & Dominorum noſtrorum Venerabilium . . Bremenſis Archie„piſcopi, & C. Verdenſis Epiſcopi, reſignabimus, petituri & precaturi efficaciter, quod „vna nobiſcum *eidem Collaterali noſtre in feudum*, per ipſorum quemlibet, pro ea parte, „que ipſum reſpexerit, bona eadem cum ſuis pertinentiis & hominibus *pro donatione propter „nuptias* conferantur, hac conditione appoſita, ſiue pacto, quod, ſi nos, & ipſa Colla„teralis noſtra, quod abſit, heredes inſimul non habuerimus, nobis premortuis, ipſa vxor „noſtra omnia bona illa cum ſuis pertinentiis, & quicquid ex predictis ſex milibus marca„rum argenti nobis pro dicta Collaterali noſtra in dotem ſoluendis, extra eaſdem Aduoca„tias de bonis noſtris, ne dum intra, in quibus alias etiam *ex predicta infeudatione incipiet „ius habere*, aliis pignori obligatum, aut alias quomodocumque ſub quibuſcumque condi„tionibus ſiue pactis de redeundo appoſitis, vel ex natura contractus qualitercumque „a iure redire conceſſis, alienatum eſt, deobligatum, reemptum, abſolutum, aut alias „ex eis acquiſitum fuerit, vel ex ipſa pecunia de alienorum bonis & poſſeſſionibus com-

„paratum,

„paratum, cum in nullos alios vſus conuerti debeat, & alienata in ipſa aduocatia Lunen„burch precipue exinde recuperari, & poſtmodum ad diſtracta in ipſa aduocatia Hor„burch, & ſubſequenter ad alia viciniora de reſiduo debeat mitti manus in feudum, pro „donatione propter nuptias abſque impedimento quorumlibet teneat & poſſideat pro tem„pore vite ſue, ſiue in partibus illis remanſerit, ſiue ad quemcumque alium locum decre„uerit declinandum, ſeu etiam redeundum, quandocumque & quotieſcumque ſibi vide„bitur expedire, & ea mortua, ad quos de iure debuerint, redibunt libere bona illa: In „hoc tamen caſu, ſi ea ſuperſtite abſque liberis ex ea ſuſceptis, deceſſerimus, a tempore „mortis noſtre vſque ad biennium; quandocumque voluerit, infra idem biennium in „optione eius erit, an velit omnia bona ſupradicta, ſibi, vt pretactum eſt, in feudum „conferenda, & tenenda in donationem propter nuptias, retinere pro tempore vite ſue, „vel pro eis duodecim milia marcarum puri argenti Colonienſis ponderis acceptare; de „quibus duodecim milibus marcarum, ſi ea preelegerit, a tempore facte electionis huius„modi, ſibi per eos, qui illorum bonorum noſtrorum fuerint legitimi ſucceſſores, ſex „milia marcarum vſque ad annum, & ab inde ad anni ſpacium reſidua ſex milia marcarum „integraliter perſoluentur. Non tamen ob hoc dimittet, vel reſtituet predicta Caſtrum „& ciuitatem Lunenburch & Caſtrum Horburch, cum huius & illorum pertinentiis ſibi „in donationem propter nuptias deſignata, & in feudum conferenda, niſi de premiſſis „duodecim milibus marcarum puri argenti Colonienſis ponderis fuerit ei totaliter ſatisfa„ctum, non coadiuuante, quoad dictorum bonorum dimiſſionem ſiue reſtitutionem, par„ticulari ſolutione aliqua in hac parte. Quo biennio, pro facienda ſolutione huiuſmodi „elapſo, nec ei plenarie ſatisfacto de pecunia memorata, ſi cum bonis illis noluerit diutius „remanere, poteſtatem & facultatem liberam habebit bona illa pro ipſis duodecim milibus „marcarum, vel ea parte, que de illis ſoluta non fuerit, in pignus ſiue ypothecam, cui „voluerit, obligandi. Facta tamen ante per illos, vel illum, cui, vel quibus bona illa „in pignus ſiue ypothecam fuerint obliganda, eis, qui eorundem bonorum fuerint le„gitimi ſucceſſores, de reſtituendis ſibi bonis premiſſis cum ea deobligare ſiue abſoluere „voluerint, ea, que ſufficiens & ydonea videbitur, cautione: Quam cautionem, ſi forte „illi recipere, vel acceptare renuerent, pro eis, & nomine ipſorum recipientibus, loci „dyoceſano, vel vtriuſque dictorum Caſtrorum Caſtellanis, cautio illa fiat, ad quod „omnia predicta Caſtra & ciuitatem reſpicientes, qui ei fidelitatem & homagium preſta„bunt, eam coadiuuare, ſibique in hoc cooperari, conſulere & aſtare fideliter, manute„nere & defendere tenebuntur, & illis, vel illi, cui, vel quibus obligatio facta fuerit, „vſque ad abſolutionem bonorum illorum, ſicut & ei tenebantur, in omnibus obedire. „Qui eciam articulus iuramento eorum ſpecialiter includetur. De his preterea duodecim „milibus marcarum argenti, poſtquam ei in toto ſoluta fuerint, vel parte, que ſoluta fue„rit, ex eiſdem, ſiue in vita, ſiue in morte, aget ſine impedimento quolibet pro ſue be„neplacito voluntatis. Si vero heredes inſimul habuerimus, & premortui fuerimus, ſepe „fata Collateralis noſtra electionem huiuſmodi non habebit, ſed abſque liberorum impedi„mento quolibet, & quorumlibet aliorum predicta Caſtrum, ciuitatem & aduocatiam Lu„nenburch cum ſuis pertinentiis, & deobligata, ſiue abſoluta, reempta de bonis noſtris, „ſiue poſſeſſionibus, aut etiam comparata de poſſeſſionibus aliorum, aut quomodolibet „aliter acquiſita ex pecunia ſupradicta, in vtraque premiſſarum aduocatiarum, vel extra, „pro donatione propter nuptias in feudum tenebit pro tempore vite ſue, abſens ſiue pre„ſens, ſicut in priori articulo eſt expreſſum, & poſtmodum ad heredes, quos ex nobis „inuicem procreauerimus, deuoluentur, Caſtrum vero Horburch cum ſuis pertinentiis, „que ex prelibatis ſex milibus marcarum abſoluta, reempta, aut alias acquiſita non fuerint, „in hoc caſu ad liberos, quos ſimul habuerimus, reuertetur. Quod autem, que dicta ſunt „de donatione propter nuptias per nos danda, vt premiſimus, ab hinc infra anni ſpacium „ita fiant; & quod procuremus efficaciter infra eundem terminum, quod Caſtellani, Ciues, „ſiue Burgenſes eorundem Caſtrorum, & ciuitatis, & alii reſpicientes eadem, quocumque „nomine cenſeantur, ſibi iurent obedire, intendere & obtemperare in omnibus, ac eam „reſpicere ſpecialiter, ſibique fideliter adherere; & quod ordinemus cum effectu, & pro„curemus omnimodis, quod eadem Collateralis noſtra, poſtquam ſe in terra noſtra & do„mo receperit, cedat & renunciet omnibus, que poſſent ad eam ex ſucceſſione paterna & „materna iure hereditario deuenire, niſi forte, quod abſit, affinibus noſtris kariſſimis, fi„liis eiuſdem ſoceri noſtri, qui iam ſunt, vel qui pro tempore fuerint, non extantibus, „& abſque liberis, aliquid ad eam iure ſucceſſionis deuolui contingeret, quo caſu cum „aliis ſororibus ſuis equam percipiet portionem; & quod pecuniam in dotem ſoluendam,

„ſolutione facta, non conuertamus ad vſus alios, quam ſuperius eſt pretactum; de hiis „eidem Socero noſtro, vel nunciis ſuis, quos ad hoc miſerit, per viros nobiles, Dominum *Gerhardum*, filium Illuſtris Comitis Holſatie, *Auunculum noſtrum*, Burchardum „de Welpia & Bernhardum de Tannenberch, Comites, Meinricum de Heymbroc, nobilem, & fideles noſtros Wernherum de Medingen Marſcalcum, Humerum de Odeme, „Manugoldum dictum Struuen, Chunradum de Eſdorp, Geuehardum de Berge, Eggehardum dictum Schacke, Wachſmodum dictum Chint, Eggehardum de Boyzenborch, Segebandum de Witdorp, Chunradum de Oſda, Heinricum dictum Weder, Drochtleuum „de Bensholde, Milites, Iohannem dictum Groten, Georium de Zwerin, Heinricum „de Berge & Ludolfum de Heymbroc, fideiuſſoriam preſtabimus cautionem, qui per „nuncium, vel nuncios, prefati Soceri noſtri, cum litteris, que, vel quos ad hoc deſtinauerit, vel per eandem Collateralem noſtram, poſt quemlibet terminorum premiſſorum „moniti, ſub fide, quam de hoc dabunt, in opido noſtro *Honouere* ad intus iacendum, vſque „ad decem dies, *obſtagia ſubintrabunt*, non receſſuri ab inde, niſi eidem Socero noſtro „pro ipſa Collaterali noſtra, vel eidem Collaterali noſtre, premiſſorum quodlibet attendatur. Loco autem alicuius ex fideiuſſoribus mortui, ad requiſitionem prenotati Soceri „noſtri, vel eiuſdem Collateralis noſtre, vſque ad menſem ſubſtituemus alium eque bonum. Alioquin duo ex ipſis fideiuſſoribus ſuperſtitibus, qui moniti fuerint, in predicto „loco obſtagia ſubintrabunt, non exituri, niſi fiat ſubrogatio memorata. Ad hec procurabimus, quod Reuerendi in Chriſto Patres & Domini noſtri, Dominus . . Venerabilis „Bremenſis Archiepiſcopus, & Dominus *Cunradus* venerabilis Verdenſis Epiſcopus, & Magnifici Principes Domini *Heinricus* & *Albertus* Illuſtres *Duces Brunſwicenſes, patrui noſtri* kariſſimi, Albertus Illuſtris Dux Saxonie, & viri ſpectabiles Dominus *Gerhardus* Comes Holſatie, „*Auus noſter* kariſſimus, & Gerhardus filius ſuus, Burchardus de Welpia & Bernhardus de „Tannenberch, Comites, ad hoc ſe per ſuas litteras obligabunt, & promittent, quod eandem „filiam ſuam, Collateralem noſtram kariſſimam, ſiue heredes ex ea procreauerimus, ſiue non, „quod ſeruentur ei, que premiſſa ſunt de donatione propter nuptias, nec debilitetur nobis „non extantibus per aliquem in hac parte, quantum poſſunt ſine captione contra quorumcumque defendent iniuriam, moleſtiam & inſultum. Illuſtres preterea Lodwicus & Rudolfus, & Lodwicus, filii eiuſdem Soceri noſtri, affines noſtri kariſſimi, nobis fidem dederunt, & de ea ſeruanda preſtiterunt corporaliter iuramentum, de complendis & perficiendis omnibus, ſi ipſe ſuperſtes non fuerit, ad que ſe nobis idem obligauerat Socer noſter; & „nos fide data promiſimus & iurauimus eiſdem affinibus noſtris pro ſe & ipſa Sorore ſua, „Collaterali noſtra, ſi ipſe Socer noſter non ſuperfuerit, ad complendum & perficiendum „ad requiſitionem eorum omnia, ad que, ſi ſuperuixiſſet, eidem Socero noſtro pro ſe & „ipſa Collaterali noſtra, ſua filia, tenebamur. Volumus preterea, vt quibuslibet aliis „ſcripturis & tractatibus factis antea, ſi qui ſub ipſius Soceri noſtri, & predicti Lodwici filii ſui, vel noſtri ſigillis apparuerint, pro caſſis habitis, ſtetur tantum huic ſcripture vltime, ſeu potius Inſtrumento. In cuius rei teſtimonium preſentes damus ſigilli noſtri „robore communitas.

„Datum in Ingolſtat, Anno Domini M. CC. Octogeſimo octauo. In craſtino beati Georii.

(*Sigillum quod appendet ei in omnibus ſimile eſt, quod ſupra p. 68. exhibuimus.*)

N. 6.

Rudolfi Romanorum Regis confirmatio donationis propter nuptias ab Ottone Duce coniugi Mechtildi Bauaricae factae. 1288.

Nos RVDOLFVS Dei gratia *Romanorum Rex & ſemper Auguſtus* notum facimus praeſentium inſpectoribus vniuerſis, quod cum Illuſtris OTTO *Dux de Brunſwic & Lunenburch*, Princeps noſter Kariſſimus, Illuſtri MECHTHILDI, *nepti noſtre* Kariſſime, „Collaterali ſue, *filie* Illuſtris LODWICI *Comitis Palatini Reni*, *Ducis Bawarie*, Principis & Generi noſtri Kariſſimi, in Caſtro, Ciuitate, & tota aduocatia ſiue officio, ſeu „iudicio *Lunenburch*, & Caſtro, & tota aduocatia, officio, ſeu iudicio *Horburch*, cum „omnibus illorum & iſtorum pertinentiis, bonis, poſſeſſionibus, & hominibus, cuiuscunque ſtatus, aut conditionis fuerint, iudiciis, dignitatibus & honoribus, & aliis bonis & poſſeſſionibus ſuis etiam extra eaſdem aduocatias, ne dum intra, que aliis impignorata, aut alias alienata quomodolibet, ex ſex milibus marcarum puri argenti Colonienſis „ponderis eidem Duci de Lunenburch pro memorata nepte noſtra in dotem ſolutis, recollecta, abſoluta, reempta aut quocumque alio titulo de nouo acquiſita fuerint, que a

„nobis

„nobis & Imperio tenet in feudum, pro aliqua parte conſtituerit donationem propter nu-„ptias, & premiſſa omnia ad manus noſtras reſignauerit, petens inſtantius, vt vna cum eo „ipſam MECHTHILDEM, Collateralem ſuam, inueſtire de bonis huiuſmodi dignaremur; „eiuſdem Ducis de Lunenburch precibus inclinati, ſibi & prelibate Mechthildi Collaterali „ſue, & cum ea, ad eiuſdem Ducis de Brunſuic inſtantiam, prefato Lodwico Duci Bawa-„rie patri ſuo, & Illuſtribus Lodwico & Rudolfo & Lodwico fratribus ſuis, ad conſeruan-„dum ſepe fate nepti noſtre predicta Caſtra, & ciuitatem & aduocatias, cum ſupradictis „ſuis pertinentiis, & quicquid de bonis ſepe dicti Ducis, extra eaſdem aduocatias, aliis „pignori obligatum, aut alias quomodocunque alienatum, ex ipſis ſex milibus marcarum „argenti recuperatum, abſolutum, reemptum, aut aliter acquiſitum fuerit, dummodo in „feudum a nobis & Imperio habeantur, in feudum contulimus & conferimus, per eam, ipſo „Duce marito ſuo, & abſque liberis, quod abſit, ex ea ſuſceptis premortuo, habenda, te-„nenda & poſſidenda in feudum pro donatione propter nuptias pro tempore vite ſue, ſiue „in partibus illis remanſerit, ſiue ad quemcumque locum alium decreuerit declinandum, „ſeu eciam redeundum, quandocunque, & quotienscumque ſibi videbitur expedire. Ea „vero ſublata de medio, ad quem, vel quos, de iure debuerint, redibunt libere bona „illa. In hoc tamen caſu, ſi prefatus Dux de Lunenburch abſque liberis, quos ex ea ha-„buerit, deceſſerit, a tempore mortis ipſius vſque ad continuum biennium, in optione „eiusdem Collateralis ſue erit, an velit omnia ſupra dicta in feudum pro donatione pro-„pter nuptias retinere pro tempore vite ſue, vel pro eis duodecim milia marcarum puri „argenti Colonienſis ponderis acceptare, de quibus duodecim milibus marcarum, ſi ea „preelegerit, a tempore facte electionis huiuſmodi ſibi per eos, qui bonorum illorum fue-„rint legitimi ſucceſſores, ſex milia marcarum vſque ad annum, & ab inde ad anni ſpacium „reſidua ſex milia marcarum integraliter perſoluentur. Non tamen ob hoc dimittet, vel „reſtituet ipſa Caſtrum & Ciuitatem Lunenburch & Caſtrum Horburch, aduocatias & alia „ſupradicta cum horum & illorum pertinentiis, ſibi in donationem propter nuptias deſi-„gnata, & in feudum collata, niſi de premiſſis duodecim milibus marcarum puri argenti „Colonienſis ponderis fuerit ei totaliter ſatisfactum; non coadiuuante, quoad dictorum „bonorum dimiſſionem ſiue reſtitutionem, particulari ſolutione aliqua in hac parte: quo „biennio pro facienda ſolutione huiuſmodi elapſo, nec ei ſatisfacto plenarie de pecunia „memorata, ſi cum bonis illis noluerit diutius remanere, ex Regie noſtre Maieſtatis li-„centia & indulgentia ſpeciali, quod & per has noſtras litteras ſpecialiter indulgemus, & „ipſius mariti ſui permiſſione iam facta, poteſtatem & facultatem liberam habebit, omnia „bona illa pro ipſis duodecim milibus marcarum vel ea parte, que de ipſis ſoluta non fue-„rit, in pignus ſiue ypothecam, cui voluerit, obligandi, facta tamen ante per illos, vel „illum, cui, vel quibus bona illa in pignus ſiue ypothecam fuerint obliganda, ei, vel eis, „qui eorundem bonorum fuerint legitimi ſucceſſores, de reſtituendis ſibi bonis premiſſis „cum ea deobligare, ſiue abſoluere voluerint, ea, que ſufficiens & ydonea videbitur, „cautione; quam cautionem ſi forte illi recipere vel acceptare renuerent, pro eis & no-„mine ipſorum recipientibus, loci dyoceſano, vel vtriuſque dictorum Caſtrorum Caſtel-„lanis, cautio illa fiat. De hiis preterea duodecim milibus marcarum argenti, poſtquam „ei in toto, vel parte ſoluta fuerint, de toto vel parte illa, que ſoluta fuerit ex eiſdem, „ſiue in vita ſiue in morte, aget ſine impedimento quolibet pro ſue beneplacito volunta-„tis. Si autem heredes inſimul habuerint, prelibata Caſtrum, ciuitatem & aduocatiam Lu-„nenburch cum ipſis ſuis pertinentiis, & quicquid ex ipſis ſex milibus marcarum etiam „extra eandem aduocatiam Lunenburch in ipſa aduocatia Horburch, & extra vtramque ea-„rundem de bonis prenotati Ducis, vt ſupra tactum eſt, recuperatum, abſolutum, „reemptum, aut alias acquiſitum fuerit, retinebit in feudum pro donatione propter nu-„ptias, pro tempore vite ſue, & poſtmodum ad heredes, quos inſimul habuerint, ſine „difficultate qualibet reuertentur. Caſtrum vero & aduocatia Horburch cum ſuis perti-„nentiis, que pertinentia ex dictis ſex milibus marcarum argenti recuperata, abſoluta, „reempta, aut aliter acquiſita non fuerint, ipſa eciam ſuperſtite, ad liberos, quos ex ſe „inuicem procreauerint, ſine impedimento quolibet deuoluentur, nec in hoc vltimo ca-„ſu, ſi heredes inſimul habuerint, habebit poteſtatem bona premiſſa, que ſibi ceſſerint „pro donatione propter nuptias, in pignus ſiue ypothecam alicui obligandi.

Huius rei teſtes ſunt:

Filius noſter kariſſimus Albertus Illuſtris Dux Auſtrie & Stirie, Dominus Carniole Marchie ac Portus Naonis.

Chunradus

Chunradus Venerabilis Abbas ſancti Galli.

Viri nobiles: Fridericus Burcgrauius de Nuremberch.

Albertus Comes de Hohenberch, & Burchardus Comes frater ſuus.
Lodwicus Comes de Oetingen.
Chunradus de Tecke.
Vlricus de Tauſers.
Gotfridus de Hohenloch.
Gebhardus de Brunekke.
Herdegno de Grindlach.
Winhardus de Rorbach.
Chunradus de Wildenrode.
Eberhardus de Greiſſenberch.
Eberhardus de Curia.
Heinricus de Wildenſtain.
Chunradus de Eglingen.
Heinricus Iudmannus.
Vlricus Marſcalcus de Lengenuelt.
Chunradus de Heymwide.
Iohannes de Godenſtede, & quam plures alii fide digni.

„In cuius rei teſtimonium preſentes date ſunt noſtri & prelibati Ducis de Brunſuic & „Lunenburch ſigillorum robore communite.

„Et nos OTTO Dei gratia *Dux de Brunſuic & Lunenburch* per has litteras profitemur, „eidem vxori noſtre donationem propter nuptias, vt premittitur, conſtitutam, eamque „vna nobiſcum per ipſum Sereniſſimum Dominum noſtrum Regem de bonis huiuſmodi in„ueſtitam iuxta tenorem & continentiam premiſſorum, & licentiam illam de bonis eiſdem, „vt pretactum eſt, in pignus ſiue ypothecam, cui voluerit, obligandi, ex permiſſione „noſtra precedente ſpeciali, noſque in maioris roboris firmitatem ipſum ſigillum noſtrum „preſentibus appendiſſe.

„Datum Vlme V. Kalend. Nouembris Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Octo„geſimo octauo, Regni vero noſtri Regis Anno XVI.

(*Appendent ſigilla Rudolfi Imperatoris & Ottonis Ducis; quod poſtremum illi ſimile eſt, quod ſupra p. 68. iam exhibuimus.*)



N. 7.

Digitized by Google

N. 7.

Adolſus Romanorum Rex Ludouico Comiti Palatino Rheni & Duci Bauariae pro expenſis in electione ſua factis tria millia marcarum argenti donat, atque pro hac ſumma reſiduum dotis Ottoni Duci promiſſae ſe ſoluturum promittit, adiecta in ſecuritatem crediti oppignoratione ciuitatis Lubecenſis vel Goslarienſis. 1292.

Nos ADOLFVS Dei gratia *Romanorum Rex ſemper Auguſtus* recognoſcimus, quod pro expenſis, quas Illuſtris LODWICVS *Comes Palatinus Reni Dux Bawarie*, Princeps noſter kariſſimus, ſuper negocio electionis noſtrae veniendo in Franchenfurte, ſtando „ibidem & redeundo ad propria impendiſſe dinoſcitur & impendet, eidem tria milia mar„carum argenti puri Colonienſis ponderis ſoluere promiſimus, & liberaliter perſoluemus „hoc condicto, quod ipſum Comitem Palatinum Reni apud Illuſtrem OTTONEM *Ducem* „*de Brunſwich & de Lunenburg*, Principem noſtrum dilectum, de tribus milibus marcarum „argenti puri, ponderis antedicti, in quibus ipſe Comes Palatinus tenetur eidem Duci „*pro maritagio* Illuſtris MECHTILDIS, *ſue filie*, reſpondere, quitabimus, clamari, dici „& pronunciari procurabimus quitum, liberum & ſolutum; pro quibus inquam tribus mi„libus marcarum eidem Duci de Lunenburg ypothecabimus & obligabimus in pignore, de „conſenſu Principum Imperii, quorum ad hoc conſenſus eſt merito requirendus, alterum „opidorum Imperii, videlicet *Lubecke* vel *Goslariam* cum ſuis pertinentiis vniuerſis haben„dum & tenendum in pignus pro trecentarum marcarum argenti memorati ponderis red„ditibus, quouſque ſibi vel heredibus ſuis de predictis tribus milibus marcarum argenti „plenarie ſatisfiat; &, ſi in altero opidorum illorum & pertinentiis eius, trecentarum „marcarum redditus non poterunt inueniri, per alia bona Imperii magis vicina tenebi„mur facere ſupplementum.

„In cuius rei teſtimonium preſentes damus noſtri ſigilli robore communitas.

„Datum in Franchenfurte Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Nonageſimo ſecun„do. Indictione Quinta XVI. Kalend. Iunii Anno Regni noſtri primo.

N. 8.

Litterae conſenſus Boëmundi Archiepiſcopi Treuirenſis, Adolſo Regi datae, vt ciuitatem Goslarienſem vel Lubecenſem pro debito apud Ludouicum Comitem Palatinum Rheni & Bauariae Ducem contracto Ottoni Duci Brunſuicenſi, genero eius, ſub nexu hypothecae obligare poſſit. 1292.

Nos BOEMVNDVS Dei gratia *Archiepiſcopus Treuirorum* notum facimus preſentium inſpectoribus vniuerſis, quod cum Sereniſſimus Dominus noſter ADOLFVS Inclitus *Romanorum Rex, ſemper Auguſtus*, promiſerit Magnifico Principi Domino LOD„WICO Illuſtri *Comiti Palatino Reni, Duci Bawarie*, tria milia marcarum puri argenti Colo„nienſis ponderis, ſoluere pro expenſis, quas in negocio electionis ſue, veniendo in Fran„ckenfurte, ſtando ibidem, & redeundo ad propria noſcitur impendiſſe, eumque apud „Illuſtrem Principem Dominum OTTONEM *Ducem de Brunſwich & Lunenburch*, gene„rum eiuſdem Comitis Palatini, cui *pro dote* Illuſtris MECHTHILDIS *filie ſue*, tene„tur in quantitate pecunie antedicte, quitare, & abſoluere, ſpoponderit de eiſdem, in pignus „ſiue ypothecationem, quam pro eiſdem tribus milibus marcarum, ſepe fatus Dominus „noſter Rex prelibato Duci de Lunenburch fecerit de altero opidorum Imperii, videlicet „*Lubecke*, vel *Goslaria*, cum pertinentiis ſuis, tam in bonis quam hominibus, & aliis iu„ribus ſuis, vſque ad redditus trecentarum marcarum argenti puri, Colonienſis ponderis, „& ſi illa non ſufficerent, in aliis bonis, & poſſeſſionibus eiuſdem Imperii cum ſuis atti„nentiis, premiſſis bonis, & dicto Duci de Lunenburch magis conterminis, ex nunc, prout „ex tunc preſentibus conſentimus, & *nomine Principatus noſtri*, ad eam adhibemus con„ſenſum noſtrum voluntarium, & expreſſum, dantes eas in teſtimonium ſuper eo ſigilli „noſtri robore communitas.

„Datum in Franchenfurt Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Nonageſimo ſecun„do, Indictione quinta XVI. Kalend. Iunii.

N. 9.

Litterae conſenſus Ottonis Marchionis de Brandenburg de eodem negotio. 1292.

Nos OTTO Dei gratia *Mrchio de Brandenburch* notum facimus preſentium inſpectoribus vniuerſis, quod cum Sereniſſimus Dominus noſter ADOLFVS Inclitus *Romanorum Rex ſemper Auguſtus*, promiſerit Magnifico Principi Domino LODWICO Illuſtri
„*Comiti Palatino Reni*, *Duci Bawarie* tria milia marcarum puri argenti, Colonienſis pon-
„deris, ſoluere pro expenſis, quas in negotio electionis ſue, veniendo in Franckenfurt,
„ſtando ibidem, & redeundo ad propria, noſcitur impendiſſe, eumque apud Illuſtrem
„Principem Dominum OTTONEM *Ducem de Brunſwich & Lunenburg*, generum eius-
„dem Comitis Palatini, cui *pro dote* Illuſtris MACHTHILDIS *filie ſue* tenetur in quanti-
„tate pecunie ante dicte quitare & abſoluere ſpoponderit de eiſdem, in pignus ſiue ypo-
„thecationem, quam pro eiſdem tribus milibus marcarum ſepe fatus Dominus noſter Rex
„prelibato Duci de Lunenburch fecerit de altero opidorum Imperii, videlicet *Lubecke*
„vel *Goslaria*, cum pertinentiis ſuis, tam in bonis, quam hominibus & aliis iuribus ſuis,
„vſque ad redditus trecentarum marcarum puri argenti Colonienſis ponderis, &, ſi illa non
„ſufficerent, in aliis bonis & poſſeſſionibus eiuſdem Imperii, cum ſuis attinenciis, pre-
„miſſis bonis, & dicto Duci de Lunenburch magis conterminis, ex nunc prout ex tunc,
„preſentibus conſentimus, & *nomine Principatus noſtri* ad eam adhibemus conſenſum no-
„ſtrum voluntarium & expreſſum, dantes eas in teſtimonium ſuper eo ſigilli noſtri robore
„communitas.

„Datum in Franckenfurt Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Nonageſimo ſecundo.
„Indictione Quinta XVI. Kalend. Iunii.

§. 24.

Explicatur, quomodo Conradinus, marium ex gente Hohenſtauffenſi vltimus, ad Agnetis Palatinae poſteros ditiones ſuas atque Prouincias transmiſerit.

Sed ſemel adhuc ad *Agnetem* noſtram, Henrici Palatini filiam, redeundum eſt, quae praeter filios *Ludouicum Seuerum* & *Henricum*, de quibus ſupra locuti ſumus, filiam etiam habuit *Eliſabetham*, primis nuptiis Conrado IV. Friderici II. Imperatoris filio, iam A. 1237. in Regem Romanorum a Germaniae Proceribus, inuito licet atque reclamante Gregorio IX. Pontifice, electo; poſt eius vero mortem Meinhardo, Tyrolenſium Comiti, nuptam. Haec infelix mater exſtitit *Conradini* illius, cum quo ferali ictu furentis gladii extincto omne imperium, quod hactenus *Domus Hohenſtauffenſis* in Orbe Chriſtiano tenuit, ſepultum eſt. Erat enim is, vt nemo ignorat, marium vltimus, quem Carolus Andegauenſis, Neapolitani Regni inuaſor, infami ſupplicio, contra ius & fas e medio tollere iuſſit. Quam triſte omnibus illud intuentibus hoc ſpectaculum fuit, tam graue eſt memoriae Pontificis Clementis IV. qui, ſi quis vmquam Paparum, conſiliis ſuis ſanguinolentis, quibus innocentiſſimum adoleſcentem perdidit, manifeſte prodidit, ſe mitiſſimi illius gentis humanae Saluatoris *Pro-Regem*, vel *Vicarium*, vt vulgus loquitur, *in his terris* non fuiſſe. (u) Supererat poſt hoc lacrymabile Inclytae gentis excidium plus vna *ex foemi-*

u) Prodiit aliquot abhinc annis Auguſtae Vindelicorum libellus in gratiam ſcholarum, quas Ieſuitae in Germaniae ſuperioris Prouincia aperuere, conſcriptus, cui titulus *Rudimenta hiſtorica*. In eius *P. III. p. 156.* auctor non modo veriſimile eſſe negat, Carolum Andegauenſem Pontificis Clementis IV. inſtinctu vitam Conradino eripuiſſe, verum *in heterodoxos* calumniam reiicit, *quod contra omnem veri ſpeciem id commenti ſint. Quin potius conſtare* ait, *Pontificem hunc, pietate atque moderatione inſignem*, (haec enim verba eius ſunt,) *factum tam crudele Carolo vehementer exprobraſſe*. Non nominarem hominem, qui maledicentiſſimus calumniator hanc ſolam artem didiciſſe videtur, vt quicquid conuitiorum atque contumeliarum atra bilis hominibus ex fece plebis ſuggerit, canina facundia in eos, qui Auguſtanae Confeſſioni addicti a Pontificia eccleſia receſſerunt, proterue coniiciat. Sed quia impudentiſſimus hic gerro quicquid mali vmquam apud veteres Scriptores de Pontificibus relatum legitur, ſemper ab haereticis excogitatum eſſe, criminatur, oſtendendum eſt, quam turpiter hac diſputandi ratione morbida cauſſae ſuae vulneratae latera prodant caeci Pontificis aſſeclae. Sane qui cordatiores ſunt, non mox in contemtum religionis ſcripta exiſtimant, quae de Paparum vitiis hinc inde apud Scriptores bonae notae dicta atque annotata offendunt. Honori enim potius, quam vituperio eſt eccleſiae Catholicae, quod probi viri in ea ſemper fuerint, qui tunc etiam cum Reges & Imperatores ne hiſcere


foeminis Hohenſtauffenſibus ſanguinem ducens Familia illuſtris. (x) Etenim *Albertus*, vulgo *Degener* dictus, Miſniae Marchio, Friderici II. Imperatoris filiam, *Margaretham*, vxorem habebat; ex qua etiam praeter filios, *Fridericum Admorſum*, SERENISSIMAE DOMVS SAXONICAE hodienum opibus & fortuna florentis conditorem & *Diecemannum*, filiam ſuſcepit *Agnetem*, *Henrico* noſtro, *mirabili* dicto, nuptam; quae in DOMO AVGVSTA *lineam Grubenhagenſem* coepit, in Philippo Duce A. 1596. iterum extinctam. Praeterea ex Philippi Imperatoris filia, *Eliſa*, Caſtellae & Legionis Regi Fernando III. nupta, ſuperſtes erat filius *Alfonſus*, A. 1257. Francofurti in Regem & Imperatorem electus, qui, ſi MARIANAE *Hiſt. Hiſp. L. XIII. c. 22.* teſti credimus, *Sueuiae Principatum Conradino interfecto ſibi debere poſtulabat*; atque vti quondam, viuo adhuc & ſuperſtite Conrado Rege, fauentem ſibi tantopere & propenſum expertus eſt Alexandrum IV. PP. vt is, referente RAYNALDO *Annalib. Eccleſiaſt. ad A. 1255.* cum obtinendi huius Ducatus cauſſa *quem maternae hereditatis titulo ad ſe ſpectare contendebat, Alſonſus Oratores ad ſua iura repetenda in Sueuiam mittere deliberaret, litteras Apoſtolicas ad Praeſules ac Proceres Sueuos dede-*

ſcere quidem contra Romanae Sedis dominatum ſine maximo periculo audebant, Pontifices illos, qui liberius vixerunt, atque primaeuam Chriſtianae religionis dignitatem & innocentiam manifeſtis ſceleribus & perdidiſſima tyrannide infamarunt, in ſcriptis ſuis acriter pupugere. Vt autem ad Clementem IV. reuertamur, is ex multiplici capite de perpetrata Conradini nece reus poſtulari poteſt. *Primo* enim in omnibus actionibus moralibus valet regula, *quod, qui malum, cui prohibendo vires ſufficientes habet, non prohibet, cauſſa eius ſit.* Quae ipſa regula ad Clementem IV. applicari ſine vlla difficultate poteſt. Etenim quam is facile prohibere potuiſſet, ne princeps iuuenis innocentiſſimus, cuius ſi non ob illuſtres natales, tamen ob tenerrimam aetatem miſereri humanitatis fuiſſet, a victore crudeliſſimo hoſtia vindictae ſuae immolatus fuiſſet, nemo ignorat, qui nexum, quo Carolus Andegauenſis Pontifici obligabatur, perpendit. *Deinde* qui apud RAYNALDVM *ad A. 1268.* decretum Clementis IV. attente legerit, quo omnes & ſinguli, qui auxilium Conradino tulerunt, ſacro fulmine dirum in modum percuſſi ſunt; qui porro perpenderit, quam laeto prorſus animo idem Papa apud eumdem RAYNALDVM *l. c.* Ottocaro Bohemiae Regi datis litteris ſignificauerit, victum eſſe Conradinum, & in poteſtatem Caroli captiuum veniſſe; is ſine multo negotio etiam aſſenſum praebebit ALBERTO ARGENTINENSI, qui *in Chronico p. 98.* notiſſimam illam hiſtoriam tradit, quod Clemens Carolo ipſum ſuſcitanti quid de Conradino faciendum ſit, reſponderit: *Vita Conradini mors Caroli; mors Conradini vita Caroli.* Etenim vt alias *epiſtolae ſpeculum animi* eſſe ſolent, ita ex illis ipſis Pontificiis litteris, quas non *heterodoxus* aliquis, vt Ieſuita noſter calumniari ſolet, ſed RAYNALDVS, mancipium Pontificis, vulgauit, perſpicere licet, quam firma tunc apud hunc Pontificem (ſi Diis placet) *pietate atque moderatione inſignem* mens ſederit perdendi Conradinum. *Tandem* ipſe Pontifex Martinus IV. apud citatum RAYNALDVM *ad A. 1284.* hoc facinus in Clemente, Anteceſſore ſuo, tamquam pium & laudabile, mirifice extollit, vt igitur Ieſuita noſter non habeat, cur veritatem eius aſſerere *inter heterodoxorum conuitia & calumnias* referat. Sed audiamus ipſum Martinum PP. *Piae memoriae*, inquit, *Clemens Papa praedeceſſor noſter - - diligenter attendens multam ipſius Conradini malitiam, & ſuorum conatuum peruerſorum volens obuiare principiis, certum habuit contra eum - - proceſſum, prout vidit rationabiliter expedire, ac negotii qualitas perſuaſit. Demum praefato Conradino ſublato de medio eidem regno pax rediit* &c. Fruſtra igitur plus frontis habere vult Ieſuita noſter, quam Martinus IV. PP. habuit; & cum hic inter facta heroica a Clemente IV. perpetrata necem Conradini referre videtur, fruſtra *heterodoxi* tamquam huius fabulae auctores traducuntur. Plura addi poſſent, niſi hoc argumentum a ſcopo praeſentis ſcriptionis nimis remotum eſſet.


x) Equidem Martinus IV. Papa in ſententia excommunicationis Petri Regis Arragoniae ap. H. STERONEM *ad A. 1283.* gloriatur: *Deum - - Friderici domum, quae conſueuerat - - abundare perſonis, ſic pene redegiſſe in nihilum, ſic - - oppreſſiſſe, vt de illa ipſa non ſcintilla vnica remaneret.* Sed quam falſum hoc ſit, ii non ignorant, qui numerum *Potentiſſimarum Familiarum* computant, *quae per foeminas ex domo Hohenſtauffica originem ducentes feliciſſime propagatae ſunt.* Cuius indicem in compendio exhibet tabula in nota mox ſequenti ſubiecta. Vt igitur fruſtra hic diuinam vindictam alleget Pontifex. Nam vt gentes alias minoris dignitatis & ſplendioris nominare omittam, ante *Gibellinam & Hohenſtauffïcam Domum*, quam diris tam impie deuouerant Pontifices, etiam *Carolingica Familia* & *Familia Auguſta Saxonica* ita penitus interierat, vt ex neutra marium aliquis ſuperſtes manſerit; licet Carolus Magnus eiusque poſteri fere omnes praeclare ſemper de Pontificibus meriti ſint; & Ottones praecipue tot beneficiis Sedem Romanam atque vniuerſam Eccleſiam affecerint, vt inter optimos & Chriſtianiſſimos (vt ita loquar) Principes iure ſuo numerentur. Rectius longe Martino PP. philoſophantur, qui arcanam diuinorum decretorum rationem a nobis perſpici non poſſe fatentur. Gens altera perit, altera emergit, prouti Deus vult, qui res mortales ſupremo arbitrio moderatur. Quod cum non ignorauerit Petrus Arragoniae Rex, atque facile coniicere potuerit, fore vt quemadmodum ante, ſic impoſterum etiam aliae quoque familiae numquam male de Pontifice meritae extinguerentur, vix credibile eſt eum hoc fulmine ex pelui grauiter commotum eſſe.

dederit, eosque hortatus ſit, *vt Regiis Oratoribus ad recuperandam Sueuiam conſilio & opera adeſſent;* ſic iam Gregorium X. PP. tam procliuem in partes ſuas & facillimum vidit, vt, ceu Maxime Reuerendus Dn. HERGOTTVS *in Orig. Habsburg. T. III. p. 450.* docet, Rudolfo Caeſari A. 1274. reſcripſerit, ne *cum Alfonſo Rege* de hereditate Sueuica *tranſigere omitteret.* Sed magna tamen huius hereditatis pars ad *Agnetis* noſtrae *poſteros*, tamquam *Conradino*, vltimo ſuae gentis, *cognatione proximos*, peruenit. (y) Quam enim vulgo etiam notum eſt miſerum illud ſpectaculum, quod, vt diximus, *Conradinus*, Neapoli praebuit, cum tot Regum & Imperatorum ſoboles in ipſo iuuenilis aetatis flore, A. 1268. in ferali pegmate infami ſupplicio periiſſet; tam id hactenus ignorarunt viri docti, Conradinum Prouinciarum ſuarum atque patrimonii heredes (z) ſcripſiſſe *Ludouicum* & *Henricum Bauariae Duces*,

y) Neque enim res ex hoc ſchemate diiudicanda eſt:



Sed ita potius in ſucceſſionis iuribus definiendis genus omne locari debet.



Vnde euidentiſſime patet, infelici Conradino neminem ſanguinis vinculo propiorem fuiſſe *amita* Margaretha Miſnica, & *auunculis*, Ludouico & Henrico Bauariae Ducibus. Sed illam forte parum nouerat princeps iuuenis; ab his vero tamquam tutoribus liberaliter educatus eſt. Vnde etiam teſtamento ſuo eos ſibi heredes eſſe voluit.

z) Plerique enim cum CONTINVATORE MARTINI POLONI *p. 1427. Conradinum ante ſuam decollationem omnia iura ſua, quae habebat in Sicilia & Apulia, conſanguineo ſuo, Petro Regi Arragoniae legaſſe, & publice per ſuam chirothecam proiectam in aëre reſignaſſe credunt:* Quod quam parum veri ſpeciem habeat iam pridem docuit Dn. SCHMINCKIVS in docta *praefatione* PETRI DE PRETIO *adhortationi ad Henricum illuſtrem ſcriptae* praemiſſa. Sed forte ex hac, quam vulgamus, Charta aliquantulum de fide ſua perdit illa ipſa PETRI DE PRETIO narratio, quam primum ſe in lucem produxiſſe non immerito gloriatur Laudatiſſimus Dn. SCHMINCKIVS. Etenim cum PETRVS nihil de hereditate Ducibus Bauariae debita dicat, ſed Margaretham Miſnicam, Conradini amitam, eiusque filios ex teſtamento ipſius heredes inſtitutos eſſe referat, vix probabile videtur, Principem, qui tot beneficiis a ſuis auunculis ornatum ſe profeſſus eſt, morti proximum vltimam voluntatem mutaſſe, & in amitam iura illa transſcripſiſſe, ad quae ſolemni ritu antea hos ipſos vocauerat. Sed de hoc, quid ſtatuendum ſit, peritiores videant. Hoc certum, mortem Conradini grauiſſime doluiſſe Henricum, Bauariae inferioris Ducem, cuius binas epiſtolas ad Gregorium X. PP. & Collegium Cardinalium datas Maxime Reuerendus P. PEZIVS *Cod. diplom. P. II. p. 137.* edidit. ex quibus

Duces, Agnetis noſtratis filios. Supereſt tamen Monachii in tabulario Electorali Charta *Conradi Regis Hieruſalem & Siciliae, Ducis Sueuiae*, ſcripta A. 1263. Cal. Maii *in clauſtro Wilitinum*, qua in *Ludouicum Ducem Bauariae* omnia bona ſua *per donationem mortis cauſſa* transtulit; quam ipſam donationem repetiit A. 1266. hoc ſolummodo diſcrimine habito, quod iam Ludouici fratrem, *Heinricum* ſimul in ſucceſſionem omnium bonorum patrimonialium & feudalium, ſi ipſemet ſine legitimis liberis decederet, vocauerit. Poſtremam hanc chartam ex autographo deſcripſit & ad LEIBNITIVM transmiſit illuſtris Dn. SCHRADERVS Sereniſſimi tunc temporis Electoris in Comitiis Ratisbonenſibus Ablegatus; quam ideo etiam heic ſubiungo, quia ſimul euidenter probat, Eliſabetham, Conradini noſtri matrem, non Ottonis illuſtris *ſororem*, vt quidem nonnulli viri eruditi opinantur, ſed *filiam* fuiſſe, cum alias Ludouicum & Henricum, quos *auunculos* vocat, *conſobrinos* potius ſuos dicere debuiſſet Conradinus. His autem verbis diploma ipſum, de quo loquimur, conceptum eſt:
„CONRADVS *ſecundus Dei gratia Hieruſalem & Siciliae Rex, Dux Sueuiae.* Per
„preſens ſcriptum notum facimus vniuerſis preſentibus & futuris intuentibus ſeriem
„huius ſcripti, quod nos conſiderato pio & ſincero affectu, quo nos *auunculi noſtri*
„cariſſimi, LVDOVICVS & HENRICVS, illuſtres Comites Palatini Reni,
„Duces Bauarie fideliter educarunt, & adhuc quaſi patres vnicum filium ſuum gra-
„tuita beneuolentia fauorabiliter amplectuntur, ipſis *vniuerſa bona noſtra ſiue patri-*
„monialia,

bus ſimul patet, eum *Electoralem dignitatem* affectaſſe, atque hinc vt eo propenſiorem in ſe Pontificem eiusque Curiam haberet, omni niſu ſuſpicionem a ſe amoliri voluiſſe, quaſi auxilio vel conſilio Conradino anathemate a Pontifice notato, adfuiſſet. Ita enim ad Pontificem ſcribit: *Sanctiſſimo in Chriſto patri domino Gregorio ſacroſanctae Romanae eccleſiae Pontifici* HEINRICVS *Dei gratia* Dux Bawariae *&* ſacri Romani Imperii de Reno Palatinus, *cum omni reuerentia & ſubiectione pedum oſcula beatorum &c. &c. Sanctitati igitur veſtrae nos humilem filium ac deuotum Sanctae Eccleſiae offerentes, rogamus ſuppliciter & obnixe, quatenus nos inter veſtros & Sanctae Eccleſiae Romanae deuotos filios reponatis. Et ſi forte, quod non optamus, Sanctitatis veſtrae auribus quicquam deuotioni & ſubiectioni contrarium fuerit malorum inſinuatione ſuggeſtum, hoc non ex fonte veritatis & iuſtitiae, ſed ex odii fomite procedere cognoſcatis, praeſertim cum diſcretioni virorum timentium Deum, honorabilium & religioſorum, ſub quorum ſumus manibus educati, conſtet liquidius, nos nihil vnquam egiſſe in opere, vel conſilio fore conatos, quod merito poſſet ſedi Apoſtolicae diſplicere.* „*Vnde etiam* „*ſuper amaritudine* mortis *chariſſimi quondam* „CHVNRADI nepotis noſtri *cor noſtrum non* „*poterit reſpirare, niſi per veſtrae Paternitatis con*„*ſolatoriam dulcedinem, & Apoſtolicae benignitatis* „*clementiam releuetur, quae ſola nouit & poteſt* „*tantorum conferre ſolatia lamentorum*, ſi matu„rius nos vberibus amplexata dignetur vt filium „confouere, noſtrumque ſtatum inter caeteros „Romani Imperii electores paterna benedictione „dirigere, & petitiones noſtras, a licito & honeſto „nullo modo diſcrepantes, effectu proſequente „complere, nec accommodare de facili audientiam „relatibus aemulorum.„ *Super quibus plenius proponendis ad Praeſentiam Sanctitatis veſtrae exhibitores praeſentium, Fratrem Wolfgangum Monachum Ordinis S. Ben. & Magiſtrum Fridericum clericum noſtrum duximus deſtinandos, petentes humiliter ac deuote, vt ipſorum relatibus aures beneuolas & gratum fauorem dignemini adhibere.* Apud Collegium autem Cardinalium cauſſam ſuam hunc in modum perorauerat: *Reuerendis &c. O vtinam dorſa veſtra plena oculis, veri amoris ſcintilla mediante, reſpiciant & contemplentur limpidius* ſtatum noſtrum, *rimentur facta, diſcutiant actiones, quibus a teneriori aetate bonorum & maiorum conſiliis, & praecipue* bonae recordationis *inclyti quondam* regis Vngariae Belae *ſoceri noſtri, paternis eruditionibus & exemplis edocti Sanctam Romanam Eccleſiam didicimus in timore omni reuereri, vosque Sanctos Patres & Dominos etſi non crebris propter viarum diſcrimina nuntiis, ſaltem continua & frequenti deuotione recolere, veſtrumque mandatum omni mentis promptitudine praeſtolari! O vtinam erga vos optatum noſtra ſuſpiria debeant inuenire ſolatium, qui non ſolum vtroque dudum praeſente, verum etiam praedicto ſocero noſtro, imo & piae memoriae ipſius filia (Eliſabeth) chariſſima quondam conſorte noſtra, orbati*, lethali adhuc praedilecti olim CHVNRADINI nepotis noſtri exitio ſauciamur, *nec poterimus absque veſtra conſolatione modum ponere in lamentis, duplici nos doloris aculeo pungente, quod videlicet* miſerandus idem nepos noſter, noſtro conſilio non attento, vtpote immaturus aetate, debilis viribus, & amicorum auxilio deſtitutus, tanto ſe diſcrimini expoſuit, improuiſe contra Sedis Apoſtolicae voluntatem, & quod permiſſione Diuina tam crudelis fati mortem excipiens, tanquam laeſus in primo flore botrus, nihil nobis aliud quam cordis amaritudinem propinauit. *Attendite igitur & videte, ſi eſt ſine Apoſtolicae benignitatis conſolatione remediabilis dolor ille, qui tamen, veſtris accedentibus conſiliis, poterit aboleri, ſi propitios vos mediatores erga ipſam Sedem in cauſarum noſtrarum proſecutione ſenſerimus, vtpote a tantis Patribus in filium adoptati. Super his igitur vniuerſitati veſtrae plenius proponendis &c.* vt ſupra.

„*monialia*, *ſiue feodalia* cum omnibus hominibus noſtris vtriusque ſexus, quocum„que titulo ad nos pertinentibus, *tam in partibus Germanicis, quam Latinis*, ſi absque „liberis legitimis deceſſerimus ex hac vita, donauimus pleno iure perpetuo libere „poſſidenda. Ad huius itaque rei obſeruantiam & ſtabilem predictorum omnium „firmitatem preſentem literam noſtro & venerabilium Domini Euerhardi Conſtan„cienſis Eccleſie Epiſcopi, & Domini Bertoldi Abbatis S. Galli, & dilectorum *fide„lium noſtrorum* Friderici Comitis de Truheding, . . Burggrauii de Nurnberck, „Henrici Marchionis de Burgau & Friderici Comitis de Zolrn ſigillis cum ſubnotatis „teſtibus iuſſimus communiri. Teſtes autem ſunt:

„Fridericus Dux Auſtrie & Stirie, Marchio de Baden.
„Meinhardus Comes Goricie & Tirolis.
„Bertoldus Comes de Grayspach.
„Bertoldus Comes de Eſchinloch.
„Vlricus de Gundolfingen & Degenhardus filius ſuus de Herlſtein.
„Fridericus de Kufriach.
„Henricus, Rudolphus, Fridericus & Hermannus de Himheim.
„Albertus, Leuzmannus, Albero de Pruckeberg.
„Otto de Pruchſel.
„Bruno de Riſenburch.
„Conradus & Conradus Comites de Mospurg.
„Gebhardus de Wilhain.
„Waltherus Pincerna de Limpurch.
„Henricus Camerarius de Rauensp urg.
„Volckarus de Kemnata & Marquardus filius ſuus,
„Henricus & Conradus Pincerne de Winterſtetten.
„Euerhardus Dapiſer de Walpurg.
„Bertholdus de Franhouen.
„Conradus Cropho de Fliglingen.
„Henricus de Haginberg.
„Arnoldus de Muſſenhauſingen.
„Grumoldus, Henricus & Conradus de Priſingen.
„Heinricus & Weinhardus de Rorbach.
„Vlricus de Camerberg.
„Otto de Frauenberg.
„Fridericus de Stauſeneck.
„Henricus de Yſoltzried, & alii quam plures.

„Actum apud Auguſtam Anno dominicae incarnationis MCCLXVI. Nono Cal. „Nouembr.

Sed ipſimet Bauariae Duces de bonis Hohenſtauffenſibus in partibus Latinis ſibi retinendis non multum ſolliciti fuiſſe videntur, ſiue quod Papam meruerint, (cuius iram & indignationem ob ſolam fidem atque obſeruantiam erga Imperatorem Fridericum II. pater eorum, Otto illuſtris, iam pridem ita expertus erat, vt *crucem* etiam contra ipſum, tamquam publicum Eccleſiae hoſtem, praedicare iuſſerit Innocentius IV. vide eius epiſtolam ad Epiſcopum Ratisbonenſem ap. STEPHAN. BALVZIVM *Miſcellan. L. VII. p. 456. ſq.*) ſiue quod forte ſua contenti bello aduerſus Carolum Andegauenſem, Regni Neapolitani vſurpatorem, implicari detrectarint; ſiue denique quod ius Miſniae Marchionum ex Margaretha Hohenſtauffica in maritum, Albertum Degenerem, filiosque Fridericum Admorſum & Diecemannum deuolutum, de quo PETRVS DE PRETIO in ſua ad Henricum Illuſtrem adhortatione prolixe agit, ſuo iure potius crediderint. Atque hinc in confirmatione donationis huius, quam Ludouicus Dux a Rudolfo I. Germaniae Rege petierat, nulla Italicorum bonorum fit mentio: Placet adhuc ipſam hanc Rudolfinam confirmationem A. 1273. factam ſubiicere. „RVDOLPHVS Dei gratia *Romanorum Rex ſemper Auguſtus*. Vniuerſis „Romani Imperii fidelibus in perpetuum. Longinquitate temporum plerumque ac„cidit, vt geſta hominum & contracta efficacia in obliuionem veniant. Igitur me„rito vtiliter & neceſſario forent memorie commendanda; propter quod ſcriptura„rum apices, dubietatis ſcrupulos & obtenebrate reminiſcentie caligines ſui claritate „luminis repellentes, in erroris palpitantes inuio ad directiones ſecundas dirigit, ob-

„cecatas-

„cecatasque ignorantie nubilo ad contemplandam veritatem actorum in preteritis &
„gerendam a poſteris illuminat & ſeruat. Ea propter ne impoſterum reuocari valeat
„in dubium quidam *contractus donacionis* ab inclite memorie CONRADO, illuſtris
„*Regis* CONRADI *filio*, quondam diui *Imperatoris* FRIDERICI *nepote*, facte
„*ſuo auunculo*, illuſtri Principi LVDOVICO, *Comiti Palatino Reni, Duci Bauarie*, pre-
„ſentem paginam conſcribi precepimus ad dicte donacionis memoriam ſempiternam.
„Donacio nunc talis eſt, primo & tradidit ipſe CONRADVS predicto *auunculo*
„*ſuo*, memorato Duci LVDOVICO omnia bona patrimonialia, videlicet oppidum
„Schongaw, caſtrum Reittengaw, Ambergew, Curiam ſuper monte, Curiam Stauffe,
„villam Iglingen, villam Durnikhaim, villam Möringen cum toto Heibiſche, caſtrum
„Schwabekke, caſtrum & oppidum Werde, caſtrum Capfheim, Nouum forum
„cum toto officio, Perngew, Nouum caſtrum, caſtrum Schonnenbergh, que pro
„dote & in dotem quondam *ſue matri* ELISABETH, *ſorori* illuſtrium Principum,
„*predicti* LVDOVICI *&* HEINRICI *Ducum Bauarie a patre ſuo Rege* CONRA-
„DO fuerant aſſignata. Deinde omnia alia ſua bona ſiue eſſent patrimonialia, ſiue
„alia quecunque, que ad ipſum proprietatis titulo pertinebant. Inſuper omnia bona
„feodalia videlicet Aduocaciam Heresprucke, Viſſeke, Amberg, Aurbach cum ca-
„ſtro Hohenſtain & omnibus pertinentiis omnium predictorum tam in bonis quam
„hominibus, que quondam *pater ſuus*, predictus *Rex* CONRADVS a Baben-
„bergenſe Eccleſia habuit infeudata, ceſſit, donauit & tradidit ſepe dicto *ſuo auunculo*
„pleno iure. Nos itaque de fauoris & gracie plenitudine, quibus ipſum Palatinum
„Comitem & Ducem Bauarie LVDOVICVM proſequimur, iuris beneficio ſibi
„nihilominus ſuffragrante, omnem donacionem & tradicionem, de predictis omni-
„bus in ipſum factam, ratam & gratam habemus, ipſamque approbantes auctoritate
„Regia preſentibus confirmamus: in euidens & efficax teſtimonium rei geſte noſtre-
„que ordinacionis ſupradicte preſens ſcriptum noſtri ſigilli munimine roborantes.
„Datum Hagenaugie Anno Domini MCCLXXIII. III. Cal. Mart. Indict. II. Anno
„Regni noſtri primo.„ Haec vtut paululum *a rebus Guelficis* remotiora, grata fore atque accepta lectoribus, non eſt cur dubitem; praeſertim cum ea praetermiſerit GEWÖLDVS, & in libello ſuo *de ſeptemuiratu p. 743.* editionis Noribergenſis ex A. 1657. praeter Chartam a Wenceslao Bohemiae Rege A. 1291. datam, qua conſenſum ſuum Electoralem de hoc Rudolfino diplomate explicat, nihil de re tanti momenti dixerit. (a)

§. 25.

a) Vti ex noſtris vberior rei geſtae notitia hauriri poteſt, ſic etiam diſcimus, quomodo poſt exſtinctos Hohenſtauffios *Dapiferatus dignitas in Epiſcopatu Bambergenſi*, quae vt recte obſeruat GEWOLDVS, primum penes Duces Bauariae fuit, poſtea proſcripto Henrico Leone & eiectis Guelfis a Friderico Imperatore vſurpata, & in Domum ſuam translata eſt, iterum ex iure poſtliminii ad Bauariae Duces redierit. *Aduocatia* enim *in Haerſpruck*, *Vilſeke*, *Aurbach cum Caſtro Hohenſtein* beneficium erat, quo ab Eccleſia Bambergenſi inueſtiri ſolebant Principes, quibus eiusdem Eccleſiae Dapiferatus competebat, ceu diſcimus ex diplomate Berchtoldi Epiſcopi apud laudatiſſimum GEWOLDVM *l. c. p. 754.* quod is minus accurate deſcriptum cum lectoribus ſuis communicauit, nos vero ex copia vidimata Archiuii Monachienſis emendatius ſubiicimus: BERCHTOLDVS *Dei gratia* Epiſcopus Eccleſiae Bambergenſis, *vniuerſis hanc litteram inſpecturis ſalutem in omnium ſaluatore. Quia diuturnitas temporis obliuionem ingerit rebus geſtis, ne facta hominum dubitatione vel varietate aliqua infirmentur, neceſſe eſt ea ſcripturarum teſtimonio perhennari. Tenore ſiquidem praeſentium recognoſcimus & notum facimus vniuerſis praeſentibus & futuris, quod nos conſiderantes grata & laudabilia ſeruitia, quae Illuſtris Princeps Dominus* LVDOVICVS, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariae, *dilectus conſanguineus noſter, nobis & Eccleſiae noſtrae fecit, & in antea eſt facturus, eidem & haeredibus ſuis* officium Dapiferatus Eccleſiae noſtrae, *quod ad nos eſt libere deuolutum, cum omnibus honoribus, dignitatibus & iuribus* prout *inclyte recordationis* Fridericus Rom. Imp. *ab Eccleſia noſtra tempore quondam Domini Eckeberti Babembergenſis Epiſcopi, praedeceſſoris noſtri*, tenuit, *cum omnibus feodis ipſi officio annexis feodali titulo duximus conferendum. Feoda autem ſunt haec: Caſtrum Hohenſtein, aduocatia bonorum & hominum oppidi Härſpruck, Vilſeck, Aurpach, Pägenz, Velden, & omnia attinentia eorundem. Ab hac autem collatione noſtra aduocatiam Ciuitatis Vilſeck cum agris, pratis, paſcuis & aquis, ipſam ciuitatem ſpecialiter reſpicientibus, & ſeruitia, que* Tagdienſt *vulgariter nuncupantur, excipimus, ea deinceps pro noſtris & Eccleſiae noſtrae ſeruitiis reſeruantes. Includimus etiam, quod in omnibus poſſeſſionibus & iuribus noſtris Eccleſiarum, Monaſteriorum ac miniſterialium Eccleſiam noſtram reſpicientium, inpoſterum nos per ſe, vel haeredes ſuos, vltra ius debitum*

§. 25.

Ottonis IV. Imperatoris magna apud exteros exiſtimatio ex coronato ab eo Armeniae Rege Ruppino cumprimis elucet.

De altero Henrici Leonis filio, *Ottone IV.* Imperatore, latus nobis ſupereſſet dicendi campus, praecipue ſi enarrare vellemus ea, quae *imperium*, inter varios a Pontifice, eiusque aſſeclis excitatos motus, *infeliciter* quidem, non tamen *ignobiliter* atque *indecenter*, vt multi criminantur, ab eo adminiſtratum, concernunt. Verum cum haec alii reſeruanda occaſioni cenſeam, vnum illud repeto, de quo ſuperiore anno *in Germanica obſeruatione diurnis noſtris litterariis inſerta* egi: idque iterum eo animo & intentione, non vt alios de re noua informem atque edoceam, verum vt diſcendi cupidus, meaeque imbecillitas memor, viros eruditos, Germanos praecipue, & gloriam Imperii atque nominis Germanici amantes, ſumma, qua fieri poteſt, obſeruantia obſecrem, quo ſuis luminibus conatus noſtros pro Caeſaris, atque ipſius Imperii honore, amplificando iuuare velint. Refricandam nimirum duxi (vide *Hanöveriſche gelehrte Anzeigen A. 1750. p. 173. ſqq.*) *creati ab Ottone Imperatore noui Regis memoriam.* Rem paucis notam, in Germania certe parum diuulgatam, neque, quantum ſcio, in Scriptoribus rerum Germanicarum huius vel ſequioris aeui obuiam, apud WILLIBRANDVM, Scriptorem coaeuum atque minime ſuſpectum, inueni. Is igitur A. 1211. ablegatus ab Ottone Imperatore *in Armeniam* miniſter, quae in hoc, & in ſuſcepto in Terram Sanctam itinere, digna annotatione ſibi obuenerant, deſcripſit, atque ſic peregrinationis ſuae accuratam ſatis hiſtoriam nobis reliquit, editam a LEONE ALLATIO in *Collectione Opuſculorum Graecorum & Latinorum, vetuſtiorum & recentiorum,* quae in forma 8[va] ſub titulo συμμικτα Coloniae A. 1653. prodiit. Secundum huius narrationem Otto, *vim nominis* perpendens, quo Romanorum Imperator & *Auguſtus* appellabatur, *augendum* ſibi *Imperium* eſſe cenſuit, ne cuiquam ſuperiorum Imperatorum honore & meritis concedere videretur, qui *Regibus imperare pulchrum & Auguſti nomine dignum* exiſtimarunt. Inprimis autem deceſſores ſuos, Lotharium, Fridericum Barbaroſſam, & Henricum VI. Imperatores, (b) aemulatus, ad preces Leonis, coronati olim ab Henrico VI. Armeniae Regis, poſt coronationem ſuam Romanam, *miſit in Armeniam*, qui nepoti ipſius, *Rupino, ſuo nomine*

debitum non impediat vel moleſtet. Vtetur etiam praedicta aduocatia ſicut praefatus Imperator eo tempore Domini Ekperti Epiſcopi vſus fuit, nec munitionem vel Caſtrum aliquod eriget in bonis, quae ipſi contulimus nunc de nouo. Ad huius itaque noſtrae collationis robur perpetuo valiturum praeſens ſcriptum praedicto Duci cum ſubnotatis teſtibus dedimus, ſigillis noſtri & Domini Henrici Venerab. Spirenſis Epiſcopi, fratris noſtri munimine roboratum. Teſtes autem ſunt:

Dominus H. Venerabilis Spirenſis Epiſcopus.
Walrabus Praepoſitus maioris Eccleſiae Wormatienſis.
Emicho Comes de Lyningen, fratres noſtri.
Fridericus de Bolandia Praepoſitus S. Stephani Babembergen.
Fridericus Burggrauius de Nurenberg.
Reinhardus de Hagenawe.
Hermannus & Rudolphus de Hirnhaim.
Hadmarus de Labro.
Meinhardus Comes de Poteneck.
Gebhardus de Wylhaim.
Erckingerus de Maginhaim.
Chunradus & Otho de Bichenbach.
Gerlacus de Bruberch.
Otho de Bruchſolla.
Engilhardus de Winſperch.
Philippus & Gerhardus Dapiferi de Alzeia.
Wolframus Dapifer de Gwannſtorf.
Chunradus de Alberdorf.
Berchtoldus de Voginberge.
Antonius Dapifer de Chriwiler.
Chunradus & Eberhardus Pincernae de Erpach.
Chonradus de Prinſigen.
Henricus de Rorpach.
Lupoldus Coquinarius de Potinburch.
Berchtoldus de Geboltſpach.
Wernherus de Huſen.
Fridericus Notarius Curiae noſtrae, & alii quam plures.

Actum & datum in Campis apud nouam ciuitatem, Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Ducenteſimo Sexageſimo nono, tertio decimo Kalendas Iulii, duodecima Indictione.

b) Quomodo Lotharius Imperator Canutum *Obotritorum Regem*; Fridericus Barbaroſſa Bariſonem *Regem Sardiniae* creauerit, apud omnes, qui Hiſtoriam Imperii Germanici ediderunt, narratur. Sic etiam teſtimonia ARNOLDI LVBECENSIS *L. V. c. 2. n. 8.* & *L. V. c. 5. n. 6.* CHRONOGRAPHI HALBERSTADENSIS ap. LEIBNIT. *T. II. Scriptor. Brunſuicenſ. p. 139.* atque ENGELHVSII *in Chronico p. 1111. ap.* LEIBNIT. *l. c.* notiora ſunt, quam vt heic exſcribi debeant; omnes hi vno ore referunt, Henricum VI. Imperatorem Anno 1197. per Conradum Herbipolitanum Epiſcopum, Cancellarium ſuum, Almaricum, Guidonis fratrem, *Cypri Regem*, eodemque anno per Conradum Moguntinenſem Archiepiſcopum Leonem, *Armeniae Regem*, impoſito diademate coronatos, Romano Imperio ſubiectos reddidiſſe. conf. etiam Dn. DE LVDEWIG *diſſ. de iure Reges appellandi c. II. §. 7. Opuſcul. T. I. p. 62. ſq.*

Digitized by Google

nomine diadema Regium imponerent, cumque *nouo parique nexu Romano deuincirent Imperio.* (c) Hac de re praeter illa WILLIBRANDI narrata nihil ſere in literas relatum reperio, ſiue id factum ſit, quia hi, qui huic negotio adhibiti ſunt, geſta ſua deſcribere non conſueuerant; ſiue res in Oriente geſta ad notitiam eorum, qui huius temporis hiſtoriam penes nos ſcripſerunt, non peruenerit; ſiue denique, quae tum forte ſcripta erant, per ſpiramenta ſaeculorum, vt multa alia, interierint, & quae remanſerant, in alium ſenſum ita fuerint deprauata, vt vix amplius a veritatis amatoribus agnoſci potuerint, atque hinc tamquam dubia & incerta prorſus negligi coeperint. Quod vltimum fere ſuſpicari nos facit VINCENTIVS BELLOVACENSIS, qui licet a temporibus Ottonis IV. non admodum remotus ſcriptor ſit, tamen *in ſpeculo ſuo hiſtoriali L. XXXI. c. 29.* iam iam non niſi corruptam rei huius narrationem conſignauit, quando *coronationem Leonis, Armeniae Regis,* iuſſu Henrici VI. Imperatoris factam, noſtro *Ottoni,* manifeſto prorſus errore, adſcribit, *Ruppinum* vero, *Leonis nepotem*, qui tamen praeciſe nominandus fuiſſet, prorſus ignorat. Nec melius acu rem tetigerunt AVCTOR *ſupplementi ad Chronicon* ENGELHVSII *ad A. 1245.* & CLEMENS GALANVS, ſuperioris ſaeculi Scriptor, in *Conciliatione Eccleſiae Armenae cum Romana p. 376.* edit. Rom. 1650. in fol. quos ſolos ſcriptores rei huius praeclarae atque cum ſempiterna nominis gloria ab Ottone geſtae teſtes hactenus excitare poſſum. Horum enim hallucinationes ſi qui ante me deprehenderunt viri graues, (vt deprehendiſſe non eſt dubium,) quibus laudata ALLATII Opuſculorum collectio forte minus cognita erat, mirum profecto videri non debet, ſi, qui in nomine Regis deliquerunt, aucto-

c) Narrat haec WILLIBRANDVS *l. c. p. 134.* his verbis: *Inde* (ſcilicet Antiochia) *procedentes intrauimus Hermeniam, & ſciendum, quod dominus terrae illius Leo de Montanis conſueuerat appellari; quem noſtris diebus Henricus, glorioſus Romanorum Imperator, qui ſemper rempublicam & Romanum Imperium augere laborauit, Regem conſtituit & coronauit; vnde poſtmodum Rex Hermeniae eſt appellatus, & deinceps terram ſuam a Romano Imperio recipere conſueuit.* Cuius nepotem Otto Imperator ad petitionem Leonis ſenioris Regis coronauit. Et p. 138. diſcimus nomen huic Regi ab Ottone Imperatore coronato fuiſſe *Rupinus*. Conſentiunt cum WILLIBRANDO noſtro omnes, qui de Armenicis rebus aliquid tradunt, Scriptores, qui non ſolum *Regem* aliquem *Armeniae, Leonem,* ab Imperatore Henrico VI. applaudente Innocentio III. PP. coronatum nobis narrant, vid. epiſtolas Innocentii III. ap. BALVZIVM *T. I. L. II. ep. 219. ſq.* verum etiam *nepotis eius Rupini* mentionem faciunt. ceu patet ex VINCENTII BELLOVACENSIS *Speculo hiſt. L. XXXI. c. 29. vbi Leo ter infirmus, ter feciſſe dicitur omnes Barones ſuos* Robino, nepoti ſuo, *iurare tamquam vero & vltimo Domino ſuo & iuſto heredi Regni Armeniae.* Erat huic Rupino ſoror, nupta primum Raimundo Principi Antiochiae, quam viduam, inuitam licet, in thorum ſuſcepit Hayto, Conſtantis filius, ex nobiliſſimis Armeniae Proceribus ortus, atque poſtea ope Tartarorum in ſolium Regium euectus. IPERIVS *in Chron. S. Bertini ap.* MARTENE *T. III. Anecdot. p. 752.* Ipſe Rupinus, qui inuerſo mortalitatis ordine ante auum hominem exuiſſe, atque hinc ad ipſius Armeniae regimen actu numquam perueniſſe videtur, filiam reliquit Philippo Comiti de Monte forti nuptam, qui ideo ſpem potiundi Regni Armenici conceperat, quod iterum ex VINCENTIO *l. c.* diſcimus. Tabula Genealogica, quam in rebus his Armenicis explicandis ex Scriptoribus probatis hactenus conſarcinare potui, haec eſt:

N. N.

Robinus vel *Rupinus*
Baro i. e. Princeps Armenie,
Sultano Turciae tributarius.

Leo ab Henrico VI. Imperatore
primus Armeniae Rex 1198.
creatus, † forte Anno 1242.
in decrepita aetate.

N. filia heres Armeniae a patre
morti proximo patrui fidei credita, ſed ab eodem a ſucceſſione excluſa.

N. ſiue filius, ſiue filia,
filius tamen, vt opinor, ante
patrem fato functus.

Conſtans
Nobilis
Armeniae.

Rupinus Rex Armeniae ab Ottone IV. Imperatore creatus A. 1211. mortuus tamen, vt videtur, ante auum Leonem.

N. filia nupta
Principi Antiocheno Raymundo. = *Aytonus* vel *Hayto* Rex
Armeniae Tartaris tributarius † 1272.

N. filia nupta Philippo
de Monteforti.

Leo ſeu *Linonius*
Rex Armeniae.

itized by Google

auctores vt mendoſi prorſus reiecti ſunt, atque ſic lapſus & error eorum ipſi veritati tenebras has obduxit. Interim quam pertinax ſit Scriptorum circa hanc rem ſilentium, res tamen non minus, quam ſi decem Scriptores eam enarraſſent, certa eſt. Licet enim teſtem habeat non niſi vnicum, is tamen pluribus par eſt, & cum dignitate, tum temporis locique vicinitate decem aliis potior, omnique exceptione maior, (d) WILLIBRANDVS, vt diximus, qui & *Ottonem Imperatorem* & *recens creatum Regem Rupinum* non modo vidiſſe ſe commemorat, verum *vt homo aulicus*, intimae apud vtrumque admiſſionis fuit. Qua quidem narratione marmore & quouis aere perennius monumentum Ottoni noſtro erectum puto. Etenim qui Imperii eius exiſtimationem ob mox inſecutum Pontificis odium, nullam prorſus fuiſſe exiſtimant, ii, quaeſo, perpendant, *remotiſſimas* etiam *Aſiae gentes maieſtatem eius comiter coluiſſe.*

§. 26.

Matrimonia inter Henrici Leonis poſteros & Daniae Reges crebro repetita.

Matrimonium, quod *Wilhelmus*, filiorum Henrici Leonis natu minimus, cum *Helena Danica*, Waldemari I. Regis filia, iniit, omnino a me exigit, vt *de matrimoniis, quae ſubinde inter Reges Daniae atque poſteros Henrici Leonis contracta leguntur*, quaedam in medium proferam; praecipue quod hac occaſione in rectam viam reducendi ſunt Scriptores aliqui hiſtoriae Danicae non infimi nominis. Equidem hic prolixe non repetam, quae infra p. 172. de *Ingeburga*, Wilhelmi ſorore, *Waldemari II. Regis coniuge*, iam diſputata ſunt. Quam enim hic omnia perturbauerit ipſe PONTANVS, vir caetera doctiſſimus, & quam parum ſibi tradita eius conſtant, in aprico eſt. Etenim quam ibidem in locis a Dn. ECCARDO iam excitatis, nec de nouo iam exſcribendis, *Ottonis Imperatoris*, (per conſequens etiam Wilhelmi noſtri) *ſororem* dixit, & *Ingeburgam* appellauit, eam bis *p. 323.* & *324.* alio nomine *Mariam* dicit, & *Ottonis Imperatoris filiam* facit. Immo huius ſuae opinionis ſecurus p. 355. eo audaciae procedit, vt erroris arguat quoſcumque, qui *Ingeburgam*, *Waldemari II. coniugem*, *Henrici Leonis filiam*, atque ſic Ottonis Imperatoris & Wilhelmi ſororem *credunt.* Quam inconſtantiam & crebros in vna re lapſus Scriptorem tam grauem, ac PONTANVS eſt, admiſiſſe, merito miramur. Ecquis enim vmquam Ottonem Imperatorem filiam habuiſſe apud veterem auctorem bonae notae legit? (e) Habemus ſane

d) Ecquis enim non credat viro ſummo; & ſiue genus ſiue dignitatem ſpectes, inter nobiliſſimos facile Principi? Vtpote qui e Comitibus Oldenburgicis, teſte HAMELMANNO *in Chronico Oldenburgic. p. 71.* ortus, maioris Eccleſiae Hildenſemenſis Canonicus, poſtea, ceu ex SCHATENII *Annal. Paderbornenſ. T. I. p. 1014. ſq.* patet, Paderbornenſis Epiſcopus, ac tandem Traiectenſis Archi Epiſcopus fuit.

e) Dormitauerit igitur BECMANNVS, diligens caetera rerum Anhaltinarum Scriptor, neceſſe eſt, quando etiam Alberto I. Saxoniae Duci, coniugem adſcribit Helenam; *Ottonis IV. Imperatoris filiam.* Etenim Helenam hanc Ottonis Pueri filiam fuiſſe tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Equidem dum haec ſcribo, atque quouis niſu pro expungendis filiabus Ottonis IV. Imperatoris laboro, neſcio, an non ſummo iure reſtituenda ſit in Genealogiam Guelficam *Gertrudis Auſtriaca.* Vt enim ingenue dicam animi mei cogitata, non inficias eo, hiſtoriam noſtram circa haec tempora mihi vix ſatis accuratam, atque hinc a ratione minime alienum videri, vt praeter duas filias, *Irmengardim* & *Agnetem*, tertia quoque filia Henrico Palatino adſcribatur *Gertrudis*, nupta Friderico II. Auſtriae Duci, licet ea ab omnibus domeſticis Scriptoribus quotquot hactenus lucem viderunt, ſit praetermiſſa. Non ignoro, quantum contra hanc Gertrudem in Genealogicis DOMVS SERENISSIMAE tabulis admittendam manibus pedibusque obſtreperit Dn. ECCARDVS, cuius libellus Germanice ſcriptus, & in calce *Hiſtoriae Genealogicae Principum Saxoniae Superioris* adiectus in omnium manibus eſt, atque hinc longa commendatione non indiget: At enim vero, quod pace manium viri Clariſſimi dixero, hactenus nondum video, quaenam alia eius argumentorum vis ſit, quam quod vnum illud & pertinaciſſimum Scriptorum domeſticorum de Gertrude ſilentium pro ſtabilienda opinione ſua perpetuo vrgeat. Sed oppoſuit ipſi nuperrime maxime Reuerendus P. SIGISMVNDVS CALLES in eruditiſſimo *Annalium Auſtriae Opere P. II. p. 238. not. c.* auctoritatem Scriptorum Auſtriacorum, atque ita quidem oppoſuit, vt cum ab his *Gertrudis Brunſuicenſis*, eiusque maritus, *Fridericus II. Auſtriae Dux*, diſertis verbis nominentur, vel concedendum ſit omnino, hanc foeminam ad genus Ducum noſtrorum ſpectaſſe, vel aſſerendum, quod ineptiſſimum foret, Scriptorum noſtrorum ſilentium pluris eſſe aeſtimandum, quam diſerta Auſtriacorum Scriptorum teſtimonia. Ita enim CHRONICON AVSTRALE *ad A. 1226.* Fridericus *filius Ducis Auſtriae* in Brunſuic

ſane eius teſtamentum, in qua coniugis quidem, non vero *liberorum* meminit, non omittendorum profecto, ſi quidem habuiſſet. Vtque moris erat in donationibus eccleſiis & monaſteriis factis liberorum rationem habere, quod eiusmodi liberalitas etiam iis apud Deum profutura credebatur; ita ſane inter tot Chartas, quae munificentiam Ottonis Imperatoris erga loca diuino cultui dedicata loquuntur, vel vna occurrere deberet, quae mentionem prolis faceret, niſi certiſſimum omnino & exploratiſſimum eſſet, ipſum in ſterili vixiſſe matrimonio. Interim vt HENNINGESIVS noſter induxiſſe in hunc errorem PONTANVM videtur, ſic ipſum rurſus, vt fieri ſolet, alii etiam Danorum Hiſtorici incaute exſcripſerunt, & Waldemari II. vxorem Mariam Ottonis filiam dixerunt, ceu exemplo ſuo probant SVANINGIVS *in Chronologia Danica p. 81.* & Dn. HOIERVS *in compendio hiſtoriae Danicae* Germanice ſcripto *Tab. II.* Grauior longe eſt error, quem idem PONTANVS *l. c. p. 355.* & cum eo magna Scriptorum, tam Danorum, quam noſtratium turba admiſit, vbi *Erico Sancto*, quem vulgo *Plougpenning* nominant, coniugem tribuunt *Mechtildim* ſiue *Iuditham*, (neque enim in nomine conueniunt) *Alberti M. Ducis Brunſuicenſis filiam*; quem lapſum adeo palpabilem neminem ante illuſtrem Dn. HOIERVM obſeruaſſe, nec, qui poſt eum ſcripſerunt, euitaſſe profecto miror. Rectiſſimo enim iudicio vir laudatiſſimus mihique, dum viueret, amiciſſimus, in diſquiſitione hiſtorica *de Origine Sophiae Langelandicae p. 104. ſuſpectam*, inquit, *hanc ſententiam facit non ſolum, quod idoneis antiquorum deſtituatur teſtimoniis, ſed maxime res ipſa temporisque & certioris hiſtoriae ratio, quae non patitur, vt S. Erico Regi Daniae A. 1239. (quo eum nuptias celebraſſe conſtat,) coniuncta fuerit filia Alberti M. Brunſuicenſis, qui eo anno iuuenis adhuc, & imberbis forte* (f) *fuit; minus adhuc, vt Mechtildis, eius filia ex altera coniuge Principe Ferrarienſi*

Brunſuic *nuptias celebrauit.* Ita pariter CHRON. CLAVSTRO NEOBVRG. & ANON. LEOB. *ad h. a.* Et, ne credas, Brunſuici in manus Friderici Auſtriaci conueniſſe Principem foeminam a ſtemmate Guelfico alienam, atque ſolummodo in aula Henrici Palatini educatam, ipſum *generis & vxoris* nomen expreſſit ORTILO *de exord. Campilil. ad A. 1226.* quando, Friderico, ait, *alteri filio* (Leopoldus Dux) *vxorem dat* Gertrudem de Brunſwich; *ſed altero menſe defunctam*, in quo conſentientem habet PERNOLDVM, Monachum Ordinis Praedicatorum, *in Chronico apud* Eruditiſſimum CHRYSOSTOMVM HANTHALERVM, qui, de Friderici II. Auſtriae Ducis vxoribus agens, *prima Graeca*, inquit, *Zophia, filia Theodori Laſcaris, Graeci Imperatoris, ſoror Mariae coniugis Belae, quarti Vngariae Regis, quam duxerat poſt* Gertrudem Brunſuicenſem *ſtatim defunctam.* Immo *Necrolog. Campilil.* diem mortis conſignat XV. Kal. Maii, quae *Paraſceue* erat eius anni, his verbis: *XV. Cal. Maii Domina* Gertrudis de Prunſwick Friderici Ducis Auſtriae & Stiriae vxor prima *ſtatim defuncta.* Et ne quid deſideres, quod tutiſſimam tibi fidem faciat, Coenobium S. Crucis, vbi ſepulta eſſe ſcribitur Gertrudis, hoc eius epitaphium habet: *XIII. Kal. Maii obiit* Gertrudis de Brounſwich *Duciſſa Auſtriae* apud maxime Reuerendum Dn. P. MARQVARDVM HERGOTTVM *in monumentis ſepulcbralibus Auſtriacis* quae auide exſpectat eruditus orbis. Quare cum certiſſima ſit in fide hiſtorica definienda regula, quod ſolum Scriptorum domeſticorum ſilentium rem, quam aliunde probare licet, neutiquam dubiam reddat vel incertam, haut quicquam rationis video, qui non fidem omnimode praebeamus Auſtriacis Scriptoribus, atque *Gertrudi*, vtut omnibus noſtris domeſticis Scriptoribus hactenus incognitae inter Principes foeminas DOMVS AVGVSTAE locum imposterum aſſignemus; praeſertim cum etiam aliunde conſtet, quam negligentes in nominibus filiarum annotandis fuerint non noſtri modo, verum aliarum etiam illuſtrium gentium & Familiarum Scriptores. Vnum igitur circa *Gertrudem* remanet dubium, cuius filia fuerit? Nam & *Henrico Palatino* & *Guilielmo* adſcribi poteſt, non refragante temporis ratione. Puto tamen potius Henrico natam fuiſſe, quoniam & nuptiae eius Brunſuici celebratae ſunt, & ipſamet diſertis verbis *a Brunſuic* denominatur, denominanda potius *a Luneburg*, ſi Wilhelmi filia fuiſſet; vtpote qui in ciuitatem Brunſuicenſem nihil iuris habuit. Sed haec quidem coniecto. Si quis enim aliter ſentiret, eamque Wilhelmo adſcribi mallet, cur temere refragarem, cauſam hactenus, non haberem. Forte tamen poſtera aetas, vt in aliis multis, ita etiam hic aliquid nouae lucis adferet.

f) Non opus eſt haeſitanter haec proferre; Reuera enim Albertum noſtrum anno 1239. puerum adhuc fuiſſe euinci poteſt. Nam pater eius, Otto, circa finem demum A. 1228. cum ex captiuitate, in quam anno praecedente in praelio Bornhouedenſi inciderat, liberatus eſſet, vxorem duxit Mechtildem Brandenburgicam, ex qua filium primogenitum habuit Ottonem, ſponſum Mariae, Alberti I. Saxoniae Ducis filiae, ante conſummatas nuptias in mediis hyemis deliciis infelici caſu e viuis raptum; atque hinc Albertus noſter ante annum 1230. naſci non potuit. Ecqui igitur A. 1239. praetextam depoſuiſſe fingatur? Interim vtut gener Alberti noſtratis per rerum naturam eſſe non potuerit S. Ericus, Rex Daniae, is ipſe tamen multum eum in oculis tulit, immo etiam memoriae eius *anniuerſaria ſacra* in Monaſterio Ebbekesdorpienſi

Ferrarienſi (prior enim Eliſabetha Brabantina A. 1261. ſine prole deceſſit CHRON. VET. BRVNSVIC. *apud* LEIBNIT. *T. II. p. 17.) anno 1239. fuerit maritata; cuius mater illo tempore infans, & forte ne nata quidem fuit;* (g) *omnium minime, vt S. Ericus coniugem habuerit Mechtildem totis poſt duodecim annis demum natam, quam ipſe Ericus fatis eſſet defunctus.* (h) *Accedit ad iſta, quod ex noſtris eluceat Annalibus, Albertum M. decem annis poſt caedem Erici cum ipſe ſuam coniugem Brabantinam extuliſſet, nuptias Margarethae Sambiriae, viduae Chriſtophori Regis ambiiſſe, variisque officiis & militia longe fideliſſima demereri ſtuduiſſe,* (i) *qui*

dorpienſi fieri voluit. Quod ſiue ob vitae morumque ſanctimoniam, qua & viuus & mortuus multum vbiuis locorum celebrabatur Ericus Rex, ſiue ob memoriam auiae ſuae Helenae, Regis Waldemari I. filiae, atque hinc Regis Erici amitae, ſiue ob arctius amicitiae vinculum, quod inter Ottonem Puerum, Alberti patrem, & Waldemarum II. Regis Erici patrem, olim interceſſerat, & de quo infra Lib. VIII. pluribus agetur, Albertus noſter fecerit, certiſſime tamen ita, vt narrauimus, factum eſſe ex ſubiecta Charta, quam LVNIGIVS *in Corp. Feudal. T. II. p. 1357.* exhibet, probamus. *Dei gratia* ALBERTVS Dux de Brunſuich *omnibus, ad quos praeſens ſcriptum peruenerit, ſalutem & affectionem ſynceram. Petitio cuiuslibet facilius admittitur, ſi petentes deſiderium ad finem boni operis dirigant. Petiuit ſiquidem a nobis Segebandus de Wittorpe, fidelis noſter, vt vnam domum, ſitam in Bonſtorpe, quam a nobis tenebat in pheodo, libere reſignatam nobis, Eccleſie in Ebbekeſtorp noſtra conferre liberalitas dignaretur. Nos itaque ipſius Segebandi votis & precibus benignius annuentes, Eccleſie antedicte & Conuentui in Ebbekeſtorp contulimus ſeu in proprium dedimus, de conſenſu fratrum noſtrorum, predictam domum, cum omnibus attinentiis eius, in titulum perpetui beneficii, quiete ab eis perpetuo poſſidendam, ita tamen, quod ſecundum memorati Segebandi deſiderium, &* Erici Pii Regis Danorum, & patris noſtri, Ottonis Senioris, Ducis de Brunſuic, apud Eccleſiam in Ebbekeſtorpe, & totum conuentum habeatur memoria, & eorum anniuerſarius depoſitionis a Sanctimonialibus dicte Eccleſie ſolempniter peragatur. *In cuius igitur memoriam & teſtimonium damus preſentes literas, ſigilli noſtri munimine roboratas.*

Huius facti noſtri teſtes ſunt:
Henricus Prepoſitus S. Blaſii.
Iordanus Notarius noſter &c.
Datum in Caſtro Thune, *Anno Domini MCCLX. V. Kal. Mart.*

g) Nondum tunc natam fuiſſe *Aliſam* ſiue *Adelheidem*, Montisſerrarii Marchioniſſam, valde eſt credibile, vtpote quae demum Anno 1262. ſponſalia cum Alberto noſtro celebrauit, ceu quidem ex RYMERI *Act. Anglic. T. I. p. 751.* diſcimus, vbi ſequentia annotata: *Mandatum eſt Duci Brunerwik, quod cum inter ipſum & ſororem Marchionis Montisſerrati coram Rege & Regina Francie, Anglie & Nauarre per Regem & Nuntios ipſius Ducis matrimonium ſolempniter ſit contractum, quatinus idem Dux ad preſentiam Regis London. veniat in quindena paſche proximo ventura, coniugem ſuam predictam inde ad propria perducturus. Teſte Rege apud ſanctum Germanum de Pratis 6. die Octobris anno &c:* Subiiciuntur poſtea ibid. *p. 753.* ipſius Regis Henrici ad *nobilem virum & conſanguineum ſuum Albertum Ducem Brunciuici* hoc ipſo anno ſcriptae litterae. Sed quicquid impedimenti nuptias has retardauerit, ipſa ſane ſponſa ante annum 1266. domum deducta non videtur, ſi recte tenorem Regiarum litterarum apud RYMER. *l. c. p. 838.* intelligimus. De qua re tamen alio tempore pluribus agetur.

h) Ericus Sanctus A. 1250. occiſus eſt. Sed Mechtildis, Alberti Ducis Brunſuicenſis filia A. 1262. nondum nata eſſe potuit, matrimonio parentum, vt in nota praecedente vidimus, ante A. 1266. non confarreato. Neceſſe igitur eſt, vt dicamus, Mechtildem minimum poſt 18. annos ab obitu Erici S. demum natam eſſe. Nam A. 1267. natus eſt Alberti primogenitus, Henricus mirabilis dictus.

i) Haec tamen Alberti noſtri bona officia Reginae viduae praeſtita ita recenſent PONTANVS, aliique Danorum Scriptores, vt iterum vel obelo vel ſpongia opus ſit ad dicta eorum emendanda. Sic enim v. g. *Rer. Danic. p. 360. Albertum* noſtrum Sophiae, Sueciae Regis Waldemari ſponſae, auum nominant, quem tamen ne quidem hoc tempore patrem legitimorum librorum fuiſſe recte obſeruauit B. Dn. HOIERVS. Sed vt ad conceptas ab Alberto noſtro de matrimonio Margarethae ſpes reuertar, (de quibus etiam *in notis ad* HERMANNI LERBECCII *Chronic. Comit. Schawenburg.* egit MEIBOMIVS noſtras *T. I. Script. p. 538.*) licet negare nolim, eum forte, Iunone inuita, ſperaſſe, fore vt thori conſortem Reginam viduam acciperet; omnia tamen officia ei praeſtita ex hoc ſolo & vnico fonte manaſſe vix credo. Interceſſerat enim eidem iam amicitiae foedus cum Rege Chriſtophoro, quod coniicio ex Charta huius Regis A. 1253. ſcripta, qua Alberto noſtro pro terra Alſia, procul dubio pro auxilio praeſtito ipſi obligata, aliae terrae in Regno Danico ſitae oppignorantur. Autographum Chartae in Tabulario communi Brunſuicenſi inueni, vnde illam ſubiicio. *C. Dei gratia* Danorum Sclauorumque Rex, *omnibus hoc ſcriptum cernentibus in Domino ſalutem. Notum facimus vniuerſis, quod nos dilecto* conſanguineo noſtro, *& nobiliſſimo Principi, Domino* ALBERTO Duci de Brunſwich *inpignorauimus duas terras noſtras, ſcilicet* Samſo & Onderaghae *cum bonis noſtris tam patrimonialibus, quam regalibus ibidem, & cum omni iure noſtro, donec* terram Alſiam *habuerit, quam ſibi contulimus iure perpetuo poſſidendam, ita quod fructus omnes inde medio tempore prouenientes*

Digitized by Google

quì tamen nec aetate illo tempore grauis, nec prole conſpicuus erat. Quae omnia euincunt, Mechtildem, Alberti huius filiam, S. Erico Regi non potuiſſe eſſe coniugem. (*k*) Exſcripſimus haec, vt detectae huius & exploſae fabulae honor, ſicuti fas eſt, vero ſuo auctori, Illuſtri HOIERO, relinquatur. Interim noſtrarum iam erit partium, vt in ipſius fabulae originem inquiramus, quam hactenus latentem omnes inueniſſe nobis viſi ſumus in ſubiectis Chartis, quarum autographa in Archiuio communi DOMVS SERENISSIMAE Brunſuici nuper vidimus. Prima haec eſt: *Nos* ERICVS *Dei gratia* Danorum Sclauorumque Rex *omnibus in perpetuum. Prudentum more nolentium falli vel fallere, factum noſtrum decreuimus litteris exarandum, vt poſteris inculcet memoriam, elidat ignorantiam & roboret veritatem. Nouerint igitur preſentes & futuri, quod inter illuſtrem Principem, Dominum* ALBERTVM, Ducem de Brunſwik *&* nos *affinitatis foedere conportato, ad conſolidandam ſpecialis amicitiae vnionem, idem Dominus*

tes recipiat, nec tamen homines illarum terrarum, ſiue Clerici, ſiue Layci, a proprietatibus & libertatibus ſuis, quas antea habuerunt, aliquatinus fraudabuntur: memoratus etiam Dominus Dux *cum corporalem poſſeſſionem* terre Alſie *optinuerit, nobis ſiue iuſtis heredibus noſtris prefatas terras ſibi impignoratas integraliter reſtituat, eque bonas, prout eas dinoſcitur recepiſſe. In cuius rei teſtimonium preſentes ſibi contulimus litteras, ſigilli noſtri munimine roboratas.*

Datum anno Domini MCCLIII. apud Skyalfiskörae (Schelsoera) XII. Kal. Nouembris.

Multa ex hac Charta diſcimus, hucdum, quantum memini, non obſeruata. Sic enim apud PONTANVM ſaepius iam allegatum *p. 390.* legitur, *obtinuiſſe A. 1300. Holſatiae Comitem Gerhardum a Rege Danorum Erico confirmationem bonorum*, quae ei Duces Luneburgenſes ac Brunſuicenſes in Daniae Regno ſita venditione inter ipſos habita tranſtulerant. Neque tamen, quantum iam memoriae fidere licet, memini, alibi apud PONTANVM me dictum & annotatum inueniſſe, quomodo haec bona in Brunſuicenſium Ducum poteſtatem deuenerint, id quod vero iure pignoris a Chriſtophoro Rege Daniae Alberto Duci Brunſuicenſi conſtituti factum eſſe ex hac Charta patet.

k) Perſpexit haec omnia, vt ſolebat, rectiſſimo iudicio Summus GRAMMIVS, Collega quondam & Fautor meus etiam poſt ſuprema funera, maxima pietate colendus. Hinc enim factum, vt Vir illuſtris, cui in hiſtoria patria aliquid ſine teſte idoneo adoptare grauiſſimum, immo prorſus impoſſibile erat, memoriam nuptiarum auſpicatiſſimarum Regis Potentiſſimi FRIDERICI V. & incomparabilis LOVISAE BRITANNICAE eheu! nimis maturo fato, cum incredibili bonorum omnium luctu e toro & amplexibus Auguſtiſſimi mariti ſublatae, numiſmate ad poſteros propagare iuſſus, pro ingenii ſui felicitate, numum auro argentoque expreſſum, in quo omnia, quae vmquam inter vtramque Domum interceſſerant, matrimoniorum foedera exſculpta leguntur, excogitauerit, hoc ipſum vero Erici S. & Mechtildis connubiale foedus prorſus praeterierit; certiſſimo indicio, quod illud pro inani commento, quale reuera iam eſſe dignoſcitur, habuerit. Vnde merito ſperamus, neminem impoſterum in Dania exſtiturum, qui fabulae adeo male cohaerentis memoriam refricaret. Sed praeſtat forte oculos paſcere egregio Illuſtris GRAMMII ingenii luſu. Vnde ipſum numiſma, in praedictas nuptias, quarum felicitati praeter aeternitatem nihil defuit, cuſum, in aere exſculptum heic exhibemus.



minus Dux natam ſuam kariſſimam (l) vni filiorum noſtrorum, qui poſt mortem noſtram Regni Danorum ſucceſſor extiterit, deſponſatam matrimonialiter dedit in vxorem. *Sane quia contractus huiusmodi abſque papali diſpenſatione procedere nequit ad effectum, prohibente conſanguinitatis linea & obſtante, nos per noſtros ac ſuos nuncios a feſto beati Iohannis Baptiſte proxime nunc venturo infra annum impetrare diſpenſationis beneficium debebimus propriis cum expenſis. Si tamen ſub iſtius anni curriculo papa forſan moreretur, ex tunc poſt creationem noui pontificis dictam diſpenſationem iuxta conditiones prelibatas procurabimus infra annum. Ad hec filie* Domini Ducis *memorate donauimus ad tempora vite ſue* terram *dictam* Samshö *cum omni iure & pertinentiis vniuerſis libere poſſidendam, de quibus ſexcentas marchas puri argenti percipere debet ſine* diminutione *qualibet annuatim. Si vero in perceptione ſumme de dictis terris annuatim ſoluende defectum pateretur aliqualem, illum reſtaurare de bonis aliis debebimus & ſupplere. Si vero de redditibus annuis reſultauerit quippiam & excreuerit vltra ſummam, cedet ſimiliter nate ſue. Preterea* filia Domini Ducis *ſepedicta, moriente marito, filio noſtro, ſeu defuncto, etſi prolem non habuerit, predictas terras nichilominus cum vſufructu & attinenciis, quoad vixerit, optinebit. Item ſi nos de medio, quod abſit, raperemur, Dominus* Dux *prefatus* tutelam ſuper Regna Danie tenebit vsque dum filius noſter annos impleuerit diſcretionis, *quod promittere debemus Domino* Duci *manualiter fide data, & habundantem ſuper eo, qua contentus ſit, preſtare cautionem. Super omnia conſilio & auxilio promouebimus Dominum* Ducem *fideliter in caſu quolibet, quod & ipſe nobis faciet vice verſa. Ne autem huiusmodi factum noſtrum aut obliuio deleat, aut animus malignantis infringat, preſentes litteras inde confectas cum appenſione ſigilli noſtri roborari iuſſimus ad cautelam.*

Actum & datum Loneburgh *Anno Domini MCCLXXVIII. Idus Martii.*

Altera ita ſonat: *Nos* ERICVS *Dei gratia* Danorum Sclauorumque Rex. *Notum eſſe volumus omnibus & conſtare, quod illuſtris Princeps Dominus* ALBERTVS Dux de Brunſwik, *poſtquam* matrimonium inter dilectam filiam ſuam & filium noſtrum celebrandum, fuerit per carnalem copulam conſummatum, *renunciabit omni impetitioni, quam occaſione cauſarum, dampnorum vel expenſarum contra nos ac Regnum noſtrum habere dinoſcitur, ſaluo ſibi tamen Caſtro* Hakimſtough *cum omni iure & pertinentiis vniuerſis, quod ipſe tenet pro quatuor milibus marcharum nomine pignoris obligatum, reſeruata nobis facultate redimendi dictum Caſtrum pro dicta ſumma cum nobis expediens videatur. Si vero caſu qualicumque interueniente matrimonium predictum non procederet, nec effectum debitum ſortiretur, ex tunc pro dampnis, expenſis & cauſis, quas contra nos & Regnum noſtrum habere dinoſcitur, liberam, ſicut prius, inpetendi habebit actionem. In cuius rei euidentiam preſens ſcriptum cum appenſione ſigilli noſtri roboratum ſibi dedimus ad cautelam.*

Actum & datum Loneburgh *anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo octauo. Idus Martii.* (m)

Promiſerat igitur, vt ex Chartis his diſcimus, noſter *Albertus Regi Erico VI. cognomento Glipping*, quod filiam ſuam *Mechtildem*, quam tunc vnicam habebat, vni eius filiorum

l) Cum in autographo per compendium ſcriptum ſit *Krm*, librarius, qui Chartularium Archiui deſcripſit, legit *Katharinam*; Vnde apud HOFFMANNVM *in genealog. Mſct.* error natus, quod duas Alberto noſtro filias adſcripſerit, aliamque fictitiam hanc *Catharinam* a vera illa Mechtilde fuiſſe crediderit; Cum tamen *Chronicon vetus Ducum Brunſuicenſium* non niſi vnicam hanc Mechtildem nouerit, quae poſteaquam ſperatae cum Erico Rege nuptiae in fumum abierant, Ducem Glogouiae, Henricum II. maritum nacta eſt.

m) Eodem loco & tempore aliam etiam Chartam a Rege Erico ſcriptam & Alberto Duci datam reperi, quam, licet ad hoc matrimonium non ſpectet, tamen quoniam negotia, quae inter vtrumque Principem tunc agitata fuere, quodammodo explicat, recitabimus. *Nos* ERICVS, *Dei gratia* Danorum Sclauorumque Rex. *Notum facimus vniuerſis, quod octo diebus poſt feſtum beate Walburgis proxime nunc futurum, omni poſtpoſita occaſione, occurrere debemus illuſtri Principi, Domino* ALBERTO Duci de Brunſwick *in* Imbria (inſula hodie Femern dicta) *gracia placitandi & ſecundum formam placiti per honorabilem virum, fratrem* Henricum *dictum de* Hoenſcheid, *priorem domorum hoſpitalis Ieroſolimitani ſancti Iohannis per* Daciam, Sueciam & Norwegiam, *inter nos condictam omnia ibidem finaliter terminandi. Si vero propter legittimam & ineuitabilem cauſam, vrgente forſan neceſſitate, venire ad dictum locum prefixo termino non poſſemus, dicto Domino Duci inpedimenti cauſam remandabimus tempeſtiue, aliam placitandi diem octo diebus poſt feſtum beati Iohannis Baptiſte proximum*

Digitized by Google

filiorum vxorem dare velit. Erant tunc Erico, vtpote qui A. 1273. Agnetem, Alberti II. Marchionis Brandenburgici filiam, vxorem duxerat, duo filii, *Ericus* A. 1274. natus, & iam A. 1277. aſſentientibus Procerum ſuffragiis a patre *Rex Daniae deſignatus*, atque *Chriſtophorus* A. 1276. in lucem editus. vid. PONTANVS *Rer. Danic. L. VII. p. 365. 368. 369.* & *Chron. Dan. apud* LVDEWIG. *Reliqu. Mſct. T. IX. p. 84.* Itaque horum vni deſponſabatur filia Alberti Brunſuicenſis pariter infans. Sed cum ſucceſſu caruerint haec deſtinata, mortuo iam A. 1279. Alberto Duce, aliquid tamen de his nuptiis innotuerit ſequioris aeui Scriptoribus, neque illi ſtatim cui ex tot Ericis Regibus ſponſam Brunſuicenſem tribuant, viderint, Erici Sancti autem ſocero Alberti nomen fuiſſe legerint, confuſionem hanc nominum ortam, atque Alberto Brunſuicenſi, licet tempora id nullo modo permitterent, filiam adſcriptam fuiſſe exiſtimo, quam Alberto Saxonico (n) potius tribuere debuiſſent. Vtque vnum erraſſe in hiſtoricis ſufficit ad ſexcentum alios incautos lectores ſeducendos, ſic error hic ſemel admiſſus in tot hiſtoriarum ſiue ſyſtemata, ſiue compendia facillime irrepere potuit, expungendus inpoſterum, vt ſperamus, & ad aeternam obliuionem damnandus. Prolixiora haec a nobis dicta ſunt. Sed dandum erat aliquid priſtino erga hiſtoriam Danicam amori, quod & honorificentiſſimam mihi duco ſpartam Hiſtoriographi, qua a REGIA SVA MAIESTATE Hauniae quondam ornatus fui, & ſanctam habeo memoriam Gentis Danorum Inclytiſſimae, cuius tot in me immerentem beneuolentiae, amoris atque clementiae prorſus ſingularis documenta exſtant. Faciunt praeterea haec ad confutandum eorum errorem, qui iam a tempore filiorum Henrici Leonis tepere incepiſſe, immo intercidiſſe Regum Daniae atque Principum noſtrorum amicitiam cum CRANZIO *Dan. L. VII. c. 17.* exiſtimant. Hanc enim tunc neutiquam intercidiſſe, ſed ſubinde inter vtriusque poſteros renouatam fuiſſe, tot alia produnt indicia. Praecipue vero intimam GVELFICAE GENTIS cum POTENTISSIMIS DANIAE REGIBVS coniunctionem in eo ſtabilitam voluit diuina prouidentia, quod *Magnus Torquatus*, Brunſuicenſium Dux, a quo vno & ſolo DOMVS SERENISSIMA propagata eſt, DANIAE REGVM EX GENTE OLDENBVRGICA omnium ſator fuerit feliciſſimus, vtpote cuius filia natu minima, *Catharina*, Gerhardo Duci Sleſuicenſi nupta, *Hedwigis* illius mater fuit, quae ex fortunato cum *Theoderico Fortunato* matrimonio longe fortunatiſſima genetrix *Chriſtiani I.* AVGVSTAE OLDENBVRGICAE FAMILIAE iam a trecentis annis in Dania regnantis *Auguſtiſſimi Conditoris*, facta eſt. Quam feliciſſimam affinitatem ducta *Dorothea*, Regis *Chriſtiani III.* filia, duobus abhinc ſaeculis iterum renouauit *Wilhelmus*, DOMVS REGIO ELECTORALIS *Sator*, cuius neptis *Sophia Amalia*, *Georgii* Ducis filia, Princeps inter Heroinas ſaeculi ſui referenda, *Friderico III.* Regi nupta, diuina prouidentia AVGVSTVM illud STEMMA propagauit, quod quartum nuper a ſuſcepto in Dania imperio ſaeculum ingreſſum

 a FRI-

proximum in predicta terra omni ſublato dubio ſeruaturi. In cuius rei euidens teſtimonium preſentem cedulam cum appenſione ſigilli noſtri dedimus ſuper eo.

Actum & datum Loneburgh anno Domini MCCLXXVIII. Idus Martii.

n) Recte igitur *gentis Danorum hiſtoria*, quae vulgo ERICO REGI tribuitur, apud LINDENBROG *Script. Septentr. p. 273.* ad A. 1239. ſequentia annotauit: *Rex Ericus duxit* Iudith filiam Ducis Saxoniae *in vxorem, cum quibus diſpenſatum eſt in quarta linea conſanguinitatis per dominum Papam Gregorium.* Nomen patris ALBERTVS STADENSIS ad eundem annum expreſſit, quando *Ericus*, inquit, *Rex Daniae iunior duxit* filiam Ducis Alberti *de Anehalt.* (ita enim gentem pro principatu ponit ALBERTVS) Mater Iudithae Agnes erat Auſtriaca, Leopoldi glorioſi filia, quam fruſtra tamen in tabulis Hubnerianis & apud vulgares Genealogiarum Scriptores quaeris, vbi vna ſaltim Alberti coniux occurrit, Helena Ottonis Pueri filia, atque hinc Alberti noſtri ſoror; quae tamen, vt ALBERTVS STADENSIS *l. c.* meminit, eodem die, quo Ericus Rex *Iuditham* duxit, in manus primi mariti Hermanni Haſſiaci conuenit, adeoque per rerum naturam eius mater eſſe non potuit; licet, Hermanno mox poſt nuptias e viuis ſublato, cum Helena noſtra ad ſecunda vota deſcenderet, *nouerca* eius facta ſit.

a FRIDERICO V. & LOVISA BRITANNICA *auitorum connubiorum felicitatem* renouatam ſumma vtriusque populi laetitia vidit. De quo ipſo matrimonio ex intima animorum ab vtraque parte coniunctione fortunatiſſimo, cuius praeſens ego per longum tempus ſpectator fui, plura ſcriberem, niſi immenſus dolor, quem recentiſſimum ex funere incomparabilis REGINAE vulnus in omnium animis excitauit, calamum multo cum fletu & lacrymis e tremula manu mihi extorqueret. Ecquis enim huius ſupra omnes ſexus ſui dotes ornatiſſimae Principis tam immatura aetate in Libitinae rationes relatae, ſine fletu, ſine quiritatione vmquam recordabitur? Vna mitigare dolorem noſtrum poteſt ſalus & incolumitas AVGVSTISSIMI FRIDERICI V. alterius illius Titi, quem generis humani delicias vno ore cultior orbis profitetur. Hunc vt DEVS florentem ſeruet & incolumem, atque pro ſua benignitate, Daniae & Norwegiae perpetua *Auguſtae* EIVS ET BEATISSIMAE LOVISAE *Sobolis* imperia decernat, ſerio precamur.

§. 27.

Epilogus cum voto pro ſalute DOMVS AVGVSTAE.

Atque haec quidem ad Tomum hunc tertium praefari volui. Quae ſi ſterilia tibi videntur & ieiuna, cogita, me non in *meſſem* veniſſe ſcribendae DOMVS AVGVSTAE hiſtoriae, ſed *ſpicilegium* ſaltim & *racemationes* exhibere poſſe. DEVS autem, qui in illa ipſa *funeſtiſſima gentis Guelficae periodo* INCLYTISSIMAM DOMVM conſeruauit, eique *priſtinum ſplendorem* poſt tot ſaeculorum interualla clementiſſime reddidit, omni malorum acerbitate depulſa ſartam eam & incolumem ad ſaeculi vſque conſummationem conſeruet. Et cum praecipuum publicae ſalutis & totius Europae robur atque ſecuritas in vna GEORGII II. ſalute poſita ſit, hunc *pacis arbitrum atque ſtatorem*, cui humillimis deuotiſſimiſque conuiciis vegetam laetiſſimamque ſenectam apprecamur, generi humano iam diu aegro & adſecto ita mederi iubeat, vt orbis terrarum largiſſimos votorum eius atque prouidentiae fructus, quietae felicitatis munera, conſequatur, ipſeque OPTIMVS MAXIMVS PATRIAE PATER *acta Auguſti aequet, annos vincat!* Vale iam, Humaniſſime Lector, & ſolemni huic precationis carmini votum adde: vt in GEORGII & CAROLI ſera poſteritate dignitas & gloria DOMVS GVELFICAE perennet; & praecipue REX AVGVSTISSIMVS, quem tot anni ſuperioris funera afflixerunt, nepotibus noſtris ac pronepotibus ita laetus fortunatiſſimusque ſeruetur, vt quam diu inter mortales erit, nihil impoſterum ex domo ſua mortale eſſe ſentiat! Scribebam Hanouerae d. V. ante Kal. Mart. A. R. S. MDCCLII.

ORIGI-

Digitized by Google

ORIGINVM GVELFICARVM

LIBER VII.

QVO

HENRICI LEONIS SAXONIAE ET BAVARIAE DVCIS, EIVSQVE LIBERORVM, HENRICI PALATINI CVMPRIMIS, OTTONIS IV. IMPERATORIS, ET WILHELMI VITAE ET RES GESTAE RECENSENTVR.

by Google

Digitized by Google

CONSPECTVS
LIBRI VII.

CAPVT I.

De Filio Henrici Magnanimi, *Henrico Leone* Duce Bauariae & Saxoniae.

CAPVT II.

De *Clementia* Zaeringenſi, & *Mathilde* Anglica, vxoribus Henrici Leonis, eiusque amica, *Ida* Comitiſſa, eorumque liberis.

CAPVT III.

De *Henrico*, Duce Saxoniae & *Comite Palatino Rheni*, primogenito Henrici Leonis ex Mathilde Anglica filio.

CAPVT IV.

De *Ludero* ſiue *Lothario*, ſecundo Henrici Leonis filio.

CAPVT V.

De *Ottone*, qui poſtea *Imperator* huius nominis *Quartus* factus eſt, tertio Henrici Leonis filio.

CAPVT VI.

De *Wilhelmo* Principe Luneburgi, quarto Henrici Leonis filio.

Accedunt huic libro ſequentes figurae aeri inciſae.

Henrici Leonis ſigilla.

Monumentum ab Henrico Duce Brunſuici erectum, ſiſtens leonem aeneum.

Effigies Henrici Leonis atque Mathildis, nec non Ottonis IV. Imperatoris & Beatricis coniugum.

Delineatio machinae argenteae, in qua S. Blaſii reliquiae & pollex S. Marci ſeruatur.

Delineatio alius machinae deauratae variis reliquiis refertae.

Monſtrantia argentea deaurata cum dente S. Iohannis Baptiſtae.

Brachium S. Theodori Martyris.

Crux aurea variis reliquiis referta.

Alia gemina Crux aurea ſacris reliquiis grauida.

Statua Henrici Ducis eiusque coniugis Mathildis in curia S. Autoris Brunſuici exiſtens.

Delineatio monſtrantiarum duarum variis Sanctorum oſſiculis & reliquiis repletarum.

Imago Henrici Leonis atque Mechtildis eius coniugis ex eius lapide ſepulchrali.

Effigies Henrici Leonis ex pictura Weingartenſi.

Henrici Leonis numi.

Cimeliarchium Palatinum explicans ſponſalia Henrici & Agnetis Palatinae ex Pinacotheca Ebneriana.

Henrici Palatini ſigilla.

Eius numi bracteati.

Statua Ottonis IV. Imperatoris eiusque coniugis Mariae in Curia S. Autoris Brunſuici exciſa.


Sigilla Ottonis IV. Imperatoris & Mariae Imperatricis.

Eius numi ſolidi & bracteati.

Statua Wilhelmi Ducis eiusque coniugis Helenae in Curia S. Autoris Brunſuici conſpicua.

Wilhelmi Principis eiusque coniugis Helenae ſigilla.

Digitized by Google



LIBRI VII.

CAP. I.

De filio Henrici Magnanimi *Henrico Leone*, Duce Bauariae & Saxoniae.

§. 1. *Henricus Leo* A. 1129. natus eſt, & patri decem annorum puer ſucceſſit.

§. 2. Eum amarunt *Saxones*, atque hinc *paternum Ducatum* contra *Albertum Vrſum* aſſerere ei quouis modo niſi ſunt.

§. 3. Adolphus, Comes Holſatiae, vndique incolas, quibus terram nouiter acquiſitam impleret, conquiſiuit, & prope Lubecam portum atque ciuitatem condidit.

§. 4. Et ipſe Henricus Leo titulo *Ducis Saxoniae* vſus eſt, & pro tali a quibusdam Principibus Germanicis habitus fuit, antequam ab Imperatore *reſtitutionem* huius *Ducatus* nactus eſſet.

§. 5. Gertrudis, eius mater, ad ſecunda vota tranſiens *Ducatum Bauariae* nouo marito affert, in quem cum renunciaſſet Leo, A. 1142. *Saxoniae Ducatum* ab Imperatore recepit.

§. 6. Exponitur lis ſuper ſucceſſione in *Comitatu Stadenſi* inter Henricum Leonem & Archi Epiſcopum Bremenſem poſt interfectionem vltimi Comitis Stadenſis orta.

§. 7. Prima Henrici Leonis poſt adeptam maiorennitatem liberalitas in fundatione *Monaſterii Riddageshuſani.*

§. 8. Henricus Leo intereſt Comitiis A. 1147. Francofurti celebratis, in quibus Henricus, Conradi III. filius, ad petitionem patris Rex a Germaniae Principibus electus eſt.

§. 9. In his comitiis Clementia, Conradi Zaringiae Ducis filia, Henrico Leoni deſponſata, & contra Slauos expeditio cruciata decreta, in qua primas partes habuit Henricus Leo, eiusque ſocer Dux Conradus.

§. 10. In bello inter Suenonem & Canutum de Regno Daniae Henricus Canuto patrocinatus eſt.

§. 11. Aduerſus Ditmarſos bellum geſtum pro vlciſcenda caede in Rudolfo Comite Stadenſi commiſſa.

§. 12. Ab Henrico noſtro per baculum inueſtitur Vicelinus Aldenburgenſis Epiſcopus.

§. 13. Recenſetur bellum pro vindicanda Bauaria ab Henrico Leone minus proſpere ſuſceptum.

§. 14. A. 1152. Comitiis Merſeburgi celebratis interfuit Henricus Leo.

§. 15. Hartwici, Bremenſis Archi Epiſcopi, inimicus erga Henricum Leonem animus exponitur.

§. 16. Quae bona Henricus Dux in Sueuia ex auito Guelforum patrimonio poſſederit?

§. 17. In Comitiis Wurceburgenſibus lis de hereditate Winzeburgica componitur.

§. 18. Praecipuum vero negotium fuit compoſitio controuerſiae ſuper Ducatu Bauariae, quem ſibi Henricus Leo vindicabat.

§. 19. Indignatur Henricus Adolfo Holſatiae Comiti, quod Lubeca in praeiudicium Bardewici creſceret.

§. 20. Lis de Bauariae Ducatu in Comitiis Bambergenſibus denuo agitata.

§. 21. Henricus ab Imperatore Friderico I. confirmationem iuris inueſtiturae Epiſcoporum;

§. 22. Et tandem etiam in Comitiis Goslarienſibus A. 1154. *Ducatum Bauariae*, ablato tamen *Marchionatu Auſtriae* impetrat.

§. 23. His in Comitiis in Eccleſiam Reichenbergenſem liberalitatem exercet Henricus Dux.

§. 24. Et hoc ipſo adhuc anno cum Imperatore in Italiam proficiſcitur.

§. 25. Quae inter eum & Agnatos, *Eſtenſes Marchiones*, geſta ſunt, recenſentur.

§. 26. Eius liberalitas erga Monaſterium Carcerum.

§. 27. Poſt Vicelinum Geroldum Epiſcopum Raceburgenſem conſtituit; cui cum Archi Epiſcopus Hartwichus conſecrationem denegaſſet, a Pontifice Maximo eam impetrat.

§. 28. Poſt reditum Imperatoris ex Italia tota tandem de Ducatu Bauariae controuerſia ſopita, & Henricus de eo ſolenniter inueſtitus eſt.

§. 29. Hartwicus Archi Epiſcopus Bremenſis ob neglectam expeditionem Italicam feudis priuatur.

§. 30. Ducis Henrici liberalitas in Epiſcopatus Aldeburgenſem & Raceburgenſem.

§. 31. Lubeca incendio vaſtata a Duce reaedificatur.

§. 32. Henricus Leo facta cum Imperatore permutatione acquirit Caſtra *Hertesberg*, *Scartfeld*, *Polede* & *Bruchdorff*.

§. 33. Et Comitatum Vtonis & foreſtum in Montanis Harticis.

§. 34. Inquiritur in genus Vtonis Comitis.

§. 35. Reliqua in Comitiis Goslarienſibus acta explicantur.

§. 36. Prima incrementa ciuitatis Monachii.

§. 37. Hermanni Verdenſis Epiſcopi in Bardouicenſem Eccleſiam liberalitas.

§. 38. Quae in altera expeditione Italica a Friderico I. Imp. A. 1158. & Henrico Leone 1159. ſuſcepta, acta ſunt recenſentur.

§. 39. Victor IV. contra Alexandrum III. in Concilio Papienſi Pontifex Maximus eligitur.

§. 40. Varia ad Familiam Comitum de Rothen, & origines Hanoueranas facientia exponuntur.

§. 41. Geſta Henrici Leonis in Bauaria A. 1160.

§. 42. Item aduerſus Slauos A. 1161.

§. 43. Henricus Leo Wisbuenſibus priuilegia concedit.

§. 44. Agitur de Concilio Laonenſi ob ſchiſma in Eccleſia indicto, cui interfuit Henricus Leo.

§. 45. Henrici Leonis diuortium cum vxore Clementia Zaringenſi factum.

§. 46. Continuatio rerum Slauicarum.

§. 47. Translatio Epiſcopatus Aldenburgenſis in ciuitatem Lubecenſem.

§. 48. Conradus Abbas Riddageshuſanus ab Henrico Duce Epiſcopus Lubecenſis ordinatur.

§. 49. Res Slauicae & Danicae enarrantur.

§. 50. Legatio in Angliam ad petendam ſponſam Mathildim, Regis filiam, directa.

§. 51. Principes multi ex inuidia & aemulatione in perniciem Henrici Leonis conſpirant, quibus omnibus is magna virtute reſtitit.

§. 52. Geſta A. 1166. recenſentur.

§. 53. Nouae in Saxonia a Principibus, quos Henrici Leonis potentia aegre habebat, turbae excitatae.

§. 54. Leonis ſtatua Brunſuici erecta.

§. 55. Henricus Leo Mathildim ſponſam Mindae ſolemni ritu in thorum recipit.

§. 56. Legationem pro Imperatore in Angliam ſuſcipit.

§. 57. Sopitae ad tempus turbae Saxonicae.

§. 58. Colloquium inter Henricum Ducem & Waldemarum Daniae Regem habitum.

§. 59. Epiſcopatus Suerinenſis ab Henrico Leone inſtitutus.

§. 60. Et tres in Slauia Epiſcopatus denuo confirmati, adiuncto praecepto, quid ſede vacante in vnoquoque obſeruandum ſit.

§. 61. Henrici Leonis iter Hieroſolymitanum.

§. 62. Recenſus ſacrarum reliquiarum, quae Dux Henricus ſecum e terra Sancta attulit, & quae adhuc hodie Hanouerae aſſeruantur.

§. 63. Henricus Dux poſt reditum in patriam variis aedificiis exſtruendis occupatur.

§. 64. Cumprimis Eccleſiis Lubecenſi & Raceburgenſi largis donis proſpexit.

§. 65. Geſta A. 1173. recenſentur.

§. 66. Henricus Dux Cremiſanenſi Monaſterio poſſeſſiones ſuas confirmat.

§. 67. Fridericus I. Imperator aduerſus Longobardos rebelles A. 1174. nouam in Italiam expeditionem ſuſcipit.

§. 68.

Digitized by Google

§. 68. Orta inter Henricum Ducem & Imperatorem in hac expeditione diſſenſio, eiusque cauſae explicantur.

§. 69. Henrici Leonis ex Italia reducis acta exponuntur.

§. 70. Bellum aduerſus Halberſtadenſem Epiſcopum & Bernhardum, Alberti Vrſi filium, geſtum.

§. 71. Imperator Henrici Ducis auxilio deſtitutus parum proſpere res ſuas in Italico bello ſuccedere animaduertit, atque hinc pacem cum Pontifice inire cogitur.

§. 72. Hinc conſilium capit de Henrico Leone perdendo.

§. 73. Multi Principes aduerſus Henricum armantur, qui omnes violenter in eum irruunt.

§. 74. Contra horum iniuriam conqueſtus eſt coram Imperatore Henricus, ſed animaduertens iniquum eius aduerſus ſe animum ad curias vocatus amplius non venit.

§. 75. Hinc Philippus Colonienſis Archi-Epiſcopus occaſionem arripit terras eius hoſtiliter inuadendi.

§. 76. Idem facit Wichmannus Archi Epiſcopus Magdeburgenſis, qui eius caſtrum Haldeslebiam deſtruit.

§. 77. Et Vdalricus Halberſtadienſis Epiſcopus, qui tamen id impune non tulit, Halberſtadio nimirum a Ducis militibus vaſtato, ipſoque in captiuitatem redacto.

§. 78. Explicantur aliqui numi, quibus memoriam occupatae ciuitatis Halberſtadienſis conſeruari Rethmeierus exiſtimauit.

§. 79. Albertus Comes Palatinus A. 1180. moritur, cuius genus exponitur.

§. 80. Eius ſe heredem gerit Henricus Leo contradicente tamen Adelheide Abbatiſſa Quedlinburgenſi.

§. 81. Dura contra Henricum Ducem in Comitiis Wurceburgenſibus ſententia lata.

§. 82. Ducatus Angriae & Weſtphaliae ab Imperatore in Colonienſem Archi Epiſcopum transfertur.

§. 83. Oſtenditur iniquitas huius ſententiae ex graui eorum, qui iudices hic agere volebant, erga Henricum Ducem odio.

§. 84. Reliqua Saxoniae pars Bernhardo Comiti Aſcherslebienſi;

§. 85. Bauariae vero Ducatus Ottoni Witelsbachio ceſſit.

§. 86. Interea pro Henrico Duce amici eius in Weſtphalia contra rebelles quosdam Comites & ciuitates feliciter pugnant.

§. 87. Et ipſe Dux per Thuringiam proſpere contra Landgrauium arma circumfert.

§. 88. Caſimiri Pomeranorum Ducis obitus.

§. 89. Henricus contra Adolſum Comitem Holſatiae caſtra mouet.

§. 90. Colloquium habet cum Waldemaro Daniae Rege.

§. 91. Imperator ipſe in Saxoniam proficiſcitur, & multos Dynaſtas, Ducis vaſallos, in partes ſuas trahit, caſtraque plurima Henrico noſtro eripit.

§. 92. Inter haec caſtra etiam Homburgum erat, quod Epiſcopo Hildesheimenſi adiudicauit.

§. 93. Orta inter Henricum Ducem & Comitem Bernhardum de Raceburg diſſenſio.

§. 94. Imperator Brunſuigam vrbem obſidione cingit, ſed ſine effectu.

§. 95. Alias tamen Henrici vrbes occupat, quas inter & Lubeca.

§. 96. Colloquium Imperatoris cum Waldemaro Daniae Rege.

§. 97. Henricus Dux tandem gratiam Caeſaris ſupplex ambit, ſed fruſtra.

§. 98. Nec in Comitiis Erfurtenſibus reſtitutionem terrarum ſuarum obtinere potuit.

§. 99. Regis Angliae pro eo cum Caeſare expiando curae.

§. 100. Henricus in Comitiis Erfurtenſibus ab omni ſpe reſtitutionis deiectus exul in Normanniam ad Regem Angliae profectus eſt.

§. 101. Hinc religionis cauſſa Compoſtellam adiit.

§. 102. Status Saxoniae & Bauariae poſt hoc Ducis exilium.

§. 103. Wilhelmus, filius Henrici, patre exule in Anglia naſcitur.

§. 104. Henricus cum Philippo Archi Epiſcopo Colonienſi religionis cauſſa in Italiam profecto reconciliatur.

§. 105. Rex Angliae pro genero Henrico Papam ſollicitat, vt apud Imperatorem intercederet.

§. 106. Inter Imperatorem & Canutum, Daniae Regem, diſſenſio orta.

§. 107. Hinc neceſſitate magis, quam voluntate flexus Henrico Duci reditum in Germaniam permiſit Fridericus I. Imperator.

§. 108. Sed eum poſtea inſtante expeditione Hieroſolymitana iterum in exilium ire coëgit.

§. 109. In hac expeditione diem clauſit Imperator.

§. 110. Obitus Mathildis, coniugis Henrici Leonis.

§. 111. Henricus ob non ſeruatam terris ſuis patrimonialibus pacem a Caeſare ſibi promiſſam in Germaniam redit.

§. 112. Comitatum Stadenſem recipit.

§. 113.

Digitized by Google

§. 113. Ab Holſatis aliisque veteribus amicis placide excipitur.

§. 114. Bardewicum, vetuſtiſſima & opibus florentiſſima hactenus vrbs, ob perfidiam funditus euertitur.

§. 115. Lubeca & Lauenburgum recuperantur.

§. 116. Henricus Caeſar reditum Henrici Ducis aegre ferens contra eum caſtra mouet, & terras eius miſere depraedatur, Brunſuicum tamen obſidione ad deditionem cogere nequit.

§. 117. Huic expeditioni interfuit Adelogus Hildesheimenſis Epiſcopus.

§. 118. Contra Comitem Daſſelenſem tamen Henricus Dux infeliciter pugnat.

§. 119. Hartwicus ob amicitiam cum Duce Henrico a Caeſare ex Archi Epiſcopatu Bremenſi eiicitur.

§. 120. Henricus Dux cum Caeſare quidem in gratiam redit, ſed ſibi promiſſa non obtinet.

§. 121. Henrici Ducis liberalitas erga Eccleſias & Monaſteria interea exercita.

§. 122. Initia Eccleſiae Ileſeldenſis, vbi ſimul quaedam de Comitibus Honſteinenſibus.

§. 123. Henricus iunior, Henrici Leonis filius, Caeſarem Henricum in Italiam comitatur, a Papa Coeleſtino coronatum.

§. 124. Sed cernens fruſtra ſe pro patre reſtituendo laborare, clam fuga ſibi conſuluit.

§. 125. Hinc nouae Imperatoris aduerſus Henricum Ducem irae, quas mirifice Ducis in aula Caeſaris inimici alunt.

§. 126. Imperator largam Welfi hereditatem in Italia, Bauaria & Sueuia ſibi vindicat;

§. 127. Et Adolfum, Comitem Holſatiae, contra Henricum Ducem excitat.

§. 128. Qui tamen bello de ſucceſſione in Regno Daniae ſeſe immiſcens pacem a Rege Canuto redimere cogitur.

§. 129. Lauenburgum a Bernhardo Duce fruſtra obſidetur.

§. 130. Albertus, Leodienſis Epiſcopus, per ſicarios interficitur Imperatore, vt credebatur, facinoris conſcio.

§. 131. Hiſtoria carceris Richardi Angliae Regis; & conditiones, quibus in libertatem reſtitutus.

§. 132. Poſt hanc liberationem Imperator & Richardus Rex mutua ſibi amicitiae officia exhibent; praecipue Richardus *Rex Prouinciae* ab Imperatore creatur.

§. 133. Quid Henrici Ducis cauſſa inter Imperatorem & Richardum Regem actum?

§. 134. Nuptiae Henrici Iunioris, filii Henrici Leonis, cum Agnete, Conradi Comitis Palatini filia.

§. 135. Conradus Palatinus Henricum Leonem cum Imperatore reconciliat.

§. 136. Henrici Ducis ſenio confecti occupationes in ſtudio pietatis & hiſtoriarum.

§. 137. Eius obitus & ſepulchrum in aede S. Blaſii Brunſuici ei poſitum.

§. 138. Eius animi corporisque dotes depinguntur.

§. 139. Eius Epitaphium.

§. 140. Eius teſtamentum.

§. 141. Eius inſignia.

§. 142. Eius ſigilla.

§. 143. Et numi.

§. 1.



INOPINA atque praematura HENRICI MAGNANIMI mors varie Germaniae Principes affecit, ac ſi quis alius, Caeſar Conradus & Albertus Vrſus de ſublato inimico in ſinu gauiſi ſunt. Reliquerat is filium vnigenam, HENRICVM, cognomine vulgari LEO dictum, qui impubes tot Patris hoſtibus reſiſtere, iuraque & prouincias auitas contra eorum vim iniuſtam ipſemet defendere non poterat. Is enim cum Anno 1195. obierit, & quidem anno aetatis ſexageſimo ſexto, Gerhardo Stederburgenſi Prae-

poſito,

Digitized by Google

poſito, eius familiari, & Chronico Rhythmico teſtibus; neceſſe eſt, eum A. 1129. natum fuiſſe; atque hinc A. 1139. decem annorum puerum patrem amiſiſſe. Quod vero de hac aetate Henrici Leonis quidam viri haut indocti dubitarint, exinde venit, quod non animaduerterint, ſerius eum pro more iſtius aeui baptizatum eſſe, Anno nempe 1136. Ad eum enim annum Vrſpergenſis: *Lotharius* inquit, *iuit in Apuliam, in qua expeditione Henricus Dux, frater Welfonis, duxit mille quingentos milites. Eodem anno, Heinricus, filius eiusdem Ducis, pater Ottonis poſtmodum per breue tempus regnantis, in Pentecoſte baptizatus eſt.* Hauſit is haec, vt pleraque alia, ex Chronico Weingartenſi, quanquam ibi, vitio, vt puto, deſcriptoris pro Anno 1136. ponatur 1135.

§. 2.

Annaliſta Saxo, Dodechinus, & Auctor Chronici Bigaugienſis indicant, Albertum, cognomento Vrſum, tunc ſpem concepiſſe Saxoniae Ducatum tranquille poſſidendi, eaque de cauſa Bremam in Feſto omnium Sanctorum veniſſe, loco competenti placitum habiturum; ſed Saxones, eum auerſatos, puero Ducatum conſeruaſſe. Otto Friſingenſis, Familiae Guelficae non admodum amicus, Lib. VII. Chron. Cap. 25. *Quo*, inquit, (*Henrico Magnanimo*) *mortuo Saxones amore filii ſui paruuli, quem eis adhuc viuens commendauerat, Regi denuo rebellant.* Helmoldus Lib. I. c. 56. *Obtinuit filius eius* [Henrici Magnanimi] *Henricus Leo Ducatum Saxoniae, puer adhuc infantulus. Tunc Domina Gertrudis, mater pueri, dedit Henrico de Badenwid Wagirenſium Prouinciam, accepta ab eo pecunia, volens ſuſcitare preſſuras Adolfo Comiti, eo quod non diligeret eum.* Cum tamen poſtea Gertrudis nupſiſſet fratri Conradi Regis vterino a Duce puero ea controuerſia ſopita eſt, & Adolfus recepit Sigebergam caſtrum omnemque Wagirorum terram; Henrico vero eius vice data eſt *Raceburga terraque Polaborum.* Anno 1140. *Albertus Saxoniae Dux* apud Regem quidem Wormatiae in Comitiis fuit, vt cernimus in ſubſcriptione Priuilegii Regii Monaſterio Stabulenſi V. Id. Februarii conſignati apud Miraeum Notit. Eccleſ. Belg. p. 379. ſq. in Saxonia tamen Principes plerique ei adeo aduerſi erant, vt ipſum *patria pellerent.* Et nonſolum Rudolfus Comes Stadenſis, occupatis vrbibus, Marchiam etiam ei eripuiſſe dicitur apud Albertum Stadenſem; verum quae vrbes & caſtra ei nunc erepta aut deſtructa ſint, Annales Boſouienſes hoc tempore in literas redacti ad Annum 1140. produnt: *Hoc*, inquientes, *anno deſtruuntur Caſtella Anabald, Gruninge, Gebilizi, Withekke.* Ex alia parte Welfus Familiae Guelficae hoſtes in Sueuia & Bauaria perſequebatur; hoc ipſo tamen anno funeſta illa clade apud Winsbergam, de qua ſuperiori libro actum, afficiebatur.

§. 3.

Adolſus interea Holſatiae Comes totus erat in excolenda regione ſubiecta, vt Helmoldus Lib. I. c. 57. indicat. Miſit enim nunc in Flandriam & Hollandiam, Traiectum, Weſtfaliam & Friſiam, vt quicunque agrorum penuria laborarent, ad ſe venirent, terrasque reciperent. *Ad hanc vocem*, inquit Helmoldus, *ſurrexit innumera multitudo de variis nationibus, aſſumptisque familiis cum facultatibus, venerunt in terram Wagirenſium ad Comitem Adolſum, poſſeſſuri terram, quam eis pollicitus fuerat. Et primi quidem Holzatenſes acceperunt ſedes in locis tutiſſimis ad occidentalem plagam Sigeberg, circa flumen Trabenam: campeſtria quoque Zuentineueld & quicquid a riuo Sualen vsque Agrimeſou & lacum Plunenſem extenditur.. Dargunenſem pagum Weſtfali, Vtinenſem Hollandi, Susle Freſi incoluerunt. Porro Plumenſis adhuc deſertus erat. Aldenburg vero & Lutilenburg & caeteras terras mari contiguas dedit Slauis incolendas, factique ſunt ei tributarii. Poſthaec venit Comes Adolſus ad locum, qui dicitur Bucu, inuenitque ibi vallum vrbis deſolatae, quam aedificauerat Cruco olim tyrannus & inſulam ampliſſimam, gemino flumine cinctam. Nam ex vna parte Trabena, ex altera Wocbniza praeterfluit, habens vterque paludoſam & inuiam ripam. Ex ea vero parte, qua terreſtre iter continuatur, eſt collis contractior, vallo caſtri praeſtructus. Videns ergo induſtrius vir competentiam loci, portumque nobilem, coepit illic aedificare ciuitatem, quam Henricus Princeps olim conſtituerat. Transmiſitque nuncios ad Niclotum Obotritorum Principem, componere cum eo amicitias, omnes nobiliores donariis ſibi adeo adſtringens, vt omnes ei obſequi, & terram eius compacare certarent. Coeperunt ergo inhabitari deſerta Wagirenſis prouinciae, & multiplicabatur numerus accolarum eius.* Vnde intelligimus, Henricum Magnanimum iam prope Lubekam portum & ciuitatem conſtituiſſe, regionemque cultiorem reddidiſſe; deinde vero Adolſo Comiti illam ſubdidiſſe vel potius donaſſe. Dum enim poſtea Henricus Leo Lubecam ab Adolſo non vi repeteret, ſed arte ſaltem illam ei extorquere conaretur; hinc euidens eſt, magna Adolfi in eandem ciuitatem iura fuiſſe. Lotharius quoque Imperator iam olim Vicelino, viro pio Hamela ad Viſurgim ſita oriundo, prope Sigebergam praedia ad conſtructionem Monaſterii conceſſerat, quae eodem hoc tempore Adolſus tradidit, quibus is vſus eſt ad erigendum in oppido Cuzalina (Teutonice olim Hagereſtorp, nunc *Högelsdorf* vocato) Eccleſiam Coenobiumque.

§. 4.

Ante matrimonium Gertrudis, Henrici Ducis noſtri matris, cum Henrico Auſtriaco contractum, vel minimum ante huius Gertrudis & auiae

Digitized by Google

auiae ſuae Richenzae Imperatricis obitum, qui Anno 1143. contigit, ab Henrico expeditum eſt diploma, Dato carens, pro Monaſterio Catelenburgenſi, quod ex ſchedis Hofmannianis Leuckfeldius in Antiquitat. Katelenburgicis p. 15. publici iuris fecit. In initio eius *Henricus* ſe *Dei gratia Ducem Bawariae & Saxoniae, filium Heinrici Ducis Bawariae & Saxoniae & conteſtalis eius Gertrudis, filiae Lotharii Imperatoris & Richenſae Imperatricis* vocat. (Probat. N. I.) Quanquam non repugnauerim, (a) ſi quis id poſteriore tempore conditum ſtatuat. Id tamen certum & Henricum Magnanimum & Henricum Leonem pro veris Saxoniae Ducibus a multis Germaniae Principibus etiam tunc temporis habitos fuiſſe, cum nondum ab Imperatore Henrico iuueni Ducatus hic ſolenniter reſtitutus eſſet. Etenim vt probationes alias praetermittam, A. 1141. Marcholfus Archi Epiſcopus Moguntinus Monaſterio B. V. Mariae & S. Blaſii Martyris in Frideſſela quaedam donauit, qui in diplomate ea de re expedito commemorat, *quod Domina Gertrudis* totius Saxoniae Duciſſa *cum filio ſuo* Duce Henrico *duos de praedio ſuo manſos in villa Bukkenbuſen pro remedio animae ſuae & Ducis Henrici coniugis ſui eidem Eccleſiae tradiderit.*

§. 5.

Eodem Anno 1141. Leopoldus Dux Bauariae moriebatur. Conradus itaque in fratrem eius Henricum Marchionem, fratrem quoque ſuum vterinum, propenſus, id vnice tunc agebat, vt Ducatum fratris defuncti in eum deriuaret, controuerſiasque inde hactenus motas componeret. *Mater Henrici* Leonis vegeta adhuc aetate erat. Hanc igitur Caeſar in partes ſuas traxit, *Henricoque Marchioni* deſpondit, qui mox *Bauariae Dux* ſolenniter creatus eſt. Saxones vero vt placarentur, eos in gratiam recepit, Albertoque a Ducatu Saxoniae remoto, eundem iuueni Henrico Anno 1142. conceſſit. Dodechinus breuiter haec complexus: *Rex*, ait, *Paſcha Verzeberg celebrauit & inde poſt feſtum tranſiens, Franckenfurt venit in Dominica Miſericordia, & ibi curiam habuit, vbi conuenerunt omnes pene Principes Teutonici Regni, vbi & Saxones in gratiam Regis*

a) Primo impetu Dn. Eccardus ex eo, quod Henricus Leo ſe filium Gertrudis & nepotem Richenzae appellauit, intulit, Principes foeminas haſce eo tempore, quo haec ſcripta fuerunt, adhuc in viuis verſatas eſſe. Poſt quidam purioris luminis radius mentem eius perſtrinxit, clare dictitans, Henricum mortuae aeque ac viuentis Gertrudis & Richenzae filium & nepotem fuiſſe & manſiſſe. Vnde eius partium fuerat, diſpungere, quae perperam illata & poſita erant. At ille maluit, quae perperam ſcripſit, retinere, & aliorum iudicio exponere, quam proprio obelo delere, ne ſcilicet earum, quae calamo eius exciderant, deliciarum quidquam amitteremus in locis, vbi alius ſpongia vſus eſſet.

Regis venerunt. Et filius Heinrici Ducis Ducatum Saxoniae ſuſcepit, cuius matrem Rex fratri ſuo Henrico Marchioni ibidem copulauit, & Ducatum Boiariae tradidit. Otto Friſingenſis Lib. VII. Chron. c. 26. *Non multo poſt Saxoniam ingreſſus, data in vxorem vidua Ducis Henrici, Lotharii Imperatoris filia, fratri ſuo Henrico Marchioni, pacem cum Saxonibus fecit, eidemque Marchioni Noricum Ducatum, quem conſilio matris Ducis Henrici filius iam abdicauerat,* (b) *conceſſit.* Albertus inde Marchio expulſus Principum Saxoniae gratiam meruit, & Marchiam bonaque ablata recepit. Welfum, Henrici iuuenis patruum, hanc rem grauiſſime tuliſſe profeſſumque eſſe, Ducatum Bauariae, ſi eum Henricus dereliquiſſet, hereditario iure ſibi deberi, ſupra in geſtis eius recenſuimus. Gertrudis nuptias Brunſuici celebrauit, quibus, vt vetus Chronicon Germanicum perhibet, Conradus Rex interfuit. Gertrudis tamen ipſa non diu ſuperuixit, ſed Anno 1143. obiit, Neoburgi in finibus Auſtriae & Bauariae, vt Arnoldus Lubecenſis indicat, ſepulta. Obitum eius ſub finem anni contigiſſe (c) neceſſe eſt: hoc eodem enim Anno 1143. 3. Non. Septembris *Bremae* adhuc fuit & cum Henrico Duce filio ſuo teſtis adfuit diplomati Adalberonis Hamburgenſis Archi Epiſcopi, quo notum facit, *qualiter & ipſe & Domina Duciſſa Gertrudis & filius ſuus H. puer, Dux Saxonum, vna cum fideli ſuo Alberto Marchione, illuſtri Principe, paludem Auſtralem villis Santou, Strabelinghehuſen, Ochtmunde & Hasbergen aequa portione diuiſerint.* Vbi nota, *pueri* vocem pro *iuuene Principe* vſurpari. Diploma hoc Lindenbrogius Scriptor. Septentrional. pag. 175. ſq. publicauit, & nos quoque inter Probationes Tomo II. adiectas ad L. VI. iam illud recitauimus. Id vero probe notandum, Henricum Leonem ipſum ſpreta hac renuntiatione mox ab obitu matris *titulum Ducis Bauariae* ſibi iterum vindicaſſe, ceu patet ex diplomate dato Anno 1144. quo *Henricus Dux Saxoniae & Bauariae* Monaſterium S. Blaſii in Northem ad inſtantiam Wicelini Abbatis ab omni impetitione Popponis Comitis Pleſſenſis & coheredum pro centum marcis argenti liberauit & funda-

b) Callidum ſatis Hohenſtauffiorum conſilium fuit matrimonio iungendi matrem cum aduerſario, vt filius, vbi adoleuiſſet, ex reuerentia nihil moliretur in vitricum. Sed hac aſtutia nihil actum eſt. Henricus enim tredecim annorum puer per ſe nihil valide agere potuit, & Gertrudis, licet mater & tutrix pueri, rerum domina non fuit, ſed Ducatus Saxonici adminiſtratrix. Reuerentia ne Henricum adultiorem forſan in transuerſum raperet, prope inſecuta mors matris effecit. Recte itaque & ex lege, ne filius pro patre, praeter Saxoniam, ſibi iam Anno 1142. adiudicatam, Bauariae quoque reſtitutionem perurſit, omnibusque in literis, ſi excipias ſolum eas, quas ad Reges dedit, Bauariae ſe & Saxoniae Ducem ſcripſit & appellauit.

c) Quomodo haec concilianda ſint, ſuperiori libro dicta meminimus, iterumque commemorare ſuperſedemus, vetularum morem, repetitiones amantium, exoſi.

Digitized by Google

fundationem eius confirmauit (Probat. N. II.) praeſentibus teſtibus *Bernone Epiſcopo Suerinenſi*, *Anſelmo Praepoſito S. Cyriaci in Brunſuic*, *Bennone Praepoſito Montis S. Georgii prope Goslar*, *Ludolpho de Waltingerode*, *Henrico de Wida*, *Lupoldo de Hirtzberg*, *Annone Aduocato Goslariae*, *Meinrico de Buſxeburg*, *Iordano de Blankenburg*, *Gerungo de Schiltberg*, *Vdalrico de Goslaria*, *Baſilio de Stauffenburg*. *Datum in Monte S. Georgii IV. Non. Nouembris.* Id quod Hofmannus in Antiquitat. Northemenſibus MSCtis indicat. (d)

§. 6.

Annum 1144. notabilem reddit interfectio *Rudolfi Comitis Stadenſis*, & orta inde inter Henricum Ducem & Alberonem Archi Epiſcopum Bremenſem de Comitatus Stadenſis poſſeſſione controuerſia. Albertus Stadenſis, quem exſcripſere Auctor Hiſtoriae Archi Epiſcoporum Bremenſium & Crantzius Metrop. Lib. VI. c. 18. eam his verbis recenſet: *Rodulfus iunior Comes, in Thietmarſia occiſus eſt in Cometia ſua, & frater ſuus Hartwicus, maior Praepoſitus Bremenſis, dedit omnem haereditatem ſuam Bremenſi Eccleſiae; vt concederetur ſibi Comitatus Bremenſis. Et ſic Bremenſis Eccleſia, quae Principes Stadenſes in quieta poſſeſſione longo tempore tenuerant, in ſuum dominium recepit, haereditatem videlicet Principum, & Idae & Friderici, & facta eſt legitima haeres parentum Praepoſiti Hartwici per ſolennem & legalem donationem. Inueſtitus eſt ergo Hartwicus Praepoſitus; & Fridericus Palatinus, ſororius ſuus, ſuſcepit bannum a Rege Conrado, & ſtatutum eſt, vt eſſet coadiutor ſuus, & iudicaret pro eo in placitis Principalibus. Dux autem Heinricus adhuc puer per tutores ſuos conqueſtus eſt Regi & omnibus Principibus, quod Archi Epiſcopus Albero matri ſuae promiſiſſet, quod, ſi moreretur Rudolfus, filio ſuo Duci conferret Comitatum. Vnde poſt multas querelas ſecundum mandatum Regis conuenerunt Rameslo ad cauſae definitionem. Archi Epiſcopus praefuit in iudicio; ex parte puer Dux; ex alia Praepoſitus & Palatinus conſtiterunt ad negotii ventilationem. Auditores aderant Thietmarus, Verdenſis Epiſcopus, Albertus Marchio, Comes Hermannus de Winceberch, & frater ſuus Heinricus de Dasle* [leg. *de Asle*] *& magna multitudo militum. Ibi in litis conteſtatione homines Ducis arma rapuerunt, &, ſeditione facta, Archi-*

 Epi-

d) In hoc diplomate boni viri annum MCLXIV. pro anno MCXLIV. acceperunt. Sed indictio XII. diplomati pariter ſubiuncta annum 1164. poſtulat. Si enim annus fuiſſet 1144. Indictio VII. adſcripta foret, quae in illum annum incidit. Quid? quod ſtupidi Monachi, in hoc diploma commentati, Henricum Ducem pro fratre Sifridi Comitis de Bomeneburg venditarunt, qui circa annum 1144. obiit: ad quem annum proinde ficti fratris diploma retrotrahendum fuit.

Epiſcopum captiuauerunt, & aliquamdiu Lunenburg in captiuitate detinuerunt, vt aliquid extorquerent ab eo. Tandem videntes quod moueri poenis vel minis non poſſet, liberum abire permiſerunt. Praepoſitus Hartwicus ab Hermanno de Luchoue captus, cum ſperarent homines Ducis, quod ipſis eſſet praeſentandus, & cum iam intentarent ei mortem, adductus eſt ad Marchionem Albertum, & ſic liberatus. Vt tamen verum fatear, videtur Albertus Stadenſis partium ſtudio non vacare, dum ſcribit, nec captiuitate aliquid extortum eſſe ab Archi Epiſcopo. Vetus enim Chronicon Germanicum MStum diſtinctius narrat, Conradum Regem *Magdeburgi* conuentum habuiſſe (factum hoc eſt Anno 1145. ineunte) ibique de Comitatu Stadenſi conſultatum inter Principes fuiſſe: Archi Epiſcopum ad hunc conuentum euntem a Duce captum, tandem ei Comitatum reſtituiſſe. Verba ipſa Chronici haec ſunt: *Darnach hatte der König myt der Königynne tzu Meydeborch einen Hoff, da wart geredt von der Herren Rate myt dez Königes Willen umb die Herſchafft unde Graueſchafft tzu Stade, die gehat hatte Grafe Vda myt Hartwige ſinem Bruder. Darumb tzouch der junge Hertzoge Heinrich von Brunſwig, wenne her umb dieſelbe Graveſchafft gehat hatte, und ſich darum geerbeit, daz ſie yme worde: da der Biſchoff tzu Hofe faren ſolde, in ving der Hertzoge, da tet der Biſchoff dez Hertzogen Willen, unde liſs ſie yme. Hartwig wart auch gefangen von dez Hertzogen Ritteren. darumb gab her vil daſs her los wart.* Hoc certum eſt, Henricum Ducem ab hoc tempore Comitatum Stadenſem poſſediſſe atque ad heredes transmiſiſſe. In iisdem Magdeburgenſibus Comitiis Anno 1145. Indictione VIII. regnante Chonrado Romanorum Rege II. Anno Regni eius VIII. conciliatus eſt Fridericus Magdeburgenſis Archi Epiſcopus cum Hartwico Praepoſito Bremenſi & Canonico Magdeburgenſi, occiſi Comitis Rudolfi fratre. Contulit enim Hartwicus tunc Archi Epiſcopo *poſſeſſiones ſuas, quas de patrimonio ſuo hereditaria ſucceſſione acceperat, Ierichowa, Lindin, Wranckenſtein & Erchasleue; quia inclytus carnalis frater ipſius Rodulſus Comes a ſuis hominibus in Comitatu Diethmaringenſium impie interemtus fuerat, & ei tota paternae domus poſſeſſio hereditario iure competebat, a cuius ingreſſu & vſu eum praedicti ſicarii, ſui germani interfectores, prohibebant;* hocque ea conditione fecit, vt Archi Epiſcopus illum iuuaret, vt reciperet ſua *non ſolum de praedicto Comitatu Diethmaringenſium, ſed etiam de Comitatu Nortlandiae, & de poſſeſſionibus, quae fuerunt Comitis Friderici & Idae, & de omnibus aliis, de quibus eidem ſublimi clerico iuſta actio ex legum ratione competebat.* Archi Epiſcopus quoque Hartwico & matri ſuae dedit curtes *Wiſelam* & *Goganheim* & alia quaedam. Inter teſtes ſeculares

primo

Digitized by Google

primo loco annotatus eſt *Heinricus Dux Saxoniae.* Lindenbrogius Scriptor. Septentrional. p. 177. ſq. hoc diploma publicauit.

§. 7.

Anno 1146. Henricus Dux ad maſculos annos peruenerat, quos liberalitate in nobile tunc temporis Ordinis Ciſtertienſis Monaſterium, quod Ludolfus de Wenden ſub nomine *Cellae S. Mariae* ad viam, quae Brunſuiga Scheppenſtadium minus ducit, exſtruxerat, exercita inchoaſſe videtur. Loco enim huic ſolenni diplomate nunc donauit *villam Riddageshuſen*, ad quam paulo poſt idem Monaſterium translatum eſt. Meibomius iunior id in Appendice Chronici Riddageshuſani Tomo Operum auitorum III. p. 413. ex autographo edidit, ex quo id infra (Probat. N. III.) repetimus, licet id Riddageshuſae, cum veteres ibi Chartas Anno 1722. perluſtrarem, non amplius inuenerim. Dicit Meibomius, appenſum fuiſſe Sigillum, in quo vir armatus equo inſederit cum vexillo & circumſcriptum: HENRICVS DEI GRACIA DVX BAVARIE ET SAXONIE. Hinc iterum euidens eſt, Henricum & ſuos, ceu ſupra iam annotauimus, matris pacto, cum Conrado Rege inito, non contentos fuiſſe; ſed ius ſuum in Bauariam ſolicite conſeruaſſe.

§. 8.

Conſtituerat Conradus Rex cum exercitu ingenti in terram ſanctam proficiſci. Ne interea tamen capite carerent Germani, & vt Regnum ſuae poſteritati firmaretur, Anno 1147. Henricum filium ſuum adhuc puerum per electionem Principum Regem Francofurti conſtitui fecit. *Ad praedictam Curiam*, vt verbis Ottonis Friſingenſis Lib. I. de Geſtis Friderici Cap. 43. vtar, *Henricus, Henrici Noricorum Ducis filius, qui iam adoleuerat, venit, Ducatum Noricum, quem patri ſuo iniuſte abiudicatum aſſerebat, iure hereditario repoſcens. Quem Princeps multa prudentia & ingenio inductum vsque ad reditum ſuum ſuſpendens, quiete exſpectare perſuaſit.* Paullinus in MSta Hiſtoria Corbeienſi T. IV. p. 316. ſq. & Schatenius in Annal. Paderbornenſibus exhibent *Henrici Ducis Saxoniae* Diploma hoc anno, Indictione X. datum, quo is in manum Conradi Regis *Aduocatiam Kaminadae* reſignat, & Corbeienſi Monaſterio poſſidendam dimittit. Datum id dicitur Brunſuici. Sed forte *Francofurti* reſtituendum eſt. Niſi dicas Francofurti promiſſa, Henricum reducem domi executum eſſe. (e) *Francofurti* Rex Conradus donationem Hermanni de Zeui-

e) Fruſtra haec dicuntur, quia in Comitiis ea de re nihil actum eſt, neque ea tanti videbatur, vt in Comitiis agitanda eſſet. Anno ſuperiori Conradus Rex Henrico noſtro Wibaldum Abbatem Corbeienſem commendauerat: (Probat. N. IV.) id quod indi-

Zeuirizke *Monaſterio Nienburgenſi* factam, diploma te a Becmanno Hiſt. Anhalt. Part. III. Lib. IV. c. 2. edito confirmauit, cui inter teſtes adfuit *Heinricus Dux Saxoniae.* Extat in Additionibus Gewoldi ad Hundii Metrop. Salisbrug. T. II. p. 27. Conradi Regis diploma, quo Monaſterio Artahenſi bona confirmat; in eo inter teſtes ſaeculares primo loco comparet *Henricus Dux Bauariae. Datum id eſt IV. Idus Iulii Indict. VIII. Anno Dom. Incarn. MCXLVI. regnante Chunrado Romanorum Rege ſecundo, Anno Regni eius nono. Actum in Epiſcopatu Ratiſponenſi.* Sed nec annus Dominicae Incarnationis, nec annus Regni, nec Indictio hic conueniunt. Annum Regni, tanquam tutiorem ſi ſequaris, diploma hoc Anno 1147. datum eſſet: & inde ſequeretur, Henricum cum Rege in Bauariam pauliſper deflexiſſe, antequam in Saxoniam rediret. Deinde vero hinc appareret, Henricum in Bauaria iam *Ducis* characterem vſurpaſſe, (f) Rege id tolerante, ne, ſe abſente, Henricus turbas forte moueret.

§. 9.

Francofurti etiam Henrico deſponſatam puto CLEMENTIAM, Conradi Zaeringiae Ducis filiam. Is enim Comitiis intererat, &, cum alia quoque expeditio cruciata in Slauos decreta eſſet, Duce Henrico Leone, is iuuenem in illud bellum comitatus eſt. Helmoldus Lib. I. c. 62. *Tertius ſignatorum exercitus deuotauerunt ſe ad gentem Slauorum, Obotritos ſcilicet & Lutitios, nobis confines, vlturi mortes & exterminia, quae intulerunt Chriſticolis, praecipue vero Danis. Huius vero expeditionis capitanei erant, Albero, Hammenburgenſis & vniuerſi Saxoniae Epiſcopi, praeterea Henricus Dux adoleſcens, Conradus Dux de Zaringe, Adalbertus Mar-*

indicio eſt, Henricum anno aetatis ſeptimo decimo ſui iuris factum imperii habenas capeſſiuiſſe. Hoc anno idem Rex ſcriptis quam humaniſſime literis Henricum rogat, vt in gratiam eiusdem Wibaldi, Monaſterii Kemnatenſis, a Rege Corbeienſibus donati, Aduocatiam, quam Henricus, qua Dux Saxoniae, ab Imperio tenuit, ſibi reſignaret, & inpoſterum a Corbeienſibus in feudum ſuſciperet. (Probat. N. V.) Annuit precibus Henricus, Wibaldum ſibi deuincturus, quem nouerat in aula multum valere, quemque ſibi in recuperanda Bauaria vtilem fore ſpectauerat. Erat enim Wibaldus ille, vt ex ſuperiori libro euidenter patere arbitramur, Conradi Regis a conſiliis ſecretioribus; quamuis carebat nomine. Vnde reſignationis literae pro Wibaldo ſunt perhonorifice ſcriptae. (Probat. N. VI.) Immo cum Eugenius PP. III. Kemnatenſis Monaſterii translationem in Corbeienſes ratam habere nollet; Henricus demerendi Wibaldi cauſa apud Pontificem pro eo tamquam viro frugali & rei familiaris peritiſſimo interceſſit. (Probat. N. VII.)

f) Hic plane aberratur a ianua. Henricus enim ille Bauariae Dux, excitato diplomati teſtis ſubnotatus, Henricus Auſtriacus, Leonis noſtri vitricus, non ipſe Leo, fuit. Leo enim praeſente Rege Ducis Bauariae nomen ſumere non auſus eſt. Apud Schannatum Vindem. II. p. 114. habetur diploma Anno 1153. XVIII. Kal. Iul. in Comitiis Wormatienſibus a Friderico I. Imperatore Colonienſi Archi Epiſcopo datum, cui ſubſcripti, poſt Clericos,

Henricus Dux Bauariae.
Henricus Dux Saxoniae.

& multi Principes. (Probat. N. VIII.) Ex quo ſubſcribendi modo euidentiſſime ſibi conſtant, quae modo a nobis dicta ſunt.

Digitized by Google

Marchio de Saltwidele, Conradus de Within. Chronicon Montis Sereni: *In alia ſocietate eiusdem expeditionis* [contra Slauos] *Principes erant Albertus Bremenſis Archi Epiſcopus, Ditmarus Verdenſis Epiſcopus, Henricus Dux Saxoniae, Conradus Dux Burgundiae, Hartwicus Princeps nobilis cum aliis XL. millibus. Item Rex Daciae cum centum ſuorum prouincialium millibus. Frater etiam Ducis Polonorum cum XX. millibus.* Niclotus Slauorum Princeps haec audiens, in Wagriam irrumpit, & ferro flammaque graſſatur, antequam ei Adolfus Comes reſiſtere poſſet. Fama huius rei ad cruce ſignatos delata, itur illico aduerſus Slauos; ſed, cum Dux Henricus & Albertus Marchio terram, quam ſuam eſſe reputabant, vaſtari nollent, ad aequas conditiones ventum eſt, & Slaui fidem Chriſtianam recipere promiſerunt. Helmoldus Lib. I. c. 65. fuſius haec enarrat, qui deinde cap. 68. addit: *In diebus illis Dux noſter adoleſcens* [Henricus] *Dominam Clementiam, filiam Conradi Ducis de Zeringge, duxit vxorem, coepitque dominari in vniuerſa terra Slauorum ſuccreſcens ſenſim & inualeſcens. Quoties enim offendiſſent eum Slaui, admouit eis Martiam manum, dederuntque ei pro vita ſimul & patria, quicquid exigere voluiſſet.* Eadem Chronicon Weingartenſe affirmat. (g) Dotis loco Clementiam marito inter caetera attuliſſe *caſtrum Baden* infra, in rebus Anni 1157. videbimus. Chronicon vetus Ducum Brunſuicenſium patrem Clementiae erronee vocat *Ducem de Thuringe*, ſeduxitque Auctorem Chronici picturati Bothonem, atque Iohannem Stadwegium, immo & alios.

§. 10.

Certantibus Anno 1148. de Regno Daniae Suenone & Canuto, Adolfus Comes Canuto fauit, eaque de cauſa Wagria a Suenone inuaſa eſt. Mali huius incentor Helmoldo Lib. I. c. 67. dicitur Ethelerus quidam de Ditmarſia natus, qui diuitiis Danorum ſubleuatus, quemque Holſatorum viribus pollentem ſibi iunxit. Hic ductor copiarum Regis Suenonis Comitem prouincia pellere conſtituit. Comes ad Ducem confugit, qui populo Holſatorum & Sturmariorum praecepit, vt cogerent eos, qui Ethelero fidem dederant, aut iuramento ipſi facto renunciare, aut ſolum mutare. Hoc modo omnis populus ad Ducis imperium rediit, & Comiti obſequium promiſit. Sueno deinde acie ab Adolfo deuictus fugit.

§. 11.

g) Chronicon Weingartenſe aeque ac breues Annales de Guelfis Principibus & Anonymus de Guelfis de hac expeditione Saxonica ſilent, nec de nuptiis Henrici cum Clementia quidquam commemorant.

Digitized by Google

§. 11.

Ditmarſi, inquietum olim genus hominum, antea, vt obſeruauimus, Rudolſum vltimum ſuae gentis Comitem Stadenſem occiderant. Henricus Leo Comitatum eius ſibi acquiſiuerat. Merito igitur etiam de morte illius vlciſcenda hoc eodem anno 1148. cogitauit, & cum exercitu aduerſus rebelles profectus, eos deuicit. Innotuit hoc nobis e Praecepto *Henrici Ducis* a Lindenbrogio Scriptor. rerum Septentrional. p. 179. edito, (Probat. N. IX.) quo *Henricus Dux Bauariae & Saxoniae* nouo Monaſterio in Prouincia Holſatiae *in villa Wipentborp* Vicelini cura conſtructo, commendante Athelberone Hamburgenſi Archi Epiſcopo, confirmauit *paludem, quae eſt iuxta Wilſteram inter Staden & Waleburgou, & alteram, quae eſt iuxta Sturiam inter Luteſou & Aldenau a Comite Adolſo & omnibus Holſatis* eidem Eccleſiae collatas. Subſcribunt ii, qui expeditioni interfuere, *Athelbero Hammaburgenſis Archi Epiſcopus, Hartwicus Bremenſis Eccleſiae maior Praepoſitus, Vicelinus praedicti Noui Monaſterii Praepoſitus, Athelbertus Marchio, Comes Adolſus, Comes Heinricus de Bodwide, Comes Chriſtianus de Aldenburg, cum aliis multis Principibus, nobilibus & miniſterialibus: e numero Holſatorum hi ſunt; Marcradus ſignifer prouinciae cum filiis ſuis, Vergotus filius Daſonis de Ennige cum fratribus ſuis, Wuluardus de Renkigge, Wicbertus de Weckigge, Imico cum filio ſuo Reimaro & fratribus ſuis, Ethelerus de Drage, Godeſcalcus de Gerestborp, Haſſo filius Henrici Aduocati de Ottenebotle, Thietbernus de Ho, Heinricus Aduocatus de Barmſtide, Marcradus de Bilſele cum filiis ſuis, Eluericus & Hiddo de Eidera, hi iudices terrae; Otberus ſignifer Sturmariorum; Quatuor etiam, qui denominati ſunt Legati eſſe prouinciae, Marcradus de Stenuelde, Thoto de Kerleggehuſe, Kothmarus de Hanſtide, Aluardus de Eiderſtide & reliqui plures. Acta ſunt haec Heickenbutle coram frequentia totius exercitus, qui nobiscum erat, quando reuerſi ſumus, accepta victoria de hoſtibus Regni Thiedmarskienſibus, qui Rotbolſum Marchionem, Principem & Comitem ſuum, iam pridem interfecerant; & confirmata eſt haec collatio fauore & acclamatione totius exercitus, qui ibidem in caſtris erat aggregatus Anno Incarnati verbi MCXLVIII. Indictione XII. data idibus Septembr.* Lindenbrogius iudicauit diploma hoc Anno 1149. datum fuiſſe; ſed tum iam obierat Athelbero, eique ſucceſſerat Hartwicus, nunc adhuc Praepoſitus. Indictio ergo hic vsque ad natiuitatem Domini decurrit, quae alias a XXIV. Septembris incipi ſolet.

§. 12.

Hartwicus mox in Archi Epiſcopatum Hamburgenſem euectus, magno conatu id agebat, vt ſuffraganeos in Dania, Suecia & Noruegia Epi-

Epiſcopos recuperaret; quoniam tamen hic ſcopum attingere nequiret, de Sedibus per Slauiam reſtituendis conſilium cepit. *Aldenburgenſem* quidem iam Otto Magnus Imperator inſtituerat, & Adelbertus poſtea Archi Epiſcopus *Mekelenburgenſem* & *Racesburgenſem* addiderat, Aldenburgenſi in tres partes diuiſo. Sed Sedes hae iam ab annis LXXXIV. vacauerant. Vicelinum itaque Aldenburgenſem, & Emmehardum Mekelenburgenſem Epiſcopos Anno 1149. conſecrauit Hartwicus. Adolfus Comes non ante acceptam a Duce inueſtituram conſecrationem fieri debuiſſe contendit, & decimas Vicelino, alias amico, denegabat. Vicelinus ergo ad Ducem recurrit. *Tunc abiit*, inquit Helmoldus Lib. I. c. 69. [Vicelinus] *ad Ducem rogaturus veniam, & ſuſceptus eſt ab eo cum honore & reuerentia. Et ait Dux ad eum: dignum quidem fuit, o Epiſcope, vt vos nec ſalutarem, nec reciperem, eo quod nomen iſtud me inconſulto ſuſceperitis. Ego enim huius rei moderator eſſe debueram, maxime in terra, quam patres mei, fauente Deo, in clypeo & gladio obtinuerunt & mihi poſſidendam haereditauerunt. Sed quia ſanctitas veſtra dudum mihi comperta eſt, progenitores quoque noſtri vos ab initio fidelem probauerunt, decreui iam noxae huius obliuiſci, promotionique veſtrae pleno fauore concurrere, ſcilicet ea conditione, ſi inueſtituram Epiſcopalem de manu mea recipere volueritis. Hoc enim pacto res veſtrae proceſſum habere poterunt. Et viſum eſt Epiſcopo verbum illud durum, eo quod eſſet praeter conſuetudinem; Epiſcopos enim inueſtire ſolius Imperatoriae Maieſtatis eſt. Quidam ergo fidelium Ducis, Henricus de Witha, Vir potens & militaris, & amicus Epiſcopi dixit ad eum; facite quod vobis vtile eſt, & appropinquate Domino noſtro, & facite voluntatem eius, vt aedificentur Eccleſiae in Slauia, & dirigatur cultus domus Dei in manibus veſtris. Alioquin fruſtrabitur labor veſter, eo quod nec Caeſar, nec Archi Epiſcopus poſſit iuuare cauſam veſtram, Domino meo obnitente. Deus enim dedit ei vniuerſam terram hanc. Quid autem grande requirit a vobis Dominus meus, quod vobis aut illicitum ſit aut verecundum? Quin potius res facilis eſt & conducens fructum magnum, vt Dominus meus accipiat virgulam & det in manum veſtram, pro ſigno inueſtiturae; ſitisque de caetero Familiaris Ducis, habentes honorem inter gentes, ad quas ingrediemini conuertendas. Rogauit ergo Epiſcopus praeberi ſibi inducias, vt deliberaret ſuper verbo hoc.* Memorat deinde, Vicelinum Bremam tetendiſſe, & Ducis verba Archi Epiſcopo retuliſſe; hunc tamen, vt a Duce inueſtiretur, noluiſſe. Aſt poſt aliquas moras Vicelinus tandem neceſſitate coactus, Luneburgum ad Ducem rediit Anno 1151. & pro Epiſcopatus ſui promotione eum rogauit: *Cui* (Helmoldo Lib. I. c. 70. teſte) *Dux, faciam, inquit, quod hortamini, ſi ad nos reſpe-*

Digitized by Google

ctum habere volueritis. Ad quem Epiſcopus: paratus ſum, ait, propter eum, qui ſe humiliauit propter nos, me ipſum in proprietatem dare alicui de clientibus veſtris; nedum vobis, cui Dominus ampliorem inter Principes contulit magnificentiam, tam generis, quam potentiae. Et his dictis fecit, quod neceſſitas imperabat, & ſuſcepit Epiſcopatum per virgam de manu Ducis. Animaequior autem factus Dux, ait: Quia videmus vos obedientes eſſe voluntati noſtrae, oportet & nos ſanctitati veſtrae condignam gerere reuerentiam, & petitioni de caetero proniores adeſſe. Sed quia nunc in procinctu ſumus itineris, [*Bauarici*] *& ordinatio veſtrae cauſae prolixius tempus requirit, damus interim vobis villam Buxoë cum ſua pertinentia Dulzaniza, vt aedificetis vobis domum in medio terrae noſtrae & praeſtolari poſſitis reditum noſtrum. Tunc enim propicio Deo diſponendis rebus veſtris propenſius inſtabimus. Rogauitque Comitem Adolfum, vt huic donationi praeberet aſſenſum. Cui reſpondit Comes: Ex quo Dominus meus flexus eſt ad pietatem, decet nos voluntati eius occurrere, & pro poſſe noſtro ei ſuffragari. Poſſeſſionem ergo quam Dominus Dux permiſit Epiſcopo, & ego permitto. Inſuper cedo de medietate decimarum, vt cedant in vſus Epiſcopi, non ex debito, ſed ex gratia veſtri, eo quod res Epiſcopales nec dum ordinatae ſint.* Sequitur ex lite hac de inueſtitura Vicelini, Henricum in Slauia iam fere regiam poteſtatem exercuiſſe, in parentem ſuum forte quondam a Lothario Imperatore collatam, quam ei deinde ſolenni diplomate denuo conceſſit Fridericus I. Imperator.

§. 13.

Vicelinus vix votis mactatus erat, cum Henricus Dux *congregato exercitu in Bauariam* tenderet, *vt requireret Ducatum, quem vitricus ſuus Henricus, frater Conradi Regis* vterinus, *occuparat. Commiſit ergo,* vt Helmoldi verbis vtar, *Dux cuſtodiam terrae Slauorum atque Nordalbingorum Comiti Adolpho, compoſitisque in Saxonia rebus, profectus eſt cum militia, vt reciperet Ducatum Bauariae* dictum. *Clementiam* Ducis coniugem *Luneburgi* remanſiſſe, Helmoldus addit. Quid interea ab Adolfo in Slauia geſtum ſit, praetermittimus. Dux vero Henricus, vt iterum verba Helmoldi Lib. I. c. 72. vſurpem, *morabatur in Sueuia, intentans vitrico ſuo bellum, ſed non valens. Ille enim adiuuabatur a Rege fratre, iniuſtum eſſe perhibente, quenquam Principum duos habere Ducatus. Audiens ergo Adalbertus Marchio, & alii quamplures Principum, Ducem noſtrum minime proſperari, & veluti inter hoſtes concluſum, miſerunt ad Regem, vt quantocyus cum exercitu veniret in Saxoniam, obſeſſurus Brunſuich, & oppreſſurus amicos eius. Poſuit ergo Rex cuſtodiam per omnem Sueuiam,*

ne

ne forte Dux elaberetur: ipſe vero abiit Goſlariam, accepturus Brunſwich, & omnia caſtra Ducis. Inſtabat autem ſacra natiuitas Domini. Intelligens ergo Dux conſilium Regis in malum, & intercifum ſibi digreſſum Sueuiae, fecit denunciari omnibus amicis ſuis, tam liberis, quam miniſterialibus, vt conuenirent ad vrbem quandam, acturi cum eo diem ſolennem. Fecitque verba haec diffamari & perſonari in auribus vulgi. Aſſumptisque tribus fidiſſimis viris, veſpere quodam mutauit veſtem & elapſus de caſtro, nocturnum aggreſſus eſt iter, & tranſiens medias hoſtium inſidias, quinto demum die apparuit Brunſwich, & amici eius antea moerore affecti, inſperatam reſumpſere fiduciam. Caſtra vero Regis approximabant Brunſwig conſtituta in loco qui dicitur Heninge [noſtra adhuc aetate Monaſterio Virginum claro.] *Venit ergo nuncius, qui diceret Regi, comparuiſſe Ducem in Brunſwig. Quo certius recognito, diſſimulabat progredi, reuerſusque eſt Goſlariam, & annullata ſunt ea, quae fuerant Regis molimine ſuſcepta. Et defendit ſe Dux de circumuentione Principum, qui inſidiabantur animae eius, & obtinuit Ducatum Saxoniae, ſuccreſcens & inualeſcens per ſingulos dies. Porro Ducatum Bauariae requirere non poterat omni tempore, quo Conradus ſuperuixerat.* (h) Interim tamen eius auctoritas

h) Requiſiuit quidem Henricus ſemel atque iterum Bauariae Ducatum; ſed non obtinuit, Rege Conrado, qui hanc actionem vſque ad reditum ſuum ex Oriente ſuſpendendam eſſe iudicauerat, Henricum nunc de Curia in Curiam differente. Quae Regis tergiuerſatio Henricum denique mouit, vt, quae iure & iudicio non poterat, armis vindicare niteretur. Cohorruit ad hunc nuntium Rex Conradus, Nouiomagi degens, vbi Traiectenſium cauſam iudicaturus erat, qui eiecto a Caeſare ipſis dato Epiſcopo alium ſubſtituerant, & a Regis decretis ad Sedem Apoſtolicam appellauerant. *Contra hos*, inquit Otto Friſing. de geſtis Friderici I. Imperatoris L. I. c. 62. *vtpote aduerſus Romanum Principem agentes, Maieſtatis reos acerba Rex vſus conqueſtione, mox etiam pro huius temeritatis debita vindicta ſumenda, ad ciuitatem eorum proceſſiſſet; niſi quod propter quorumdam Noricorum Comitum inſolentiam in eamdem reuocabatur prouinciam.* Ex quo loco apparet, quamplures Bauariae Comites & Dynaſtas pro Henrico, ex vicina Sueuia impreſſionem in Bauariam moliente, arma ſumſiſſe. Conquerebatur tum ſcriptis ad Wibaldum literis Conradus de Henrico Leone, quod *ad Curiam Vlmenſem venire neglexiſſet, & nunc armata manu Bauariam occupare tentaret; ſe tamen*, addit, *alium ei Curiam Ratisbonae praefixiſſe;* caetera prouocans ad ea, quae miſſus certus homo *ei coram expoſiturus eſſet.* (Probat. N. X.) Quae haec fuerint, ex Wibaldi reſponſione patet, qua Regi nuntiat, per Saxoniam omnia eſſe pacata, neque e Saxonia facile quid metuendum, modo Rex ipſe in Curiam veniat: quo facto, *ſi cuius fides claudicare videretur, eum facile conculcatum iri.* (Probat. N. XI.) Henricus interea Wibaldum ſibi omnibus modis conciliare ſtuduit. Cum enim Rex eum denuo hortaretur ad Kemnatenſium bonorum & praediorum tutelam pro Corbeienſibus efficaciter ſuſcipiendam; (Probat. N. XII.) Henricus, intelligens, hoc inſtinctu Wibaldi fieri, huic bonorum ſuorum defenſionem humaniſſime promiſit, confidens fore, vt *memoria mea*, inquit, *in benedictione ſit apud vos tam coram Domino Papa, quam coram Rege.* (Probat. N. XIII.) Quin eo vſque fiducia proceſſit, vt Wibaldum in Curia, quam Rex Anno 1151. ſecundo idus Iunii Ratisbonae celebrandam indixerat, procuratorem ſuum conſtitueret, *quia*, inquiens, *Dominus & vera loquendi audaciam, eademque diſcrete proferendi vobis prae multis aliis contulit ſcientiam; rogamus vt nobis aſſiſtatis, &, quam in nos det ſententiam Rex, audiatis: polli-*

Digitized by Google

tas apud Regem valuit; & *Henricus Dux* Anno 1151. tertio Kal. Auguſti vna cum Vthalrico Halberſtadienſi, Bernhardo Paderbornenſi, Henrico Mindenſi Epiſcopis, Friderico Palatino Comite, Alberto Marchione, Hermanno Comite effecit interceſſione ſua, vt Conradus Rex Regalem ſuam Abbatiam Ringelhemenſem Epiſcopo Hildeshemienſi Bernhardo ſubderet. Diploma Leuckſeldius produxit ſed vitioſiſſime, & teſtium nominibus partim omiſſis, partim valde deprauatis, vt vix agnoſci poſſint. Nos id ex veteri ſcriptura authentica limatius damus, (Probat. N. XVI.) & Eugenii PP. III. confirmationem adiicimus. (Probat. N. XVII.)

§. 14.

Anno 1152. *Hermannus Comes de Wincenburg* cum vxore ſua Lutgarda impraegnata occiſus eſt in caſtro ſuo a Miniſterialibus Hildeshemenſis Eccleſiae, teſtibus Helmoldo Lib. I. c. 73. Chronico Stederburgenſi, MSto veteri Chronico Germanico, Engelhuſio, Crantzio Saxon. Lib. VI. c. 11. & Metropol. Lib. VI. c. 21. Erat is Helmoldo fatente, *vir potens, & magnarum pecuniarum, & ortae ſunt contentiones* inter Ducem noſtrum & Marchionem Adalbertum *propter caſtra & facultates eius. Propter hos compacandos denunciauit* Fridericus Rex, qui nunc vix patruo Conrado Rege defuncto ſucceſſerat, *Curiam apud Marcipolim* [Merſeburgum] *ciuitatem Saxoniae, mandauitque Principibus ſolenniter adeſſe.* Sed adiicit mox Helmoldus, in ea diſſenſionem, quae Henricum inter & Albertum erat, ſedari non potuiſſe, *eo quod Principes elati Regis adhuc recentis monita paruipenderent.* Merſeburgi dum haereret nouus Rex Fridericus, Wiboldo Abbati priuilegium aureis literis conſcriptum conceſſit, quod Schatenius in Annal. Paderborn. exhibet *datum in Curia Mersburg Anno Incarn. Dom. MCLII. Indict. XV. Anno Friderici Roman. Regis I. Actum in Chriſto feliciter XV. Cal. Iunii.* Praeſulum inde & Procerum, qui Comitiis his interfuere, nomina cognoſci poſſunt. Inter teſtes enim, qui ſubſcripſerunt, ibi adducuntur *Sueno Rex Danorum, qui ibidem Regnum ſuſcepit de manu*

pollicitus eſt enim, ſecundum iuſtitiam vel Principum conſilia, qui ad Curiam confluent, ſe nobis reſponſurum. (Probat. N. XIV.) Dicto tempore Conradum Bauariam ingreſſum eſſe, & Ratisbonae Curiam indictam habuiſſe, Otto Friſing. l. c. c. 63. affirmat quidem; ſed quem exitum res habuerit, non addit. Veriſimile eſt, Wibaldum ibi negotium Henrici corrupiſſe magis, quam promouiſſe, Regemque ad inuadendum Brunſuicum & debellandum Henricum incitaſſe, quem, pro ſeruando Saxoniae Ducatu, ſpei recuperandae Bauariae nuntium miſſurum confidebant. Sed res aliter cecidit, ac putarant inimici. Expeditio Saxonica Deo propitio in fumum, Conradus Rex paullo poſt ad plures, & Henrici ius in Bauariam ſub ſucceſſore Friderico in rem abiit. Hoc Regnum ineunte, Wibaldus a legatione Romana redux commendaticias ab Eugenio PP. III. ad Henricum literas attulit, infra pariter exhibendas. (Probat. N. XV.)

Digitized by Google

manu Domni Regis: Knut alter Danus, qui ibidem Regnum in manum Domni Regis refutauit Hartwigus Bremenſis Archi Epiſcopus, Othelricus Halberſtadenſis Ep. Burchardus Argentinenſis Ep. Wicmannus Citicenſis Ep. Daniel Pragenſis Ep. Bernhardus Patherbornenſis Ep. Heinricus Mindenſis Ep. Heremannus Ferdenſis, Anshelmus Hauelbergenſis, Emehardus Mechelemburgenſis, Wikkerus Brandeneburgenſis, Marquardus Fuldenſis Abbas, Heinricus Heresfeldenſis Abbas, Arnoldus Niemburgenſis Abbas. HEINRICVS Dux Saxoniae, Domnus WELPHO auunculus eius, Conradus Marchio de Misnia & filii eius, Marchio Adelbertus & filii eius.

§. 15.

In iisdem Merſeburgenſibus Comitiis Hartwicus, Archi Epiſcopus Hamburgenſis, vt Duci noſtro aegre faceret, Vicelino Epiſcopo auctor fuit, vt Helmoldus Lib. I. c. 73. teſtatur, vt inueſtituram de manu Regis perciperet; at ille non conſenſit, ratus iram Ducis implacabiliter accendi. Rationem addit hanc Helmoldus: *In hac enim terra ſola Ducis auctoritas attenditur.* Hartwicus aut hoc anno (1152.) aut poſtea Anno 1154. etiam pactum iniiſſe videtur cum Alberto Vrſo Marchione, Duci noſtro ob Wincenburgicam hereditatem tunc infenſo, quo conatus eſt bona auita, quorum pars in Archi Epiſcopatu Magdeburgenſi ſita erat, auferre Duci Henrico, eaque in hunc Albertum transferre. Ampliſſimus Schmidius Brunſuici numum poſſidet bracteatum egregium. In quo ad dextram ſtat Archi Epiſcopus mitra & Pontificalibus indumentis ornatus & cum mantello pellibus Armeniacis duplicato, dextra clauem tenens, ſiniſtra veluti lanceam vexilliferam erectam porrigens Principi ex aduerſo ſtanti, ſcutumque ſiniſtra tenenti, ac in capite galea munito, qui eam acceptat: circum legitur: ADELBERTVS MARCHIO. Rehtmeierus putat inueſtituram Aduocatiae Monaſterii Ballenſtedenſis hic deſignari. Sed Abbas hoc ornatu non ſiſtitur vllibi; nec numum merebatur inueſtitura Ballenſtedenſis Aduocatiae, quam Albertus hereditarie poſſidebat: Nec Abbati Ballenſtedenſi conuenit *clauis*, Bremenſis Eccleſiae, S. Petro dicatae, inſigne. Vnde credo potius, ſiſti hic Hartwicum Archi Epiſcopum in praeiudicium Henrici concedentem Alberto feudum aliquod ex hereditate Comitum Stadenſium; quod tamen Albertus dimittere coactus eſt, cum mox ſub Regis moderamine ille Henrico Duci reconciliaretur.

§. 16.

Licet vero Henrici Ducis patruus Welfus pleraque Guelficae Familiae bona in Sueuia tenuiſſet, magnam tamen earum portionem Henricum

ricum quoque poſſediſſe veroſimile nobis ſit, non ſolum ex infra producendis, ſed iam etiam ex priuilegio ipſius *Henrici diuina fauentè clementia Ducis tam Bauariae, quam Saxoniae*, ſic enim verba tituli habent, (Probat. N. XVIII.) quod datum eſt *Merſeburgi in die Pentecoſtes Anno* 1152. *Anno autem Friderici Regis primo. Aſſentiente enim patruo ſuo Welſo*, rogatu cuiusdam Miniſterialis ſui, nomine Gobeſen, *Herewigesrutum*, *Riwinesberc*, *Hunoldesberc ſita in pago Schuſſengeu*, perpetualiter donat *S. Petro in Owe*, quod Monaſterium Conſtantienſis Dioeceſeos nunc *Minderau* vel *Weiſſenau* dicitur. In fine huius priuilegii a Lunigio Spicilegii Eccleſiaſtici Part. III. pag. 746. ſq. editi legitur: *Huic oblationi aſfuerunt Dominus Rex Fridericus, Rex Swein de Thenemarch, Welſo, Marchio Conradus, Marchio Adelbertus, Fridericus Palatinus Comes, Adolſus Comes, Heinricus de Arnesberc.*

§. 17.

Menſe Octobri alia Comitia Wurceburgi habita ſunt, in quibus *Henricum Ducem & Albertum Marchionem* ob hereditatem Hermanni Winzeburgii *diſcordantes a Rege pacificatos eſſe*, Albertus Stadenſis prodit. Totam Hermanni hereditatem Henrico ceſſiſſe vna cum Aduocatiis plurium per Saxoniam Eccleſiarum, in quibus eminuit Gandersheimenſis, mihi perſuadeo, illudque etiam probandum ex inſtrumento, quod ſubiicimus praeſente Henrico Leone datum. (Probat. N. XIX.) Nimirum exſtinctae erant vno eodemque tempore duae Illuſtres Familiae: Plozecenſis in Bernhardo; Winzeburgica in Hermanno Comite. Bona ab vtroque relicta hinc Albertus Marchio; illinc Henricus Leo ad ſe trahere nitebatur. Vnde facillima hoc modo erat compoſitio illa, cuius diſerte meminit Chronographus Halberſtadienſis MS. ad hunc annum ita ſcribens: *Factum eſt diſturbium inter Albertum Marchionem & Henricum Ducem pro terris duorum Comitum, ſcilicet Comitis Bernhardi & Hermanni: quod Domini interceperunt, & vniti ſunt, vt Albertus Marchio ſeruaret terram Bernhardi, & Henricus terram Hermanni.* Plozecenſes autem Comites ab Anhaltinis prorſus fuiſſe diuerſos, contra Becmannum ex Annaliſta Saxone jam olim ſolide demonſtrauimus Genealog. Saxon. p. 514. ſeq. Atque ſic re explicata conſentit his Helmoldus, qui Lib. II. c. 6. commemorat, Henrico, praeter hereditatem progenitorum, acceſſiſſe quoque *poſſeſſiones Hermanni de Winzeburg*. Fuerat Hermannus ſuo tempore admodum potens & poſt mortem Henrici II. Marchionis Miſnenſis de Ileburg, ab Henrico V. Imperatore Miſnenſi Marchiae ex parte praefectus erat, exercueratque etiam in Thuringia Ducalem aliquatenus poteſtatem. Sed vbi ſucceſſorem Henrici Lotha-

Lotharium caede Burchardi de Luckem Miniſterialis eius offendiſſet, iram eius ſenſit, & Anno 1128. in generali Curia Quedlinburgenſi grauiter punitus eſt. *Hic*, inquit Chronicon Gozecenſe pag. 232. *Hermannus de Wintziburg Prouinciali, honoribus, dignitatibus, Principum iudicio abdicatur: Wintziburg obſidetur, capitur, incenditur, funditus ſubuertitur.* Suprema in Thuringia poteſtas eodem tempore *Ludouico,* ſub *Landgrauii* titulo, committitur. Captum caſtrum Wintzenburgenſe tunc ad Eccleſiam Hildeshemenſem, cuius feudum erat, rediit. Tandem tamen Anno 1150. a Bernhardo Epiſcopo Hildeshemenſi Hermannus id certis quibusdam conditionibus, ſolenni Charta, quam inter Probationes (N.XX.) vide, denuo acquiſiuit. Sed ſequenti anno, occiſo Hermanno Comite, Epiſcopo Bernhardus idem in poſſeſſionem recepit, Romanique Pontifices Innocentius II. Victor IV. & Eugenius III. Epiſcopo Bernhardo bullis peculiaribus iniunxere, (i) ne aut ille, aut Succeſſores eius Caſtrum hoc, ad munimentum Eccleſiae Hildeshemenſis conſtructum, alicui Laicorum in feudum dent, vel aliquo modo ab vſu & dominatione Epiſcopii Hildeshemenſis alienent. Bullas has etiam in Probationibus (N. XXI. XXII. & XXIII.) damus. Nihil ergo praeter *Winceburgum*

i) Hic omnia vſque adeo turbata ſunt, vt Dn. Eccardus nec bullas iſtas vmquam legiſſe, nec Pontificum ſucceſſiones nouiſſe videatur. Has enim ſi ſciuiſſet, aut prae oculis habuiſſet; totum hoc negotium aliter ordinaſſet, neque mandata Pontificum de non alienando caſtrum Wincenburg ad tempora, Hermanni Comitis mortem inſecuta, reduxiſſet, neque Innocentium II. & Eugenium III. Pontifices poſt Annum 1150. reieciſſet, neque huic Eugenio Victorem PP. IV. praepoſuiſſet. Hoc autem ordine res geſtae ſunt: Cum poſt proſcriptionem Hermanni Anno 1128. caſtrum ſeu potius rudera caſtri Wincenburg ad Eccleſiam Hildenſemenſem rediiſſent; Epiſcopus veluti clypeum obiecturus iis, qui rem infeudari ſolitam menſae Epiſcopali vniri non poſſe clamitabant, mandata de non alienando nec infeudando caſtrum Wincenburg Anno 1135. ab Innocentio PP. II. & Anno 1149. ab Eugenio PP. III. impetrauit. (Probat. N. XXI. & XXIII.) Quibus non obſtantibus, Hermannus filius, oblato in vicem caſtro Homburgenſi, Bernardum Epiſcopum facile induxit, vt Anno 1150. caſtrum Wincenburg, tamquam feudum promiſcuum, denuo ei conferret, formula percaute ſcripta. (Probat. N.XX.) Occiſo itaque Anno 1152. Hermanno vna cum coniuge, liberos nullos relinquente, cum Winceburgum ad Eccleſiam rediiſſet, Victor PP. IV. Anno 1160. denuo alienationem eius prohibuit, (Probat. N. XXII.) & Eccleſiae Hildenſemenſi ſimul iura & priuilegia omnia confirmauit. (Probat. N. XXIV.) Auctor necis Comitis Hermanni iunioris nuſpiam proditur. In vita tamen Lamberti, Noui Operis apud Hallenſes Praepoſiti, apud Dn. Schannat. Vindem. lit. II. p. 71. haec lego; *Comes Henricus de Bodenburch, vir nobilis, & vnus de maioribus terrae* (Hildeſienſis, quippe in qua vitam hanc ſcriptam fuiſſe apparet.) *qui filiam Domini Oberti, fratris beati Lamberti, Euezam nomine, in matrimonium duxerat, coram Imperatore Friderico accuſatus eſt tamquam reus de morte Comitis Hermanni de Winzenburg. Cumque inde coram Imperatore ſe duello expurgaret; victus eſt, & grauiter vulneratus. Ideoque in ſeculo nolens manere, ad Eccleſiam noſtram tranſiit, ibique habitu ſuſcepto, Hoſpitali pauperum praelatus eſt.* Vbi editor in praefatione veriſimilius iudicat, Bodenburgium, quippe duello inferiorem adeoque conuictum, a Caeſare quidem vita donatum, ſed poenae loco in Monaſterium fuiſſe detruſum.

Digitized by Google

gum Caſtrum Eccleſia Hildeshemenſis ex hereditate Hermanni alias accepit.

§. 18.

Praecipuum vero negotium, quod in Wirtzburgenſibus his Comitiis ſibi expediendum eſſe credebat Fridericus Rex, erat conciliatio duorum Henricorum, de Ducatu Bauariae contententium. Vterque conſanguineus Friderici, vterque ob potentiam ſuam ei neceſſarius erat. Quid vero hac in re nunc actum ſit, Otto Friſingenſis Lib. II. de Geſtis Friderici cap. 7. ſic exponit: *Erat vero*, inquit, *multa Sereniſſimi Principis anxietas, cum omnia proſpere in Regno agerentur, qualiter controuerſia, quae inter eius carnem & ſanguinem, id eſt, Henricum patruum ſuum, & itidem Henricum auunculi ſui filium, Duces, de Norico Ducatu agitabatur, ſine ſanguinis effuſione terminari poſſet. Fuit namque Henricus iſte Henrici quondam Norici Ducis filius, quem (vt alibi dictum eſt,) Conradus Rex a Baioaria eiectum in Saxonia manere compulerat, Ducatum ipſius primum Leopaldo Marchionis Leopaldi filio, ac deinde fratri ipſius, huic Henrico, conceſſerat. Rex ergo praedictam litem iudicio vel conſilio deciſurus, vtrique autumnali tempore menſe Octobri in ciuitate Herbipoli Curiam praefigit: quo dum alter, id eſt, Henrici Ducis filius, veniret, alter ſe abſentaret, iterum & iterum vocatur.* Guntherus Ligurini Lib. I. breuiter haec complexus inter alia canit:

Aſſuit hic Saxo; non aſſuit Auſtricus, vt qui
Iudicium fugeret, dudum poſſeſſa Ducatus
Perdere iura timens. Nam cauſa ſemper in omni
Iudicium ſpoliatus amat; qui poſſidet, odit.
Quem tribus abſentem totius Curia Regni
Cenſuit edictis in ius debere citari,

Tandem etiam in hoc Wirtzburgenſi conuentu ob querelas de tyrannide Rogerii Siciliae Regis, nec non, vt Fridericus Imperialem coronam acciperet, decreta eſt expeditio Italica, de qua deliberatum eſt amplius Anno 1153. ſequenti in Comitiis Conſtantienſibus, vbi querelae Laudenſium aliorumque de Mediolanenſibus auditae, quae his tandem exitio fuere.

§. 19.

Henricus interea Wirtzeburgo domum reuerſus, (*k*) illibenter intellexit, *Bardewicum*, ab antiquo mercimoniis celebrem, indies decreſcere,

k) Wirceburgi itaque Anno 1152. in cauſa Bauarica, ob abſentiam Henrici Auſtriaci, aliud nihil agi potuit, quam quod ibi conſtitutum eſt, vt Henricus ille trinis edictis denuo citaretur, & contumax condemnaretur. Trinorum terminorum obſeruationem curate notat Otto Friſing. l. c. c. 9. & 11.

Digitized by Google

creſcere, omnesque mercatores Lubecam potius adire; *Salinam* quoque *Luneburgenſem* deprimi a Salina, quam Comes Adolfus Thodesloae inſtituerat. Petiit igitur verbis primum amicis Adolfum, vt dimidiam partem Ciuitatis ſuae Lubecae & Salinae Thodesloënſis daret, quo ciuitatis Salinaeque ſuae detrimenta tolerabilius ferre poſſit. Addidit, non ferendum eſſe ſibi, vt propter aliena commoda, deſolari patiatur hereditatem patrum ſuorum. Comite autem tunc renuente, mandauit Dux, ne amplius Forum Lubecae haberetur, nec eſſet ibi facultas emendi ſiue vendendi, niſi ea tantum, quae ad cibum pertinent. Et iuſſit mercimonia Bardewicum transferri ad ſubleuandam ſuam ciuitatem. Sed & fontes ſalis, qui Thodesloae erant, eodem tempore obturari fecit. Haec tamen violentia Comiti alta mente repoſta manſit, & animum inde alienum a Duce habuit. Haec Helmoldus Lib. I. c. 77. nobis indicauit.

§. 20.

Ad Comitia Bambergenſia Anni 1153. Feſto Paſchali habita *ambo* vt Otto Friſing. Geſtis Frid. Lib. II. c. 9. loquitur, *Henrici Duces pro Ducatu Norico, vt dictum eſt, contendentes venerunt; ſed altero quod legitime citatus non fuerit, praetendente, debitum finem negotium ibi habere non potuit.* Idem Otto Lib. II. c. 11. indicat, eodem anno *menſe Septembri Principes maioresque Baioariae a Rege Ratiſponae conuocatos, ſed nihil ibi de bono pacis in illa prouincia, propter duorum Ducum litem, terminari potuiſſe.* Proximo *de hinc menſe Decembri vtrosque Duces Henricum, itidem & Henricum in Ciuitate Spira Principis adſtitiſſe iudicio; ſed iterum altero de legitima vocatione ſe excuſante, rem protelatam eſſe.*

§. 21.

Henricus Dux viderat hactenus, ius inueſtiturae Epiſcoporum in terra Sleuorum dubium ſibi reddi ab Hartwico Archi Epiſcopo. Huic malo remedium quaeſiuit Anno 1153. a Rege, conuentum Principum circa Feſtum Pentecoſtes Wormatiae habente, & inſigne priuilegium ab eo impetrauit, *aurea bulla* munitum, cuius autographum adhuc Brunſuici in Archiuio communi aſſeruatur. Dicit in eo Rex: *dilecto noſtro Heinrico Duci Saxoniae iniunximus, vt in prouincia vltra Albim, quam a noſtra munificentia tenet, Epiſcopatus & Eccleſias, ad dilatandum Chriſtiani nominis imperium, inſtituat, plantet, & aedificet; liberamque ei conceſſimus poteſtatem, vt Eccleſiis illis de bonis Regni conferat, prout voluntas ſua perſuaſerit & terrarum ſpatioſitas permiſerit. Cui negotio, vt ſtudioſius & deuotius inſiſtat, ipſi & omnibus ſibi in hac prouincia ſucceſſuris*

concedimus inueſtituram trium Epiſcopatuum Aldenburc, Michelinburc, Racezburc: vt quicunque in locum Epiſcoporum ibidem ſubrogandi ſunt, a manu ipſius quod Regii iuris eſt, tanquam a noſtra, recipiant. Id etiam adiungimus, quod ſi in Prouinciis circumquaque, in quibus nec dum Chriſtiana religio tenetur, Epiſcopatus ſua ſtrenuitate ſundare potuerit, in his eadem poteſtate fungatur. Annuerunt huic rei ex Regni Principibus *Archi Epiſcopus Magdeburgenſis Wichmannus, Epiſcopus Hildesbemenſis Bruno, Epiſcopus Fardenſis Herimannus, Epiſcopus Brandenburgenſis Wicberus, Electus Cicenſis Bertoldus, Abbas Corbienſis Wickboldus, Marchio Conradus, Marchio Adelbertus, Palatinus Fridericus, Prouincialis Comes Ludewicus.* Dato inſigne hoc priuilegium caret; certum tamen eſt, praeſenti anno & tempore id ſcriptum eſſe. Nam *Bruno Hildesbemenſis Epiſcopus* Anno 1154. III. Non. Iunii, vt paulo poſt videbimus, adhuc primum ſui Epiſcopatus annum numerauit, & *Wicboldus Abbas Corbeienſis* hoc ipſo Anno 1153. in Freſia occiſus (1) traditur in Chronico Montis Sereni, fide non indigno.

§. 22.

Anno 1154. idem de conciliandis Henricis negotium Rex vrſit. *Fridericus,* inquit Otto Friſingenſis, *dum iam fere per biennium ad decidendam litem duorum Principum ſibi (vt dictum eſt) propinquitate ſanguinis tam affinium laboraſſet, tandem alterius inſtantia, qui in paternam haereditatem, a qua diu propulſus fuerat, redire cupiebat, flexus, imminente etiam ſibi expeditionis labore, in qua eundem iuuenem militem ſociumque viae habere debuit, finem negotio imponere cogebatur. Proinde in oppido Saxoniae* Goslaria *Curiam celebrans, vtrosque Duces, datis edictis, euocauit. Vbi dum altero veniente, alter ſe abſentaret; iudicio Principum alteri, id eſt Henrico Saxoniae Duci, Baioariae Ducatus adiudicatur.* Guntherus Ligurini Lib. I:

Tan-

1) Caue in his Chronico Montis Sereni credas, ni prius & annum & locum mortis corrigas. Ottone enim Friſingenſi de geſtis Friderici I. Lib. II. c. 23. auctore, Fridericus Anno 1155. *Guibaldum Corbeienſem ſimul & Stabulenſem Abbatem Regalem* h. e. immediatum, *virum prudentem, & in Curia magnum, in Graeciam, legatione ipſius ad Regiae Vrbis Principem functurum, deſtinauit.* Et cap. 29. cum de Curia Wirceburgenſi, qua Anno 1156. Imperator nuptias cum Beatrice Burgundica celebrauit, locutus eſſet, ſubiicit: *Ad eam Curiam Guibaldus Corbeienſis Abbas, a Graecia rediens, venit.* Idem cap. 31. ait, cum Legatis Graecis, *quos Guibaldus adduxerat,* remiſſum fuiſſe Stephanum, *capellanum Imperatoris, per quem Princeps de illius Principis voluntate amplius cognoſceret.* Hunc Stephanum anno ſubſequenti Wibaldus excepit, quia Chronicon Bigaugienſe ad Annum 1158. ait: *Williboldus Corbeiae Abbas obiit in Graecia.* Pro *Freſia* igitur in Chronico Montis Sereni *Graecia* legendum, & pro Anno 1153. Annus 1158. reponendus eſt. Vt adeo hic locus nihil faciat ad probandam huius diplomatis epocham, ex Brunonis tamen ſubſcriptione ſatis firmatam.

Digitized by Google

Tandem inſtante pio vehementer Saxone Regi,
Ac repetente ſuum penitus ſine fine Ducatum,
Quem caſtris adcire ſuis Rex ipſe parabat,
Goslariam Proceres & partem litis vtramque
Euocat. Hic, patruo cauſam fugiente, nepoti
Reddidit euictum, ſeruato iure, Ducatum.

Otto de S. Blaſio Appendic. ad Ottonis Friſingenſis Chronicon cap. 6. eadem de re haec refert: *Anno Dominicae Incarnationis* 1154. *Henricus Dux Saxoniae, filius auunculi Friderici Regis, filius Henrici ex filia Imperatoris Lotharii, Ducatum Noricum ſui iuris haereditate paterna affectans, cum Henrico filio Leopaldi, patruo Friderici Regis, qui eundem Ducatum beneficii loco a Rege Cunrado acceperat, toto niſu contendit, Henrico non minore ambitione ſibi reſiſtente. Quorum litem Fridericus Rex ſedare cupiens, vtrumque enim linea conſanguinitatis tangebat, conſilio Principum taliter definitum eſt, vt Marchia Orientalis, quae prius Ducatui Norico iure beneficii ſubiacuit, a Ducatu ſeiuncta, per ſe ſubſiſtens, nulloque reſpectu iuris Duci Bauariae ſubiacens, Ducatus iure & nomine conſtaret, hocque Henricus, filius Leopaldi, Principis iure & Ducis nomine & honore ſublimatus, contentus eſſet; Ducatu Norico Henrico Duci Saxoniae cedente. Ad haec vtroque conſentiente, lite deciſa, qui prius Marchio, Dux Orientalis deinceps dictus eſt. Sicque Henricus, fratruelis Welſonis, Ducatu Bauariae & Saxoniae potitus, haereditatem paternam conſequitur.* His adiungimus haec Abbatis Vrſpergenſis verba: *Mediante Imperatore compoſitio ſuper Ducatu Norico facta eſt, hoc modo, vt Heinricus de Saxonia Ducatum Bauariae reciperet, quem & pater & auus ſuus habuerant; Heinricus vero de Auſtria, cum, ante ſuſceptum Ducatum eſſet tantum Marchio, modo Dux efficeretur; quae beneficia ſaepe dictus Imperator conceſſit vtrisque, ſicque terminata eſt haec diſcordia, quae praecipua erat in Alemannia; Welphoni quoque auunculo ſuo, vt eius fauorem plene obtineret, contulit in beneficium Marchiam Tuſciae, Ducatum Spoleti, Principatum Sardiniae & totam terram Mathildis Comitiſſae.*

§. 23.


Comitia haec Goslariae habita eſſe menſe Iunio, intelligimus ex charta (m) *Heinrici Ducis Saxoniae & Bawariae,* (Probat. N. XXV.) qua Eccleſiae Richenbergenſi non procul Goslaria ſitae *de iuſta patrimonii ſui hereditate* donat duos manſos in Rantiggerode, & *quicquid iuris &* pro-

m) Non ex charta ſolum hoc intelligimus, ſed etiam ex claro Ottonis Friſingenſis teſtimonio iam adlato percepimus.

proprietatis poſſederat in monte Nortberch dicto: Teſtes clientes & Miniſteriales, quos tunc ſecum habuit, longo ordine additi hi ſunt: *Liudolphus Praepoſitus de Richenberg, & fratres eius Gerhardus & Rudolphus Diaconi, Benno Praepoſitus montis Sancti Georgii, & Wicbertus Presbyter, Tidericus de Sancto Iacobo.* Laici *liberi: Liudolphus Comes de Waltiggerod, & fratres eius Burghardus & Hagerus, Bernhardus Vicedominus Hildenesheimenſis, Adelbertus de Werniggerod, Luithardus de Meneriſcheim, Volcouin de Suualen, Hermannus de Lippa, Geroggus de Stildeberg, Widego de Getlide, & frater eius Adelhartus, Guncelinus de Hagen, Eggebertus de Riudim filius Haoldi, & Iohannes de Burne filius Haoldi, Adelhardus de Burchtorpe, Arnoldus de Dorſtide.* Miniſteriales: *Anno de Heimburg, Heinricus de Wida, Liuppoldus de Hertesberg, Wernerus de Oſterod, Burchardus de Wulferbutele, Hermannus de Guſtidde, Tiedolfus de Derſe, Liuthardus de Oſterrod, Liudolphus de Brunſuic filius Baldewini, Echertus de Wulferbutele & Borchardus filii Borchardi, Henricus filius Annonis, Fredericus de Volcmariggerod, Baſilius, Alexander, Rudolphus filii Eremberti, Herewigus de Stoufenborch, Bertoldus, Erenbertus, Edo de Derdsheim, Witekindus de Goslaria & Herezo fratres, Walmodus de Liuneborch, Sigebodo de Pagim frater Bertoldi, Cunnemannus de Othberch, Bertholdus, Liudolfus filius Bertholdi, Volcmarus de Herre, Tidelinus de Walmoden, Tiadolfus de Werele, Gerhardus de Gerdine, Arnoldus de Eimbike, Madelgerus de Bomkenhuſen, & frater eius Eilardus, Hartmannus de Nankeſſem.* Vrbani *Goslarienſes: Odelricus Rodolphi filius, Bodo filius Herezonis, & Giſelbertus frater eius, & filii eius Garfilius, Bodo, & Herezo, Liuddagus & Tidolfus frater eius. Volcmarus Wicburgis filius, Thiedericus Aduocatus Richenbergenſis & fratres eius Erenbertus & Tidolfus, Arnoldus, & fratres eius Hemiko & Thiedolfus, Herizo, cuius fuit beneficium, Conradus filius Conradi, Hermannus Albus, Fridericus Officialis, Bene Officialis & filius eius Benno, Thiedericus Ameconis filius, Bodo Wolffiggi filius, Rodolfus Niger, Adalwardus, Aluoldus, Fridericus filius Walderi & fratres eius Honoldus & Heinricus, Reinwardus Linarius, Wernerus Aurifex, Godeſcalcus Linarius, Reinzo Linarius, Thiedericus Albus, Thiedericus Lapicida, Godefridus filius Wicelonis, Landfridus, & filii eius Landfridus & Broder, Eliko, Rickbertus, Wizelo, Nicalar, Volcmarus Ruffus, Robertus Ruffus, Rodolfus, Odelricus filius Odelrici, Heinricus Albus, Hartmannus, Godwinus Campanarius, Eluizo, Gerbardus Niger, Bernhardus de Sancto Vito, Hawardus Paruus, Hizelo Folliculariùs, Rocelinus ſcutarii & Achilles, Thancmarus Aurifex, Ode Sellarius, Gerwardus Pugil, Wildinus, Liuderus gener Dominae de Celem, & ipſe*

Tab. I. ad p. 92.

HEINRICI LEONIS DUCIS BAVARIÆ ET SAXONIÆ
Sigilla.



Digitized by Google

ipſe de Oſterrod, Hugoldus, Wideking Fucarius, Thancwardus & alii quam plures. Data eſt haec Charta Anno Dom. Incarn. MCLIIII. Indictione II. III. Non. Iun. tercio anno Frederici Regis, primo vero Brunonis Epiſcopi Hildenesheimenſis. Actum Goslariae feliciter Amen. Primus eam e tenebris eruit Heineccius Antiquitat. Goslarienſ. Lib. II. p. 149. ſq. qui & in Opuſculo de ſigillis ſigillum appenſum aeri incidi fecit; mihi vero olim ectypum eius e cera exacte confectum beneuole transmiſit. Cernitur in eo Dux Eques cum vexillo in dextra & ſcuto in ſiniſtra, cui, quod in aliis eius ſigillis non obſerues, (n) inſculptus Leo erectus. Circum legitur: HENRICVS. DEI. GRA. DVX. BAWARIE. ET SAXONIE. Nos illud in Tab. I. vbi plura Henrici Leonis ſigilla exhibemus, aeri incidi curauimus.

§. 24.

Placata ſic Familia Guelfica, Anno 1154. iam inclinato in Italiam laetus tetendit Fridericus, Henrico Duce noſtro comitatus. Otto Friſingenſis de Geſtis Friderici I. Lib. II. c. 11. *Poſt haec* Goslariae acta *Princeps de Saxonia in Baioariam ſe recipiens, ac inde per Alemanniam tranſiens, anno Regni ſui tertio in campo Lici fluminis, termino Baioariae, contra ciuitatem Auguſtenſem circa principium menſis Octobris militem, in Italiam iturus, collegit, finitis, ex quo iurata fuerat primo expeditio, duobus annis. Nec illuſtrem animum a tam illuſtri facto ex recenter prolata in tam magnum Imperii Principem Henricum Auſtriacum ſententia, & ex hinc obortum non paruum aliorum Principum murmur reuocare poterat, quin omnia, quae retro erant, flocci pendens, Deo ſe committendo, in anteriora extenderetur. Per Brixinoram itaque & vallem Tridentinam tranſiens, emenſis Alpium anguſtiis, in campeſtribus Veronenſium iuxta ſtagnum Gardae caſtra metatur &c.* Quoniam tamen Henricus Bauariae Ducatu nondum

n) Praeterea in hoc ſigillo eques ad ſiniſtram tendit, cum in caeteris eius ſigillis ad dextram ſit conuerſus, nomenque Ducis *Heinricus* ſcribatur, quod in hoc *Henricus* eſt. Habet & ipſum diploma haec ſingularia; quod Henricus in initio vocatur *Dux Saxoniae & Bauariae;* cum tamen in omnibus, quae adhuc vidimus, genuinis diplomatibus Henricus ſemet vocet *Bauariae & Saxoniae Ducem;* Bauaria ſcilicet Saxoniae praepoſita: quod diplomati anathema adiectum eſt, Praeſulibus ſacris proprium: quod teſtium cognomina & qualitates nominibus non adhaerent, ſed ſingulis ſuperſcriptae ſunt eo modo, quo exhibentur infra (Probat. N. XXV.) denique quod inter teſtes nominantur varii generis opifices & homines de vulgo, veluti *linarius, aurifaber, lapicida, campanarius, follicularius, ſcutarius, ſellarius, pugil, focarius;* quam turbam Henricum hanc donationem facientem circumſtetiſſe, & teſtimonii cauſa aduocatam fuiſſe, vix credibile eſt. Niſi in ſigillo haberetur *Henricus Bauariae & Saxoniae Dux;* chartam hanc ſequiori aeuo confictam, & ſigillo Henrici filii, ex alio diplomate decerpto, firmatam crederem. Nunc rem in medium relinquo, quam rationibus neque adſtruere, neque refellere queo.

dum inueſtitus eſſet, ſtylo curiae Imperialis adhuc *Dux Saxoniae* tantum dicebatur. Ita ſub diplomate, quo Fridericus Veronenſi Epiſcopo Eccleſiae priuilegia confirmauit, ab Vghello Tom. V. p. 738. edito, & dato *in Campo, qui vocatur Calegnus X. Kal. Decembris Anno Dom. Incarn.* 1154. *Indict. II. regnante Friderico Romanorum Rege glorioſo, anno vero Regni eius tertio*, inter teſtes primo poſt ſacros homines loco extat annotatus *Henricus Dux Saxoniae.* Otto de caetero Friſingenſis Lib. II. de Geſtis Frid. c. 16. dicit, *Henricum de Saxonia in Lombardiam cum ipſo Rege fere cum non minori copia equitum, quam ipſum Regem, veniſſe.*

§. 25.

Vbi vix Italiam intraſſet, concordiam iniit cum conſanguineis ſuis, Fulconis Marchionis filiis, iisque bona quaedam ſua, quae illi hactenus vſurparant, in feudum conceſſit. Chartam ea de re factam Clariſſimus Muratorius Antiq. Eſtenſ. Part. I. p. 341. ſq. euulgauit, quam hic integram inſerimus: *Quinto die exeunte Menſe Octubris, in preſentia Spinabelli de Bonadigo, Alberti Notarii, Rudermi, Carlaxarii, Vberti, Isnardini Tridentini, Adelardini, Girardini, Alberici de Lendenaria, Antonis, & eius filii Rodulphini, Balduini de Scalla, Albertini, Rolandi & Arardi fratrum, & filiorum quondam Erici Cauſidici de Vrbana, Guarimberti filii prefati Alberti, Iordani, eiusque fratris Henrici, Odelrici, Guarnerii de Soratico, Idonis filii Vgonis ſine Fatiga, Guidonis Bauguerii, Briani de Lagari, Friderici de Primero, Alberti de monte Vrſo, Liuti de Ruueredo, Guidonis de Palma, Girardini filii quondam Conradi Storti, Adelardini, Gambarini de Caſtello, Otthonis de Preſſana, Bonizenonis, Martii de Eſte, Bernardini de Marſilio, Arderici, Eruberti de Valezio, Vberti filii Lamberti de Eſte, Alberici, & Rendinace de Caſale, Prandi fratris quondam Bolgarelli, Valarii filii quondam Conradi de Benzo, Albertini filii Boneguiſe, Bertrami de Sancto Quirico, Maleſtonde Damafolli, & Caſtellani de Cereta, Deſuſii, Vgonis de Rocha, Iſachini de Liniaco, Odelrici filii Guidonis Smanii, Pili filii Hazzarii, Rodulphini de Orti, Iohannis filii Gerardi de Blanda de Fornino, Guilielmini filii Malberbe molinarii, Gabrielis filii Adelardi de Claritia, Opizonis de Nogarole, Gerardini filii quondam Alberici, Opizini filii Isnardi de Nogarole, atque Odelrici Sartoris. Cum Rex bone memorie Fridericus Italiam intraſſet, & in Epiſcopatu Veronenſi iuxta Boſcum, & Villam Pouellani reſideret, Henricus, filius Henrici, Dux Saxonum, Bonifacium, & Fulconem Marchiones pro ſeſe, & fratribus ſuis, Alberto videlicet & Opizone, qui non aderant, cum Vexillo inueſtiuit nominatim de Eſte, & Soreſino, Arquada, atque Merendola, & de omnibus Terris, Caſtris, Villis, ſiluis,*

palu-

paludibus, vigris, paſcuis, ſalectibus, aqueductibus, communiis, conſortiis, atque piſcationibus, ſeruis, ancillis, familiis, cum omni honore mundi. Et de omnibus rebus expreſſe dictum fuit, quas Auus prefatorum Dominorum, vel Pater, ſeu iſti vnquam habuerunt, detinuerunt, ſeu nunc habent vel detinent iuſte vel iniuſte, & vbicumque aliquam rationem prefatus habet, prefatis Marchionibus dedit, & conceſſit, & ſpecialiter de Arquada & Merendola. Eo quidem pacto, quod debent ab eo ad Feudum tenere, ſuccedendo vnus alteri, ipſi, & ſui heredes maſculi tantum. Ipſis vero deficientibus feminẽ ſuccedant; & ſi quis eorum vel heredum illorum ſine herede maſculo deceſſerit, ita quod nullus maſculus ex ſupra dictis fratribus, ſeu ab ipſis deſcendentibus ſuperfuerit, & feminam habuerit: tunc illa femina ſuccedat. Ceterum ſiue vtrum illorum habuerit cum aliquis ex maſculis non ſuperfuerit, tunc qui de Marchionibus ex femineo ſexu deſcendentes, vel heredibus eorum, tam maſculi ex femina deſcendentes, quam femine ſuperfuerint, in prenominatis rebus ad feudum ſuccedant. Item prefatus Dux promiſit ſe ſuoſque heredes defendere, auctorizare Marchionibus prefatis, eiusque heredibus contra omnes perſonas rationabiliter, que contra eos agere voluerint. Inſuper prefatus Dux Henricus Saxonum finem fecit ante dictis Marchionibus, tam iſtis, quam aliis, qui non aderant, & omnibus, qui pro Marchionibus Ducem offenderant, ex omnibus que iniuſte aduerſus ipſum, vel parentes ſuos, fecerant iſti, vel parentes ſui, & ex omnibus litigiis, controuerſiis, ac rationibus, quas contra eos agere, vel dicere poterat. Et pro hoc facto prefati Marchiones Bonifacius, & Fulco iurauerunt ſuper ſancta Dei Euangelia, quod per ſe, vel per ſuos nuncios habuerint ſolutas ac datas quatuor centum Marchas argenti Duci prefato, vel eius certo nuncio, ab hoc die vsque ad diem Dominicum proximum venturum. Et deinde ad XV, dies proximos venturos. Hoc ſimiliter iuratum eſt attendere ex parte Marchionum per propriam manum & loquelam Alberti, Rolandi, Arardi Cauſidici prefatorum, Vberti, Isnardini de Lendenaria. Item prefatus Dux accepit prefatum Arardum per manum, & precepit ei, vt predictos Marchiones in tenutam & poſſeſſionem predicti Feudi mitteret, & eos poſſeſſores ex parte Domini Ducis faceret. Interfuerunt enim ex parte Domini Ducis Aduocatus de Auguſto, Armanus Masnerius, Limpoldus, Conradus de Mamengo, Armengariſus, & quamplures alii eiusdem Curie. Actum eſt hoc ſub tentorio Ducis Anno Domini Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Quarto, Indictione ſecunda. Ego Gabuardus Sacri Palatii Notarius interfui, & a Duce rogatus ſcripſi. Videmus inde Guelfos, Azonis Marchionis poſteros iura ſua in hereditatem Italicam ſolicite conſeruaſſe, & nunc demum Fulconis, Azone nati, heredes cum Henrico Leone de ea conueniſſe,

 bonis

bonis ad eam pertinentibus feudi nomine ab Henrico receptis. Anno deinde 1160. iidem Fulconis filii eadem bona, iisdem conditionibus collata, a Welſo Duce Spoleti, Henrici noſtri patruo, accepere. Et tunc *Eſtenſe* demum *caſtrum* iure poſſederunt, quod antea Principum ex Azone deſcendentium Germanicorum fuit.

§. 26.

Vetus Copia Chartae cuiusdam ad Clariſſimum Muratorium peruenit edita ab ipſo Antiq. Eſt. P. I. p. 287. & repetita a nobis (Probat. N. XXVI.) qua *Henricus diuina fauente gratia Dux Sanſoniae* Ripando Abbati Monaſterii Carcerum *in Paduano diſtrictu, Ateſtenſique territorio ſuo, Villam Cauallili* donat. Dicit in ea inter caetera *ad ſuum Dominium ſpectare multa oppida, caſtra atque rura, ſita in Marchia Triuiſana, & ea quae in Veronenſi diſtrictu habeat & plenarie poſſideat, videlicet Comitatum & terram ſuam Cauallili.* Sub finem additur: *Actum eſt hoc in Debone feliciter Eſten* . . . . [leg. *in Dolone Eſtenſi feliciter.*] *manibus Magiſtri Rambaldi Archidiaconi, Ruberti Canonici Sanſonienſis Eccleſiae* &c. *Ego Draſolphus Sanſonienſis, Notarius Welphonis Ducis, interſui, & praedicta omnia iuſſa legi & ſcripſi.* Omnia hic quadrant in Henricum Leonem Ducem. Solum initium Chartae dubium nobis mouere poſſet, niſi id a tranſcriptore corruptum eſſet. Eſt illud hoc: *In nomine Domini Dei & hominis, anno eiusdem ſecundum aſſumtam humanitatem poſt milleſimum centeſimum trigeſimum ſextum, quarto Idus Februarii, Indictione ſecunda.* Indictio huius anni eſt, & Henricus Leo nunc Dux Saxoniae, atque hoc tempore in Italia fuit, vt ex paulo ante adducta Charta perſpeximus. In anno itaque mendum cubat & pro 1136. ponendus eſt 1154. Notandum vero hinc, praeter bona Ateſtinis in feudum conceſſa, Henricum adhuc alia plura ſibi retinuiſſe, quae hic enumerat partim.

§. 27.

Ante abitum e Saxonia Henricus *Epiſcopatum Raceburgenſem* inſtaurarat, Euermodo ibi conſtituto Epiſcopo, cui (vt Helmoldus Lib. I. c. 78. habet) Henricus Comes Polaborum CCC. Manſos & decimas aſſignarat; & Adolfus Comes ſimili munificentia in Vicelinum Epiſcopum Aldenburgenſem vſus erat. Abſente vero Duce, Vicelinus deceſſit & in Falderenſi Eccleſia tumulatus eſt. Epiſcopalis vero electio Domino Duci reſeruata eſt. Erat tunc Brunſuici Sacerdos quidam *Geroldus* nomine, natione Sueuus & nobili Familia natus, Capellanus Ducis, Magiſter Scholae & Canonicus, propter vitae continentiam Principi familiaris, qui Monachicum habitum aſſumendi & Riddageshuſae (Helmoldus corrupte

rupte *Radegesbuſen* appellat) ſub Abbate Conrado viuendi propoſitum habebat. Vulgata tamen Vicelini morte, Clementia Ductrix Viro perſuaſit, vt in Wagriam iret, vbi petitione Principis ac Cleri plebisque concordi electione Epiſcopus conſtitutus eſt. Abſente vero Hartwico Archi Epiſcopo conſecrari non potuit. Is quippe Duci infenſus, dum abeſſet, inſidias machinabatur, &, communitis aduerſus eum caſtris ſuis Stada, Vorda, Horeburgo & Friburgo, ad colloquium prorepſit, quod in ſaltu Bohemico Orientalis Saxoniae Principes, & aliqui de Bauaria, conſpirationis, vt ferebatur, gratia condixerant. Geroldus itaque in Saxoniam perrexit & Praeſulem tandem Merſeburgi inuenit, qui tamen conſecrationem ei pro tempore quidem denegabat. Cauſam Albertus Stadenſis hanc profert: *Hartwicus Archi Epiſcopus ipſum noluit conſecrare, quia quaſi per Ducem & Duciſſam electus erat. Nam Archi Epiſcopus & Dux minus ſibi fauentes erant ad inuicem, quia Dux bona Epiſcopalia ad libitum occupans, quaſi pro Capellano Archi Epiſcopum reputabat.* Epiſcopalia illa bona a Duce occupata ſine dubio erant ea, quae Rudolfus vltimus Comes Stadenſis reliquerat, & Dux ſolo Caſtro Stadenſi excepto, ad ſe traxerat, vt antea vidimus. Re intellecta, Dux Geroldum ad ſe in Longobardiam vocat, vt Romam cum ipſo procederet. Non igitur ſine vitae periculo per loca infeſta ad Ducem tetendit, quem Anno 1155. Helmoldo teſte, cum Rege in obſidione Terdonae inuenit. (o) Ibi enim, vt Guntherus in Ligurino Lib. II. canit,

Saxonas indomitas & Norica caſtra Superbus
Aſperat Henricus, perituraque moenia terret.

Vbi nota, *Superbum* hic pro *magnanimo* vel *magnifico* poni, nec ideo iniuriam inferri patri Ducis noſtri, ſi is quoque *Superbus* cognominetur. Otto Friſingenſis de Geſt. Frid. Lib. II. c. 16. meminit, caſtra Ducis ex occidentali ciuitatis parte fuiſſe in ſuburbio, quod meridiem verſus Apenninum reſpicit. Morena vero pag. 15. indicat, ſuburbium hoc ſiue Burgum cum ſuis Saxonibus Henricum cepiſſe, & comburendo penitus deſtruxiſſe. Terdona capta, Henricus cum Rege Romam perrexit, Geroldum ſecum ducens, vt eum Domino Papae Hadriano offerret. Friderico in Imperatorem rite coronato, Romani absque auctoritate ſua hoc peractum indignabantur, & ideo tumultuantes, impetu in vrbem Leoni-

o) quam praeceſſit excidium vrbis *Aſtenſis*, de quo Otto Friſing. l. c. cap. 15. Hoc in loco Henricus Legatum Monaſterii Itingenſis excepit, quem remiſit cum literis, quibus Miniſterialibus ſuis facultatem dat, libere donationes faciendi in gratiam dictae Eccleſiae. Chartam ex tabulario San-Gallenſi erutam Dn. Herrgott Habsburgicis ſuis inſeruit. Vnde nos eam repetiimus Probat. N. XXVII.

Leoninam facto, quotquot de Friderici exercitu illic offenderant, obtruncarant. Et maiora auſi eſſent, niſi cum Caeſare Henricus Dux iis occurriſſet. *Illic*, ait Helmoldus Lib. I. c. 80. *Dux noſter fortiter dimicauit in capite. Romani victi paſſi ſunt ruinam magnam. Poſt factam victoriam magnificatum eſt nomen Ducis, ſuper omnes, qui erant in exercitu. Volens ergo Dominus Papa honorare eum, transmiſit ei munera, praecepitque nuncio, dicens: Dic ei, quia craſtina, ſi Dominus voluerit, electum eius conſecrabo. Et laetatus eſt Dux de promiſſione. Mane ergo facto, fecit Dominus Papa publicam ſolemnitatem, & conſecrauit nobis Epiſcopum cum magna gloria.*

§. 28.

Reliqua in expeditione hac Italica a Friderico Imperatore Duceque Henrico glorioſe geſta, tanquam ab inſtituto noſtro aliena, praetermittimus. Imperator fidem in ſe Henrici teſtimoniis non vnis ſenſerat egregiam. De gratia itaque ei referenda ſolicitus, *conſummato*, vt cum Ottone Friſingenſi Lib. II. c. 27. loquar, *feliciter viae labore ad familiaria remeans domicilia*, (p) *alloquitur in confinio Ratiſponenſium patruum ſuum Henricum Ducem, vt ei de transactione facienda cum altero Henrico, qui iam (vt dictum eſt) Ducatum Baioariae iudicio Principum obtinuerat, perſuaderet. Cui dum ille tunc non acquieſceret, iterum diem alium, quo eum ſuper eodem negocio per internuncios conueniret, in Baioaria verſus confinium Boëmorum conſtituit. Quo Princeps veniens, Labezlaum Ducem Boëmiae, Albertum Marchionem Saxoniae, Hermannum Palatinum Comitem Rheni, cum aliis viris magnis obuios habuit.* Poſt haec medio menſe Octobri Imperator, vt iterum Otto Friſingenſis cap. 28. ait, *Ratisbonam Norici Ducatus Metropolim, curiam celebraturus ingreditur, habens ſecum Henricum, Henrici Ducis filium, in poſſeſſionem eiusdem Ducatus mittendum. Sedente igitur*, ſic pergit Otto, *ibi in publico conſiſtorio Imperatore, iam ſaepe nominatus Henricus Dux poſſeſſionem ſuam patrumque ſuorum recipit ſedem. Nam & proceres Baioariae hominio & ſacramento ſibi obligantur, & ciues non ſolum iuramento, ſed etiam, ne vllam vacillandi poteſtatem haberent, vadibus obſirmantur.* Necdum tamen Henricus Auſtriacus flecti pote-

p) Wibaldus Imperatori fauſtum reditum gratulatus, ſimul nuntiat, Widekindum de Swalenberg Theodoricum Comitem Huxarienſem, qui in expeditione Italica ſtrenue & fideliter Caeſari ſeruierit, ſedentem in iurisdictione ſua, occidiſſe, & Comitem de Tecklenburg Monaſterio vim inferre. (Probat. N. XXVIII.) Cumque Fridericus Henrico noſtro mandaſſet, vt de homicidio illo cognoſceret; Henricus Imperatori anno ſubſequenti ſignificauit, quam poenam homicidae dictauerit, (Probat. N. XXIX.) ſimulque Wibaldum certiorem reddidit, ſe facturum, vt Widekindus mulctam perſoluat. (Probat. N. XXX.)

Digitized by Google

poterat, vt hiſce conſentiret. Vnde Imperator Anno 1156. habito Wormatiae Principum Conuentu, denuo in Bauariam reuerſus eſt, & Pentecoſtes Feſto apud Ottonem Palatinum celebrato, *non longe a ciuitate Ratisbona*, teſte Ottone Friſingenſi Lib. II. c. 29. *patruum ſuum Henricum Ducem alloquens, ad transactionem cum altero itidem Henrico faciendam tunc demum inclinauit. Praeponebat hoc Princeps omnibus euentuum ſuorum ſucceſſibus, ſi tam magnos ſibique tam affines Imperii ſui Principes, ſine ſanguinis effuſione, in concordiam reuocare poſſet.* Ex eo ſtatim tempore Henricus in literis Imperatoriis, quod antea non conſueuerat, ab vtroque Ducatu nominatur. Teſtem cito Diploma Friderici Imperatoris, quo Bergomenſi Eccleſiae bona confirmantur. Datum eſt id hoc anno in Comitiis *Wirceburgi* 15. Kal. Iulii, & inter teſtes ſaeculares primo loco ponitur Henricus *Dux Saxoniae & Bauariae.* Poſt haec, *mediante iam Septembre*, (verba ſunt Ottonis Friſingenſis Lib. II. c. 32.) *Principes Ratisbonae conueniunt, ac per aliquot dies praeſentiam Imperatoris praeſtolabantur. De hinc Principe patruo ſuo in campum occurrente, manebat enim ille ad duo Teutonica miliaria ſub papilionibus, cunctis proceribus, virisque magnis accurrentibus, conſilium quod iam diu ſecreto retentum celabatur, publicatum eſt. Erat autem haec ſumma* (*vt recolo*) *concordiae; Henricus maior natu Ducatum Baioariae, per VII. vexilla reſignauit; Quibus minori traditis, ille duobus vexillis Marchiam Orientalem cum Comitatibus ad eam ex antiquo pertinentibus, reddidit. Exinde de eadem Marchia cum praedictis Comitatibus, quos tres dicunt, iudicio Principum* Ducatum *fecit: eumque non ſolum ſibi, ſed & vxori cum duobus vexillis tradidit, neue impoſterum ab aliquo ſucceſſorum ſuorum mutari poſſet, aut infringi, Priuilegio confirmauit. Acta ſunt haec Anno Regni eius V. Imperii II. Itaque ad ciuitatem, iuxta quod praeoptauerat, inter patruum & auunculi ſui filium terminata ſine ſanguinis effuſione controuerſia laetus rediit, ac ſtatim ſequenti die, in publico reſidens conſiſtorio, ne Baioaria vlterius totius Regni quietis immunis eſſet, treugam proxima Pentecoſte ad annum iurari fecit. Porro tanta ab ea die vsque in praeſentiarum toti tranſalpino pacis iocunditas arriſit imperio, vt non ſolum Imperator & Auguſtus, ſed & pater patriae iure dicatur Fridericus.* Helmoldus eadem de re Lib. I. c. 84. *Dux noſter*, ait, *Henricus adiit curiam Ratiſponae ad recipiendum Ducatum Bauariae. Siquidem Fretbericus Caeſar eundem Ducatum patruo ſuo abſtulit, & reddidit Duci noſtro, eo quod fidelem eum in Italica expeditione & caeteris negotiis regni praeſenſerat. Et creatum eſt ei nomen nouum HENRICVS LEO,* Dux Bauariae & Saxoniae. Chronicon Auguſtanum a Frehero editum: *Henrico etiam Duci*

Saxoniae, filio illius Heinrici Ducis Bauariae a Conrado anteceſſore ſuo eiecti a Bawaria, conſilio & rogatu Principum, Ducatum paternum reſtituit Noricorum, [Fridericus] *& Heinricum patruum ſuum Marchionem Auſtriae, tunc Ducem Bauariae, ab eodem Ducatu remouit. Et quia eiusdem Marchionis magna nobilitas & multa exigebat honeſtas, vt nomen Ducis non perderet, &, vt Duces Bauariae minus deinceps contra Imperium ſuperbire valerent, Imperator de voluntate & conſenſu Principum in Curia Ratiſponae habita, Marchionem Auſtriae iurisdictione Ducis Bauariae eximendo, & quosdam ei Comitatus de Bauaria adiungendo conuertit in Ducatum, iudiciariam poteſtatem Principi Auſtriae ab Anaſo vsque ad ſyluam prope Patauiam, quae dicitar Rotenſela protendendo. Nam hucusque quatuor Marchiones Auſtriae & Styriae, Iſtriae, Chambenſis, qui dicebatur de Vohburg, euocati ad celebrationem Curiae Ducis Bauariae veniebant, ſicut hodie Epiſcopi & Comites ipſius terrae facere tenentur.* Sed lubet ipſum Imperatorem audire. Emiſit is in Comitiis Ratisbonenſibus XV. Calendis Octobris gemina Edicta, (q) quorum prius Henrico noſtro, alterum vero Henrico Auſtriaco exhibitum fuiſſe videtur. In priori ſic loquitur: *In curia generali Ratiſponenſi, in natiuitate St. Mariae virginis celebrata, in praeſentia multorum religioſorum & Catholicorum Principum, litem & controuerſiam, quae inter dilectiſſimum patruum noſtrum Hainricum, Ducem Auſtriae, & cariſſimum noſtrum nepotem, Hainricum Ducem Saxoniae, diu agitata fuit, de Ducatu Bauariae, hoc modo terminauimus; quod Dux Auſtriae nobis reſignauit Ducatum Bauariae, quem ſtatim in beneficium conceſſimus. Dux autem Bauariae reſignauit nobis Marchiam Auſtriam cum omni iure ſuo, & cum omnibus beneficiis, quae quondam Marchio Luipoldus habebat a Ducatu Bauariae. Ne autem in hoc facto minui videatur honor & gloria dilectiſſimi patrui noſtri, de conſilio & iudicio Principum, Wladizlao illuſtri Duce Boëmiae ſententiam promulgante, & omnibus Principibus approbantibus, Marchiam Auſtriae in Ducatum commutauimus, eundem Ducatum cum omni iure praefato, patruo noſtro Heinrico, & praenobiliſſimae vxori ſuae Theodorae in beneficium conceſſimus, perpetuali iure ſancientes, vt ipſi & liberi eorum poſt eos indifferenter, filii & filiae, eundem Ducatum Auſtriae haereditario iure a Regno teneant & poſſideant: Si autem praedictus Dux Auſtriae, patruus noſter, & vxor eius absque liberis deceſſerint, libertatem habeant eundem Ducatum affectandi, quicunque voluerint: Statuimus quoque, vt nulla magna vel parua perſona in eiusdem Ducatus regimine, ſine Ducis poſſeſſione vel permiſſione aliquam iuſtitiam praeſumat exercere. Dux vero Auſtriae de Ducatu ſuo aliud ſeruitium non det Im-*

q) Id ſecus ſe habere, mox pateſiet.

Digitized by Google

Imperio, niſi quod ad Curias, quas Imperator praefixerit in Bauaria euocatus veniat, nullam quoque expeditionem debeat, niſi forte quam Imperator in Regna vel prouincias Auſtriae vicinas ordinauerit. In altero Edicto Imperator quidem eadem ſere repetit, ſed addit tamen quaedam honori & decori Ducibus Auſtriae futura: *Nos*, inquit, *in generali noſtra Curia Ratiſponae in Natiuitate S. Mariae virginis celebrata, controuerſiam quae inter patruum noſtrum, Heinricum Ducem Bauariae, & nepotem noſtrum, Heinricum Ducem Saxoniae, diu agitata fuit, ſuper Ducatu Bauariae & ſuper Marchia a ſuperiori parte fluminis Anaſi, hoc modo terminauimus; quod Dux Bauariae reſignauit nobis Ducatum Bauariae & dictam Marchiam, quos tenebat. Qua reſignatione facta, mox eumdem Ducatum Bauariae in beneficium contulimus Duci Saxoniae. Praedictus vero Dux Saxoniae ceſſit & renuntiauit omni iuri & actioni, quas habebat ad dictam Marchiam cum omnibus ſuis iuribus & beneficiis. Ne autem in hoc facto honor & gloria patrui noſtri aliquatenus minuatur, Vladislao Duce Bohemiae ſententiam promulgante, quam ceteri Principes approbabant, Marchionatum Auſtriae & dictam Marchiam ſupra Anaſum commutauimus in Ducatum; eiusdemque Ducatum contulimus Heinrico praedicto patruo noſtro, ſuae vxori Theodorae & liberis eorumdem. Et ob ſingularem fauorem, quo erga dictum patruum noſtrum Heinricum Auſtriae Ducem, eius conthoralem Theodoram & eorum ſucceſſores, nec non erga terram Auſtriae, quae clypeus & cor Sacri Romani Imperii eſſe dignoſcitur, afficimur, dictis coniugibus, eorum in Ducatu ſucceſſoribus, nec non praetactae terrae Auſtriae ſubnotatas conſtitutiones, conceſſiones & indulta auctoritate Imperiali donauimus & donamus. Primo quidem quod Dux Auſtriae non quibusuis ſubſidiis & ſeruitiis tenetur, nec eſſe debet obnoxius ſacro Romano Imperio, nec cuiquam alteri, niſi ea de ſui arbitrii libertate fecerit; eo excepto dumtaxat, quod Imperio ſeruire tenebitur in Hungaria XII. viris armatis per menſem vnum ſub expenſis propriis; & in eius rei euidentiam, vt Princeps Imperii, agnoſcatur. Nec pro conducendis feudis requirere ſeu accedere debet Imperium extra metas Auſtriae, verum in terra Auſtriae ſibi debentur ſua fenda conferri per Imperium, niſi vltro de ſua fecerit voluntate. . . Et ſi Dux Auſtriae ſine herede filio deceſſerit, idem Ducatus ad ſeniorem filiam, quam reliquerit, deuoluatur. Inter Duces Auſtriae, qui ſenior fuerit, dominium habeat dictae terrae. Ad cuius etiam ſeniorem filium iure hereditario deuoluatur: ita tamen quod ab eiusdem ſanguinis ſtipite non recedat, nec Ducatus Auſtriae vllo vnquam tempore diuiſionis alicuius recipiat ſectionem. . . . Dux Auſtriae Principali indutus veſte, ſuperpoſito pileo Ducali, circumdato ſerto pinnito, baculum habens in manibus, equo inſidens, & ſuper more aliorum Prin-*

Principum Imperii conducere ab Imperio feuda ſua debet. Magnus Procerum numerus vtrique edicto ſubſcripſit. Prius editum eſt ab Hundio Metropol. Salisburg. T. I. p. 77. alterum produxit Miraeus (r) in notitia Eccleſiarum Belgii Cap. CLIX. *Sertum pinnitum*, quod Imperator in hoc diplomate pileo Ducali ſuperponi Auſtriae Duci Henrico permittit, á Saxoniae Ducibus quoque vſurpatum ſupra vidimus in numo Bernhardi Ducis Saxoniae, Hermanno Billingo nati, & index id eſt regiae pene poteſtatis, aliisque Ducibus nequaquam conceſſae.

§. 29.

Henricus Ratisbona redux, *Bremam* Calendis Nouembris venit, offenſusque a Friſiis, qui Ruſtri dicebantur, comprehendi fecit, quotquot ad forum venerant, & ſubſtantias eorum diripi. Chronicon Montis Sereni & Albertus Stadenſis produnt, eum Friſiam hoſtiliter ingreſſum *inacte*, vt loquuntur, *reuerſum eſſe.* Si quid tamen video, non erat illi nunc animus Friſios domandi, ſed inſtituerat potius vindictam de Hartwico inimico iurato ſumendi. Occaſionem praebebat neglecta ab Archi Epiſcopo expeditio Italica, (s) quam iuramento tamen Imperatori promiſerat. *Vnde etiam*, vt Helmoldus Lib. I. c. 82. ait, *Legatus Imperatoris veniens Bremam, occupauit omnes curtes Epiſcopales, & quaecunque reperiſſet, addidit fiſci iuribus. Idem factum eſt Othelrico Halberſtadenſi Epiſcopo.* Chronicon Montis Sereni & Albertus Stadenſis, non admodum aequi in Henricum, aſſerunt, Ducem *vrbes & beneficia, quae voluerit*, Archi Epiſcopo *extorſiſſe.* Sed quaenam illa fuerint non addunt. Sueno-

r) Non diuerſa ſunt haec diplomata, ſed vtrumque eſt mutilum, quia verum diploma numquam editum eſt integrum, & forte autographum non amplius exſtat. Fridericus II. Anno 1245. confirmauit Friderici I. diploma, idque confirmationi ſuae ad verbum inſeruit. Hoc inſtrumentum Friderici II. Anno 1437. Albertus Dux Auſtriae Vindobonnae Leonhardo Patauienſi Epiſcopo autographum exhibuit, petens, vt ſeruatis ſeruandis id ſibi ad certos vſus tranſcriberet. Quod apographum Epiſcopi in Probationibus noſtris habetur (N. XXXI.) Vt adeo ob duo mutila apographa vnius eiusdemque inſtrumenti fingere duo diplomata diuerſa non ſit neceſſe.

s) Recte diuinanit Dn. Eccardus. Otto enim Friſing. Lib. II. de geſtis Friderici I. c. 12. memorat, Fridericum Regem, cum Italiam intraſſet, menſe Nouembri 1156. in campo Roncaliae ſuper Padum non longe a Placentia cum exercitu reſediſſe, & militem luſtraſſe, abſentesque ſine cauſa *in feudis condemnaſſe* h. e. feudis ſuis multaſſe. *Hunc morem Principe ſecuto*, pergit Otto, *non ſolum laicorum feuda, ſed & quorumdam Epiſcoporum, veluti Hartwici Bremenſis & Vlrici Halberſtadenſis Regalia, perſonis tantum, quia nec perſonis ſed Eccleſiis perpetualiter a Principibus tradita ſunt, abiudicata fuere.* Hoc eſt, Imperator ob hanc feloniam non ipſis Eccleſiis, ſed Epiſcopis Regalia ademit, reſtituenda Eccleſiis, ſimul atque alium nanciſcerentur Epiſcopum, vel praeſens Epiſcopus mulctam ſolueret, Regaliaque de nouo redimeret. Nuſpiam legimus, Epiſcopos vel alios Imperii Principes huic legi repugnaſſe, veluti in Italia & Longobardis latae: memores quippe veteris illius: *Vbi Caſar, ibi Roma.*

Digitized by Google

Suenonem quoque Daniae Regem expulſum hoc anno reſtituiſſe Henricum Ducem Chronicon Montis Sereni ad hunc annum notat. Dux tandem cum Geroldo Epiſcopo Aldenburgenſi *Brunſuigam*, Helmoldo teſte, reuerſus eſt, ibique natalem Domini celebrauit.

§. 30.

Immenſa opum vis impenſa erat expeditioni Italicae, vnde Anno 1157. vndique pecuniam, praeſertim ex Slauis, ſub onerum pondere pene ſuccumbentibus, congeſſit, indice Helmoldo, qui rebus interfuit. De conuerſione tamen eorum ſerio quoque cogitatum eſt a Geroldo Epiſcopo, & Brunone eius Vicario. Egit quoque Dux cum Adolfo Comite, vt trecentos manſos in Epiſcopii Aldenburgenſis dotem offerret; quod tamen inuitus executus eſt. Tradita tunc ſunt Epiſcopo in poſſeſſionem loca *Vtine* & *Gamale*. Vtinae Geroldus mox ciuitatem & forum aedificauit, domumque in qua habitaret. Bono omine hoc factum eſt, & *Vtina* nunc etiam ſedes eſt Epiſcopi Lubecenſis. Praedio Buzuae quoque adiectae villae *Gothesuelde* & *Wobizae*. Recepit quoque Geroldus in Aldenburgo praedium commodum & foro adiacens, ibique Eccleſiam egregiam conſtruxit. Wagria a Slauis tunc Saxonum coloniae relicta; vti haec & plura alia fuſius exponit Helmoldus. Raceburgenſi quoque Eccleſiae trecentos manſos donauerat Henricus, quos Euermodo Epiſcopo & Canonicis loci huius Adrianus Papa Anno 1157. XII. Kalendas Februarii *precibus chariſſimi filii ſui Henrici Bauariae & Saxoniae Ducis, in cuius fundo praedicta Eccleſia fundata erat*, inclinatus, peculiari bulla confirmauit, cuius authenticum adhuc reſtat.

§. 31.

Fortuito caſu ciuitate Lubecenſi incendio conſumpta, mercatores ibi reſidui ſupplices fiebant Henrico Duci, vt eos duceret in locum, vbi negotiis ſuis tuto vacare poſſent. Cum igitur Comes Adolfus Henrico portum & inſulam Lubecenſem concedere nollet; Dux non longe a Lubeca ſuper fluuium Wochenizae in terra Raceburgenſi nouam ciuitatem aedificauit *Leuenſtadii* nomine. *Sed cum locus ille*, inquit Helmoldus Lib. I. c. 85. *minus eſſet idoneus & portu & munimento, nec poſſet adiri niſi nauibus paruis, Dux iterato ſermone coepit conuenire Comitem Adolfum ſuper inſula Lubicenſi & portu, multa ſpondens, ſi voluntati ſuae paruiſſet. Tandem victus Comes fecit, quod neceſſitas imperabat, & reſignauit ei caſtrum & inſulam. Et tunc, iubente Duce, reuerſi ſunt mercatores cum gaudio, deſertis incommoditatibus nouae ciuitatis, & coeperunt reaedificare Eccleſias & moenia ciuitatis. Et transmiſit Dux nuncios ad*

ciuitates & regna Aquilonis, Daniam, Suediam, Norwegiam, Ruziam, offerens eis pacem, vt haberent liberum commeatum adeundi ciuitatem ſuam Lubeke. Et ſtatuit illic monetam, & teloneum & iura ciuitatis honeſtiſſima. Ab eo tempore proſperatum eſt opus ciuitatis, & multiplicatus eſt numerus accolarum eius. En! igitur nobiliſſimum maris Baltici Emporium ab Henrico Duce inſtitutum, quod nauigationibus in vniuerſam Europam & Graeciam quoque ſiue Ruſſiam, Graecorum ritus ſacros obſeruantem, inter reliquas Imperii vrbes eminuit. Conceſſa iura & modum Magiſtratum vrbis eligendi, vt & formam iudicii *Echteding* dicti Dux noſter peculiaribus literis conſignauit, quas Hiſtorici Lubecenſes recenſent. Cathedralis quoque Eccleſiae auctor fuit.

§. 32.

Imperatorem Anno 1156. natalem Domini Magdeburgi celebraſſe (t) Radeuicus memoriae prodit; primo tamen Anni 1157. die, ſiue ipſis Ianuarii Calendis *Goslariae* is fuit magno Principum numero ſtipatus. Iniit ibi permutationem bonorum (u) quorundam cum Henrico Duce. Diploma inde confectum exhibemus in Probat. N. XXXIV. Originale eiusdem *aurea bulla* inſigne conſeruatur Brunſuici in Archiuio Ducum communi, & Imperator in eo: *Dilectiſſimus*, inquit, *nepos noſter Heinricus illuſtris Bauariae & Saxoniae Dux haereditatem vxoris ſuae Clementiae, quam habebat in Sueuia, caſtrum videlicet* Baden, & centum miniſteriales, & quingentos manſos *nobis in proprium contradidit, hac videlicet ratione, vt nos quaedam regni praedia ex vicinitate ſibi magis competentia, proprietatis donatione in eum conferremus. Verum quia Imperatoriae Maieſtatis eſt rempublicam ſemper augere, & nunquam alicuius rei vel perſonae gratia vel in aliquo minuere, tam ex conſilio, quam ex*

t) At menſe Maio huius anni in caſtro Imperiali Buomeneburg haud procul Muhlhuſa olim ſito verſatus eſt. Ibi enim rogatus ab Henrico Leone Coenobium Hildewardeshuſenſe, quod Conradus Rex Imperio adſcriptum iuerat, in integrum reſtituit, (Probat. N. XXXII.) Miniſterialibus eius, qui ſemet Miniſteriales Imperii gerere geſtiebant, rurſus Coenobio delegatis. (Probat. N. XXXIII.) Vtrumque diploma autographum in tabulario Hanouerano ſupereſt.

u) Recuperata Bauaria, Henricus Leo omnem curam eo intendit, vt toto ſaltu Hercyniae, metallorum venis diuite, ſolus potiretur. Nerui enim atque artus imperii numi ſunt, quorum copiam iam tum fodinae Hercyniae effundebant. Caſtrum *Scartfeld* in ius Imperii ſub Lothario tranſiiſſe vidimus. Nunc Henricus illud vna cum *Herzberga, Poleda* & *Burchdorfio* ad ſe transfert. Quibus vt altera pars circa Oſterodam aliqua ſpecie iuris addi poſſet, obtentui ſumta eſt vetus quaedam tranſactio, tempore Conradi Salici inita, & in fauorem Henrici Leonis detorta. Hae conuentiones Henricum opibus diuitem effecerunt, & ſuperueniens priuilegium de inſtituendis per Slauiam Epiſcopis, Regibus cum aequiparauit. Vt adeo nunc quidem fortunis eius nihil defuerit, quam Goslaria, & prudentia bene parta bene tuendi,

Digitized by Google

ex iudicio Principum, Alberto Marchione ſententiam promulgante, & caeteris Principibus collaudantibus, quaedam allodia noſtra, quae a Comite Rabodone tum per paternam haereditatem, tum per pecuniam non paruam comparauimus, in ius & proprietatem regni legitime contulimus, vt aliqua de praediis Imperii in praedictum cariſſimum nepotem noſtrum licentius transfundere poſſemus. Ea itaque praedia, quae nos Regno contulimus, propriis duximus exprimenda vocabulis. Caſtrum videlicet Liznich *cum beneficio* Heinrici Burchgrauii, *& cum omnibus reditibus ſibi pertinentibus; Caſtrum* Colidiz, *&* Temonem *miniſterialem noſtrum, cum liberis ſuis, & cum omnibus praediis & beneficiis ſuis, quorum ſumma in XX. villis conſiſtit; Munitionem quoque* Luzeche *& forum cum ceteris redditibus attinentibus; Curtem* Zoleren *cum foro & ceteris redditibus ad illam pertinentibus; Montem* Glizberch, *& redditus ad illum pertinentes; Montem* Genzege; *Caſtrum* Morungen *cum redditibus ſibi attinentibus. Collatis itaque his praediis Regno, ſicut praedictum eſt, ex conſilio & iudicio Principum pro his iure concambii ademimus Regno praedia haec, & dilectiſſimo nepoti noſtro, Heinricho Duci Bawariae & Saxoniae in proprium perpetualiter tradidimus. Caſtrum videlicet* Hirzesberch, *& Caſtrum* Scartuelt; *Curtem quoque* Polede *cum omnibus pertinentiis ſuis, praeter Wiltpan, quem in foreſto Harz a nobis in beneficio habet;* (x) *Adelhardum quoque de* Burchdorf, *pro quo ſuperius Temonem de Colidiz Regno contulimus, eidem nepoti noſtro cum liberis & allodio & beneficio, quod a Regno habet, tradidimus.* Cernimus hinc *Badam* olim ad Zaeringios pertinuiſſe, quorum etiam agnati ſunt ſic dicti Marchiones Badenſes, hancque a Clementia dotis loco Henrico allatam, ſed ab eo Imperatori nunc traditam. (y) Intelligimus, pro ea Duci collata Caſtra *Hertz-*

x) Haec verba clare oſtendunt, mox ſequens diploma, quo foreſtum in montanis Harz Henrico & vtriusque ſexus poſteris eius in feudum datur, huic eſſe praemittendum.

y) Imperator eam deinceps Marchioni dedit, qui inde Badenſis eſt appellatus. Caſtro *Baden* poſtea Fridericus II. addidit ciuitatem *Ettelingen* & ciuitatem *Durlac*, teſte diplomate dato Parmae Anno 1234. menſe Nouembri Indictione VIII. Scripſit celeberrimus Schuzfleiſchius de rebus Badenſibus diſſertatiunculam; ſed has origines non attigit, neque alibi eas a quoquam proditas reperio. Collegerat olim Chriſtianus Vrſtiſius, Baſileenſis, is, cui duo debemus Scriptorum rerum Germanicarum praeclara volumina, magnam diplomatum ad res Rhenanas ſpectantium farraginem. Horum excerpta MS. in manibus habeo; ſed tanta incuria excerpta, vt corpus decretalium, quod alteram iuris Canonici partem conſtituit, inutile nobis futurum eſſet, ni compilatores eius maiorem in excerpendis Pontificum reſcriptis accurationem adhibuiſſent. Specimen dabimus in diplomate modo indicato. *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Ieruſalem & Siciliae Rex. Per praeſens ſcriptum notum fieri volumus &c. quod olim praeſentes in Alemannia meminimus obligaſſe Hermanno Marchioni de Baden, fideli noſtro, ciuitates Louffen, Lunesheim & Eppingen* &c. *& de-*

diſſe

Hertzbergam & *Schartzfeldam*, *curtem Poledam*, vbi Mathildis Regina, Henrici Aucupis vxor, olim inſigne Monaſterium fundauerat, *Burchtorſiumque*, quae loca eo ex tempore Ducum noſtrorum propria, &, vt ita dicam, allodialia fuerunt. Errant igitur craſſiſſime nuperi quidam Scriptores, qui Hertzbergam Abbatiae Quedlinburgenſis feudum eſſe putauerunt. Erneſtus quidem Dux lineae Grubenhagenſis Anno 1563. inſciis reliquis Ducibus, per errorem ab Anna Abbatiſſa Quedlinburgenſi Hertzbergam in feudum recepit, ſeductique Quedlinburgenſi neſcio quo Regiſtro feudorum, fratres eius Wolfgangus & Philippus Anno 1575. idem fecerunt. Sed ſtrenue contradictum eſt his auſis a caeteris Ducibus Brunſuico-Luneburgenſibus, & Rudolfus tandem II. Imperator pro Ducibus ſententiam tulit, & peculiaribus litteris Auguſto Saxoniae Electori & Aduocato Quedlinburgenſi iniunxit, vt Abbatiſſam ab errore reduceret, eidemque indicaret, Hertzbergam antiquam Ducum poſſeſſionem, & poſt primi Ducis Ottonis tempora feudum Imperii, nullatenus vero Quedlinburgenſis Abbatiae eſſe.

§. 33.

Eodem vero Kalendarum Ianuarii die aliud quoque Diploma *aurea bulla* confirmatum Duci noſtro exhibuit, (Probat. N. XXXV.) eique Comitatum Vtonis & foreſtum in Montanis Harzicis donauit. *Dilectiſſimus*, inquit, *nepos noſter Henricus Dux Bawariae & Saxoniae, adiens Maieſtatem noſtram, obtulit nobis priuilegium praedeceſſoris & progenitoris noſtri diuae memoriae* Cuonradi Imperatoris, *in quo continebatur, quod Comes quidam olim* Vto *nomine, praedium vxoris ſuae Beatricis,* Niordinge *nominatum, ſitum in pago* Nikkerga, *& item aliud praedium ſuum,* Holzhuſen *nominatum, ſitum in pago* Heſſiga, *in Comitatu quondam Wernerii Comitis, cum omnibus pertinentiis ſuis, praefato* Imperatori Cuonrado *in proprium donauerit, & qualiter* Imperator *e contra, praeter multa praedia, quae praefato Comiti Vtoni & vxori eius*

diſſe in feudum ciuitatem Ettelingen, & ciuitatem Durla in proprietatem, pro bonis &c. *Ad cuius rei memoriam praeſens ſcriptum fieri, & bulla aurea typario Maieſtatis* &c. *Datae apud Parmam Anno Dominicae Incarnationis 1234. menſe Nouembri. Indictione VIII.* Hic operae pretium fuerat nominare bona illa, pro quibus Ettelingen & Durlacum data ſunt. De quibus infra coniecturandi locus occurret, vbi de filiabus Henrici Ducis Saxoniae & Comitis Palatini ad Rhenum dicendum erit. Interim notes velim, Durlacum quoque Ducum Zaeringenſium poſſeſſionem fuiſſe: quod innuit Vrſpergenſis ſub Henrico VI. p. 233. vbi Bertoldum Ducem Zaringiae, in oppido quodam, Durlaich nomine, manentem ſeu habitantem obiiſſe tradit. Vtinam igitur doctus in Germania vir hoc ſibi negotium ſumere vellet, vt fata, origines atque generationes praeclarae huius in hiſtoria patria Familiae ope Scriptorum & diplomatum fide dignorum e tenebris erueret & in meliore luce collocaret.

Digitized by Google

eius Beatrici iure concambii contulerit, quod plenius inibi eſt inſertum, duo eiusdem Comitis Vtonis beneficia, Comitatum ſuum videlicet, & foreſtum in montanis, *quae dicuntur* Harz, *ſibi ſuaeque vxori Beatrici, eorumque poſt ſe* vtriusque ſexus haeredibus, *in beneficium perpetualiter tradiderit & ſtabiliuerit, eo videlicet tenore, vt quicunque ſuorum vtriusque ſexus haeredum praedium illorum in loco, qui* Einbike *vocatur, obtineret, is quoque praedicta duo beneficia,* Foreſtum *videlicet &* Comitatum *praedicti Comitis Vtonis in* Lisga, *tam a ſua, quam ab omnium ſucceſſorum ſuorum Regum & Imperatorum donatione, ſine omni contradictione, iure beneficiali poſſidere deberet. Verum quia ſupra nominatus nepos noſter Henricus, Dux Bauwariae & Saxoniae, praetaxatum praedium in* Einbike *ſitum haereditario iure nunc poſſidet, & a praefato Comite Vtone & vxore eius Beatrice* conſanguinitatis *ſucceſſione originem ducere perhibetur, ex Diui Patris & anteceſſoris noſtri* Cuonradi Imperatoris *inſtitutione, quae tanquam diuinum oraculum inuariabilis & perennis ſtabilitatis meretur priuilegium, Nos eius veſtigiis inhaerentes, ſaepe dicto nepoti noſtro, Heinricho Duci, haeredi videlicet Comitis Vtonis,* Comitatum *ſuum &* Foreſtum *in montanis* Harz, *lege in perpetuum valitura, in beneficio, conceſſimus, & omni corroborationis noſtrae munimine confirmauimus; vt tam ipſe, quam omnes* vtriusque ſexus *ſui haeredes, eadem ſaepe dicta beneficia,* Comitatum *videlicet &* Foreſtum *in montanis* Harz *perhenni immutabilitate teneant & poſſideant.* Autographum huius Diplomatis in Archiuio Ducum communi Brunſuici extat. Praedium *Niordinge* hic nominatum eſt *Northen*, (z) Northemio non procul ſitum, & Moguntinae nunc ditionis. *Holzhuſa* adhuc in Haſſia ſupereſt. *Eimbecam* vero cernimus hic hereditario iure poſſeſſam ab Henrico Leone. Ingentem itaque errorem committunt Letznerus,

z) Caue credas. Pagus *Nikerga*, in quo *Niordinge* ſitum eſſe dicitur, ſatis oſtendit, in Sueuia, & quidem ad Nicrum fluuium hoc praedium Niordinge eſſe quaerendum. Vbi & reuera reperitur, in dextra fluminis Nicri ripa inter Eslingam & Tubingam vrbs *Nurtingen* ſeu *Nierting*, vt hodie vocatur, habens arcem Ducis & pontem lapideum, quo fluuius tranſitur. Opus Gottwicenſe de pagis Germaniae in recenſendis villis pagi *Neckergowe* nullam Niordingae mentionem habet. Contra locum *Hiordinge* ad pagum *Rittega* refert, quia in Maderi antiquit. Brunſuic. p. 118. vbi hoc diploma extat, pro *Niordinge* in pago *Nikkerga*, vti autographum habet, vitioſe legitur *Hiordinge* in pago *Rittega*. Ex eo autem, quod praedium Niordinge in pago Nikkerga Comes Vdo Saxonicus in poteſtate habuit, conſequitur, Beatricem eius Coniugem ortu Sueuam fuiſſe, & marito hoc praedium in dotem attuliſſe, qui illud, quippe longe diſſitum, Imperatori tradidit, & pro eo Comitatum in pago Liſga cum foreſto pro ſe & ſuis vtriusque ſexus haeredibus recepit, prorſus ad eum modum, quo Henricus Leo pro caſtro Baden & reliquis Clementiae ſuae fundis dotalibus praedia viciniora in montanis Harz ſita ſibi reddi obtinuit: Nam ſi praedium Niordinge Beatricis non fuiſſet, a mentione Beatricis abſtineri poterat.

Digitized by Google

nerus, & reliqui ſacri ordinis Chronographi noſtri, cum garriunt, (aa) Eimbeccenſes, Dominis ſuis Comitibus Daſſelenſibus rebelles, ſe dediſſe Alberto Magno Duci, huncque ciuitatem Daſſelenſibus violenter eripuiſſe. Falſiſſimum enim hoc eſt, & Eimbecca vetus poſſeſſio Ducum fuit. Si quid vero iuris in ciuitatem hanc habuere Daſſelenſes, hoc bona voluntate & non coacte eos vendidiſſe Alberto Duci inferius ſole meridiano clarius apparebit.

§. 34.

Vdonem Comitem, a quo *Henricus Dux conſanguinitatis ſucceſſione originem ducere perhibetur*, Hofmannus pro Catelenburgico Comite habet. Sed vixit is Conrado III. regnante, (bb) quo tempore Catelenburgenſes non amplius ſuperabant. Nec ab iis Henricus Dux deſcendit. Ego itaque *Vdonem* ex Northemenſibus Comitibus fuiſſe puto, inter quos *Vdonem* vel *Ottonem* inuenio Conrado Regi contemporaneum, fratrem nempe Richenzae Imperatricis, filium Henrici Craſſi & Gertrudis, & nepotem Ottonis Ducis Bauariae ſub Henrico IV. Imperatore clari. Vetus Chronicon Rhytmicum cap. 21:

De

aa) Merito indignatur Dn. Eccardus infrunitis hominibus, qui ante nos quidlibet fingendi animos ſibi ſumſerunt. Quae de Eimbecca, Comitum Daſſelenſium vrbe, tradiderunt, ex hoc ipſo diplomate falſi conuincuntur. Si enim Eimbecca Comitum Daſſelenſium fuiſſet; Friderici I. Imperatoris Cancellarius Reinaldus, qui Comes Daſſelenſis fuit, & Ludolphus de Daſſele, frater Cancellarii, diploma non ſignaſſent, quo Henricum Leonem praedium Einbeke *hereditario iure* poſſidere diſerte dicitur.

bb) Hoc falſum eſt. Conradus enim ille, qui Vdoni Comitatum in pago Liſga hereditarium dedit, in hoc diplomate ſemper *Imperator* vocatur: quo elogio Conradum III. ſtilo Curiae nullibi ornari ſupra demonſtrauimus. Conradus itaque Salicus, quem propter auiam Agnetem & propter remotam retro aetatem Fridericus hic patrem & progenitorem ſuum vocat, is Imperator fuit, qui ſuo tempore in gratiam Vdonis Comitis Comitatum in pago Liſga & foreſtum in montanis Harz cum praedio Nurtingen ad Nicrum fluuium permutauit. Neque tam incelebris tempore Henrici II. & Conradi Salici Vdo Comes in pago Liſga fuit, vt ad eruendam eius memoriam longa diſquiſitione opus ſit. In vita Meinwerci c. 25. haec de eo leguntur, ad Annum 1114. pertinentia: *Proximo anno in Italiam Rex iturus - - - in caſtello, quod Gruona dicitur, conuenire Principes iubet - - - Epiſcopus autem Meinwercus, cum Rege in expeditionem iturus, Eccleſiae ſuae penuria conqueſta, itineris expenſam labori ſuo congruam inſtanter petiit, & interuentu Cunigundae Reginae - - - Bernesbuſon, ſitum* in pago Liſga, *in Comitatu Vdonis Comitis, obtinuit.* De Vtone quodam Comite in montanis Harz Continuator Reginonis ad Annum 949. haec habet: *Vto Comes obiit, qui permiſſu Regis* Ottonis I. *quidquid beneficii aut praefecturarum habuit, quaſi haereditatem inter filios diuiſit.* Ex hoc loco Gundlingius Opuſcul. Part. III. p. 198. recte infert, eo tempore nullam in feudis ſucceſſionem obtinuiſſe. Quando autem vir doctiſſimus addit, hanc gratiam Vtoni deinceps a Conrado Salico, itemque a Friderico I. Imperatore confirmatam fuiſſe, probationisque cauſa ad hoc noſtrum diploma prouocat; memoria inſigniter lapſus eſt, cum Vto Anno 949. defunctus ad Conradi Salici tempora peruenire non potuerit. Interim alter Vdo, qui tempore Conradi Salici vixit, & de quo noſtrum diploma loquitur, primi illius Vtonis vel filius vel nepos fuerit; in cuius aetate conſtituenda gratulator mihi de adſtipulatore magno Gundlingio.

Digitized by Google

De Markgrevinne Gerdrut,
De werde Jungfrouwe gut,
Alſo we finden beſcreven,
De wart ok to Manne gheven
Eynen Förſten herliche
Van Northem Greven Henriche,
Der de Vette was genant;
He heyt ok an Saſſenland
Eyn Here uterkoren;
Otte ſin Vader was geboren
Van Greven Sigefrides kunne
Van Bomeneborch; men ſecht dat he gewonne
Bi ſiner Frowen, Greue Henrich,
Dre Kind vil herlich
Eynen Otten, unde twe Jungfrowelin
Ritſe unde Gertrude megede ſin.

Hic igitur *Otto*, Henrici Craſſi filius, ſine liberis obiit, & idem eſt cum *Vdone* (cc) Henrici Ducis conſanguineo, vti hoc ex ſchemate Comitum Northemenſium, (dd) Bomeneburgenſium & Beichlingicorum

cc) Hic opera & ingenio abutitur Dn. Eccardus, Vdonem Comitem in pago Lisga quaerens temporibus Conradi III. florentem, cum aequalis temporum Conradi Salici Imperatoris indicandus erat. Neque in illo detegendo, quam in cetera diplomatis explicatione felicior fuit. Si quaeris, vnde ſciuerit, Henricum Craſſum habuiſſe filium Ottonem, reſpondet ex veteri cantilena. Huic ego ſubſtituo auctoritatem diplomatis ſupra adlati, quo Lotharius Anno 1134. confirmaſſe dicitur fundationem Monaſterii Aegidiani Brunſuicenſis. In eo inquit Lotharius, vxoris ſuae matrem Gertrudem bona illa contuliſſe *conſenſu heredum ſuorum, ſcilicet filii ſui Ottonis, & filiarum, videlicet Richenzae coniugis noſtrae & Gertrudis Palatinae Comitiſſae.* Addo narrationem de S. Autore, in cuius principio Scriptor. Brunſuic. T. I. p. 701. *Gertrudis* vocatur *filia Ecberti Marchionis Saxoniae, Relicta Comitis Hinrici de Nordheim, mater Nobilis Ottonis, & Rixae vxoris Lotharii Imperatoris, & Gertrudis Palatinae Comitiſſae.* E quibus verbis patet, auctorem narrationis ob oculos habuiſſe autographum inſtrumenti Lothariani, e quo ſua hauſit. Alibi Ottonis huius nullum in vetuſtis Scriptoribus occurrit veſtigium, nulla memoria. Vt adeo in infantia vel ſaltem ſine haerede obiiſſe ſtatuendum ſit, quia, ſi patri Anno 1102. defuncto ſuperuixiſſet, a Chartis & Scriptoribus eius aetatis non exularet, neque vna cum Richenza terrae Northeimenſes ad Lotharium perueniſſent. Infantium autem conſenſum Chartis parentum inſeri, tralaticium eſt. Nam licet infantes conſentire non poſſint; adultiores tamen conſenſuros ſperabatur.

dd) Hoc ad probandam rem, cuius cauſa ſuſceptum eſt, parum facit; licet in ſe ſatis elegans ſit. Illuſtris Schwarzius, magnum Academiae Altdorfinae decus, Tomo tertio Scriptor. Mencken. doctiſſimam de Comitibus Leiſnicenſibus diſquiſitionem inſeruit, cui praeter alia p. 1130. adiunxit ſchema Comitum Northeimenſium genealogicum abſolutiſſimum, ſolidis quippe probationibus inſtructum.

rum a me ex coaetaneis auctoribus & diplomatibus diligenter confecto apparet:

Otto Comes in pago Salzgowe, in quo villa *Northeim*, circa Ottonis I. tempora.

- Hermannus Comes. 997.
  - Sigefridus Comes. Vxor 1. Mathildis. 2. Ethelinda. 1002.
    - 1. Sigefridus Comes. 1002.
    - 1. Benno Comes. vx. Eilica.
      - Otto Dux Bauariae. † 1083. Vx. Richenza vidua Hermanni de Werle.
        - Henricus Craſſus, Comes Northemenſis. † 1101. Gertrudis vxor. † 1118.
          - Otto vel Vdo Comes. Vxor Beatrix.
          - Gertrudis, Vx. Sifridi Com. Pal. ad Rhenum.
          - Richenza, Lotharii Imperatoris vxor.
            - Gertrudis, Vx. Henrici Superbi Ducis Bauariae & Saxoniae.
              - Henricus Leo, Dux Bauariae & Saxoniae.
          - Henricus ex Slaua prognatus.
        - Sifridus, Comes de Bomeneburg. † 1109.
          - Sifridus, Comes de Bomeneburg. Vx. Athela.
          - N. Vxor Henrici, Comitis Zutfaniae, nepotis Ezonis Comitis Palatini.
          - Mathildis, Vxor Wilhelmi Comitis de Luxemburg.
          - Adela, Vxor 1. Theoderici de Catelenburg. 2. Helperici C. de Ploceke.
          - Cunigundis, Vx. Wicberti Comitis, nati ex Wicberto Com. Groicenſi.
        - Cunradus vel Cuno, Comes de Bichelingen. † 1103. Vx. Cunigundis f. Com. Ottonis Orlamundani.
        - Ethelinda, Vx. 1. Welphi Ducis Bauariae. 2. Hermanni de Caluerla; vnde *Rauensbergii.*
        - Ida, Vxor Thiemonis Comitis Wettinenſis.
        - N. Vxor Conradi de Arnesberg.
        - N. Seducta a ſeruo.

§. 35.

Imperator Anno 1157. Goslariae adhuc die VII. Calend. Iulii haeſit, eoque Monaſterium Richenbergenſe in tutelam recepit Diplomate ab Heineccio Antiqu. Goslar. p. 159. edito, cui teſtis poſt Epiſcopos adfuit praecipuus *Heinricus Dux Bauariae & Saxoniae.* Goslariae quoque hoc eodem tempore Henrico priuilegium de inſtituendis & inueſtiendis per Slauiam Epiſcopis, (Probat. N. XXXVI.) quod notis Chronicis caret, autographum tamen ſupereſt, datum exiſtimo, quia aeque ac duo priora aurea bulla munitum, & a paucis Epiſcopis & Principibus, quorum nomina in illis recitantur, ſubſcriptum eſt. Quae res me adducit ad credendum, non publicis in Comitiis, ſed in ſecreto quodam paucorum Prin-

Principum conſilio decretam fuiſſe poteſtatem Regiae aemulam in Henricum conferendam, &, ſi publice proponeretur, multis obtrectationibus expoſitam. Inde forma decreti rudis & non pro ſtilo Curiae, vt valeret, quantum valere poſſet. Non enim dubium eſt, quin Caeſari ſuccurrerit, Epiſcoporum inſtituendorum & inueſtiendorum poteſtatem ſe alii conferre valide non poſſe, cum eadem ſibimet ipſi, vtut Caeſari, vtut Imperatori, interdicta eſſet. Eodem hoc anno Henricus Dux *Monaſterium Ranshouen* in Bauaria fundaſſe dicitur, (ee) *cuius*, inquit Arenpeckius, *fundationis literarum Datum ponitur Anno Domini MCLVII.*

§. 36.

Negotia, quae Imperatori cum Papa erant, & Mediolanenſium inſolentia illum Anno 1158. in Italiam auocabant. Cum itaque Auguſtam Vindelicorum veniſſet, 18. Calend. Iulii ibi compoſuit controuerſiam, quae fuerat *inter Ottonem Friſingenſem Epiſcopum, dilectum patruum ſuum, & nobiliſſimum conſanguineum ſuum, Henricum Ducem Bauariae & Saxoniae, ſuper foro apud Veringen & Munchen:* iuſſitque *forum, quod eſſe ſolebat apud Veringen, & pontem ac teloneum non amplius ibi eſſe: in eius vero rei recompenſationem Henricus Dux Eccleſiae Friſingenſi contradidit tertiam partem totius vtilitatis, quae prouenire poterit de teloneo fori ſui Munchen.* Diploma hac de re confectum Hundius Metrop. Salisburg. T. I. p. 77. ſq. edidit, vnde nos illud in Probat. N. XXXIX. repetimus. (ff) Patent ex hoc diplomate natales ciuitatis Munchen ſeu Monachii, quae hodie Bauariae metropolis, & ob aedificiorum ſplendorem & magnificentiam vere totius Germaniae oculus eſt. Ea enim hoc tempore villa fuit ignobilis & obſcura, ſed poſt officinam monetariam, poſt telonium & mercaturam ſalis eo translatam, mox in vrbem mutata: idque Henrici Leonis auſpiciis. *Sic vos non vobis* &c.

§. 37.

ee) Graui memoriae lapſu Dn. Eccardus obliuiſcitur eorum, quae ſupra ad Annum 1115. diſputauimus occaſione diplomatis, quod auus Henrici Ranshouienſi Monaſterio dedit, *ſigillo*, quod vocant, *Maieſtatis* ſubnixi. Monaſterium enim, cui auus iam donationes fecit, nepos ſane condere non potuit. Henrici tamen ſtudium in Ranshouienſes coenobitas ex eo elucet, quod, cum olim Eugenius PP. III. ad preces Henrici Auſtriaci eorum priuilegia confirmaſſet, (Probat. N. XXXVII.) nunc ipſe Adrianum PP. IV. ad idem faciendum induxit, qui in bulla Romae hoc anno data diſerte ait, ſe Henrici, illuſtris Bauariae & Saxoniae Ducis precibus id dare. (Probat. N. XXXVIII.)

ff) Diploma translationis ex autographo dedit Dn. Meichelbecc. Hiſtor. Friſing. T. I. p. 337. vbi ſimul docet de transuectione & telonio ſalis, qui Reichenhallae coquitur, & tam per Bauariam quam per Sueuos, Rhaetos, Heluetios, Francos ac Rheni accolas magna copia diuenditur, proprie litem fuiſſe, qua vicerit Dux Henricus aulae fauore.

§. 37.

Huic diplomati iungimus aliud Hermanni Verdenſis Epiſcopi pro Eccleſia Bardouicenſi, quod datum eſt hoc anno *Henrico iuniore tam Saxoniae, quam Bauariae Ducatum tenente.* (Probat. N. XL.) Cuius formulae rarioris cauſa ne quem lateat, ſciendum eſt, hunc Hermannum, Verdenſem Epiſcopum, multum in Aula Caeſaris, multum in tribunalibus Italiae verſatum, virum fuiſſe magnae & multae, vt veteres loquuntur, *curialitatis.* Imaginem eius Morena p. 848. his verbis pinxit: *Erat non multum longae ſtaturae; benignus, miſericors & pius; ſapientia imbutus, dulcis & affabilis, hilaris corde; amator iuſtitiae; timens Deum, & mandata eius ſeruans, & in cuius prouidentia & conſilio maxime confidebat Imperator.*

§. 38.

Chronica Regia S. Pantaleonis inter Comites Imperatoris Italiam adeuntis recenſent quidem etiam *Henricum Ducem Saxoniae*, ſed falluntur. Dux enim domi remanſit, Lubecenſi vrbi ordinandae intentus, & Anno demum 1159. ab Imperatore cum Imperatrice & aliis Principibus vocatus, ad eum in obſidione Cremae haerentem cum Adolfo Comite & mille atque ducentis equitibus loricatis venit, Ottone Morena, Helmoldo Abbateque Vrſpergenſi teſtantibus; & vnus Cremenſes ad deditionem, vt Radeuicus Lib. II. c. 60. ſq. aſſeuerat, Anno 1160. coëgit. Cum vero Anno 1158. Legati Pontificis ad Caeſarem miſſi a Comitibus Friderico & Henrico exſpoliati & in vincula coniecti eſſent, Henricus Dux Anno 1159. in Italiam pergens hanc iniuriam vltus eſt. (gg) *Hanc*, inquit ea de re Radeuicus Lib. I. c. 21. *immunitatem nobiliſſimus Dux Baioariae & Saxoniae ob amorem S. Romanae Eccleſiae & honorem Imperii non multo poſt probe vindicauit. Namque & vadem eripuit, & Comites multis malis attri-*

gg) Miſerat hoc anno Adrianus PP. IV. Henricum Cardinalem Presbyterum tituli Sancti Nerei & Achillei, & *Hyacinthum* Cardinalem Diaconum Sanctae Mariae in ſchola Graeca, quem ſuperiori Libro vidimus Eſtenſi Familiae quodammodo innexum fuiſſe, & quem Anno 1191. ſub Coeleſtini III. nomine Pontificem venerabimur, Legatos in Germaniam, *ad curialia negotia pertractanda, prioribus Miſſis*, (in quibus Rolandus fuerat, mox Alexandri III. nomine Pontifex Maximus futurus,) *multo aptiores.* Hi per vallem Tridentinam deſcendentes, licet maioris ſecuritatis cauſa Albertum ſecum haberent Tridentinum Epiſcopum, a latronibus Comitibus capiuntur, ac in vincula abducuntur, donec Romanus quidam, vir Nobilis, *germanus frater Hyacinthi*, obſes datus eſt. Ex hoc facto famoſus ille Reichersbergenſis Praepoſitus *Gerhohus*, qui patri iam ſeruierat, occaſionem ſumit ſcribendi ad Henricum Leonem grauem & affectus plenam epiſtolam, qua, praemiſſo ſtudio ei innoteſcendi & ſeruitia praeſtandi, Ducem excitat ad defendendam Eccleſiam, & ad captiuos liberandos & vlciſcendos, quos conniuente Imperatore in illas plagas incidiſſe rumor ferebat. (Probat. N. XLI.) Paullo poſt eumdem Gerhohum, ſine dubio ipſius Gerhohi inſtinctu, Henrico Duci valde commendat Eberhardus Salisburgenſis Epiſcopus; vt mox videbimus.

Digitized by Google

attritos ad deditionem & ſatisfactionem coëgit. Conſtat autem ex ipſius Hadriani Papae epiſtola, hos duos Legatos ad Imperatorem miſſos eſſe *ad commonitionem dilecti filii ſui Henrici Baioariae & Saxoniae Ducis.* (Probat. N. XLII.) Vghellus Ital. Sacrae T. V. p. 177. diploma Imperatoris inſeruit, quo Pelegrino Patriarchae Aquileienſi Bellunenſem Epiſcopatum concedit. Id Anno 1160. *Papiae in generali Concilio poſt deſtructionem Cremae* 15. *Kal. Maii* datum eſt, & inter teſtes in eo nominantur *Henricus Bauariae & Saxoniae Dux.*

§. 39.

In hoc etiam Concilio Papienſi electionem Victoris in Papam ab Imperatore & Principibus, atque inter hos a *Duce Henrico de Saxonia* firmatam, hoc eſt, pleniter approbatam eſſe, Otto Morena affirmat. Quod vt melius intelligatur, notabimus, defuncto A. 1159. Adriano PP. IV. Cardinalem Rolandum prioris Pontificis Cancellarium Papam electum & ſub Alexandri III. nomine proclamatum fuiſſe. Huic pars Cardinalium (ſaniorne dicam, an deterior?) Victorem IV. oppoſuit, ab Imperatore ſtatim agnitum, & in Concilio Papienſi Anno 1160. vt modo diximus, confirmatum, quia Imperatori alta mente repoſta manebant, quae Rolandus ille in Legatione Germanica in eum effutierat. Hoc ſchiſma Pontificium Henrici Leonis animum ab Imperatore pedetentim penitus alienauit. Licet enim ipſe ab initio non Victori ſolum, ſed & ſucceſſori eius Paſchali in gratiam Friderici Imperatoris vſque adeo ſe deuouiſſet, vt inter Laicos Principes, qui Anno 1166. in Conuentu Wirceburgico de tuendo Paſchali & repudiando Alexandro ſacramentum dixerant, primus nominetur; (Probat. N. XLIII.) viſo tamen, quod Imperator omnes conciliationis conditiones, etiam a patruo oblatas ſperneret, Eccleſiaeque ruinam minitaretur; ad exemplum Welfi Ducis & multorum aliorum Principum, Alexandri partes fouere coepit, eoque, cum minime omnium ſimulator & diſſimulator eſſet, Caeſaris animum in ſe ſuosque magnopere irritauit. Quae res denique in Henrici exitium vertit, non minus in Caeſarem irritati, Guelficam hereditatem per Italicas, Bauaricas, Sueuicas & Rhaeticas prouincias iniqua transactione cum Welfo patruo inita ad ſe trahentem. De quo mox plura. Iam vnum id ex eodem Ottone Morena addimus; confecto electionis Pontificis negotio *Duci Henrico de Saxonia* & *Duci Bertholdo* Zaeringenſi licentiam in patriam remeandi datam eſſe.

§. 40.

Dimiſſum ab Imperatore Henricum *Brunſuigam* ſtatim ſe contuliſſe indicant geminae Chartae ibi hoc anno datae, quarum vna donationem

Digitized by Google

tionem praedii *Herwardeſſen* a Ludolfo Comite Peinenſi Monaſterio Riddageshuſano factam; altera commutationem, qua fratres Riddageshuſani *praedium Huneshem* a Canonicis S. Blaſii acquiſiuere, confirmauit. Priori Chartae teſtis adſuit *Conradus de Rothe*, qui Anno 1170. in Henrici Ducis fundatione Epiſcopatus Suerinenſis, & in literis pro Monaſterio Walckenredenſi Anno 1191. datis *Conradus Comes de Rhodin* (hh) dicitur. Nomen etiam Conradi in diplomatibus Ottonis IV. Imperatoris Anno 1199. & 1207. inuenitur; quod tamen forte filii huius fuit. Gerhardus Stederburgenſis & Arnoldus Lubecenſis Lib. IV. c. 3. & 9. eum in caſtro ſuo *Limberc* ab Henrico VI. fruſtra obſeſſum meminere. Anno 1196. idem fundauit *Monaſterium Inſulae S. Mariae* ſiue *Marienwerderenſe*, vbi & cum coniuge ſepultus eſt hoc ſub Epitaphio: *Greſſe Cort to Roden. Cunnegunt vxor ſua, fundatores huius Monaſterii.* Inſcriptio Chori ibidem: *Anno Domini MCXCVI. fundatum eſt Monaſterium.* Inſcriptio parietis meridionalis: *Prima dedicatio facta eſt Anno Domini MCXCVI. XVII. Kal. Octobris in honorem S. Mariae Dei genitricis ac S. Iohannis Baptiſtae, S. Iohannis Euangeliſtae & S. Auguſtini & Annae ſororis eius.* Errat ergo Crantzius, cum fundationem Anno 1114. factam refert, & Monaſterium ipſum falſo *Verden* vocat. *Rodam* caſtrum Comitis Botho in Chronico Picturato ad An. 1156. ſitum fuiſſe dicit in Neapoli Hanouerae eo loco, qui nunc vocatur *up den Berge*; & pertinuere ad illud aedes quaedam in altero Leinae latere, (ii) vbi nunc *platea Caſtrenſis* ſiue *die Burchſtraſſe* iacet. Botho & ex eo Letznerus, Buntingius & reliquum Hiſtoricorum vulgus ferunt, *Comitum Rodiorum Familiam* Henrici Leonis tempore extinctam, & Comitatum inde eius ad Henricum Leonem delatum fuiſſe. Valde tamen falluntur. (kk) Diu enim poſt Henricum adhuc

hh) Auctor hic in digreſſionem incidit hodie profecto non valde neceſſariam, poſteaquam Illuſtris Grupenius origines Hanoueranas germanice ſcriptas edidit, in quibus de Comitibus do Roden ſolide, more ſuo, & diligenter egit. Vt autem in pleriſque, ita etiam in hac tractatione Dn. Eccardi maiorem accurationem & ordinem merito deſideres. In chartam enim coniecit, vt quaelibet in mentem & calamum venerant, ſine meditatione & ſine examine. Ferendus tamen & ſequendus eſt per teſqua, per ignes.

ii) Vbi hodie vrbs primaria, quae vetus oppidum dicitur, proprio ſuo magiſtratu gaudens, ſita eſt. Et forte tum aliae aedes ex hac parte fluminis non fuerunt, quam quae horum Comitum eſſent.

kk) Falluntur ex parte; ſed non in totum. Ex parte falluntur, aientes, omne genus Rodiorum tempore Henrici Leonis exſtinctum, & terras eorum ab hoc occupatas fuiſſe. In totum tamen non falluntur, quia ramus horum Comitum primarius, qui Lauenrodam cum terris circumiectis poſſederat, in liberis Conradi II. exaruit, qui cum Hildenſemenſi Epiſcopo Conrado II. pepigerat, ſed mox ad ſe rediens vrbem & Comitatum Ottoni Puero dimiſerat. Quae res magnarum turbarum cauſa fuit, dedente ſe Hanouera Ottoni Puero, qui vrbem ſtatim Anno 1241. magnificis priuilegiis ornauit, in quibus claram huius deditionis mentionem facit, ciuibusque promittit, ſe vrbem nulli vmquam in feudum daturum. Interceſſit tamen Hildenſemenſis Epiſcopus, nec

Digitized by Google

huc familia haec floruit. Sed cum filius Conradi Conradus ſe *Comitem de Lauenroda* vocet, & ab eo tempore nomen hoc Caſtro, *Roda* antea dicto, adhaeſerit; veroſimile mihi ſit, Conradum patrem id munimentis auxiſſe, atque, vt fidem in Henricum integram oſtenderet, *Leonis Rodam* (hoc enim eſt *Lauenroda*) denominaſſe. Oppidum vero *Hanouerae* non Comitis huius, ſed Henrici Ducis auita poſſeſſio fuit. (ll) Ex Saxonis Grammatici fabulis eius antiquitas plerumque ad *Haneſum* gigantei corporis Principem refertur, & inde etiam nomen eius vulgo accerſitur; quae tamen ſententia adeo abſurda eſt, vt vix refutari mereatur. Alii nomen eius arceſſunt ab *hen over* ſiue *in alio latere*, Leinae ſcilicet fluuii. Sed & haec deriuatio nugas ſapit & exemplo alio caret. In vetu-

nec ſucceſſores eius prius quieuere, quam Otto Strenuus quamdam iniret tranſactionem cum Epiſcopo: quae tranſactio ciuibus tumultuandi occaſionem dedit. Pleni ſunt annales Hanouerani acerrimae vindictae ab hoc Principe in ciues exercitae. Sed cauſas ignorant, quarum in Curia iam olim omnis deleta eſt memoria, quippe ingratiſſima. Nos quae diximus, diplomatibus firmare poſſemus, ſi iam hoc ageremus; id quod ad ſequiora tempora differendum eſt.

ll) Quam vellem, Dn. Eccardus vel tenuem & leuem aliquam huius aſſertionis probationem attuliſſet? Oppidum enim tum nullum Hanouerae fuit, a Comitis poſſeſſionibus diuerſum. Aedes e regione arcis Lauenrodae in dextra Leinae ripa erant, quibus ab alta ripa, cui aedificatae erant, Honouere ſeu altae ripae nomen datum fuit. Sed hae ob nominis diuerſitatem Comitis eſſe non deſierunt. Nam & ipſa platea caſtrenſis, quam ad caſtrum ſpectaſſe conſtat, in dicta alta ripa ſita eſt. Porro non leuem contra hanc aſſertionem ſcrupulum mihi iniicit recordatio priſtini temporis. Quoad enim longiſſime mens poteſt reſpicere, totum illum terrarum tractum, qui inde ab Eimbecca vſque ad Alleram per Leinam fluuium ſecatur, ſi excipias, quae hinc ad Hildenſemenſem, illinc ad Mindenſem Eccleſiam ſpectabant, diuerſis Comitibus, neutiquam vero Duci Saxoniae, ſubiectum reperio, ni qua Comitis officium & ipſe geſſerat: quo tendunt formulae: *in Comitatu Bernhardi Ducis.* Nam tempore Henrici Leonis, & diu poſt, terris ad Leinam potiti ſunt, vt e multis paucos nominemus, Winceburgici, Dynaſtae Homburgenſes, Comites de Poppenburg, de Hallermunde, de Spigelberg, de Lauenrode, de Wunſtorpe, de Welepe &c. Horum quilibet cum in ſuo diſtrictu vtriuſque ripae fluminis dominus fuerit, non video, cur Comitibus Rodenſibus, aedium illarum, in altera ripa exſtructarum & Honouere vocatarum dominium & poſſeſſio deneganda ſit. Equidem in Annalibus Paderborn. ad Annum 1163. p. 821. Nicolaus Schatenius ita ſcribit: *Hoc anno Henricus Leo, Dux Saxoniae noſtrae, frequentem Epiſcoporum conuentum Procerumque congreſſum Hanouerae habuit - - - Huius quippe conuentus teſtimonia ſunt tabulae Ducis, quibus Coenobio Flechtorpienſi noſtrae dioeceſis decimas villae Flechtorpianae, & priuilegia a Bernardo Epiſcopo noſtro data, ſua auctoritate rata habet. Huius rei teſtes ſunt viri, qui Curiae iſtic interfuerunt: Energiſus Paderbornenſis &c.* Quo diplomate probari poſſe videtur, Hanoueram Anno 1163. non ſolum in poteſtate Ducis, ſed etiam magnam vrbem fuiſſe, conuentus tot Principum & Nobilium capacem. At enim vero cum eius copia nobis facta eſſet, quam infra (Probat. N. XLIV.) ſubiicimus, inuenimus pro theſauro carbones, & rationem diuinauimus, cur ipſe Schatenius ab eius editione abſtinuerit. Nudus enim aſpectus docet, partum ſuppoſititium hic nobis obtrudi, recentiori tempore natum, cuius parens veteris aeui conditionem, quam ignorauit, vſibus eius aetatis, qua ipſemet vixit, & qua Hanouerae publici conuentus haberi conſueuerunt, metiebatur. Et plena ſunt Monaſteriorum, praeſertim ruralium, armaria huiuſmodi chartis, quae ſuo ſe indicio veluti ſorices produnt, effictae quippe non tanta arte, ac ditiorum Monaſteriorum maius pretium artificibus ſtatuentium diplomata.

Digitized by Google

vetuſtis vero membranis & numis vrbs haec conſtanter *Honouere* ſcribitur; & fluuius eo loco, vbi vetus oppidum fuit, (mm) altis admodum ripis gaudet. Vnde nil veroſimilius, quam nomen hoc a Saxonico *hohi* altus, & *ouer*, ripa, deſcendere, & *altam ripam* denotare; quemadmodum & in Gallia *Hauterive* & Venetiis *Ripalto* inuenitur. Sed lubet hic poſteritatem *Conradi de Rode* ex diplomatibus contextam ex Meibomio in notis ad Gerhardum Stederburgenſem p. 442. & ſchedis Hofmannianis aliisque meis monumentis adnectere, vt ea, quae diximus, eo magis confirmentur. (nn)

§. 41.

Sed iam e diuerticulo in viam atque ad Henricum Ducem redimus. Is Anno 1160. in Bauaria fuit, teſte Charta ab Hundio Metrop. Salisburg. T. III. p. 79. edita, (Probat. N. XLVI.) in qua *Henricus diuina clementia Bauariae & Saxoniae Dux* ait, ſe *Aduocatiam Monaſterii Pollingen, petitione Praepoſiti & Fratrum accepiſſe, feudali iure, ab Hartmanno Epiſcopo* Brixinenſi, & eo quidem pacto, *ne alicui ipſe aut ſucceſſores alii eandem tradant, ſed immediate Ducibus ſubiectum ſit.* Circa idem tempus *Eberhardus Salzburgenſis Archi Epiſcopus* literis (Probat. N. XLVII.) rogauit *glorioſum & victorioſum Bawariorum & Saxonum Ducem Henricum*, vt *Richerſpergenſe Coenobium*, quod, quantum *ad ſeculare regimen, eius celſitudinem reſpiciat*, contra iniurioſos defendat & manuteneat: Et *Gerhohum eiusdem Coenobii Praepoſitum pro dilectione Beatae memoriae patris ſui Henrici Ducis, cuius Praepoſitus idem fidelis & familiaris extiterit, tanquam paternae pietatis haeres, in eadem gratia foueat, in qua eum pater habuerit.* Annuit Dux Archi Epiſcopi petitioni, vt patet ex eius reſponſione, (Probat. N. XLVIII.) quam vna cum modo relata epiſtola publicauit Gewoldus Metropol. Salisb. T. III. p. 167. ſq.

§. 42.

An vero Henricus Dux Anno 1161. ad Imperatorem Mediolani vaſtationi intentum redierit, nemo Scriptorum annotauit. Interim Gewoldus Metropol. Salisb. T. I. p. 248. ſq. diploma inſeruit, quo Fridericus Imperator *rogatu dilectiſſimi patrui ſui Conradi, venerabilis Patauienſis Ecclesiae*

mm) Atque etiamnum eſt: ſiquidem vetus oppidum non interiit, ſed adhuc floret feliciſſime, & proprie *Honouere* audit; cum id, quod nouum oppidum dicitur, & in quo caſtrum Comitis fuit, veteris oppidi veluti quaedam appendix ſit, & inſtar ſuburbii ſe habeat; non tamen veteris oppidi magiſtratui ſubiectum ſit.

nn) Supra iam (Nota hh.) librum indicauimus, in quo probationes huius tabulae habentur, & ipſius Conradi I. de Roden, qui hic familiam ducit, maiores indagantur. Pater eius Comes Hildeboldus de Rothen fuiſſe videtur, de quo loquitur Charta ex dicto libro deſumta. (Probat. N. XLV.)

Digitized by Google

S. GERBVRGIS.
teſte MEIBOM.

CONRADVS. HERM DEBOLDVS.
Hi tres fratres in lite us Bremenſis, Praepo-
Hildeboldi Marie de Ruſtringiae & an.
1223. nominantu chi Epiſcopus Bremen-
atur de eo CRANTZIVS
ib. 8. cap. 20. & 24.

HENRICVS.
Teſtis citatur anno
1240. & 1245. in
literis ad Monaſte-
rium Schinnenſe
pertinentibus.

SALOME.

amulus
um Hanoueranum
at: *Ek Otto ghebe-*
Knape. Tempora
er Iohannis Iunio-

N.

IOHANNES, Canonic HWINVS, HENRICVS,
An. 1333. Cum frat *i de Roden,* in liter.
literas expediit pro Sena is an. 1347.
quae incipiunt: *Nos I*
phus & Ludouicus Dei g
Wunſtorpe & Roden. A
Senatum Hanouerae af
an. 1356. datae incipiu
der gnade Godes Greve
to Wunſtorpe.

ASCHWINVS, IOHANNES,
dicti de *Roden*, Famuli, in lit.
Hanoueran. an. 1347. Otto-
nem vocant *Patruum ſuum*
(*Vedderen.*)

H MECHTILDIS,
Vx. Bodonis Euer-
ſteinii. LETZNERO teſte.

HENRICVS
† 1508.
teſte LETZNERO.

ldeshemenſi,
us. *Wincen-*
a, Comitiſſa

IVLIVS *ἄπαις.*
† an. 1421. prope Blumena-
uiam equo prolapſus, cum
leporem perſequeretur.
teſte LETZNERO.

GEORGIVS
† 1511. *ἄπαις.*
teſte LETZNERO.

MARGARETA,
Henrici Baronis
de Warberg vxor;
LETZNERVS *Magda-*
lenam vocat.

Digitized by Google

Digitized by Google

cleſiae Epiſcopi Abbatiam S. Mariae in Patauia ad Epiſcopatum Patauienſem beato Stephano contradidit. Teſtis ei adfuiſſe dicitur, inter alios multos, *Henricus Dux Bauariae & Saxoniae.* Datum autem id eſt *An. MCLXI. Indict. IX. regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore victore anno Regni eius X. Imperii VII. ante portas ciuitatis Mediolani tempore vaſtationis, tertio Non. Iunii.* Vero tamen ſimile eſt, nomen Henrici hic a transſcriptore perperam inſertum. Conſtat enim ex Helmoldo eum toto Anno 1161. occupatum fuiſſe in Slauis, & praecipue Obotritis, domandis. Niclotus Obotritorum Princeps cum filiis quidem acriter reſtitit Duci, nihilominus tamen ipſe occiſus eſt in velitatione cum Ducis militibus, & filii fugati. *Dux demolitus omnem terram,* vt Helmoldus Lib. I. c. 87. inquit, *coepit aedificare* Zwerin *& communire caſtrum. Et impoſuit illic nobilem quendam Gunzelinum, virum bellicoſum, cum militia. Poſt haec redierunt filii Nicloti in gratiam Ducis, & dedit eis Dux Werle & omnem terram. Porro terram Obotritorum diuiſit militibus ſuis poſſidendam. Et collocauit in caſtro Cuſcin Ludolfum quendam Aduocatum de Brunſchwig; apud Melicou fecit eſſe Ludolfum de Peina; Zwerin & Ilow Guncelino commendauit. Porro Mikilinburg dedit Henrico cuidam Nobili de Scaten.* Epiſcopatus quoque decimasque iis deſtinatas ordinauit. Addit Helmoldus: *Et facta poſtulatione obtinuit apud Caeſarem auctoritatem Epiſcopatus ſuſcitare, dare & confirmare in omni terra Slauorum, quam vel ipſe vel progenitores ſui ſubiugauerint in clypeo ſuo & iure belli. Quamobrem vocauit Dominum Geroldum Aldenburgenſem, Dominum Euermodum Racisburgenſem, Dominum Bernonem Magnopolitanum, vt reciperent ab eo dignitates ſuas, & applicarentur ei per hominii exhibitionem, ſicut mos eſt fieri Imperatori. Qui licet hanc impoſitionem difficillimam iudicarent, ceſſerunt tamen propter eum, qui ſe humiliauit propter nos, & ne nouella Eccleſia caperet detrimentum. Et dedit eis Dux priuilegia de poſſeſſionibus, & de iuſticiis. Et praecepit Dux Slauis, qui remanſerant in terra Wagirorum, Polaborum, Obotritorum, Kycinorum, vt ſoluerent reditus Epiſcopales, qui ſoluuntur apud Polonos atque Pomeranos, hoc eſt, de aratro tres modios ſiliginis, & duodecim nummos monetae publicae. Modius autem Slauorum, vocatur lingua eorum Curitze. Porro Slauicum aratrum perficitur duobus bobus & totidem equis. Et auctae ſunt decimationes in terra Slauorum, eo quod confluerent de terris ſuis homines Teutonici ad colendam terram ſpatioſam, fertilem frumento, commodam paſcuorum vbertate, abundantem piſce & carne & omnibus bonis.* Recte hic ſingula recenſet Helmoldus; ſed in eo fallitur, quod dicit, Henricum nunc demum ab Imperatore obtinuiſſe priuilegium Epi-

ſcopatus

Digitized by Google

ſcopatus in Slauia fundandi. Illud enim iam anno, vt oſtendimus ſupra, 1157. acceperat. (oo)

§. 43.

Erat hoc aeuo in *inſula Gotlandia*, antiquis iam nota, celebre emporium in *vrbe Wisby*, portu a Saxonibus & Slauis frequentato inſigne. Incolae mercatores plerique ex vrbibus Saxoniae maritimis erant, ſuisque legibus viuebant, quas a *Lothario Imperatore*, vt praefatio illarum ab Hadorſio editarum indicat, acceperant. Poſt mortem vero eius diſſenſiones inter incolas Gutenſes & ciues Wisbyenſes Saxones recruduerant, quas legibus renouatis tollere conatus nunc eſt Henricus Dux noſter, cuius auctoritatem per omne Balthicum mare & in loco Suecis Regibus ſubiecto (pp) valuiſſe admirari fas eſt. Henrici Ducis Diploma (Pro-

oo) Annus incertus eſt, adeoque quo praeciſe anno datum fuerit, demonſtrari certo nequit. Neque ſcimus, an ſufficiant rationes Dn. Eccardi, qui ob auream bullam, qua obſignatur aeque ac duo alia Goslariae ipſis Kalendis Ianuariis 1157. data, & ob teſtium ibi praeſentium ſubſcriptionem, ad Annum 1157. illud referre maluit. Hoc tamen certiſſimi ſcimus, errorem Helmoldi tam enormem non eſſe, vt in grauem merito cenſuram incurrat, praeſertim cum annum nullum exprimat, & de tempore praeterito indefinito loquatur. Immo ſi quod res eſt dicendum, potius reprehendendus erit Dn. Eccardus, qui cum ſupra §. 21. Priuilegium hoc Henrico noſtro A. 1153. in Comitiis Wormatienſibus conceſſum fuiſſe confidenter dixerat, poſtea tamen §. 35. illorum, quae prius ſcripſerat, immemor, non minori temeritate illud, quaſi penitus res explorata eſſet, ad A. 1157. & Comitia Goslarienſia retulit. Huiusmodi enim vnius eiusdemque rei diuerſa narratio vti Lectorem dubium relinquit & incertum, ita auctori ſuo ſemper eſt dedecori.

pp) Errat Dn. Eccardus. Gothia enim inſula his temporibus Danis ſubiecta erat, & ſerius ad coronam Suecicam rediit. Vid. Pontanus in deſcriptione Daniae p. 733. vbi de Wisbuenſi commercio, deque legibus mercatoriis nonnulla habet, digna, quae hic quoque legantur: *Oppidum ipſum*, inquit, *nobiliſſimum olim totius Septemtrionis emporium fuit. Vineta enim & Iulino funditus euerſis, atque inde Sleſuiga incendiis & rapinis vaſtata, translatus eſt Cimbricae Cherſoneſi vniuerſus rerum exoticarum mercatus Ripas Phundiſiorum; vnde haud multo poſt negotiantium exterorum colonia in hanc inſulam atque vrbem Wisby tranſiit. Cuius antiqua dignitas & amplitudo partim etiam templorum ac Coenobiorum multitudine poteſt aeſtimari. Nam olim templa decem; Monaſteria vero quatuor exſtitiſſe, arte ac materia operis ſibi inuicem aemula, indigenarum relatione conſtat. Inter templa vnum fuit diuo Olauo dicatum, ab Erico quondam Cyprio, Danorum Rege, exſtrui mandatum. Plateae publicae, crepedine olim continua obductae, merces pariter ac mercatores ipſos a vi atque iniquitate coeli facile defendebant. Et reſtant hodie ſtructurae huius artificioſiſſimae parietinae ac rudera quaedam certiſſima, foreſique ac ferreae feneſtrae, quae fortunam priorem ſatis indicant. Quin & aedes ciuium ſecto de marmore exſtructas paſſim eſt animaduertere. Muro vrbs cingitur, praeterquam ea parte, quae portum reſpicit: Cuius molem ac ſitum qualis olim fuit, referunt tabulae praeſertim Aurigarii hydrographicae. Arx portui haud longe abeſt, quam Regis Gubernator ſedem tenet. Primam vrbis munitionem referunt Chronologi ad Annum 1288. cum Rex Sueonum Magnus pugnam inter opidanos ac terrae incolas, compoſita, quae erat vtrimque exorta, lite, amice diremiſſet. Caſtri praeſidium addidit deinde Regina Margareta. Certo autem conſtat hac in vrbe aeque atque apud Rhodios olim, iura maritima fuiſſe conſtituta, atque ibidem primum tabulas hydrographicas diligenti nautarum obſeruatione adnotatas, quae poſtea ab aliis auctae emendataeque ſingularem vſum praeſtiterunt nauigationibus, vtpote quarum beneficio caligantia*

Digitized by Google

(Probat. N. XLIX.) edidit Lambecius Rerum Hamburgenſ. Lib. II. Datum id eſt *Anno Domini MCLXIII. regnante glorioſiſſimo Domino Frederico Romanorum Imperatorum Auguſto, Anno Regni ſui decimo, Imperii ſeptimo. Datum in Erteneborch XV. Kal. Nouembris.* Sed cum annus Regni & Imperii Friderici incidat in Anno Domini 1161. neceſſario annus hic annotatus ex errore Scriptoris irrepſit, & MCLXI. reſtituendus eſt. In eo: *nouerit*, inquit, *cunctorum ſagacitas, qualiter nos ob amorem pacis & reuerentiam Chriſtianae religionis, maxime autem contemplatione retributionis aeternae, diſſenſionem inter Theutonicos nec non Gutenſes, inſtigante ſpiritu nequitiae diu male habitam, vnitati & concordiae antiquae reformauerimus. Qualiter etiam multimoda mala, videlicet odia, inimicitias, homicidia, ex vtriusque gentis diſſenſione orta, Spiritus S. gratia cooperante, perpetua pacis ſtabilitate condonauerimus: & poſtmodum Gutenſes in noſtrae reconciliationis gratiam benigne receperimus. Iuris igitur & pacis eiusdem decreta, Gutenſibus quondam a Sereniſſimo Romanorum Imperatore, Domino Lothario piae memoriae auo noſtro, conceſſa, Nos in omni deuotione factis eius inclinantes, ſimili pietate Gutenſibus contradimus, vnius cuiusque iuris traditionem per ſingula copula* (forte: *capitula*) *diſtinguentes. Per vniuerſae poteſtatis noſtrae ditionem Gutenſes pacem firmam habeant, ita, vt quicquid diſpendii & rerum ſuarum, ſeu iniuriae infra terminos noſtri regiminis pertulerint, plenam ex iudiciaria poteſtate iuſtitiam & correctionem conſequantur: hanc eis gratiam adiicientes, vt in omnibus ciuitatibus noſtris a teloneo liberi permaneant. Item, ſi quis Gutorum in quibuscunque ciuitatibus noſtris, vbi pacem ſub iureiurando firmauimus, peremtus fuerit, manu reum truncari decreuimus. Inſuper ſi quispiam fuſte vel pugno impie laeſus fuerit, iuri ciuitatis, in qua id contigiſſe dinoſcitur, reus item ſubiaceat. Similiter autem quicunque Gutenſium in itinere eundo vel redeundo, in die non legitime occiſus fuerit, peremtor cum haeredibus & cogna-*

gantia maris vada euitare nauta, ferrique in portum optatum, non longis anfractibus legendo littus, ſed recta curſum tenendo poteſt; modo ventus faueat. Haec inſula quam varias fortunae vices ſubierit, & modo Sueco, modo Danis, ſed vt plurimum ac firmiter ad hoc vſque tempus Danis adhaeſerit, docent, quae ſuo ſunt loco poſitae, rerum per annorum deductae ſeriem memoriae. Haec ille. Cum exeunte hoc Saeculo a Bremenſibus mercatoribus primum, tum etiam a Lubecenſibus nauigationes primae in Liuoniam atque ad oſtium Dunae inſtituerentur; Wisbuenſibus ciuibus magnum acceſſit fortunarum incrementum, ſtabilita, vt ita dicam, ſtapula quadam mercium omnium in portu Wisbuenſi. Vti enim mercatores e Septemtrione & ex Liuonia Lubecae; ita Teutonici Lubeca ſoluentes viciſſim Wisbuae commeare conſueuerunt. In harum nauigationum deſcriptione excellit Chronicon vetus Liuonicum, cum commentariis noſtris Anno 1740. editum, quo praeterea continentur origines Liuoniae ſacrae, mores populi gentilis, & labores piorum ſacerdotum, qui cum mercatoribus ad Dunam nauigarunt, & illuuiem perditorum hominum iugo Chriſti adſuefecerunt.

cognatis occiſi XL. marcis monetae illius prouinciae, in qua nefas perpetratum eſt, componat. Si quis vero eorum in quacunque ciuitate noſtra mortuus fuerit, bona ſua haeres vel cognatus eius, ſi forte praeſens eſt, recipiat & in multa pace fruatur. Sin autem, bona illa in eadem poſſeſſione, qua ille obierit, annum & diem in diſtrictu reſeruentur. Si vero nullus infra tempus denominatum bona iſta requiſierit, iudex ciuitatis ea recipiat. Nouiſſime autem eandem gratiam & iuſtitiam, quam noſtris mercatoribus decreuimus, eandem omnibus Gutenſibus in perpetuum ſtatuimus fideliter conſeruandam, hoc videlicet pacto, vt grata viciſſitudine idem noſtris & ipſi exhibeant; nos quoque & terram noſtram de caetero arctius diligant, & portum noſtrum in Lubeke diligentius frequentent. Lambecius loco citato edidit Atteſtatum (vt vocant) Religioſorum Ordinis Dominicani & Franciſcani vrbis Wisbyenſis, cui inſeritur Tranſumtum priuilegii (Probat. N.L.) a Iohanne & Gerhardo Comitibus Holſatiae, Stormariae & Schouwenburgi incolis Wisbyenſibus & totius Gotlandiae conceſſi Anno 1255. III. Idus Iunii, *vt*, aiunt, *omni iure, quo dilecti patris noſtri ſuorumque praedeceſſorum tempore feliciter vſi ſunt, ſicut illuſtris HINRICI Ducis Brunſchwich felicis memoriae priuilegia iam dictis ciuibus ſuper eadem libertate collata continent, perpetuo libere perfruantur.* Easdem vero Henrici Leonis Leges Wisbyenſibus confirmarunt poſtea Reges Sueciae Magnus I. & Birgerus, Duces Ericus & Woldemarus, easdemque renouauit etiam Magnus II. Rex Sueciae duobusque libellis Suecica & Saxonica lingua conſcriptis complexus eſt, addiditque vtrique nationi ſigillum commune, in quo *agnus cornutus gradiens vngulaque dextra vexillum crucigerum tenens* cum verbis circumſcriptis: GVTENSES SERVANT QVICQVID SIGNATVR IN AGNO. Caeterum in vulgus notum eſt Leges has in ora Balthici maris auctoritatem pene Rhodiarum obtinuiſſe.

§. 44.

Imperator deſtructo Mediolano, Italiaeque rebus compoſitis de pace Eccleſiae, tollendoque inter Victorem & Alexandrum ſchiſmate ſolicitus erat. Conſtituit itaque in decollatione S. Iohannis Baptiſtae magnum Concilium in finibus Galliae ad Ararim in loco *Laona* vel *Leona*, vbi hodie *S. Iean de Lone* cernitur, ad quod & Ludouicum Galliae Regem inuitauit. Pondus illi addere debebat numeroſiſſimus tunc Ordo Ciſtertienſis, qui eodem tempore Capitulum generale Ciſtertii habebat. Accerſebatur & Waldemarus Daniae Rex, & Dux noſter, qui tunc e Saxonia in Bauariam iuerat. Helmoldus Lib. I. c. 90. hiſtoriam Concilii nunc inſtituti his verbis deſcribit: *Et miſit* [Imperator] *ad Regem Francaei*

caei

Digitized by Google

ciae Ludouicum, vt occurreret ſibi ad colloquium apud Laonam, quae eſt in terra Burgundionum, iuxta Ararim fluuium, ad redintegrandum vnitatem Eccleſiae. Et annuit Rex Franciae. Praeterea miſit nuncios ad Regem Daniae & ad Regem Vngariae, & ad Regem Boëmiae, vt venirent ad conſtitutum diem: inſuper omnibus Archi Epiſcopis & Epiſcopis & ſummis poteſtatibus Regni ſui, & religioſis quibusque ſolenniter adeſſe mandauit. Grauis ergo expectatio erat, vniuerſorum ad tam celebrem Curiam, quo vterque Papa & tanti terrarum Reges conuenturi ferebantur. Tunc abierunt ſimul Waldemarus cum Epiſcopis Daniae, Hartwichus Archi Epiſcopus, Geroldus Epiſcopus, & Comes Adolphus, cum multis Saxoniae nobilibus, ad praefixum colloquii locum, Dux vero poſitus in Bauaria, alia via venerat. Ludouicus ergo Rex Franciae, cuius praecipue expectabatur aduentus, vbi intellexit Caeſarem appropiare cum exercitu & armis multis, dubitauit occurrere illi. Sed propter fidem ſacramentorum, venit ad locum placiti conſtituto die, hoc eſt, in decollatione Ioannis Baptiſtae, & exhibuit ſe in pontis medio ab hora tertia vsque ad horam nonam. Porro Caeſar nec dum venerat. Quod Rex Franciae accipiens pro omine lauit manus ſuas in flumine ob teſtimonium, quaſi qui fidem pollicitam reddiderit, & digrediens inde abiit ipſo veſpere Diuionem. Veniens ergo noctu Caeſar, intellexit Regem Franciae diſceſſiſſe, & miſit honorabiles perſonas denuo accerſere eum. Sed ille nulla ratione vacare potuit, gratulans, ſe fidem ſoluiſſe, & ſuſpectam Caeſaris manum euaſiſſe. Ferebatur enim a multis, quod Caeſar eum circumuenire voluerit, & propter hoc contra pactionum tenorem armatus aduenerit. Sed ars arte deluſa eſt. Francigenae enim ingenio altiores, quod armis & viribus impoſſibile videbatur, conſilio euicerunt. Tunc Caeſar vehementer irritatus, ſeceſſit a Curia, intentans Francigenis bellum. Alexander Papa confortatus ab eo tempore magis inualuit. Henricus Dux declinauit in Bauaria. Et compoſitis illic rebus, reuerſus eſt in Saxoniam. Sed lubet de eodem Conuentu Laonenſi & Godefridi Colonienſis verba addere: *Ludouicus Rex Franciae Legatos ad Imperatorem pro componenda pace & vnitate S. Eccleſiae miſit, quos ipſe gratanter ſuſcepit. Igitur generali Synodo indicta in municipio quod Leona dicitur, ſuper fluuium Saonam in Epiſcopatu Biſontino, Imperator cum Papa Victore, multisque Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Abbatibusque aſſuit, in decollatione S. Iohannis Baptiſtae. Rex autem Franciae ex altera parte fluminis pridie aduenerat, ſed ex conſilio Papae Alexandri, & ſibi parentium, in proximo caſtro reſedit, nec ad Imperatorem peruenit.* (qq) *Aſſuit huic Synodo Rex Danorum Waldimarus, qui*

qq) Vera huius negotii ſeries haec eſt: Fugerat hoc anno Alexander Pontifex in Galliam, Ludouici VII. Regis auxilium imploraturus contra Imperatorem; de quo tan-

qui ibidem Coronam de manibus Imperatoris ſuſcipiens, homo eius factus eſt. Igitur Imperator & Rex Danorum cum tota illa frequentia Pontificum & Principum, ſicut in prima & ſecunda Synodo, Victorem vniuerſalem Papam nominauerunt, & Alexandrum cum ſuis ſequacibus Schiſmaticos deſignauerunt. Imperator tunc, ab Henrico comitatus, *Conſtantiam* vsque, in Germaniam rediiſſe, Conſtantia vero Henricus in Bauariam pauliſper deflexiſſe videtur, vbi Monaſterio Pollingenſi locum Riet adiudicauit, de qua Pollingenſes cum Henrico de Hohenwanc litigabant. *Iudex ibi erat cum Duce Berchtoldus Comes de Andechs. Teſtes, Fridericus & Otto Palatini de Witelinespach, Heinricus Praefectus de Regenspurch, Heinricus de Stauffen, Dietricus eo tempore Praepoſitus Ducis, H. Cohmunosbuſen. Poſt haec accepit de manu fratrum ad ſeruitium trium denariorum vsque ad obitum Giſalae Miniſterialis Brixinenſis Eccleſiae. Geſta ſunt haec Anno Chriſti* 1162. *quo deſtructum eſt Mediolanum & celebratum Concilium in decollatione S. Iohannis Baptiſtae in Epiſcopatu Biſunti ſuper fluuium Saona, cui interfuit Fridericus Imperator, Ludouicus Rex Franciae, Heinricus Dux Saxoniae & Bauariae.* Haec Hundius (rr) Metrop. Salisburg. Tomo III. p. 79. Henricus Dux vero e Bauaria ſub finem anni in Saxoniam rediit.

§. 45.

tanto ſecurior eſſe poterat, quanto addictiorem ſibi habebat maiorem Cleri Gallicani partem. Fugam Alexandri & latibulum Genuenſe comice deſcribit poëtaſter quidam eius temporis, cuius rythmos infra exhibemus. Adpellenti ad Montem Peſſulanum obuiam miſit Rex Oratores ſuos: quos cum minus beneuole Alexander ſuſcepiſſet, iratus Rex publice profeſſus eſt, poenitere ſe, quod Alexandrum, contemto Victore, in Regnum recepiſſet, taliaque ſcribere iuſſit Comiti Henrico, qui Regis Legatus eo tempore in Germaniam ad Imperatorem properabat. Quo nuntio accepto, Fridericus diem dixit colloquio apud Pontem Laonae, cum Rege & vtroque Pontifice habendo. Pons Laonae autem ſitus eſt medio inter Diuionem & Dolam itinere, ſic vt Fridericus ſuos Veſontionem, vti Ludouicus ſuos Diuionem conuocaret, vnde ambo deinceps ad Pontem Laonae procederent. Sed interea Alexander viam inuenerat Regis animum leniendi, quem ſecreto in colloquio apud Siluiniacum habito penitus ſibi conciliauit. Ibi quidem Rex Alexandrum hortatus eſt, vt ſecum ad Conuentum Laonenſem pergeret, ſuamque ibi innocentiam purgaret. Sed ille dolos Imperatoris vereri ſe profeſſus, Concilio adeſſe conſtanter recuſauit. Rex itaque cum Alexandrum ad colloquium adducere non poſſet, vti promiſerat, de modo cogitandum fuit, quo conuentus eluderetur. Princeps columna factionis Alexandrinae in Gallia Henricus fuit, Regis frater, idemque Remenſis Archi-Epiſcopus: ad quem Alexander quadringentas nonaginta ſeptem epiſtolas ſcripſit, quas Collect. Ampliſſ. Tomo II. omnes ediderunt Martenaeus & Durandus. In harum decima nona p. 672. ad Henricum ita ſcribit: *Praeterea ſicut iam per alia tibi ſcripta ſignificauimus, ita & praeſentibus literis prudentiam tuam ſollicitamus, vt ad diſturbationem ipſius colloquii, quod cum Frederico dicto Imperatore,* (quem ep. 5. *tyrannum* & *vehementem perſecutorem Eccleſiae* vocauerat) *Rex ſe propoſuit habiturum, omnibus modis attendas, & quod nulla ratione huiusmodi propoſitum habeat complementum, quibuscumque modis poteris, efficias & labores.* In quo nimium felicem Henricum fuiſſe, euentus docuit.

rr) Sed nec omittenda erant, quae Hundius non ſine cauſa ſubiicit, vt pateat, quo in loco haec facta ſint. *Factum*, inquit, *iudicium in caſtro Landespurch*, quod eſt hodiernum Landsberg, Lyco flumini impoſitum; *coram Principibus nominatis, cum quibus ipſe Dux concilio Veſontionenſi ſeu Biſunti interfuit.*

Digitized by Google

§. 45.

Conſtantiae cum poſt reditum a Laonenſi Concilio cum Imperatore ageret Henricus Dux, diuortium fecit a coniuge Clementia Zaeringenſi. Chronicon enim Weingartenſe ad Annum 1162. *In feſto S. Clementis diſſidium factum eſt inter Ducem & vxorem eius Clementiam, filiam Conradi Ducis, Conſtantiae.* Abbas Vrſpergenſis ad annum eundem: *Apud Conſtantiam in feſto S. Clementis factum eſt diſſidium inter Heinricum Ducem & vxorem ſuam Clementiam, filiam Conradi Ducis Zaringiae, quod de conſilio Imperatoris dicunt factum fuiſſe.* Helmoldus Lib. II. c. 10. *Separatus fuit* [Henricus] *a priore Coniuge Domina Clementia, propter cognationis titulum.* Chronicon Montis Sereni male Annum 1163. hic ponit; notatu tamen digna ſunt haec eius verba: *Diuortium inter Ducem & ipſius coniugem, propter conſanguinitatem factum eſt, hoc ipſum Imperatore iuramento firmante.* Praeſens ergo is Conſtantiae, cum de diuortio tractaretur, fuit. Sagittario in diſſertatione de Origine Ducum Brunſuicenſium repudii cauſa fuiſſe videtur, quod Clementia maſculos nullos pepererit liberos, quos Henricum deſideraſſe par eſt credere, ne tot ampliſſimae Prouinciae in externorum manus venirent. Praetextus interim palam a conſanguinitate ſumebatur, quam tamen adeo arctam, vt coniugium impediret, hactenus inter Henricum & Clementiam inuenire non potui.

§. 46.

Annus 1163. iterum rebus Slauicis componendis impenſus eſt. Reluctabantur Saxonicae dominationi Principes Slaui; ſed Wertislao, vno ex iis, capto & Brunſuicum in cuſtodiam miſſo, ſenior fratrum Pribislauus ſe ſubmiſit Duci. Helmoldus Lib. I. c. 92. *Pribizlauus ergo, qui erat ſenior natu & acris ingenii, cupiens fratri captiuo ſubuenire, coepit per nunciorum manus attentare Principis animum, & rogare ea quae pacis ſunt. Cumque Dux requireret obſides, vt firma eſſet ſponſionum fides, ait Pribizlauus: Quid opus eſt domino meo, vt a ſeruo ſuo requirat obſides? Nonne fratrem meum, & omnes nobiliores Slauiae retinet in cuſtodia? teneat eos loco obſidum; abutatur eis, vt libuerit, ſi temerauerimus ſponſionum fidem. Dum haec per internuntios agerentur, & daretur Pribizlauo ſpes meliorum, aliquantulum temporis fluxerat ſine bello, fuitque pax in Slauia a Martio menſe vsque in Calendas Februarii ſequentis anni, & omnia caſtra Ducis erant illaeſa, videlicet Malachou, Cuſcin, Zuerin, Ilowe, Mikilinburg.*

§. 47.

Rogauerat iam ante Geroldus Epiſcopus Aldenburgenſis Ducem, vt Sedem Epiſcopalem Aldenburgo *Lubecam* transferret, locum nempe

munitiorem & populoſiorem. Annuit precibus Dux, & *deſignauit locum, in quo fundari deberet Oratorium in titulum matricularis Eccleſiae, & areas clauſtrales, & ſtatuerunt illic praebendas duodecim Clericorum canonice viuentium. Porro tertia decima Praepoſiti eſt. Et dedit Epiſcopus in ſtipendia fratrum decimas quasdam & tantum de reditibus, quos ſoluit Slauia, quantum praebendis ſufficeret perficiendis. Et deſignauit Comes Adolſus villas opportunas prope Lubeke, quas ſtatim Dux obtulit in vſum fratrum, & de teloneo cuilibet fratrum duas marcas Lubicenſis monetae: inſuper alia, quae priuilegiis conſcripta ſunt, & in Lubicenſi continentur Eccleſia. Et poſuerunt illic Praepoſitum Dominum Ethelonem.* Anno inde 1164. ſolenniter dedicata eſt *Lubecenſis Eccleſia* ab Hartwico Bremenſi Archi-Epiſcopo, & ab Henrico Duce, Geroldo Epiſcopo & Adolfo Comite munifice dotata, vti Helmoldus haec Lib. I. c. 93. fuſius indicat. Lunigius Spicileg. Eccleſiaſt. Part. II. pag. 291. edidit *Henrici diuina fauente clementia Saxonum & Bauarorum Ducis* diploma (Probat. N. LI.) quo *ex conſenſu ac pia voluntate felicis memoriae Geroldi venerabilis Lubecenſis Eccleſiae Epiſcopi,* tunc adhuc viui, (ss) quasdam villas & decimationes Eccleſiae S. Mariae & S. Iohannis Baptiſtae Lubecenſi in vſus & augmentum praebendarum fratrum donauit, *Decimationem videlicet cum cenſu totius prouinciae in Aldenborch, Decimationem totius prouinciae in Luctikenborch, Decimationem totius prouinciae in Susle, Decimationem totius prouinciae cum cenſu in Radegowe, Decimationem cum cenſu totius prouinciae in Pule, Decimationem cum cenſu totius villae Gumabe & caeteris appendiciis, pratis, paſcuis, aquis; Medietatem decimae totius Procbre in Chodeslo, ſalua tamen iuſtitia ſacerdotis. Statuimus autem,* pergit, *vt de his omnibus in vnum collectis cuilibet fratrum XV. meſae frumenti, & duae marcae nummorum: Praelatorum vero, vtpote Praepoſito, Decano, Cuſtodi, Scholaſtico tres annuatim perſoluantur.* Contulit etiam nouae Eccleſiae *Praedium trans Albiam quod dicitur Vmmichart* cum rebus ad id pertinentibus, *tresque manſos Hollandrenſes iuxta caſtrum Erteneburch* & de telonio nauium ad ciuitatem applicantium XXVII. marcas numorum annuatim perſoluendas. Addit: *Sicut autem omnia praenominata, ita etiam hac conceſſione & auctoritate glorioſiſſimi Dn. Friderici & inuictiſſimi Romanorum Auguſti Imperatoris, largimur & in perpetuum donamus eisdem fratribus duas villas, videlicet in Darſowe, & vnam in Prouincia Pule, & tres alias a Comite Adolpho, felicis ac piae memoriae, nobis gratanter & beni-*

ss) Immo Geroldus paucis ante datum hoc diploma diebus, Calendis ſcilicet Iuliis, deceſſerat, teſte Helmoldo Lib. I. c. 93. & 94. Vnde confirmatio Conradi ſucceſſoris in annum ſequentem eſt reiicienda, quia ſedes vacauit vſque in Calendas Februarias.

benigne dimiſſas, Lanchowe & Ginni, ac Buſſowe, cum omnibus decimis ac vtilitatibus, campis, paſcuis, pratis, ſiluis, cultis & incultis, aquis, viis & inuiis. In fine dicitur: *Acta ſunt haec Anno Domini MCLIV. Indictione VIII. Anno Regni Domini Friderici inuictiſſimi Romanorum Imperatoris Auguſti XII. Imperii vero IX. Data apud Ferdiam per manum Hartwici, Notarii noſtri IV. Idus Iulii, feliciter Amen.* Indictio VIII. in annum 1160. quadrat; ſed annus Regni XII. & Imperii IX. incidit in annum 1163. vnde inde & indictionem & annum Domini corrigendum, illamque in XI. & hunc in 1163. mutandum eſſe putamus. Conſentit Chronographus Saxo ad hunc eundem annum ſcribens: *Heinricus Dux congregationem in Lubeke Clericorum inſtituit, Eccleſiam ex lignis conſtructam in honore S. Mariae & S. Nicolai dedicari fecit. Vbi pacis gratia Principes Rugianae Inſulae ad dedicationem venerunt.* Albertus quoque Stadenſis ad An. 1163. *Poſtulante*, inquit, *Geroldo Epiſcopo Dux ſedem transtulit de Aldenburg in Lubeke, ſtatuens ibi XII. praebendas & Praepoſitum Athelonem, cuius eſt tertia Decima. Ibi Rugiani venerunt in gratiam Ducis.*

§. 48.

Anno 1164. Henricus Dux in Bauaria verſatus eſt. Helmoldus enim Lib. I. c. 93. ſcribit, eum poſt dedicationem Eccleſiae Lubecenſis *profectum eſſe in Bauariam, vt ſedaret tumultuantes, & faceret iudicium iniuriam patientibus.* Interea Geroldus Epiſcopus obiit, *& vacauit Sedes Lubecenſis*, Helmoldo Lib. I. c. 94. teſte, *vsque in Calendas Februarii* Anni 1165. eo quod Dux abeſſet, & expectaretur eius ſententia. *Compoſitis ergo rebus* (pergit Helmoldus Lib. II. c. 1.) *in Bauaria Henricus Leo gemino Ducatu clarus, reuerſus eſt in Saxoniam, & accerſito Clero Lubicenſi dedit eis Pontificem, Dominum Conradum Abbatem de Reddegeshuſen, fratrem germanum Domini Geroldi Epiſcopi. Quod licet Hartwigo Archi Epiſcopo, & omnibus pene Lubicenſibus eſſet contrarium; praeualuit tamen voluntas Ducis, cui refragari formidoloſum erat. Recepit autem ſacrum ordinem per manus Hartwici Archi Epiſcopi in ciuitate Stadenſi.*

§. 49.

Mox Slauia a captiuo Wertislao inſtigata iterum Henrico rebellauit; quo tamen ſcelere is ſuſpendii ſupplicium ſibi attraxit, & Pribislauus patria eiectus ad Caſimirum & Bugeslaum Pomeranorum Ducem confugere coactus eſt. Adolfus tamen Comes Holſatiae fortiſſimus, cum aliis egregiis militibus, eo in bello cecidit. Eadem tempeſtate inter *Waldemarum Daniae Regem & Ducem* conuentio de finibus facta, & pax conſtituta

tuta eſt. *Et inierunt*, inquit Helmoldus Lib. II. c. 6. *pactum Rex & Dux, vt quascunque gentes terra marique ſubiugaſſent, tributa ſocialiter partirentur. Et increuit Ducis poteſtas ſuper omnes, qui fuerunt ante eum, & factus eſt Princeps Principum terrae. Et conculcauit colla rebellium, & effregit munitiones eorum. Et perdidit viros deſertores, & fecit pacem in terra, & aedificauit munitiones firmiſſimas, & poſſedit haereditatem multam nimis. Praeter haeredidatem enim magnorum progenitorum, Lotharii Caeſaris & coniugis eius Richenzen, multorumque Ducum Bauariae atque Saxoniae, acceſſerunt ei nihilominus multorum Principum poſſeſſiones, vt fuit Heremannus de Winzeburg, Sifridus de Hammenburg, Otto de Asle, & alii, quorum mentio excidit. Quid dicam de ampliſſima poteſtate Hartwici Archi Epiſcopi, qui de antiqua Vdonum proſapia deſcendit. Nobile illud caſtrum Staden, cum omni attinentia ſua, cum Cometia vtriusque ripae, & Cometia Thetmarſciae, viuente adhuc Epiſcopo, obtinuit; quaedam quidem haereditario iure; quaedam beneficiali. Extenditque manum in Freſiam, & admouit eis exercitum, & dederunt ei pro ſuimet redemptione, quod poſtulati fuiſſent.*

§. 50.

Imperator Anno 1165. Comitia *Wirtzeburgi* habuit, in quibus Legationem in Angliam decretam puto, qua MATHILDIS Henrici Regis Angliae & Alienorae Aquitaniae Ducatus heredis filia in coniugem Ducis noſtri expetita eſt. Robertus enim de Monte a Dacherio editus ad hunc annum ſcribit: *Venerunt ad Henricum Regem Angliae Rothomagum Legati Friderici Imperatoris Alemannorum, Rainaldus ſcilicet Archi-Epiſcopus Colonienſis, Cancellarius ipſius, & multi alii magni potentatus viri, requirentes eum ex parte Imperatoris, vt daret vnam filiarum Henrico Duci Baioariae, & aliam filio ſuo licet adhuc puerulo. Exactisque ſacramentis & datis, Rex poſtea miſit ſuos Legatos in Alemanniam, qui ab Imperatore & ſatrapis ſuis eadem ſacramenta de conuentionibus, quae inter eos conuenerant, acciperent.* Matthaeus Paris ad eundem annum: *Reginaldus*, inquit, *Colonienſis Archi Epiſcopus, qui ſchiſma Octauiani contra Papam fouerat Alexandrum, venit apud Weſtmonaſterium ad Regem Henricum, accepturus in coniugem Mathildem, filiam Regis primogenitam, Henrico Duci Saxoniae. Cui cum Magnates Angliae ſolenniter occurriſſent, Robertus Comes Legeceſtriae & Iuſticiarius Regis, illum in oſculum non recepit. Excommunicatus enim erat a Papa, & non abſolutus. Vnde altaria, ſuper quae ille Schiſmaticus miſſam celebrauit, paſſim ſunt ſubuerſa.* Non recte ergo Houedenus deſponſationem Mathildis in Annum 1164. refert, eamque erronee Albertus Stadenſis *relictam Regis Franciae* vocat.

Nec

Digitized by Google

Nec enim illa, ſed mater eius Alienora a Rege Franciae relicta erat.

§. 51.

Putares, Raynaldum Archi Epiſcopum, qui Duci tam ſplendidum matrimonium conciliauerat, ei amiciſſimum fuiſſe. Sed aliter multo ſe res habuit. Potentiae illius oſor erat. Vnde vix redux, decreta in Italiam expeditione, per litteras concitauit, quicquid inimicorum Ducis fuit. Coëunt itaque in vnum potentiores Saxoniae Principes & in Ducem conſurgunt inuidi. *Ille enim*, vt Helmoldi Lib. II. c. 7. verbis vtar, *immenſis diuitiis locuples, clarus victoriis, & propter geminum Bauariae & Saxoniae Principatum ſublimis in gloria ſua, omnibus Saxoniae tam Principibus, quam nobilibus importabilis viſus eſt. Sed manus Principum formido Caeſaris continuit, ne concepta molimina transferrent in effectum. Poſtquam autem Caeſar quartam profectionem parauit in Italiam, & opportunitatem tempus adduxit; ſtatim inueterata conſpiratio proceſſit in publicum, & facta eſt coniuratio valida omnium contra vnum. Fueruntque inter eos primi, Wichmannus Magdeburgenſis Epiſcopus, Hermannus Hildenſemenſis Epiſcopus.* (tt) *Poſt hos fuerunt Principes ii: Ludowicus, Prouincialis Comes Turingiae, Adelbertus Marchio de Soltwedele, & filii eius, Otto Marchio de Camburg,* (uu) *& fratres eius, Adelbertus Palatinus Comes de Someresburg. Hos adiuuerunt nobiles ii: Otto de Asle, Wedekindus de Daſenburg, Chriſtianus de Aldenburg, quae eſt in Amerland. Super hos omnes praepotens ille Reinoldus Colonienſis Archi Epiſcopus, & Cancellarius Imperii inſidiatus eſt Duci, facie quidem abſens & in Italia poſitus, ſed totus conſilio expugnationi Du-*

tt) Hic vt abſente Caeſare domi tumultuari impune poſſet, onus expeditionis Longobardicae pecunia redemit: cuius quantitas ex quodam eius diplomate pateſcit. (Probat. N. LII.) Vbi dignum quaeri, cur cum Epiſcopis ea venia data ſit, Principibus Laicis piaculare fuerit, hanc militiam detrectare? Inter arma tamen Hermannus Hemmendorpienſibus, qui ſal coquunt, & Oldendorpienſem olim frequentare Eccleſiam ſolebant, ſacellum in ipſo loco condendi veniam dedit. (Probat. N. LIII.) Miracula etiam, vt in Eccleſia Pontificia decet, poſt mortem edidit vir ſanctiſſimus, ſi modo vera ſunt, quae Seguſio, vbi mortuus & ſepultus eſt ex ſacro itinere redux, ad Hildenſemenſem Clerum perſcripta ſunt. (Probat. N. LIV.)

uu) Quaenam illa Marchia de *Camburg?* Si Bangertum, Helmoldi commentatorem inſpicis, deprehendes, eum quoque morem ſequi plerorumque interpretum, qui in locis non adeo perplexis multi ſunt; difficiliora autem ne attingere quidem audent. Saltem lectorem monere debuerat Bangertus, Codices MS. omnes, quibus vſus eſt, *Camburg* legere; etſi huius vocabuli nullus hic ſenſus ſit. Opinor itaque, pro Camburg legendum *Bramburg*, quia apud Wittekindum & alios nonnullos veteres Scriptores caſtrum Brandenburg contracte Bramburg & Brenburg appellatum memini. Quo poſito reſcribendum: *Adelbertus -- & filii eius*, ſcilicet *Otto Marchio de Brandenburg, & fratres eius*, Hermannus, Theodoricus, Sifridus, Bernhardus &c. Viuente enim adhuc patre Otto iam Marchio de Brandenburg audiit.

Ducis intentus. *Tunc Principes, qui erant in orientali Saxonia, cum Turingorum Principe Lodewico, obſederunt munitionem Ducis, quae vocatur Aldesleſ, & fecerunt contra eam machinas multas. Porro Chriſtianus Comes de Amerland* [h.e. Oldenburgenſis] *collecta Freſonum manu, occupauit Bremam, & omnes fines eius, & fecit motum magnum in Occidentali regione.* Henricus ocius obuiam ibat inſurgenti tempeſtati, remediaque eam declinandi circumſpiciebat. Magna in Holſatis fiducia erat, quos, vt & Stormarios Wagirosque, vidua Adolfi Comitis cum filio tenello gubernabat. Huic ergo primum tutorem conſtituit *Henricum Comitem, Thuringia,* & quidem e Keuernburgica gente, vt in Originibus Anhaltinis Cap. IV. oſtendimus, oriundum, virum otii impatientem & totum armis deditum. *Pribislauum* quoque *Obotritum* in gratiam recepit, redditaque omni patris ſui hereditate, ſola vrbe Swerino excepta, eum ſibi arcte deuinxit. Tunc orientali Saxonia inimicos expulit, terramque hoſtilem vsque ad Magdeburgi muros vaſtauit. Mox feſtinans in Occidentalem regionem, Bremam cepit, atque ob perfidiam mille & eo amplius marcis argenti multauit; Chriſtianum Comitem in abditas Friſiae paludes populit, qui mox obiit. Gerhardus Stederburgenſis hoc Anno 1165. *diſſenſionem* quoque *inter Henricum Ducem & Marchionem & Palatinum* fuiſſe ſignificat, & addit: *Sors ſuper Palatinum cecidit, qui Lowenberg caſtrum ſuum Duci reſignat.*

§. 52.

Anno 1166. Imperator Aquisgrani Caroli M. oſſa leuauit, & Italicam expeditionem indixit. Deinde eidem ſe accingens in Germaniam ſuperiorem mouit. Henricus Dux cum eo in Bauariam iſſe videtur. Nam *Norimbergae* primum in comitatu Imperatoris fuit, & in diplomate (Probat. N. LV.) ibi dato, quo is Monaſterium Nienburgenſe, *quod vsque ad haec tempora Imperatoriae Maieſtati ſubiectum erat,* Wicmanno Archi Epiſcopo Magdeburgenſi ſubiecit, *Henricus Dux Saxoniae* teſtis adducitur apud Becmannum Hiſt. Anhalt. Part. III. Lib. IV. c. 2. Hac pro gratia mox Archi Epiſcopus Imperatori dedit *Caſtrum Schonenburgh, villam Wiſele & curiam Wegenheim.* Dum vero ſibi Imperator Aduocatiam Monaſterii reſeruaſſet, viciſſim Archi Epiſcopo pro ea *Caſtrum Vrakeleueh* conceſſit. Inter teſtes diplomatis (Probat. N. LVI.) pariter a Becmanno l. c. editi, & *apud Vlmam* hoc Anno *VIII. Idus Martii* dati, nominatur: *Heinricus Dux Bauariae & Saxoniae.* (xx) Vlma *Ratisbonam* hinc cum Imperatore perrexit, ibique diplomati, quo concambium Euer-

xx) Neſcio quamobrem hoc nobis inculcetur, quod ſtilus Curiae poſtulabat, & cuius nullum inde ab Anno 1256. exemplum eſt in contrarium.

Euerhardi Babenbergenſis & Euerhardi Ratisbonenſis Epiſcoporum confirmatur, ſubnotatus eſt iterum primo loco teſtis *Heuricus Dux Bauariae & Saxoniae.* Vid. Gewoldus Metrop. Salisburg. T. II. p. 76.

§. 53.

Vſi ſunt hac Henrici Ducis abſentia inimici eius ad ſeducendum a Duce Hartwicum Archi Epiſcopum Bremenſem. Nullis ille hactenus turbis ſe immiſcuerat, & quiete Hamburgi reſederat. Iam vero excitatus eſt litteris Raynaldi Archi Epiſcopi Colonienſis. *Tunc* ait Helmoldus Lib. II. c. 8. *Colonienſis Archi Epiſcopus caeterique Principum mandauerunt ei per literas, vt reuocaret ad cor omnes preſſuras, quibus attriuiſſet eum Dux: nunc tandem veniſſe tempus, quo poſſit auxilio Principum recuperare ſtatum honoris ſui; patere ſibi vrbem Stathen & ereptam Cometiam, ſi manus Principum adiuuerit.* Dubitantem, quid ageret, Hartwicum tandem in partes Duci aduerſas pertraxit Conradus Lubecenſis Epiſcopus, tot Ducis beneficiis antea affectus, ab eodemque non parum dilectus. Reconciliare eum ſibi Henricus quouis modo tentabat; ſed fruſtra. Vocatus *Ertheneburgum* non venit. Stadae quidem paulo poſt, ſecuritate data, comparuit; ſed inueſtituram a Duce petere nolebat. (yy) Vnde Dux ei *introitum* parochiae ſuae occludi, & reditus Epiſcopales tolli praecepit. Hinc ad Wicmannum Magdeburgenſem Archi Epiſcopum confugit, & Hartwicus eum poſt paucos dies ſecutus eſt. Dux Archi Epiſcopi Bremenſis caſtrum *Friborg*, ſuis infeſtum, capit & ſolo aequat. *Harburgum* ſolum paludibus tutum vinci non potuit. *Goslaria* tandem ciuitas ad Principes Henrico aduerſos acceſſit, omnisque Saxonia captionibus militum & demembrationibus, euerſionibus vrbium & domorum, incendiisque ciuitatum infamis erat. Geſta ſunt haec per hyemem Anni 1166. & per aeſtatem Anni 1167. cuius menſe Auguſto *Raynaldus Archi Epiſcopus Colonienſis* & vna *Fridericus Dux Sueuiae*, Conradi Regis filius, & Henrici Ducis noſtri gener, (zz) in Italia peſte perierunt.

§. 54.

Interea Henricus Dux ſub finem, vt videtur, Anni 1166. *Leonem aeneum* fundi & baſi impoſitum Brunſuici ante domum Ducalem erigi fecit;

yy) Vnde collegium Canonicorum a Duce inſtitutum ipſe ſibi confirmandum ſumſit, (Probat. N. LVII.) ne quid vitii a laica manu ei inhaereret: cui mox forenſem ibi Eccleſiam dimiſit. (Probat. N. LVIII.)

zz) Necnon Dux Welfus iunior, Welfi Mitis filius vnicus, Henrici Leonis fratruelis. Non tamen Romae perierunt hi Principes: ſed in reditu: Fridericus quidem in partibus Tuſciae, & Welfus apud Senas, narrante Ottone de S. Blaſio c. 20.

fecit; vt membrana S. Blaſii & Catalogus Epiſcoporum Hildeshemenſium ap. Leibnit. Scriptor. Brunſu. T. II. p. 153. teſtantur. Albertus Stadenſis idem confirmat his ad An. 1166. verbis: *Henricus Dux ſupra baſin erexit Leonis effigiem, & vrbem foſſa ac vallo circumdedit.* Lerbecius in Chronico Schauenburgico male Annum 1164. ponit, ibi ſcribens: *Eodem anno Henricus Leo ſuper baſim erexit Leonis aerei effigiem in Brunſwick, tanquam coloſſum ſuum, cum ipſe Leo vocaretur.* Rectius Chronicon Rhythmicum:

Ok heit he van Metall
Eynen Lewen gheten van richer Koſt,
Den he leit ſetten up eynen Poſt
Van Steine wol gehowen,
Alſo men noch mag ſchowen
In der Borch to Brunſchwich,
Dat dede der Forſte Henrich
M. Jar, han ek gehort,
CLXVI. van Chriſti gebort,
Nach ſines Nahmen Schine unde Art.

Crantzius igitur Saxon. Lib. VII. c. 8. errat, vbi putat, Leonem hunc primo Ducis noſtri ſepulchro impoſitum fuiſſe. Inſigne hoc monumentum iniuria temporis collapſum reſtaurari iuſſit Anno 1616. Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Fridericus Vlricus Dux Brunſuicenſis & Luneburgenſis, vti inſcriptio tabulae, Leonis pedibus ſuppoſitae, & in hac figura ad dextram expreſſa docet. Eam enim, quae ſiniſtrae adiecta cernitur, a Dn. Io. Henrico Hofmanno Archiuario Hanouerano, Viro de hiſtoria patria bene merito, qui etiam figuram, quam in auerſa pagina exhibemus, olim in aes incidi curauit, profectam exiſtimo.

§. 55.

Anno 1167. *Henricus diuina fauente clementia Saxonum ac Bawarorum Dux* beneficus extitit in *Monaſterium Obernkirchenſe* Mindenſis Dioeceſeos. Solenni enim diplomate *praedium Velde*, *in pago Buke* ſitum, de hereditate ſua, *Domino Volcquino de Sualenberch* quondam a parentibus ſuis conceſſum, ſibi autem voluntarie reſignatum, illi tradidit. Sigillum ei appenſum ſupra in tabula I. quae tota ſigillis deſtinata eſt, N. 3. in aere exhibuimus. Poſt haec animum Henrici exhilarabat inſtans cum MATHILDE Anglica matrimonium. Poſt deſponſationem Anno 1165. Rotomagi peractam, mater Alienora id vnice agebat, vt ſponſa ſplendide ad Coniugem duceretur. Transfretauit eo fine Anno 1167. in Angliam, ſecumque eo filiam duxit, teſte Roberto de Monte ex Dacherii editione. Sed mox rediit in Galliam. In feſto enim

Nati-

Digitized by Google



Digitized by Google

Natiuitatis Domini Anni 1168. ſiue, vt nos iam computamus, Anni 1167. *fuit Rex Henricus Argentomagi* (verbis Roberti de Monte vtor) *& tenuit ibi magnam Curiam in noua aula ſua. MATHILDIS, filia Regis Henrici, cum infinita pecunia & apparatu maximo, ducta eſt in Alemanniam ad ſponſum ſuum, Henricum Ducem Saxoniae & Bauariae.* Vbi Mindam ad Viſurgim veniſſet, Dux ſponſae occurrit, eamque ſibi ſolenniter ibi per manus Epiſcopi Werneri copulari fecit, ipſis Anni 1168. Kalendis Februarii. Hermannus Lerbecius in Chronico Schauenburgico apud Meibom. T. I. p. 506. *Iſte*, inquit, *Henricus Leo curiam & bona in Lothen vel Lode Mindenſis dioeceſis, & bracbium S. Gorgonii Martyris pretioſe adornatum Anno* 1169. [leg. 1168.] *Eccleſiae praedictae obtulit, eo quod filia Regis Angliae MECHTILDIS ſibi in Eccleſia praefata ante altare Beati Petri ſubarrhata, & matrimonialiter copulata fuit.* Idem Lerbecius in Chronico Epiſcoporum Mindenſium eadem fere repetit, his verbis: *Tempore Werneri Henricus, qui & Leo dictus, curiam ſuam in villa Lothen, ſiue Lode dictam dedit Eccleſiae Mindenſi Anno Domini* 1168. *Indictione prima, quando idem Hinricus filiam Regis Angliae MECHTILDAM Kalendis Februarii Mindae ſubarrauit.* Anno 1168. nuptias Henrici re ipſa celebratas eſſe ex Helmoldi quoque Lib. II. c. 10. certiores reddimur. Is enim, vbi dixiſſet, Imperatorem, in Longobardia adhuc conſtitutum, litteris Principes Saxoniae hortatum eſſe ad concordiam, ſtatim addit: *In tempore dierum illorum miſit Henricus Dux Bauariae & Saxoniae Legatos in Angliam, & adduxerunt filiam Regis Angliae cum argento & auro & diuitiis magnis, & accepit eam Dux in vxorem.* Scripſit ergo Fridericus Anno 1167. declinante, & tunc miſſi ſunt Henrici Legati ad Regem Angliae, Mathildisque ſub initium Anni 1168. Mindam venit, cum Imperatoris reditus inſtaret. Diploma, quo curia Lothe Mindenſi Eccleſiae tradita eſt, authenticum Mindae in Archiuio Eccleſiae Cathedralis vidimus, eiusque apographum exactum exhibemus infra (Probat. N. LIX.) In eo *Henricus Bawarorum & Saxonum Dux* Wernerum Epiſcopum *domeſticum fidei* vocat, & dicit, ſe donationem curiae huius peregiſſe *conſenſu heredis ſui, Gertrudis videlicet, filiae ſuae.* Teſtes hi adduntur: *Wernherus Mindenſis Epiſcopus cum Abbatibus, Praepoſitis, Decanis & vniuerſo Clero; Otto & frater eius Henricus Comites de Rauenesberg, Widikinus Aduocatus, Adolfus de Nienkerken & fratres eius Reinbertus & Tiedericus, Conradus de Rothe, Euerhardus & Henricus de Landesberg, Philippus & Baſilius, Eilo, Bernhardus de Wilipe, cum Comitibus & nobilibus fere omnium circumiacentium Prouinciarum & omnibus miniſterialibus. Acta ſunt haec Mindae Anno Dominicae Incarnationis* 1168. *Indictione I.* quando Heinricus Dux

 Baua-

Bauariae & Saxoniae Machtildem filiam Regis Angliae ibidem ſubarrauit, Kalendis Februarii. Data Mindae per manum Hartwici Vtledenſis, Bremenſis Canonici. Brachium ibi etiam S. Gorgonii auro obtectum, & Henrici nomine inſcriptum, oculis curioſis luſtrauimus. Factam tunc in rei memoriam credo *Picturam*, qua ſedentes ſeque reſpicientes *Henricus* & *Mathildis*, & haec quidem annulum ei offerens, ille eundem acceptans, ſiſtuntur. Placuit illa popularibus noſtris, &, cum Saeculo decimo tertio epitaphia Henrici Ducis & Ottonis IV. Imperatoris in Eccleſia S. Blaſii Brunſuici in tabella depingerentur, eadem ſupra iſta epitaphia non ineleganter picta, & inde repetita eſt. Vnde oculis Lectorum eam aeri inciſam exhibemus. Brunſuicum veniens cum vxore recenti Dux videtur nuptiales feſtiuitates ibi continuaſſe. Vnde Albertus Stadenſis *nuptias Brunſuici magnifice celebratas* refert. Poſt nuptias hoc eodem Anno 1168. quarto nonas Iunii *Henricus Dux* interuentu Reinhardi primi Abbatis Reinhuſano Monaſterio poſſeſſiones ſuas confirmauit diplomate, quod *Hinricus Curiae Prothonotarius recognouit;* nos vero in Chartulario Reinhuſano inuenimus, & infra in (Probat. N. LX.) exhibemus.

§. 56.

Imperator interea pacandae Italiae inſudabat; ſed exercitu eius peſte afflicto, ſubſidiis quoque Bauariae & Saxoniae deſtitutus, cogebatur tandem coepta omittere, & in Germaniam redire. Antequam vero reuerteretur, *audiuit motum, qui*, vt Helmoldi verba vſurpem, *fuit in Saxonia, & miſſa Legatione, frequentibus induciis repreſſit ſurgentem ſeditionem, quousque praeteriret tempus, & ipſe liberaretur ab expeditione Italica.* Mox Germaniae redditus Anno 1168. II. Kal. Iunii Conuentum Principum *Francofurti* habuit & Ducem noſtrum Principesque ad pacem reuocauit, teſte Godofredo Colonienſi; quae tamen ſolide nunc coaleſcere nondum potuit. Interim Philippum Archi Epiſcopum, Colonienſibus recenter ordinatum, ad Henricum Angliae Regem ſolenni Legatione miſit, cui ſe adiunxere Archi Epiſcopus Moguntinus, & Henricus noſter. Godefredus Colonienſis ad An. 1168. *Nec multo poſt* [poſt feſtum S. Michaëlis] *in Legatione Imperatoris Rotomagum Regem Angliae adiit* [Philippus Archi Epiſcopus] *vbi Archi Epiſcopus Moguntinus & Dux Saxoniae ei occurrerunt. Sed qualis Legatio fuerit, praeter eos & Regem, latuit* omnes. Forte tamen Fridericus vrſit deſponſationem filii ſui paruuli cum filia Regis Henrici, quam Anno iam 1165. proponi ei fecerat; cui rei perficiendae nemo aptior videbatur Henrico Duce noſtro. Vnde is Legationi additus. Henricum ſub initium Anni 1169. ad Regem ſocerum

veniſſe,

Digitized by Google



Hic iacet Henricus quondam
eccleſie dignus nobilitate
Moribus ornata ſibi con
pauperibus larga ſimpli
Inclyta mechtildis anglori
Nutriat angelicis hos deu
Adiacet oblatus rex hor
Otto coronatus vermbu
huius erat ſponsa philipp
filia formosa nunc cin
qui legis hec metra memo
quid caro quid vita quid res

Digitized by Google

veniſſe, Robertus de Monte indicat: *Venit*, inquiens, *ad Curiam Regis Henrici Anglorum, Saxonum & Bauarorum Dux Henricus, gener eius, & magnis ab eo honoratus muneribus, in ſua rediit.*

§. 57.

Imperator pro officiis praeſtitis gratus mox fuit, Henricique quieti prouidit. Comitia enim Bambergae indixit in VIII. Idus Aprilis Anni 1169. vocatosque ibi Principes Saxoniae *coarguit*, vt Helmoldus Lib. II. c. 11. refert, *de violatione pacis, dicens, tumultum Saxoniae dediſſe Longobardis materiam defectionis. Multis itaque dilationibus, multa prouidentia & conſilio, diſſenſiones, quae erant inter Ducem & Principes, ad conuentionem pacis inclinatae ſunt, & ceſſerunt omnia iuxta placitum Ducis, & ereptus eſt a circumuentione Principum absque omni ſuimet diminutione. Et reuocatus eſt Dominus Hammenburgenſis Archi Epiſcopus in Sedem ſuam, tactusque infirmitate infra paucos dies obiit, & extincta eſt morte illius vetus controuerſia, quae fuit ſuper Cometia Stadenſi, & poſſedit eam Dux de caetero absque omni contradictione.* Conradus quoque Lubecenſis Epiſcopus interuentu Caeſaris in Ducis gratiam rediit, & inueſtituram ab eo accepit. Solus *Witekindus de Daſenberg*, loco firmiſſimo ad Dimolam, Warburga non procul ſito, pacem recuſabat oblatam, latrociniaque inde exercebat; quem tamen ſuffoſſo per Rammesbergenſes operarios monte, & puteo exſiccato, ad deditionem coëgit.

§. 58.

Rex Danorum Waldemarus, cum Henricus inteſtinis turbis detineretur, Rugios ſibi ſubiecerat, magnamque praedam ex iis fecerat. Dux tranquillitatem domi nactus, Legatis miſſis, monuit Regem, vt obſides & dimidium tributorum ex pacto debitum traderet. Renuente Rege, Slauis libertas conceſſa Danorum terras inuadendi. Hac re coactus Danus colloquium cum Duce ad Egidoram conſtituit in natiuitate Iohannis Baptiſtae, in qua Duci, quicquid exigebat, praeſtitit, ab eoque filiam, *Gertrudem*, viduam Friderici Sueuiae Ducis, filio ſuo vxorem impetrauit; quae Helmoldus fuſius Lib. II. c. 14. exponit.

§. 59.

Anno 1170. Imperatorem in natiuitate S. Iohannis Baptiſtae habito generali conuentu *Erfurti* Henricum Ducem aliosque Principes Saxoniae iam diu inter ſe diſſidentes integre pacificaſſe Variloquus Erfurtenſis indicat; quem forte vidit Letznerus, eadem profeſſus. Quietem igitur domi adeptus Henricus Dux VIII. Idus Septembris dedicari curauit

Eccle-

Eccleſiam Suerinenſem eiusque Epiſcopatum *trecentis manſis & duabus villis ac duabus curiis allodii ſui dotauit, villa ſcilicet Boriſt in Sadelbant* & *villa Virkin Chotendorp cum duabus curiis.* Huic doti *adiunxit terram, quae vocatur Butſuue & Caſtrum Werle dictum cum terra attinenti etiam Werle dicta, ex vtraque parte aquae Warnouue; & caſtrum Barth cum terra attinenti, videlicet Tribedne vocata: & terram Pithne vocatam, & duas terras prope Demmin, videlicet Weſtroſe & Loſis dictas, & decem villas Iloue, Moysle, Darſis, Gugoluoſei, Paſtrowe, Notzta, Pamii, Montino, Quatzutin, Loſow, Gnesdig & villam S. Godehardi, quae prius Godrach dicebatur;* & duas villas in Barda, villam Meiritz, *& aliam in Warnow, item prope Zwerin duas villas Rampe & Liſcowe, quae mutato nomine Alta villa vocatur, & inſulam Schwerin adiacentem & aliam inſulam prope Dobin, quae Liphe dicitur; Ipſam quoque ciuitatem Suerin a domo Piſcatoris Suek ſuper auſtrale ſtagnum poſitam vsque ad antiquum Coemiterium* &c. Canonicis quoque bona diſtribuit, quae longo ordine in diplomate a Madero Antiquit. Brunſuic. p. 234. ſq. euulgato (Probat. N. LXI.) recenſentur. *Suerinum* Henricus Dux munitiſſimam reddidit, eique ciuitatis iura contulit. Vnde pro ſigillo adhuc ipſum Henricum Leonem Ducem equitem cum Leone in ſcuto adhibent, eique circumſcriptum eſt: DVX HINRICVS ET SECRETVM CIVITATIS ZVERIN. Id quod in figura aeri inciſa melius cerni poterit. Tab. I. loco quinto.

§. 60.

Eodem Anno 1170. II. Idus Nouembris Dux Henricus permutationem bonorum inſtituit cum Wicelino Abbate S. Blaſii Northemenſi, & accepta ab eo curia Hounde Monaſterio eius viciſſim dedit bona ſua in villis *Berneſtorp, Tuilikin, Winediſſen, & decem manſos in Northeim & in Hilleſin.* Diploma datum eſt *Heretesberch. Domnus Baldewinus Notarius Ducis aſſignauit. Omnia haec acta ſunt ex aſſenſu glorioſiſſimae Domnae Matildis Bawariae & Saxoniae Duciſſae, nec non ex pio aſſenſu Domnae Gerthrudis, filiae Ducis, feliciter in perpetuum.* Autographum inter Chartas Northemenſes in Archiuio Electorali ſupereſt. (Probat. N. LXII.) Eodem Anno 1170. VI. Idus Nouembris tribus a ſe fundatis Epiſcopatibus alio diplomate, a Lunigio Spicileg. Eccleſ. Part. II. p. 292. in lucem emiſſo (Probat. N. LXIII.) prouidit. Dicit in eo: *Nos pro remedio animae noſtrae & felicis memoriae Lotharii Imperatoris aui noſtri, & reliquorum patrum noſtrorum, auctoritate & conceſſione inuictiſſimi Romanorum Imperatoris, Frederici, tres Epiſcopatus in Transalbina Slauia, ad propagandum Chriſtianae religionis cultum, Deo adiutore inſtituimus, & tre-*

centis

Digitized by Google

centis manſis ſingulos dotauimus. Vt autem quieti illorum, & paci impoſterum prouideamus, ordinauimus atque conſtituimus, vt nulli liceat in praedictis manſis exactiones facere, vel paratas accipere, angarias requirere, ſed immunes ſint ab omni exactione & grauamine & cenſu Ducis, qui Gwogoni traba dicitur. De capitalibus autem cauſis duae partes compoſitionum Epiſcopo, tertia vero Aduocato proueniat, aliae vero cauſae tantum ad Epiſcopum, vel ad eius diſpenſatorem referantur. Caeterum volumus, vt praedicti coloni maximam conſuetudinem, tenere placita noſtra, quae Mardbink vocantur, obſeruent, & expeditiones ſequantur, & Borchwere operentur. A quo tamen iure cuilibet Epiſcoporum X. Vorwercos emancipauimus. Cenſus autem Slauorum de vnco tres menſurae, quod dicitur Kuriz & ſolidus vnus. Ordinauimus quoque, vt, quolibet Eccleſiarum praedictarum Epiſcopo decedente, nullus Aduocatus, vel aliqua alia perſona, bona Epiſcopi praeſumat inuadere, vel in vſus proprios mancipare, ne ſacrilegii crimen incurrat, ſed ſecundum ſanctionem Canonum, prima pars pro remedio animae Epiſcopi in vſus pauperum diſtribuatur, ſecunda in vſus Eccleſiae, tertia ſucceſſuri Epiſcopi ſubſidio reſeruetur.

§. 61.

Pacatis igitur Slauis & Ducatibus ſuis ordinatis, de *peregrinatione Hieroſolymitana* ſerio cogitauit, apparatui itineris Annus 1171. pene integer inſumtus videtur. (aaa) Peregrinationem hanc exacte & longo ordine deſcripſit, Arnoldus Lubecenſis, vſus ſine dubio diario Henrici Abbatis S. Aegidii, qui poſt reditum Epiſcopus Lubecenſis factus eſt. Vnde ſtrictim ſaltem eam recenſebimus. *Ordinatis*, inquit, cap. 11. *rebus ſuis, de profectione Hieroſolymitana acrius cogitare coepit, & terrae ſuae tutelam Wichmanno Archi Epiſcopo Magdeburgenſi conſignans, nobiliores terrae itineris ſui ſocios fecit, Conradum ſcilicet Epiſcopum Lubicenſem, Henricum Abbatem de Brunſwich, Bertoldum Abbatem de Lunenburg & memoratum Pribizlauum regulum Obotritorum, & Guncelinum Comitem de Zuerin, & Siſridum Comitem de Blanckenburg, & alios quam plures, tam de viris ſuis liberis, quam de miniſterialibus. Et non remanſit quisquam maiorum, excepto Ecberto de Wolfelebotele, quem conſtituit Dux ſuper familiam ſuam; maxime tamen deputatus eſt in miniſterium Dominae Duciſſae Mech-*

aaa) In Bauaria tamen Ducem vel ipſum, vel per delegatos iudices hoc anno fuiſſe prodit memoria celebris Curiae Moſeburgi habitae, in qua Altmannus & Eberhardus de Abinesberg Monaſterio Admontenſi praedium quoddam in Houcheim ſolenniter tradiderunt coram teſtibus, more Bauarico per aures tractis, quorum nomina infra (Probat. N. LXIV.) exhibemus, vt pateat, quam numeroſam Comitum & Nobilium multitudinem in ſola Bauaria habuerit Henricus noſter.

Mechtildis, religioſiſſimae foeminae, cuius memoria apud Deum nota eſt & apud homines, filiae Regis Anglorum. Quae lineam generoſitatis ſuae, quam ex longa regalium parentum proſapia traxit, piis operibus extulit, & caritatis inſiſtens effectibus, religionis decore venuſtauit. Erat enim ſummae pietatis, circa afflictos mirae compaſſionis, eleemoſynarum larga erogatrix, & orationibus dedita: Miſſarum, quas plurimas decantari fecit, deuotiſſima frequentatrix. Fidem quoque coniugii illibatam cuſtodiens, thorum conſeruabat immaculatum. Manebat autem in Brunſwich, omni tempore, quo Dux peregrinatus eſt, quia tunc praegnans erat. Mox addit, in miniſterio eius fuiſſe *Henricum Aduocatum de Luneburg* & *Ecbertum* modo nominatum, quia hunc prae caeteris fidelem & in domo ſua inclytum Dux exiſtimauerit. Poſt octauam igitur Epiphaniae Anni 1172. Brunſuico diſceſſit *Ratisbonam*, vbi diem Purificationis celebrauit, & ex ſalina Reichenhallenſi Monaſterio S. Zenonis ibidem ſito donationem fecit. Diploma, quod infra (Probat. N. LXV.) exhibemus, ſignauit *Balduinus, Notarius Domini Ducis*, eiusque itineris comes, qui Anno Dominicae Incarnationis 1172. adiecit praeterea hanc notam Chronicam: *Glorioſiſſimi autem Henrici Ducis Bauariae & Saxoniae anno peregrinationis primo.* Ex quo loco Bangertus refutatur, qui ductu neſcio quorum antiquorum Chronicorum MSS. pugnat pro Anno Chriſti 1171. quo Henricus ſacrum iter inierit; aſſeclam nactus, quod mireris, Caſparum Sagittarium. Sed in viam redeundem. Ratisbonae nouos ſibi ſocios itineris adſcuit *Fridericum Marchionem de Sulzbach* & *Marchionem Stiriae.* Hinc proceſſit ad Henricum Auſtriae Ducem, vitricum ſuum, qui ei *Nuemburgi* occurrit, vbi *mater eius Gertrudis* ſepulturam olim ſortita erat. Locus ad Oenum Danubio ſe miſcentem, paulo ſupra Patauium, ſitus eſt. Nauibus hic comparatis Viennam Auſtriae metropolim itum eſt. (bbb) Huc Ducem ſecutus eſt *Epiſcopus Wormatienſis, Friderici Imperatoris Legatus ad Manuelem Graecorum Regem, pro filia ipſius filio ſuo in matrimonio ſocianda.* (ccc) Non ergo pro voto ſucceſſit Legatio ad Regem Angliae antea deſtinata, vt eius filia Imperatoris filio acquireretur. Dux Auſtriae cum noſtro Duce iuit nauigiis *Meſenburgum*, nunc *Meſeritzum*, in finibus Hungariae; vbi Legatus Regis Hungarorum Flo-

bbb) Arnoldus Lubec. Lib. III. c. 3. quem Dn. Eccardus Ducem ſequitur, nihil habet de *nauibus Nuemburgi comparatis*, quibus inde Viennam ſecundo Danubio deſcenſum ſit. Hoc ſolum habet, quod vitricus priuigno *Nuemburgi* totus feſtinus occurrerit, eumque inde Viennam deduxerit, *vbi*, ſcilicet Viennae, *comparatis nauibus - - Dux cum ſuis nauale iter per deuexa Danubii arripuit.*

ccc) *Verius tamen*, addit Arnoldus, *id factum creditur, vt tam familiari Legatione accepta benigne Ducem Rex Graeciae* (Imperator Conſtantinopolitanus Manuel) *ſuſciperet, & benignius per terram ſuam ducatum ei praeberet.*

Digitized by Google

Florentius vtroſque excepit. *Granam* mox peruentum eſt, vbi nuntius de Rege Hungarorum veneno extincto ad aures peregrinantium peruenit. Ad Archi Epiſcopum itaque Regni miſſi ſunt Conradus Epiſcopus Lubecenſis, Henricus Abbas S. Aegidii & Bertholdus Abbas Luneburgenſis pro duce itineris obtinendo; quod officii genus Florentio iniunctum. Charibdim Danubii, quam *Schere* veteres appellarunt, tranſeuntes, Dux naufragium pertulit, & nauicula arrepta ad terram tractus eſt; *Gunzelinus* vero & *Iordanus Dapifer* natando euaſerunt. Nauigio reparato, Brandiſium venere, *vrbem* iam *Graecorum Regis;* vnde terreſtri itinere *Bulgarorum ſilua* non ſine maxima difficultate tranſeunda erat. *Seruii* inhabitatores *Rauanellae* appropinquantes inimice excipiunt. Vix euaſere inſidias illorum noſtri, qui tamen tandem *Nicaeam* ſeu Niſſam ſoſpites attigerunt. Magnifice hic exceptus eſt Dux, & *Adrianopolim*, inde vero *Vinopolim* & vltimo prope *Conſtantinopolim* Regiis ſumtibus deductus eſt. Venit illuc in Paraſceue, celebrataque Dominica Paſſione, & Sanctae Reſurrectionis die peracta, Regis Graecorum aulam adiit. Praemiſerat munera multa & pretioſa pro conditione terrarum ſuarum, *equos pulcherrimos ſtratos & veſtitos, loricas, gladios, veſtes de ſcarlato & lineas tenuiſſimas.* Rex magnifico totius aulae apparatu Ducem excipiebat. Nullus ex magnatibus deerat. Proceſſio eodem tempore ſolennis agebatur. In ea *Rex cum Duce* procedebat per vicos aulaeis & aliis rebus pretioſis ornatos. Sacris peractis, mota eſt poſt prandium a Rege Graecorum quaeſtio *de proceſſione Spiritus Sancti*, qua de re Henricus Abbas S. Aegidii docte eleganterque diſſeruit. Regina Duci donauit *Samittos plurimos*, vt omnes Ducis milites Samittis veſtirentur; quibus addidit eadem *cuilibet militi pelles varias & pelliculam Zobilinam.* Rex nauem Duci firmiſſimam conceſſit; ſed nihilominus, vbi diſceſſiſſent, tempeſtate pene ad naufragium diuexati ſunt, antequam Acconem attingerent. Haec ex Arnoldo hactenus excerpſi, qui cap. VII. addit: *Dux applicans ad Accaron vel Accon, magnifice ſuſceptus eſt ab Accaronitis, & aſcenſis equis, rabitis, mulis, quidam etiam aſinis, proceſſerunt ad vrbem Hieroſolymitanam, & occurrerunt eis Templarii & Hoſpitalarii, cum grandi comitatu; & honeſtiſſime excipientes Ducem, duxerunt in ſanctam ciuitatem, & ſuſceptus eſt a Clero cum hymnis & laudibus Dei. Obtulit autem Dux ad Sanctum Sepulchrum pecuniam multam, & Baſilicam, in qua lignum Domini repoſitum eſt, ornauit muſiuo opere, & oſtia eiusdem Baſilicae veſtiuit argento puriſſimo. Deputauit etiam reditus annuos ad cereos comparandos, iugiter ad Sanctum Sepulchrum arſuros. Templariis quoque & Hoſpitalariis dedit dona & arma plurima, & mille marcas argenti, ad comparanda praedia,*

quibus tirones teneantur tempore belli. Rex autem in domo propria fecit ei cum ſuis conuiuium per triduum. Viſitatis ergo omnibus locis ſanctis, in Ioſaphat, in monte Oliueti, in Bethlehem, in Nazareth, abiit ad Iordanem, deducentibus eum Templariis, & inde aſcendit Quaretenam. Non hic legendum *Carmelus*, vt Illuſtris Leibnitius putauit, ſed *Quaretena* ſiue *Quarantena* deſertum erat inter Iordanem & Hieroſolymam, montibus aſperum, vbi Chriſtus a Sathana tentatus fertur. Ieiunabant hic pii Chriſtiani aduenae, Chriſtum imitantes, per quadraginta dies; vnde loco poſtea nomen. Autographum donationis trium lampadum in Eccleſia Dominicae Reſurrectionis conſtitutarum ſupereſt Brunſuici in Archiuio Ducum communi. In eo (Probat. N.LXVI.) dicitur: *Ego Henricus per Dei gratiam Bauariae & Saxoniae Dux, miſericordiae inſtinctu tactus, pro remiſſione omnium peccatorum meorum & inclytae vxoris meae Duciſſae Mathildis, magnifici Anglorum Regis filiae, & eorum, quos Deus miſericordiae ſuae dono mihi dederit haeredum, nec non & totius generis mei, tres lampades perpetuo ad honorem Dei ardentes, in Dominicae reſurrectionis Eccleſia locari conſtitui & ordinari: quarum lampadum vna coram glorioſo Domini Sepulchro ardeat, altera vero in Caluariae loco ante Dominicam paſſionem, tertia autem coram viuifico Sanctae Crucis ligno conſtituatur. Verum ad ſupplendum, & perpetuo hoc miſericordiae opus ſubminiſtrandum, quingentis Biſantiis domos Michaëlis Turbitoris, muro Dominicae reſurrectionis Eccleſiae contiguas, libero Domini Ieroſolimorum Regis conceſſu emi, quae domus annuatim viginti Biſantios cenſuales reddunt, vnde oleum ad opus lampadarum perpetuo ardentium emi debet, & tam Dominus Patriarcha, quam Sanctae reſurrectionis Eccleſiae Conuentus, mihi fideli verbo promiſerunt, quod de reditu domus, praedictis tribus lampadibus oleum annuatim emetur & die noctuque ardebunt.* Datum eſt hoc diploma *Anno Dominicae Incarnationis MCLXXII. praeſidente venerabili A. Patriarcha in Patriarchali cathedra & A. inclyto Latinorum Rege quinto in Ieruſalem regnante.* Teſtes donationes fuere *Dominus Patriarcha A. & P. Dominicae reſurrectionis Eccleſiae Prior, & eiusdem Eccleſiae Subprior & plures alii Canonici & Clerici; de hominibus vero Ducis, Comes Gunzelinus, Comes Sigebodo, Comes Helgerus, Comes Rudolphus, Comes Bernhardus, Iordanus Dapifer, Iuſarius frater eius, & plures alii.* (ddd) Pendent ex diplomate hoc tres bullae plumbeae, quas in tabula I. ſub N. 8. 9. 10. accurate aeri incidi curauimus. *In prima* cernitur ab vna parte crux cum $\overline{\text{IC}}$ $\overline{\text{XC}}$ NIKA ſiue *Ieſus Chriſtus vincit*, & circum: SIGILLVM CANO-

ddd) Huic donationi adiungo aliam vetuſtiorem, itidem Hieroſolymis, itidem ad Sanctum Sepulchrum, factam; (Probat. N LXVII.) cuius forma abludit a noſtra.

CANONICORVM; in altera vero eius parte exhibetur templum reſurrectionis & in circuitu continuatur: SANCTISSIMI SEPVLCHRI. In altera bulla ſiſtitur in prorſa Chriſtus reſurgens cum cruce in ſiniſtra; dextra eleuans adorantem ſe, Rege Reginaque adiacentibus & manus complicatas attollentibus cum appoſitis verbis Graecis: H. ANACTACIS ſiue ἁγίη ἀνάςασις, h. e. *ſancta reſurrectio:* in vorſa legitur: AMALRICVS SCE. RESVRRECTIONIS ECCLESIAE PATRIARCHA. In tertia bulla eſt in antica Rex coronatus, in ſella regali ſedens, (eee) dextra crucem, ſiniſtra pomum crucigerum tenens, & circum conſpiciuntur verba: AMALRICVS DEI GRACIA REX IERVSALEM; in poſtica vero delineata eſt porta turrita cum duabus turribus minoribus rotundiformibus; in vnius apice luna, in alterius vero ſummitate crucicula conſpicitur, & circumſculptum eſt: CIVITAS REGIS REGVM OMNIVM. Proprio ſigillo modeſtiae cauſa Henricus non vſus eſſe videtur. (fff) Godefridus Colonienſis, qui tamen perperam cum Roberto de Monte, Sigeberti continuatore & Gobelino iter Henrici in Annum 1173. reponit, dicit; Henricum *D. milites ſecum Hieroſolymam duxiſſe.* Arnoldus vero prodit Cap. V. ſecundum Codicis Ranzouiani lectionem, *mille ducentos* viros gladium educentes in eius comitatu fuiſſe. Vulgaris enim editio perperam hic *ducenta millia* exhibet. Robertus de Monte Dacherii innuit, hacce ſtrenuorum militum manu Ducem in hoſtes Chriſtianae religionis pugnare voluiſſe; ſed inuidia Regis Hieroſolymitani & Templariorum impeditum, nihil fortiter egiſſe. *Henricus,* ſcribit is, *Dux Saxonum & Bauarorum, gener Henrici Regis Anglorum, perrexit Ieruſalem cum magno comitatu militum, & magna ibi incepiſſet, & forſitan perfeciſſet incepta; niſi Rex & Templarii obſtitiſſent. Theſauros tamen, quos ſecum portauerat, larga manu diſtribuit pauperibus & Eccleſiis ſanctae terrae.* Luſtratis igitur locis, vbi Chriſtus olim conuerſatus, *Hieroſolymam* rediit, & duobus diebus cum Patriarcha ibi commoratus, Acconem ſiue Ptolemaidem reuertit, comitatus inde a Templariis Antiochiam vsque. Milo quidem Armeniae Princeps, Saracenorum amicus, tranſitum per terram ſuam offerebat; ſed fides eius ſuſpecta erat. Nauibus ideo a Principe Antiochiae conceſſis, ad *Portum Simeonis,* qui & Seleuciae dictus eſt olim,

 appli-

eee) Lubet confirmare huius ſigilli auctoritatem quodam diplomate, quod idem Rex Almaricus Anno 1165. Piſanis dedit, (Probat. N. LXVIII.) cui appendet ſigillum plumbeum, ex deſcriptione Notarii prorſus ſimile noſtro.

fff) Nec hic opus erat; cum litterae iſtae contineant promiſſionem eorum, quae Regi & Patriarchae praeſtanda incumbebant.

applicuit. Hinc Tarſum, tunc *Torſult* vocatam, veniens, reperit quingentos Turcarum Soldani milites, qui eum per Milonis terram deducerent. Per triduum deſerta *Rumeniae* ſiue *Romaniae* peregrinantibus moleſta fuerunt. Emerſos inde *Heracleae* magnifice exceperunt Turcae, *Axaratum*que comitati ſunt, vbi Sultanus ipſe Duci occurrit, *amplexatus & deoſculatus eum, dicens, eum conſanguineum ſuum eſſe. Cumque Dux perquireret affinitatem conſanguinitatis; ille reſpondit: Quaedam nobilis matrona de terra Teutonicorum nupſit Regi Ruthenorum, qui genuit ex ea filiam, cuius filia deuenit in terram noſtram; de qua ego deſcendi.* In diſſertatione de connexione Familiae Brunſuicenſis & Czareae ex Lamberto Schafnaburgenſi oſtendi, tempore Henrici IV. Imperatoris Weſewolodum Ruſſiae Regem in matrimonio habuiſſe ſororem Burchardi Treuirenſis Eccleſiae Praepoſiti. Quodſi igitur Burchardus Henrici Leonis maiorum cognatus fuiſſet, quod forte facile concedi poterit, Sultani affinitas, licet paullo longius petita, (ggg) non tamen plane fictitia fuiſſet. Sic enim conſtaret:

N. cuius vxor N. maiorum Henrici Leonis conſanguinea.

Burchardus Praepoſitus Treuirenſis. — N. vxor Weſewolodi Ruſſiae Regis.

N. filia.

N. filia, vxor Clitziaſthlani I. Soldani Iconienſis.

Maſutus Soldanus.

Clitziaſthlanes II. Soldanus, qui Ducem Henricum Leonem conſanguineum ſuum vocat.

Gratulatus deinde Henrico eſt Soldanus, quod Milonis inſidias euaſiſſet, eique dona plurima dedit; *mantellum & tunicam de optimo ſerico;* vnde propter operis excellentiam Caſula & Dalmatica poſtea confecta. Mille

&

ggg) Hic mihi in mentem venit Ida, Leopoldi Auſtriae Marchionis vidua, quae Anno 1101. vna cum Duce Welfo I. ſiue Conquaeſtore, & cum Thymone Salisburgenſi Archi Epiſcopo ad terram ſanctam profecta, in ipſo itinere intercepta, & barbaro Principi nuptui tradita eſt, cui *Sanguinum* peperit, illum ſceleratiſſimum, cuius debellandi cauſa Anno 1147. ſuſcepta fuit expeditio ſacra. Huius filium ſeu nepotem ſi ſtatuere liceret Soldanum, de quo agitur, (vti per Albericum ad Annum 1168. omnino licere videtur;) non amplius e longinquo arceſſenda eſſet eius cum Henrico Leone conſanguinitas.

Digitized by Google

& octingenti equi adducti, vnde militum Ducis quilibet ſibi equum elegit. Duci ipſi triginta fortiſſimi equi donati ſunt cum frenis argenteis & ſellis optimis de pallio & ebore compoſitis. Datae etiam ſunt eidem ſex domus filtrinae, & ſex cameli, qui eas ferrent, (hhh) cum ſeruis, qui illos ducerent. Additi *duo leopardi* & equi & ſerui; docti enim erant ſedere in equis. De religione Chriſtiana quoque ſermo incidit, quam Soldanus non improbauit. Dimiſſus a Soldano Dux *Inſciam* ſiue *Nicaeam* Concilio celebrem (iii) venit, & inde *Cunin* ſiue *Iconium* ciuitatem Turcarum principem. Terra dehinc arida & deſerta, in qua Conradus III. Rex Romanorum cum exercitu ſuo multa perpeſſus erat, peragrata, deinde nemore maximo, quod diuidit terram Turcorum & Graecorum, trium dierum itinere emenſo, vrbeque *Amacha* relicta, & *Brachio S. Georgii*, ſiue freto Gallipolis, tranſito, ad vrbem *Willekume* ſiue Gallipolim veterum & mox *Conſtantinopolim* venit. Equis hic aſcenſis, *Magnepolim*, quae olim Maximianopolis dicebatur, petiit, vbi tunc Rex Graecorum erat. Hic plurimum laetatus de reditu eius, honeſtiſſime detinuit eum aliquot diebus, obtulitque quatuordecim mulos, auro argentoque & ſericis veſtibus oneratos; quos tamen Dux, gratiis immenſis actis, accipere nolebat. Dedit itaque ei Rex Graecorum *Reliquias Sanctorum multas & pretioſas, quas poſtulauerat. Addidit etiam multam lapidum pretioſorum gloriam.* Vltimo inde vale Regi dicto, *Nicaeam* rediit & ſuperato Seruiorum nemore, ad Hungarorum Regem venit, qui fratri nuper ſucceſſerat, Ducemque nunc ad fines Ducatus Bauariae comitari fecit. (kkk) Poſt haec abiit ad Imperatorem, qui tunc erat in ciuitate Auguſta, & multo gaudio de reditu Ducis incolumi perfuſus eſt. *Reuoluto autem anno* addit Arnoldus cap. XII. *reuerſus eſt Brunſchwig* (lll) *& laetati*

hhh) Domus filtrinae tentoria fuerunt, conſtantia ſtragulis craſſis, ex lana coacta confectis, quae pileis noſtris adhibetur, ne perpluant. Germani *filtz* vocant: ex quo vocabulo Scriptor Germanicus filtrinas domunculas ſuas formauit.

iii) Vbique malum Geographum ſe praeſtat Dn. Eccardus. *Inſcia* certe *Nicaea* eſſe non poteſt Conſtantinopoli propinqua, cum *Inſcia* relicta Henricus demum *Iconium*, in Aſiae meditullio ſitum, attigerit.

kkk) Hoc fieri nequiuit propter Auſtriam interiectam, cum nemini liceat alteri per alienum territorium conductum praebere. Neque hoc dicit Arnoldus Lubec. ſed ſolum inquit; *Rex honeſtiſſime ſuſcepit eum, dans ei conductum per terram ſuam* h. e. per Hungariam. Per Auſtriam enim id ei non licuit.

lll) Hic non omittenda erant, quae addit Arnoldus: *Et ditauit domum Dei reliquiis Sanctorum, quas ſecum attulerat, veſtiens eas auro & argento & lapidibus pretioſis; inter quas etiam erant brachia Apoſtolorum plurima.* Harum bona copia ſupereſt. Nam etſi Henricus aliquas vicinis Eccleſiis dono dedit; filii tamen & poſteri eius has lacunas aliunde ſuppleuerunt. Sic ex certis Chartis nouimus, de ligno Domini ad Eccleſiam Sanctae Crucis Hildenſemenſem; quemadmodum de ſanguine Domini ad Wiſmarienſes Monachos eius beneficio non nihil perueniſſe. Otto IV. Imperator, hunc

laetati ſunt omnes amici eius de aduentu ipſius. Poſt Octauam Epiphaniae Anno 1172. diſceſſerat Henricus Dux, &, cum *reuoluto anno* reuerſus ſit, neceſſe eſt, ſub initium Anni 1173. rediiſſe. Iter Henrici itaque recte in Annum 1172. referunt Robertus de Monte Dacherii, Albertus Stadenſis & Chronicon Auguſtanum. Auctor Chronici Stederburgenſis male Annum 1171. ei aſſignat, quem, vt ſupra dixi, miror aſſeclam reperiſſe Sagittarium Hiſtor. Bardeuici p. 198. cum tamen viderit Henrici Chartam de tribus lampadibus Eccleſiae Reſurrectionis Anno 1172. donatis. Robertus vero de Monte prioris editionis, & Godefridus Colonienſis, reditus annum cum itinere confundentes, etiam non recte iter in Annum 1173. differunt.

§. 62.

Anno vero 1173. ineunte cum redierit Henricus Dux, tunc demum ordinandae Eccleſiae S. Blaſii incubuit. *Ditauit*, inquit Arnoldus cap. 12. *domum Dei Reliquiis Sanctorum, quas ſecum attulerat, veſtiens eas auro & argento & lapidibus precioſis; inter quas etiam erant brachia Apoſtolorum plurima. De optimis etiam palliis ad ornatum diuini ſeruitii fecit caſulas plurimas Dalmaticas, & ornauit Eccleſiam. Erat autem idem Princeps deuotiſſimus in ornatu domus Dei, vt in Eccleſia Beati Blaſii, quae eſt in Brunſwig ciuitate; quam tamen, aduerſitatibus ſuccedentibus, ad quas quidem inuiti veniemus, ad libitum non conſummauit.* Reliquiarum copiam fuiſſe oportet, cum eae, quae Anno 1671. a Sereniſſimo Duce & Domino, Domino Rudolpho Auguſto ex Eccleſia S. Blaſii Sereniſſimo Duci ac Domino, Domino Iohanni Friderico datae ſunt, & hic Hanouerae aſſeruantur, magnum ſatis numerum faciant. Deſcriptionem earum ſub titulo *Lipſanographiae* edidit olim Reuerendiſſimus D. Gerhardus Molanus, Abbas Luccenſis & rerum Eccleſiaſticarum in Electoratu Brunſuicenſi Director. Aliquot inde in aere exhibere placet.

Sub Num. I. comparet machina argentea deaurata operis Graeci, forma Monſtrantiae, vt vocant, in cuius medio per vitrum conſpicitur hierotheca ex auro ſolido cum Inſcriptione: ΛΙΨΑΝΟΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΕΡΟΜΑΡΤΥΡΟϹ ΒΛΑϹΙΟΥ. Sub his S. Blaſii Reli-

hunc theſaurum, Eccleſiae Sancti Blaſii Brunſuicenſis fidei commiſit, & Coniugi ſuae vnum brachium ex eo legauit. Ita enim habent verba eius teſtamenti apud Meibom. Scriptor. T. III. p. 148. *Omnes reliquias, quas pater noſter habuit, & nos habemus, Deo & S. Ioanni Baptiſtae & S. Blaſio in Bruneſwic perpetualiter offerimus; praeter vnum brachium, quod vxori noſtrae praeſentabitur.* Henrici Mirabilis filius Henricus, quem ob iter in Orientem inſtitutum *de Graecia* vocant, ſpinas de corona Domini, aliique Duces alia addiderunt, quae hodienum in ſecreto Sacelli arcis Hanouerae cuſtodiuntur, & duo ſatis ſpatioſa armaria implent, duarum valuarum vnumquodque.


Digitized by Google

Tab. IV. ad p. 81. N° I



Digitized by Google


Tab. V. ad p. 81. N.° II.



Digitized by Google

Digitized by Google

Tab. VI. ad p. 81. Nº III.




Digitized by Google

Digitized by Google

Tab. VII. ad p. 81.

N. IIII.



N. V.



Digitized by Google

Digitized by Google

Tab. VIII. ad p. 81.

N° VI.




Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Reliquiis latet POLLEX DE S. MARCO. Quod ſi verum eſt, vane glorianur Veneti, ſe integrum S. Marci corpus obtinere. Quanquam, vt verum fatear, ex literarum ductibus coniicio, hanc vltimam Inſcriptionem poſt tempora Henrici Leonis acceſſiſſe.

Num. II. machina eſt, monſtrantiae forma, ex argento deaurato, in ea Beatiſſima Virgo Maria puerum Ieſum dextra tenens, ſiniſtra pomum monſtrans Altari inſidet, valuis inſcriptum eſt: ANDREE APLI. MAVRICII. BLASII. GEORGII. CLARE VIRGINIS.

Num. III. Monſtrantia argentea & deaurata, cuius medium cryſtallinum recondit DENTEM S. IOHANNIS BAPTISTAE; ſed ſcriptura operi poſterior, nec Henrici Leonis aetate vſitata erat. Infra videbimus, hunc dentem inter Imperii clenodia ab Ottone IV. Imperatore numeratum. (mmm)

Num. IV. vt ſubſcriptum eſt, exhibetur argento deaurato inditum BRACHIVM SCT. INNOCENCII MR. DVCIS TEBEORVM. Et circa haec legitur: DVX HENRICVS ME FIERI IVSSIT AD HONOREM DEI.

Num. V. eſt etiam argento deaurato inditum BRACHIVM S. TEODORI MR. ſimiliter circum ſcriptum eſt, hoc opus *Henrici Ducis iuſſu* confectum eſſe.

Num VI. Crux ex auro filatim elaborato, quod *filigranne* Galli dicunt, & gemmis ornato, pedi inſiſtens argenteo & deaurato. Reliquiae ea continentur S. PETRI APOSTOLI. S. MARCI EVANGELISTAE. S. IOHANNIS BAPTISTAE. S. SEBASTIANI.

Num. VII. Crux eſt aurea lamina obducta, in cuius medio Agnus Dei & in angulis imagines quatuor Euangeliſtarum conſpiciuntur. Sub Agno Dei legitur: REL. S. VALERII EPI. PANCRATII. M. DE LAPIDE POSITO SVB. . . . Reliqua non amplius diſtincte cerni poſſunt: ex ductibus tamen exiſtimo ibi fuiſſe: SEPVLCHRO DO*mini*. Auerſa crucis huius pars gemmis ornata eſt pluribus, inter quas tres celatae Regum vel Principum Normannorum aut Danorum effigies exhibent cum literis Runicis, hactenus a nemine intellectis.

Sed

mmm) Nos contra eodem loco oſtendemus, non hunc dentem, ſed alium, (ſi quidem S. Iohannem, vt caeteros homines, vtique plures vno dentes habuiſſe nemo negauerit,) ab noſtro diuerſum, a Ludouico Bauaro inter clenodia Imperii Carolo IV. tradita numeratum fuiſſe.

Sed haec in ſpecimen dediſſe ſufficiat. Qui ingentem aliorum Lipſanorum copiam cognoſcere cupiunt, magnam partem ab Henrico Duce procuratam, in citato Reuerendiſſimi Dn. Abbatis Luccenſis libello curatius illa conſiderare poterunt. (nnn) Apportauit quoque Hieroſolymis *de ipſa Dominici Ligni ſubſtantia Crucem quandam, eamque Eccleſiae S. Crucis in ciuitate Hildenſemenſi* poſtea donauit, atque, vt ea ab vniuerſo eiusdem Eccleſiae Fratrum Collegio ſeruetur & cuſtodiatur peculiari diplomate cauit; (Probat. N. LXIX.) quin ipſo de ſanguine Domini portio quaedam eius beneficio ad Henricum Epiſcopum Lubecenſem, & per hunc ad Monachos Wiſmarienſes peruenit, qui eam diuiſere cum maioris patriae ciuibus Aegidianis Brunſuicenſibus: quod ex ſubiecta Charta (Probat. N. LXX.) patebit.

§. 63.

Hoc etiam in tempus recentiores, & praecipue Letznerus, referunt exſtructionem *Palatii Ducalis* Tanquarderodae, & munitionem *Indaginis* vulgo *Hagen* dicti; nec non *fundationem Eccleſiae S. Catharinae*, aliorumque aedificiorum ſacrorum, de quo ego, veteribus tacentibus, aliquid aſſerere nolim. Dn. Rethmejerus in Additionibus ad Letznerum pag. 343. coniicit, tunc etiam Henricum Ducem Capellam *Lehndorfii* Brunſuiga non procul fundaſſe, quia Anno 1717. prope illam Capellam inuenta ſit argentea maſſa, pondere viginti lotonum, cuius medio Leo cum ſtella dimidia malleo incuſſa. Putat inde hoc numisma mnemonicum eſſe, quod Henricus lapidi Capellae fundamentali ſubdiderit. Sed, pace viri docti, profiteor; illum hic vehementer falli. Neque enim vnquam demonſtrare poterit, moris tunc fuiſſe numiſmata fundamento aedium ſacrarum inſerendi. Et maſſa illa argentea non eſt numisma, ſed argentum in officina numaria Brunſuicenſi probatum, & iuſtae puritatis inuentum, ideoque ſigno vrbis, noſtra aetate adhuc conſueto, & Monetarii notatum. Germanice argentum ſic ſignatum *ein Müntz-König* nominatur. Agnoſcent hoc ſtatim & confitebuntur omnes, quibus artis probandi in officinis monetariis argenti vel leuis eſt notitia.

§. 64.

Henricum non diu Brunſuici commoratum, ſed mox *Luneburgum* adiiſſe, ex Arnoldi Lib. II. c. 13. ſuſpicamur. Obierat praeterito anno

nnn) Vel potius deſcripta legere; conſiderare enim non poterunt, quia iſte libellus figuris caret. Interim difficile eſt iudicare, quae ex his ab Henrico Hieroſolymis vel Conſtantinopoli aduecta, & quae a poſteris eius ſuccedente tempore ſint addita, magis ex indumentis & exteriori ornatu, quam ex ſe ipſis aeſtimanda.

Digitized by Google

anno in itinere, & quidem in vrbe Ptolemaide, *Conradus Epiſcopus Lubecenſis*; vnde Canonici Lubecenſes a Duce Epiſcopum ſibi expetiere *Henricum Abbatem S. Aegidii*, eumque obtinuere. Electus Epiſcopus *Luneburgum* perrexit, ibique *inueſtituram Ducalem ab eodem accepit*. Luneburgo *Lubecam* mox ipſe Dux venit, ibique *eodem tempore* aedificare *coepit Eccleſiam Lubecanam in honorem Iohannis Baptiſtae & S. Nicolai Confeſſoris Chriſti, & primum cum Henrico Epiſcopo lapidem in fundamento poſuit. Ad conſummationem* operis *quouis anno centum marcas denariorum dedit*. Eandem etiam *Raceburgi* liberalitatem exercuit.

§. 65.

Eodem Anno 1173. Fridericus Imperator expeditione Polonica pro voto facta, in Saxoniam venit, atque a Bernhardo, Alberti Vrſi Marchionis filio, eiusque fratribus hereditatem demortuorum olim *Plocecenſium*, iure quo neſcio, poſtulauit, contra renuentes bellum minatus. *Interuentu tamen Principum quorundam* (inter quos Henricum Ducem, Bernhardo tunc amicum, fuiſſe non dubito) *hoc diſtulit, qui eos ad gratiam eius reducere promiſerunt*, Godefrido Colonienſi teſtante. Deinde *Francofurtum* perrexit Imperator, ibique VI. Id. Iulii confirmauit concambium, (Probat. N.LXXI.) quo *fidelis ſua Adelheidis, Eccleſiae Quedelinburgenſis & Gandersheimenſis Abbatiſſa* Fratribus de Lapide S. Michaëlis *dedit ſiluam quandam cum fundo, ſitam ante Hartum, iuxta riuum, qui dicitur Goltbeke, in Cometia dilecti conſanguinei ſui Henrici Ducis Bauariae & Saxoniae*, & eius loco recepit a fratribus de Lapide de S. Michaëlis XIV. manſos & dimidium. Subnotatus eſt primus inter Saeculares teſtis *Henricus Dux Bauariae & Saxoniae*. Diploma integrum Kettnerus Dipl. Quedlinb. p. 188. ſq. in lucem emiſit.

§. 66.

Anno 1174. Henricus Dux in Bauariae *Curia Hering* ſubſtitit aliquantiſper, & ibi Monaſterio Cremiſanienſi XV. Cal. Octobris, Rettenpachero Annal. Cremiſanienſ. Cap. XII. p. 163. teſte, (Probat. N.LXXII.) confirmauit anteceſſorum dona, Welfi IV. inprimis, qui ad Monaſterium Cremiſanenſe dederat Stainportz & ſiluam Prenbach Anno 1093. Vnde in Henrici diplomate memorato pro *auus* noſter Dux Welfo legendum *proauus* noſter: vti Fridericus I. Imperator eum in ſua confirmatione recte vocat. (Probat. N.LXXIII.) Auus enim Henrici noſtri Henricus Niger fuit. Huius confirmationis mentionem fecit Alexander PP. III. Anno 1178. in recenſione & confirmatione praediorum omnium ad hoc Monaſterium pertinentium. (Probat. N.LXXIV.)

L 2 Caete-

Digitized by Google

Caeterum Curia Hering, e qua hoc diploma datum eſt, in Palatinatu ſuperiori prope Vilſeccam iacet, & hodie Bambergenſi Praeſuli paret.

§. 67.

Eodem anno, conſenſu Principum, Expeditio in Italiam decreta & menſe Septembri ſuſcepta eſt ab Imperatore, Papienſium praeſertim & Marchionis de Monteferrato inſtinctu. *Alexandria*, quam nuper Longobardi & in his praecipue Mediolanenſes, Alexandri III. Pontificis aſſeclae, aduerſus Imperatorem conſtruxerant, graui obſidione preſſa eſt; ſed fruſtra. Longobardi quidem inducias quasdam cum Imperatore conſtituerunt Anno 1175. mox tamen, vbi Fridericus militibus Germanicis poteſtatem in patriam redeundi dediſſet, inimicos animos reſumſere, denuntiantes, *ſe omnino ſacramentum fidei violaturos, niſi Alexandrinos in conditione illius pacis conſortes haberent. Sed Imperatore id recuſante, iterum more ſuo Longobardi foedus periurio ſoluunt. Qua neceſſitate Caeſar impulſus per omne Teutonicum Regnum directis nuntiis nouum exercitum adunari praecepit.* Sic Godefridus Colonienſis haec refert. Fridericum Alpibus transmiſſis in Germaniam veniſſe auxilia Principum ſibi procuraturum Arnoldus Lubecenſis Lib. II. c. 15. aſſerit. Otto de S. Blaſio cap. 23. veroſimilius dicit, eum ſolum Legatos in Germaniam miſiſſe, Principesque & praecipue Henricum Leonem, ad colloquium *Clauennam* prope Lacum Cumanum vocaſſe. Chronicon Montis Sereni *Principes Saxoniae* ſolum inuitatos fuiſſe ad locum *Bartenkirche* dictum, in introitu Alpium non procul Clauenna ſitum (ooo) refert.

§. 68.

Receſſerat ab Imperatore Alexandriam obſidente, Henricus Dux, ſi quidem Abbas Vrſpergenſis non fallit, qui hoc ſolus memoriae prodidit. Hunc ergo ad ſe omni conatu retrahere conabatur, cum Longobardos imminere ſentiret. Otto de S. Blaſio cap. 23. *Mediolanenſes videntes exercitum Caeſaris defluxiſſe, rurſus rebellare praeſumunt. Imperator anguſtatus legatos in Germaniam pro ſupplemento exercitus direxit, ſimulque ad Henricum, auunculi ſui filium, Ducem Saxoniae & Bauariae, vt Clauennae ad colloquium ſibi occurreret: venientique obuiam procedens, vt periclitanti Imperio ſubueniret, plus quam Imperialem decet maieſtatem, humi-*

ooo) Pudet me Dn. Eccardi, qui ne leuiter quidem ſe ſcientia locorum Germaniae tinctum toties prodit. *Partenkircha* oppidum eſt in introitu Alpium Tyrolenſium, ſitum inter mediam ſiluam & fontem Ambronis & Ambergauiam, de qua toties diximus. Comitatus Werdenfeldenſis caput eſt, & ad Friſingenſem ſpectat Eccleſiam. Qui locus cum in extremis Bauariae finibus ſitus ſit, in eo Fridericum Henrico occurriſſe, veri haud ſit diſſimile.

Digitized by Google

humiliter efflagitauit. Dux igitur Henricus, vtpote ſolus ad ſubueniendum Imperio hoc tempore potentia & opulentia idoneus, Goslariam ditiſſimam Saxoniae ciuitatem iure beneficii pro donatiuo ad hoc expetiit. (ppp) *Caeſar autem tale beneficium ſibi inuito extorqueri ignominioſum exiſtimans, minime conſentit. Pro quo Henricus iratus ipſum in periculo conſtitutum recedens reliquit.* De colloquio Henrici Ducis cum Imperatore alii Scriptores aliter paulo loquuntur. Chronicon Montis Sereni ad An. 1180. *Fertur*, inquit, *quod cum Imperator Mediolanum* [Alexandriam ſcribere voluit] *obſideret, viribus ſuis iam valde attritis, Principes Saxoniae ad locum, qui Bartenkirche dicitur, & eſt in introitu Alpium, euocauit, & vt negotiis ſuis auxilium ferrent, rogauit; omnibus autem aliis hoc alacriter ſpondentibus, Dux, licet in prioribus expeditionibus fidelem ſe ei exhibuiſſet, hac tamen vice, quia iam cum Longobardis contra Imperatorem conſpirauerat, ſuum ei prorſus auxilium denegauit. Imperator vero cum tanta humilitate ei ſupplicauit, vt etiam pedibus eius proſterneretur, cum quidem ille eum negligens, nec iacentem attolleret, nec in eo quod petebatur, aliquatenus conſentiret. Quod factum Imperatoris ei odium acquiſiuit, & vtrum iuſte, an iniuſte, Lector iudicet.* Abbas Vrſpergenſis Henrico Duci infenſior rem ita refert: *In hac obſidione* [Alexandriae] *Imperator non profecit; nam Dux Heinricus de Saxonia nepos ſuus perfide ab eo receſſit, ſumpta occaſione de excommunicatione, & forte accepta pecunia. Quem, vt referunt homines, ſecutus eſt Imperator, & ad ipſum veniens ſuper Lacum Cumanum cum magna humilitate poſtulauit, vt ſe non desereret: ita vt videretur pro tali petitione ad pedes eius ſe velle demittere, quod Dux diſcrete recuſauit. Quidam autem officialis ipſius Ducis, Iordanes nomine, narratur ſuperbe dixiſſe. Sinite Domine, vt corona Imperialis veniat vobis ad pedes, quia veniet & ad caput. Tunc Imperator compulſus exercitum ſuum dimittere, cum maximo labore, auxilio praecipue Taurinenſium & Noua-*

ppp) Rideant alii, vt velint, hanc flagitationem, veluti rem nihili, & facili opera parabilem. Nobis aeque ac Henrico maximi momenti videtur. Goslaria enim vna obſtabat, quo minus Henricus totius ſiluae Hercynicae metallorumque in venis eius reconditorum vnus eſſet dominus. Id quod tamen ad augendas opes & ad ſtatuendum auro & argento arbitrarium pretium inprimis pertinere videbatur. Non enim tum per varia exactionum genera ſubiecti Principibus homines atteri ſolebant. Certiſſimi cuiusque reditus e teloniis erant. His vbi metalla acceſſerant, quod paucis contigit, hi tum prorſus beati ſibi videbantur. Quae ratio eſt quod Henricus Goslariam inprimis militiae huius ſtipendium poſtulauerit. Neque iniqua poſtulatio fuit, quia Imperatores ſolebant Principes huic militiae vacantes extra ordinem remunerare. Factum id fuit Anno 1160. teſte Radeuico Lib. II. c. 75. vbi Imperator promiſit, *quod debitis praemiis & honoribus virtutes eorum vellet honorare, qui militiae ſocii eſſent. Immo & aurum & argentum - - & beneficia feudorum aliaque donaria largiter & regaliter diſtribuit.* Quae cum ita ſint, non video, cur Henrico non licuerit ſperare & poſtulare Goslariam longinquae & diuturnae militiae praemium.

rienſium, egreſſus eſt de Italia, per montem Iouis tendens in Burgundiam, terram vxoris ſuae, in quibusdam etiam locis adeo anguſtiatus, vt accepta tunica ſeruientis, ſeruum ſe eſſe ſimularet, & equos, tanquam ſeruus, procuraret. Albertus Stadenſis ad An. 1177. quandam de Imperatrice circumſtantiam huius rei addit, quae non omnino praetermittenda: *Circa idem*, inquit, *tempus Imperator Mediolanenſibus offenſus, Principes in auxilium vocauit, & praecipue Heinricum Ducem. Qui cum ei difficilis eſſet, ad pedes eius procidit; quem Dux leuare contempſit. Sed Imperatrix eum leuauit, dicens: Surge, mi Domine, memor eſto caſus huius, & memor ſit Deus.* Arnoldus Lubecenſis, aequior in Ducem, refert, Imperatorem *Principibus* Germaniae *perturbationem Imperii expoſuiſſe & ad comprimendos rebelles in Italicam expeditionem eos ſecum euocaſſe.* Pergit deinde: *Ducem etiam Heuricum ad hunc laborem omni inſtantia adducere conatus eſt. Et quia eum formidabilem Longobardis expertus erat; dicebat, ſe omnimodis ſine ipſius praeſentia contra eos praeualere non poſſe. E contra ille praetendebat, ſe multis laboribus & expeditionibus tam Italicis, quam etiam aliis innumeris, vtpote iam ſenem, defeciſſe, & omni deuotione Imperatoriae Maieſtati ſe obſecuturum affirmabat in auro & argento, caeterisque impenſis ad exercitum contrahendum, ſed tamen omnino ſalua gratia ipſius in perſona propria venire poſſe negabat.* (qqq) *Ad haec Imperator: Deus, inquit, coeli te inter Principes ſublimauit, & diuitiis & honoribus ſuper omnes ampliauit, omne robur Imperii in te conſiſtit, & iuſtum eſt, vt ad confortandas manus omnium huic negotio praecipuum te exhibeas, vt reſpublica, quae labi coepit, per te conualeſcat, per quem praecipue hactenus ſe ſtetiſſe non dubitat. Memorem te eſſe volumus, quod nihil vnquam tuae voluntati negauimus,* (rrr) *& quia in omni honore tuo ampliando ſemper parati fuimus.*

Ini-

qqq) Totum hoc Henrici cum Caeſare colloquium admodum memorabile eſt, neque a vero aliena ſunt, quae ex eo adducuntur. Henricus noſter Caeſari aurum & argentum ad expeditionem Italicam neceſſarium, ad eum modum, quo Hermannus Hildenſemenſis Epiſcopus alio tempore onus expeditionis Longobardicae datis Caeſari quadringentis marcis argenti redemerat, offert; Offert porro exercitum ſuum; offert impenſas ad eum contrahendum neceſſarias: pro ſe ſolum immunitatem poſtulat. Imperator tamen inſiſtit, vt expeditionem per ſe obeat. Quid aliud inde inferendum, quam Imperatorem, qui in abſentis & orbi Henrici terras paullo ante auaras & inſtabiles manus extenderat, nunc in Italia inſidias in caput eius comparaſſe, quo ipſe, vt ante Guelfica, ita nunc Henriciana potiretur hereditate. Multa enim ſunt, quae manifeſto produnt, Guelfos noſtros in ſolo Germanico mores & candorem Germanicum imbibiſſe; Hohenſtaufios contra, ad Imperii apicem euectos, & hereditatem Mathildis nactos, degeneraſſe in omne perfidiae genus; quod in Friderico II. primi Friderici nepote, erupit in claram lucem.

rrr) Verum. Sed haec omnia facta ſunt, quoad Henricus heredibus maſculis caruit. Auctor enim in rem ſuam fuit Fridericus, cum Henricum opibus cumulauit, quippe qui eius aeque ac Welfi patrui heredem ſe per matrem Iuditham ferre potuiſſet, ſi Henrico aliquid humani accidiſſet.

Digitized by Google

Inimicis tuis ſemper inimici fuimus, & nullum aduerſum te praeualere permiſimus. Et vt ſacramentorum fidem omittamus, quam Imperio firmaſti, meminiſſe te volumus, conſanguinitatis, qua nobis ſuper omnia teneris, vt in praeſenti neceſſitate omni fidelitate, vtpote nepoti & Domino & amico, nobis concurras, & de caetero ad omnia quae volueris, beneuolentiam noſtram habeas. Cumque Dux adhuc renueret, & ad omne obſequium ſe paratum offerret, ſe tamen in propria perſona venire negaret; Imperator aſſurgens de ſolio ſuo, vtpote quem anguſtiae tenebant, ad pedes eius corruit. Dux autem vehementer conturbatus de re tam inaudita, quod humiliatus in terra iaceret, ſub quo curuatur orbis, quantocyus eum a terra leuat, nec tamen eius conſenſui animum inclinat. Vt dicam, quod res eſt, non tam ſenium (quadraginta enim & aliquot ſolum annorum erat) (sss) quam faſtidium contra Alexandrum Papam pugnandi retinuit Henricum ab Imperatoris obſequio. Agnoſcebat ille Alexandrum Pontificem genuinum (ttt) eſſe. Eius proinde excommunicationem in Fridericum validam eſſe credebat. Atque, vti aperte partibus Papae non accedebat; ita etiam, ſchismatum pertaeſus, Fridericum hoſtem aduerſus ipſum iuuare noluiſſe videtur. Superius allata id ſatis declarant, & magis adhuc filii Ottonis Regis epiſtola ad Innocentium III. Papam edit. Baluz. T. I. p. 687. in qua inter alia ſcribit: *In ipſa perſecutione progenitor noſter Henricus Dux Saxoniae in fide S. Romanae Eccleſiae indeſinenter perſeuerans, & voluntati atque iniquae dominationi Friderici quondam Imperatoris nullatenus acquieſcens, matrem ſuam ſpiritualem, ſanctam videlicet Romanam Eccleſiam, in omnibus eſt imitatus: ideoque praeualente impiorum perſecutione, honoris ſui dignitate priuatus, exilio cum liberis & familiaribus ſuis addictus fuit & expoſitus.* Pecunia Italorum, (quod Vrſpergenſis ex vulgi maleuoli rumoribus dicit) corruptum non credo Principem alias ditiſſimum, & opum contemptorem. Sed a Pontifice quod ſperaret habebat, bona nempe Mathildis, patri olim eius Henrico a Sede Romana in feudum conceſſa; nunc vero patrui Welfi maleuolentia, Imperatori, cum caetera in

sss). Quid circumlocutione opus eſt, cum facilis computus ſit, Henricum, Anno 1129. natum, Anno 1175. annos habuiſſe non niſi ſex & quadraginta?

ttt) Non tam ſtudii ſui in Alexandrum, quam communis humanitatis indicium dedit in obſidione Cremenſi Anno 1159. Cum enim Alexander recens electus ad Imperatorem nuntios cum litteris eo mitteret; Fridericus *non ſolum legere litteras ſpreuit, ſed etiam tamquam inſanus nuntios ſuſpendere voluit, & ſuſpendiſſet, niſi Dux Welpho & Dux Saxoniae* (Henricus) *ei reſtitiſſent.* Ita Acta electionis Alexandri PP. III. apud Baron. ad Annum 1159. n. 42. Henrici noſtri In caſtris tunc tanta fuit auctoritas, vt Cremenſes denique ad incitas redacti, & deditionem molientes, Aquilegienſis Patriarchae ſimulque *Henrici Ducis Bauariae & Saxoniae colloquium expeterent,* referente Radeuico Lib. II. c. 60.

in Sueuia & Italia hereditate vendita, ſibique hoc modo ſubtracta. (uuu) Imperator quoque, cum Henricus Leo in Terra Sancta eſſet, bonis eius Saxonicis inhiarat. Peruenit notitia huius rei ex veteribus monumentis ad Gobelinum, qui Cosmodromii Aet. VI. c. 60. de Henrici peregrinatione agens: *Interim*, ſcribit, *Imperator exiſtens in partibus Saxoniae, potentiores quosdam Prouinciae, quibus Dux vrbes ſuas commiſerat, terroribus vel promiſſionibus ſecreto circumuenit & iuramento conſtrinxit, vt ſi forte Dux non rediret, vrbes cum terra ſibi contraderent. Et poſt hoc, Duce reuerſo, propter haec facta eſt diſſenſio inter Imperatorem & Ducem.* Inter eos, quos, abſente Duce, Imperator in ſuas partes iam pertraxerat, magnates, fuiſſe *Ecbertum de Wolfenbutela* Arnoldus Cap. 2. ſatis prodit, vbi narrat, Henricum in Terram Sanctam profecturum miniſtros coniugi Mathildi reliquiſſe Henricum Luneburgenſem Aduocatum & *Ecbertum*, quia is inclytus in domo Ducis fuiſſet, & *fidelis* haberetur. Addit enim ſtatim: *Sed res aliter ceſſerunt. Ipſe enim dedit maculam in gloriam ſuam, & notam perfidiae incurrit: vnde grauiter multatus eſt.* Non poterat hoc Henricum non offendere, qui filias iam heredes habebat, quas iniuſte ingenti hereditate priuaturus erat Imperator, ſi Duci ſecus quid in itinere accidiſſet.

§. 69.

A colloquio Imperatoris *Brunſuicum* redux (xxx) Henricus Dux hoc ipſo Anno 1175. (Probat. N. LXXVI.) approbauit venditionem, qua

uuu) Quod facinus quomodo excuſari poſſit, non video. Exemplo enim & rationibus caret haec Friderici iniquitas, qui, quod matre Guelfica natus erat, auita huius Familiae dominia ſibi vindicauit, ſtirpe maſcula in Henrico noſtro ſuperſtite. Dominia, inquam, Guelfica auita, quae multis paraſangis ſuperabant acquiſita per Slauiam, quae Friderici aſſeclae longe poſt malebant in compenſationem venire. Exſtat enim inſcriptio quaedam facti, ex ſcriniis Eccleſiae Raceburgicae a viris doctis in lucem producta, qua aſſeueratur, Henricum Leonem Anno 1154. ab Imperatore impetraſſe poteſtatem tres in Slauia Epiſcopatus *ad omne tempus vitae* in beneficium conferendi: pro quo priuilegio *ipſe Dux Henricus proprietatem ſuam, quae ipſum de Duce Welphone & in Sueuia & in Bauaria ex ſucceſſione haereditaria contingebat, Imperio libere poſſidendam reſignauerit.* Quas cauſas Epiſcopi in terris Slauicis habuerint talia in vulgus ſpargendi, ſub Ottone Puero, ſeu potius Auguſto, ſub quo Chartam ipſam exhibebimus, commemorabimus. Nunc hanc ſolam falſitatis notam lectoribus porrigimus, quod Anno 1152. haec commutatio peracta fingitur, quo Welfus Mitis filium adhuc habuit, plenum ſpiritus & vigoris, vt adeo Henricus Leo eo quidem tempore de hereditate eius ne cogitare quidem, nedum tranſigere potuerit.

xxx) Friſingam tranſiiſſe videtur, vbi cum Alberto Epiſcopo de Aduocatia Inticenſi pro ſe & filiis ita pactus eſt, vti habent litterae, quas infra damus. (Probat. N. LXXV.) Eſt autem Intica, Germanice *Inching*, ciuitas, praepoſitura & dynaſtia ex pluribus vicis & Eccleſiis compoſita in prouincia Tyrolenſi, *Puſterthal* dicta, in dioeceſi Brixinenſi ſita, & ad Friſingenſem ſpectans Epiſcopum; cuius cum Brixinenſi de Intica multae lites, de quibus Friſingenſis Hiſtoricus legendus T. II. p. 43. 67.

Digitized by Google

qua *Ludolfus de Peina* XI. manſos in villa Erkeroda & vnum manſum in villa, *Tom Rode* dicta, cum Capella in Erikeroda & tribus molendinis in *Monaſterium S. Aegidii* tranſtulit. Praeterea Lubecae nouum ſacellum S. Ioannis Euangeliſtae condidit Arnold. Lubec. L. II. c. 19. teſte, cuius fundationis litteras infra exhibebimus (Probat. N. LXXVII.)

§. 70.

Expertus iam erat Henricus malum in ſe animum Vdalrici Halberſtadenſis Epiſcopi & amicorum eius; inter quos erat Bernhardus, Alberti Vrſi Marchionis filius. Vnde in eos mouit hoc anno, vltionemque de iis, vt potuit, ſumſit. Chronographus Saxo: *Heinricus Dux*, ait, *cum valido exercitu Bodam fluuium tranſiens & Groningae initium depopulationis faciens ad iniuriam Bernhardi Comitis omnia igne domat, inter quae & famoſum oppidum Aſcerleue conflagrat. Lapideas vero ſtructuras impulſionibus quaſſat, quaſſatas diruit & ſubuertit. Inter haec & quaedam Eccleſiae cum ſuis cimiteriis conflagrarunt, in quibus nonnulli hominum ſimul interierunt. Caſtrum quod dicitur Helpede a Landgrauio capitur inſidiis circumuentum.*

§. 71.

Imperator vero ira in Henricum Ducem *pro tempore diſſimulata*, vt Arnoldus Cap. 16. refert, reuerſus eſt Anno 1176. in Italiam, & cum ciuitatibus aduerſus ipſum conſoederatis acie, ſed infeliciter, conflixit. Acta Alexandri Papae & Godefridus Colonienſis hac de re fuſius agunt. Aduerſa igitur fortuna coactus, Legatis ad Alexandrum Papam miſſis, pacem ei obtulit. Factum tandem eſt, vt Acta citata loquuntur, vt *de omnibus capitulis inter Eccleſiam & Imperium cum ſaepe dictis Legatis Pontifex & fratres eius vnanimiter concordarent, remanente Lombardorum ſtatu, in quo erat, vsque ad eorum Colloquium.* Hoc Anno 1177. Venetiis indictum eſt. Imperator ibi Pontifici reconciliatus, & ab anathemate abſolutus eſt, ſicque Schiſma octodecim annorum tandem ceſſauit. Pro Imperatore hoc in negotio ſtrenue & ſolerter egere Chriſtianus Moguntinus, Philippus Colonienſis, Wichmannus Magdeburgenſis Archi-Epiſcopi, vt & Epiſcopi diuerſi; ex Laicis vero Germanicae nationis, Dedo Marchio Orientalis. Welfus Dux Pontifici abſens fauit; ſed conqueſtus deinde eſt, ſe ſuasque res illa in pace neglectas, vt ſupra obſeruauimus.

§. 72.

Imperator itaque *videns*, inquit Arnoldus cap. 16. *quod data eſſet requies, opportunitatem nactus, conuocatis Principibus, multa contra Henricum*

Digitized by Google

ricum Ducem allegare coepit, quod propter nimium faſtum ſuperbiae ſuae tantum Imperio contemtum exhibuerit, vt eo ante pedes eius humiliato, nullo eum miſerationis intuitu in tanta neceſſitate conſtitutum attendere dignatus fuerit, & deſpecta republica & auctoritate Imperatoriae maieſtatis neglecta, omne auxilium obſtinato animo ei negauerit. His auditis Principes, qui eum prius oderant, accepta occaſione, contra eum multa conqueri coeperunt, & cooperantes verbis Imperatoris, omni honore eum priuandum iudicabant, & reum imperatoriae maieſtatis proclamabant, non ſolum quia praecepta vel merita ipſius deſpexiſſet, ſed quod ad ignominiam omnium Principum, in propria eum perſona humiliatum confudiſſet. Et alii atque alii ſe ingerentes, illas vel illas ab eo illatas ſibi iniurias conqueſti fuerunt, & iuſtitiam ſibi fieri iudicio Imperatoris expoſtulauerunt. Pontifices ante omnes Eccleſiarum oppreſſiones clamabant, nullam fere Eccleſiam eſſe dicentes, quae eius direptioni non ſubiaceret. Facta eſt igitur coniuratio valida aduerſus eum. Caeſar itaque videns Principes ei intentare malum, multa vſus prudentia, totum ad deiectionem ipſius ingenium impendere coepit. Animaduertensque, quod facile eum deſtruere non poſſit, admouet omnes varia calliditate dolos, & quem viribus expugnare diffidebat, ſapientia admota paulatim manu euincere cogitabat.

§. 73.

Henricus interea Dux, nullius culpae ſibi conſcius, Slauos rebelles domabat, caſtrumque *Dyminum* expugnabat; cum, ecce, nuntius aduolat, *Vdalricum Halberſtadenſem Epiſcopum* poſt pacem inter Imperium & Sacerdotium ſuae Sedi reſtitutum, fauentibus Principibus Saxoniae Orientalis, inimica in ipſum moliri, bellaque parare. Inueterato huic inimico ocius occurrendum ratus Henricus, Slauicisque rebus, prout licebat, pro tempore compoſitis, conſilium de Halberſtadio occupando coepit, maturatoque reditu, *Brunſuici* inſtrumenta bellica a Friderico machinarum conſtructore praeparari curauit. Nec ſegnius Vdalricus ſuae ſecuritati prouidit, *Montem Hopelberg* vicinum occupans praeſidio muniuit, & auxilia ex Orientali Saxonia conquiſiuit. Aderant illi non ſegnes Otto Marchio Miſnenſis, & Bernhardus Comes Anhaltenſis, Chronico Montis Sereni teſte; quod & refert, Caſtrum *Horneburgum* ab hominibus Ducis funditus euerſum. Actum hoc videtur Anno 1178. *Hopelbergum* inde aggreſſus eſt Dux; hoſtes eiecti, munitioque deſtructa. Epiſcopus cum ſuis vires reſumſit, & *cum ſecundo occurreret eis exercitus Ducis*, vt Arnoldus cap. 20. loquitur, *illi inualeſcentes hos in fugam verterunt, &, plurimis captiuatis, ſpolia multa acceperunt.* Nec gladio tantum, ſed & ſpiri-

Digitized by Google

ſpiritualibus armis in Ducem pugnaſſe Vdalricum Arnoldus cap. 26. indicat. Excommunicationem in eum vibrauit: ſacra interdixit: diuina tantum in Monaſteriis ſub ſilentio celebrata. Dux pius ad Epiſcopum Halberſtadium venit, & procidens ad pedes eius abſolutionem obtinuit. Pax inter vtrosque conſtituta, non tamen diu durauit, Epiſcopo, inquieti animi viro, mox iterum in Ducem irruente. Arnoldus haec tanquam Anno 1180. geſta recenſet; ſed in Annum 1178. referenda eſſe ſeries rerum recenſendarum euincet. In Weſtphalia quoque latentes hactenus diſſenſiones in bellum erupere. Philippi Archi Epiſcopi Colonienſis amici Comes de Altena & coadiutores illius, referente Gobelino Cosmodrom. Aet. VI. c. 60. in amicos Ducis Bernhardum de Lippia & ſuos inſurrexere. Incendiis & rapinis vtrimque actum eſt. Monaſterienſis quoque Epiſcopus, ex Italia redux, contra eos, qui hactenus Dioeceſin ſuam inquietauerant, arma corripuit, & iunctis ſibi Comite Tekelenburgi & Bernardo Lippienſi Caſtella *Abuſen* & *Diepena* deſtruxit. Idem Bernardus Lippienſis ex parte Ducis Henrici *Montem Lewenberg* occupauit, & praeſidiis muniuit, quod poſtea inter eundem & Hermannum Comitem Rauensbergenſem ingens diſcordiae ſeminarium fuit, vt idem Gobelinus ait. Haec Anno 1177. geſta videntur. Anſam inde arripuit ex Italia reuerſus Archi Epiſcopus Philippus Ducem impugnandi, Imperatore clam ſtimulos admouente, vt Gobelinus prodit. Philippus, litteris ad Ottonem Gelriae Comitem ſcriptis, aliam quoque irarum in Henricum cauſam allegauit, indice Berchemio Hiſtorico a Pontano Hiſt. Gelr. Lib. VI. citato, quod nempe is aliquando dixiſſet: *Ducatus ſui limites extendi integra equitis lancea vltra eam ripam, qua Tuitium vrbi Colonienſium eſt oppoſitum.* Vt iuſtior tamen belli cauſa appareret, palam aſſeruit, deberi ſibi hereditatem *Ottonis Comitis de Aſſele, nepotis ſui* & *Chriſtiani Comitis Oldenburgenſis.* Hanc repetiturus, peruagatus eſt Ducis terras, easque incendiis Hamelam vsque hac vice deuaſtauit, Huxariamque Abbatis Corbeienſis oppidum, vt Duci, Aduocato eius, aegre faceret, combuſſit, vt Arnoldus Lib. II. c. 24. Chronicon Montis Sereni & Gobelinus referunt. Pacem qualemcumque Wichmanni Archi Epiſcopi Magdeburgenſis opera inter diſſidentes factam Hiſtoricus Montis Sereni indicat.

§. 74.

Dux Henricus tamen Imperatori de Italia Anno 1178. redeunti *Spirae*, vt Arnoldus prodit, occurrit, deque iniuriis ſibi a Colonienſi Archi Epiſcopo illatis conqueritur. Imperator vtrosque Wormatiam ad Comitia Anno ſequenti 1179. habenda citat; Duci tamen praecipue iniungit, vt

Digitized by Google

ibi compareat, & querelis Principum reſpondeat. *Quod*, inquit Arnoldus, *intelligens Dux*, *eo venire diſſimulauit*, nihil nempe boni pro ſe ibi decreturum Imperatorem, inimicis eius fauentem, auguratus. Secunda etiam vice *Magdeburgum* citatus venire ea de cauſa diſtulit. Vnde *Theodericus Marchio Orientalis*, vulgo *de Landesberg* dictus, *duellum contra eum expetiit* (ſic ſcribit Arnoldus Lib. II. c. 24.) *imponens ei quasdam traditiones contra Imperium factas*. Verius tamen *propter indignationem id factum fuiſſe creditur*; *quia Slaui excitati a Duce omnem terram illius, quae Luſice dicitur, irrecuperabiliter vaſtauerant*. Slauos Theoderici Marchionis Prouinciae immiſſos Lubinum vsque omnia vaſtaſſe ſimiliter tradit Chronicon Montis Sereni, & addit: *Huius itaque vulneris dolore Marchio ſtimulatus Ducem, tanquam qui contra Imperatorem coniuraſſet, ad duellum coram Imperatore ſaepius prouocabat*. Idem Slauos illos *Luiticios* & *Pomeranos*, & Prouinciam quam inuaſerint, *Iuterbok* in rebus ad hunc annum pertinentibus vocat. *Iuterbocum* Witeberga non procul iacet. E Luſatia ergo Albim traiecerunt Slaui Henrici Ducis iuſſibus parentes, & ibi etiam vltionem a Domini ſui inimico ſumſerunt. Videbat optime Dux, exitium ſuum quaeri, & Imperatorem delatoribus ſuis aurem beneuolam praebere; vnde & *Magdeburgum* venire noluit. In propinquo tamen Haldenslebiae conſtitutus, Arnoldo referente, *per internuncios colloquium Imperatoris expetiit. Imperator itaque exiuit ad eum ad locum placiti, quem Dux verbis compoſitis lenire ſtuduit. Imperator autem quinque millia marcarum ab eo expetiit, hoc ei dans conſilium, vt hunc honorem Imperatoriae Maieſtati deferret, & ipſo mediante, gratiam Principum, quos offenderat, inueniret. Illi autem durum viſum eſt, tantam perſoluere pecuniam, & non acquieſcens verbis Imperatoris diſceſſit.* Henricus generoſi animi Princeps, pecuniam Imperatori merito denegauit, ne mulctam ſoluens culpam fateri videretur. (yyy) Imperator deinde, Arnoldo iterum referente, *tertiam ei Curiam* Goslariae *praefixit; nec minus illam ſuperſedendo neglexit. Imperator itaque procedens in concionem, ſententiam aduerſus eum propoſuit, quaerens, quid ſuper hoc iuſtitia decernat, quod tertio legitime vocatus, iudicium declinauerit, & per contemtum ad audientiam ſuam venire noluerit. Cui ex ſententia Principum reſponſum eſt, quod iuſti-*

yyy) Recte: quoniam *intelligitur confiteri crimen, qui paciſcitur,* & *qui criminis alicuius damnatus pactusue fuerit, infamis fit.* L. 5. & 4. §. fin. ff. de his, qui notantur infamia. Hic neminem fore puto, qui mihi obiiciat, leges haſce illo tempore Germanis ignotas Henricum a transactione abſterrere non potuiſſe. Iuris enim Romani dictata, ſi diſceſſeris ab iis, quae conditionem Vrbis reſpiciunt, communi hominum coetui apprime conueniunt, quippe ex limpidiſſimis luminis naturae fontibus hauſta. Vt adeo non errare eos exiſtimem, qui generi humano poſt Sacras litteras iure Romano non datum eſſe aiunt librum vtiliorem.

Digitized by Google

iuſtitia dictante, omni ſit honore deſtituendus, ita vt, proſcriptione publica diiudicatus, & Ducatu & omnibus beneficiis careat, & alter in locum eius conſurgat. Confirmata itaque ſententia, Imperator id adiudicauit fieri. Quartam tamen curiam adhuc rogatu Principum ei indixit. Haec eſt, quae anno ſequenti *Wirceburgi* habita eſt. Dum haec gererentur, obiit Euermodus, Raceburgenſis Epiſcopus, eique Isfridus, Duci addictiſſimus, ſubſtitutus eſt. Eodem tempore *Balduinus* Archi Epiſcopus Bremenſis deceſſit; & eius in locum electus *Bertholdus* Romam ad generale Alexandri Papae Concilium, confirmationem ſuam quaeſiturus, perrexit. Beneuole iam ſuſceptus erat, cum inopinato *nuncius Ducis Henrici* ad Pontificem veniret, faceretque electionem eius caſſari. Bertholdo autem ſucceſſit *Sifridus, filius Marchionis Alberti, cui Dux in omnibus deuotiſſime tam propter eum, quam propter fratrem ſuum Bernardum Comitem de Anhalt, aſſiſtebat. Erant enim tunc amiciſſimi. Sed poſtea alienati ab inuicem, facti ſunt inimiciſſimi*, vt Arnoldus Lib. II. c. 23. prodit.

§. 75.

Quod Henricus Dux ad Comitia Goslarienſia venire neglexiſſet, Philippo Colonienſi Archi Epiſcopo occaſionem commodam praebuit illi iterum inſultandi. Imperatoris iuſſa acceſſiſſe non eſt dubium. Godefridus enim Colonienſis ad An. 1179. *Nec multo poſt* [*Magdeburgenſem conuentum*] inquit, *expeditio in Saxoniam ab Imperatore & Principibus indicitur. Epiſcopus Colonienſis, collecto forti milite, terram Ducis iterum potenter ingreſſus, nullo ſibi reſiſtente, ſine congreſſione pugnae pacifice rediit.* Gerhardus Stederburgenſis ad An. 1179. *Imperator, cum Colonienſi Archi Epiſcopo & vniuerſis pene Regni Principibus, Ducem Henricum cum vniuerſa terra ſua miſerabili clade afflixit, ita, vt nec Coenobiis, nec Eccleſiis, nec praebendis Fratrum, nec vlli aetati vel ſexui parceret.* Immaniſſimam hanc irruptionem fuiſſe omnes fatentur. Arnoldus cap. 25. de ea ſcribit: *Ex eo igitur tempore multiplicata ſunt mala multa in terra: quia omnes conſurgebant aduerſus Ducem, & manus omnium contra eum, & manus eius contra omnes. Philippus autem Colonienſis contracto exercitu, ſecundam expeditionem inſtaurauit, habens in Comitatu ſuo illos, quorum ſecta Rote dicitur. Rurſumque in manu valida pertranſiuit omnem terram Ducis, & timuerunt omnes a facie eius. Facta ſunt autem abominabilia multa & grauia in profectione illa, eo quod viri iniqui, filii Belial, qui comitabantur cum eo, ſceleratiſſimi eſſent, & ſceleribus perficiendis inexplebiliter inſiſterent. Factae ſunt autem coemeteriorum depraedationes, Eccleſiarum exuſtiones, & multa loca religionis deſtructa ſunt, ita vt, quod dictu grauius*

Digitized by Google

eſt, ſponſas Dei quaſi captiuas abigerent, & eas proſtituendo, templa Dei non manu facta libidinoſe polluerent. Quis non gemat, quod ſacerdoti ſacroſanctis myſteriis aſſiſtenti non pepercerunt, ſed impingentes in eum, necdum bene completis ſacramentis, calicem de manu eius rapuerunt? Multa etiam alia ſceleratiſſimi illi perpetrarunt, quae pro enormitate nefas fuit ſcribere, & nimis venenata auribus fidelium infundere.

§. 76.

Wichmannus eadem tempeſtate Archi Epiſcopus *Haldeslebiam* aggreſſus erat, & Principes Orientales caſtra eius ſequebantur. Colonienſis ergo Archi Epiſcopus eo vsque irrupit, & auxilia obſidentibus addidit. In reditu tamen eum malefactorum poenituiſſe Arnoldus prodit loco citato; & inferius Lib. III. c. 9. vbi ſeruitia ſua Imperatori praeſtita recenſentem inducit, inter alia ei haec verba tribuit: *Ecce in ſeruitio veſtro conſenui . . . in periculo vitae meae: Et quod maius eſt, proh dolor, animae meae tribulationes & anguſtias multas tranſiui.* Quibus indicat, multorum ſe malorum, cauſa Imperatoris perpetratorum, ſibi conſcium eſſe: inter quae procul dubio & debacchationem in Henricum nil mali promeritum numerauit. Haldeslebienſis obſidio *creuit in dies & menſes,* vt Arnoldus refert, *eo quod Bernardus Comes de Lippe, praefectus ciuitatis, vir ſtrenuus valde & militaris eſſet; & locus paluſtris ab hyemis mollicie expugnari non poſſet. Cumque taedio diutini laboris deficerent, tandem nouum quoddam genus expugnationis excogitauerunt, vt eam aquis ſuffocarent. Cumque vallo facto excogitatum inſtantiſſime peragerent, aquae vsque ad trabes domorum excreuerunt: ſed adhuc viri bellatores ciuitatem tenuerunt. Tandem conditione facta Bernardus cum ſuis liber egreditur, & ciuitas funditus deſtruitur.* Gerhardus Stederburgenſis *Haldeslebiam* Anno 1181. captam eſſe, ſtatuit, errore, credo, calami properantis. Haldeslebiam interim poſtea Henricus Dux recepit & reſtaurauit, ac in teſtamento ſuo hoc Caſtrum filio *Ottoni* reliquit.

§. 77.

Nec nunc impune deſtruxiſſet Haldeslebiam Wichmannus, ſi Henrico Duci vacaſſet obſeſſo caſtro ſuccurrere. Sed is totus erat in vindicando iniurias ab Vdalrico Epiſcopo Halberſtadenſi acceptas. Epiſcopus *Horneburgum* reſtaurarat, & inde, atque ex Halberſtadienſi vrbe frequentes eruptiones fecerat, villas Ducis incenderat, homines eius mutilarat, & in captiuitatem traxerat. Vicem illi hac de cauſa Dux retulit, incendiis & depraedationibus dioeceſin eius deuaſtans. *Ciuitas* ipſa *Halberſtadienſis* occupata eſt leui opera, & fortuito igne cum Eccleſia Cathedrali com-

Digitized by Google

combuſta. Epiſcopus cum agnato ſuo Romaro Praepoſito captus, & Duci Brunſuicum transmiſſus. Doluit is quidem ciuitatem combuſtam, & praeter ſuam voluntatem haec facta eſſe teſtatus eſt. Sed Epiſcopum nihilominus ſub honeſta cuſtodia *Erteneburgi* & Romarum *Sigebergae* ſeruari iuſſit, vbi Epiſcopus indulgentiam & pietatem Mathildis Duciſſae ſenſit. Fidi nihilominus Epiſcopo vaſalli non quieſcebant; ſed Horneburgo excurrentes, in villas Ducis circumiacentes igne, ferro & praedis graſſabantur. *Vnde Dux offenſus, exercitum illuc miſit, & caſtro exuſto in ſolitudinem illud redegit.* Haec Arnoldus Gerhardus Stederburgenſis, qui hoc tempore floruit, recte haec Anno 1179. contigiſſe obſeruat. Ad hunc enim annum ſcribit: *Eodem anno* [quo irruptio Colonienſis facta erat] *Halberſtadienſis ciuitas cum maiori Monaſterio & vniuerſis tam Monaſteriis, quam Eccleſiis, miſerabili incendio plus quam cum mille hominibus per homines Ducis attrita eſt. Odelricus Epiſcopus & Romarus Praepoſitus cum pluribus militibus capti ſunt. Caſtrum Horneburg a militibus Ducis viriliter expugnatum deſtruitur.* Chronicon Montis Sereni ad eundem Annum 1179. *Haluerſtad ab hominibus Henrici Ducis cum omnibus Eccleſiis ſuis & Monaſteriis exuſta eſt: in quo incendio tres maioris Eccleſiae Canonici, pluresque presbyteri, aliorumque ſcolarium magna multitudo; Laicorum autem tam virorum, quam foeminarum, exceptis puellis, mille & amplius, qui dignoſci non poterant, perierunt.* Albertus Stadenſis male haec in Annum 1178. refert, Henricoque ipſi tribuit, quod eo abſente a militibus ipſius factum erat. Interim ex eius verbis concludi poteſt, *Albertum Comitem Palatinum* exercitui eius praefuiſſe, cuius nempe bona Halberſtadio vicina iacebant. Verba Stadenſis ſunt: *Henricus Dux & Albertus Palatinus Epiſcopatum Halberſtad, & ciuitatem & Eccleſiam S. Stephani, plenam clericis, matronis & infantibus incenderunt.* In ea expeditione nec Magdeburgenſi Archi Epiſcopo parcitum fuiſſe ex Chronico Montis Sereni manifeſeſtum fit. Id quippe ad hunc quoque annum: *Henricus*, inquit, *Dux Calue & inde prouinciam totam vsque Vroſe incendio vaſtauit.* Dux poſt haec natiuitatem Domini *Luneburgi* celebraturus, Epiſcopum e captiuitate ſua aduocat, pacis cum eo conditiones conſtituit, & liberum honorifice dimittit. Sed parum ſuperuixit ſenex, infirmusque Huysburgum veniens, Anno 1180. deceſſit, Arnoldo & Chronico Montis Sereni teſtibus. Ibi ſepultus iacet ſub lapide, cuius inſcriptio non amplius legi poteſt.

§. 78.

Dn. Rehtmeierus producit numum bracteatum, in quo Leo ſub turrita vrbis vel templi porta. Ad latus portae apparere putat duo Monachorum

chorum capita & circum verba: HENRICVS DVX SAXONI ET OLSNEIE; huncque numum in occupationem Halberſtadii & captiuitatem Epiſcopi Praepoſitique, iuſſu Henrici, cuſum eſſe credit. Sed vehementer, vt ſolet in plerorumque aliorum bracteatorum expoſitione, errat. Non enim in eo duo Monachorum, ſed Ottonis IV. Regis a dextra, & Henrici Palatini a ſiniſtra, capita in eo exiſtunt, & corona regia & ducali diſtinguuntur, vt clare vidimus in exemplari, quod a Reuerendiſſimo Dn. Abbate Luccenſi habuimus. Nec verba a Rehtmeiero allata in eo cernuntur: ſed haec Y. LEONEIS DVX. IN PRYOIENCIS. Quis vero non videt, haec corrupte poſita pro II. LEONES DVCES BRVNOVICENSES? Numus nempe duorum fratrum auctoritate Brunſuici cuſus. Exhibebimus illum in rebus Henrici Palatini exacte aeri inciſum: Idem certiſſime in memoriam occupatae vrbis Halberſtadenſis cuſum exiſtimat ſolidum, quem num. 13. inter Henrici Leonis numos exhibet. In vno latere eſt aedificium ſacrum cum duabus turribus, medio huius impoſitum eſt Caput Sancti, circulo ex margaritis cinctum, & ſup[illegible] id duae ſtellae, cui Leo incubat. Literas in circuitu non exponit, ſed ita ſiſtit ac ſi VODALRICI nomen referant. In altero latere cernere ſibi viſus eſt Sanctum Stephanum, & in circuitu literas: SI S STE, quae *S. Stephanum* indicent. Sed iterum fallitur. Vidimus enim non id ſolum exemplar, quo vſus eſt, apud Ampliſſimum Schmidium Brunſuici, ſed etiam aliud & integrius apud M. R. Abbatem Schmidium Helmſtadii. In hoc circa aedificium non *S. Stephanus*, ſed clare SI SMON VD... legitur; & manifeſtum hinc eſt, SIMONEM ET IVDAM, Goslariae patronos, intelligendos eſſe. Cum amborum capita ſpatii defectu exhiberi non poſſent, vnico capiti duae ſtellae impoſitae, duos hos Sanctos deſignant. Nec in auerſa parte imago S. Stephani; ſed Abbatiſſae velatae, dextra baculum crucigerum, ſiniſtra librum tenentis. Apud M. R. Praepoſitum Hartium Helmſtadii tres alios ſolidos huius generis vidimus, in quibus eadem fere Abbatiſſae figura cernitur. In vnius vero poſtica aedificium ſimile cum capite Sancti & ſupra illud rudem Aquilam alis expanſis, Goslariae nempe inſigne, agnouimus; in altero Aquila capiti Sancti, cum duabus cruciculis, inſidebat; in tertio turris erat muro cinctus. Literae in circuitu vnius partis vix apparentes legi non poterant. In altera vero iterum clare apparebat: SI SIN...VDA, ſiue S. SIMON ET IVDAS. Goslariae ergo cuſi ſunt hi numi. Sed quid Abbatiſſa in iis ſibi velit, difficile dictu eſt. Dn. Leuckfeldius inter Bracteatos Quedlinburgenſes num 7. & 8. profert geminos Denarios bracteatos, quos etiam apud Maxime Reuerendos viros Abbatem Schmidium, Praepoſitum

Har-

Hartium Helmſtadii, Reimannum Superintendentem Hildeſiae & Olearium Magdeburgi vidi: in quorum vno Abbatiſſa velata ſedet, dextra palmam tenens, ſiniſtra in ſinum demiſſa: ante eam ſtat pluteus, cui indicem exertum apponit, iurantis in modum, Princeps, dextra gladium euaginatum in dextrum humerum inclinans: ad tergum illius cernuntur litterae AEEΓ, & poſt Abbatiſſam ſequuntur CD. Leuckfeldius hoc nomen *Abbatiſſae AdELEidis CueDelinburgenſis* exprimi exiſtimat; nec refragor. *A* ab initio reliquis litteris duplo maius eſt, & inde duplex A. indicare videtur. In circuitu eiusdem denarii extat: SI STRCONN VDGA. Corrupta haec eſſe ab iconii artifice ex *S. SIMON & IVDAS* nullus dubito, qui ſimiles horum nominum corruptiones ſaepius obſeruaui. Et alter denarius iudicium hoc meum approbat: in eo enim itidem Abbatiſſa velata ſedet, dextra baculum crucigerum, ſiniſtra ſceptrum liliatum tenens; ante eam etiam ſtat Princeps, eleuata ſiniſtra manu iurans; & inter Principem & Abbatiſſam e coelo veluti demittitur dextra Dei patris, duobus digitis exertis, quaſi benedicens actui huic ſolenni. Temporum in numis effingendis morem ſi conſideres, & bracteati & ſolidi in Henrici Leonis aetatem referendi ſunt; & in vnam rem ſolenniter peractam cuſi videntur. Aduocati inueſtituram in bracteatis ſiſti coniicit Leuckfeldius; ſed ceremonia eiusmodi non inſolita erat; nec numos tam notabiles merebatur. Et *Leo* in vno horum numorum extans Henrici Leonis inſigne eſt. Infeudationem, vt vocant, ſolemnem hic exprimi forte negabit nemo. Quid vero is ab Adelheide in feudum receperit? Coenobium Quedlinburgenſe, dono Henrici Aucupis Regis, *Duderſtadium* cum adſita terra poſſedit, eandem vrbem Henrici Leonis poſteri ab eodem in feudum recipere ſoliti fuerunt. Nemo tamen, quando in Ducalem hanc Familiam translata primum fuerit, annotauit. Ex numis igitur his concludo, Henricum Leonem Ducem, & quidem *Goslariae* exiſtentem, ab Adelheide Abbatiſſa, Alberti vltimi ex Sommerſeburgenſibus Comitis Palatini ſorore, quae A. 1161. Beatrici ſucceſſit, amica adhuc, donatum eſſe *Duderſtadio.* Hic profecto hac de cauſa eidem iuramentum fidelitatis *ſuper ſanctas Simonis & Iudae Reliquias* ſolenniter praeſtitiſſe, remque memoria dignam numis poſteritati commendaſſe optime potuit. Sic enim Otto IV. Imperator etiam easdem Reliquias, prae caeteris tunc inclytas Hartesburgum afferri curauit, inque eas iurauit, vt infra videbimus. Hinc Sancti Simon & Iudas cum Abbatiſſa Quedlinburgenſi, & reliqua, in iis apparent. Leuckfeldius etiam eiusdem aetatis bracteatum num. 28. producit, in quo Abbatiſſa ſiniſtra baculum crucigerum tenet, dextra vero ex aduerſo ſedenti Principi, & dextra gladium tenenti, in ſiniſtram ſceptrum, in lilium exiens, tradit. Quod indicio eſt,

Digitized by Google

eam Duci noſtro per ſceptrum feudum contuliſſe; ſed litteras in circuitu vix quisquam, vtcumque Oedipus, interpretabitur. Apparet enim ibi TOLVCIC PISNCEIIC .. LVCEPIS TNO; ſi quidem delineatio Leuckfeldii non fallit.

§. 79.

Palatinus Comes Albertus, Henrici Ducis ad aram vsque amicus, non diu deuaſtationi Halberſtadenſi ſuperuixit; ſed Anno 1180. Chronico Bigaugienſi teſte, deceſſit. Sub initium anni eiusdem Palatinum obiiſſe oportet. Mox enim videmus, menſe Aprili, *Ludouicum Landgrauium* iam *Palatinum Comitem* fuiſſe, cui hanc dignitatem Fridericus Imperator hoc anno contulerat, vt idem Chronicon, & illud Montis Sereni affirmant. Erat Albertus vltimus Familiae ſuae a *Somerſenburga* denominatae; & hoc genere ortus erat, vt alibi ſolide demonſtramus:

* Fridericus I. Regalis Camerarius † 1023. Vx. Agnes filia Wilhelmi Comitis Wimarienſis & Odae.

* Sigefridus.

Dedo *Comes Palatinus Saxoniae* Ai. 1042. † 1056. *cum fratre fundator Monaſterii Gozecenſis.*

Fridericus II. *Comes Palatinus* † 1088. Vxor Haduigis Bauarica.

Adalbertus Archi Epiſcopus Bremenſis † 1072.

Oda † 1088. = Adalbertus Seueko, Sommerſeburgenſis Dynaſta.

Fridericus filius naturalis, Abbas Gozecenſis, Nienburgenſis & Hersfeldenſis 1088.

Fridericus III. *de Putelendorf* dictus, *Comes Palatinus* † 1085. Vx. Adelheidis, filia Vdonis Senioris, Marchionis Stadenſis; *poſt caedem mariti Ludouico II. Comiti de Thuringia coniuncta.*

Fridericus Senior, *Comes Palatinus* poſt auunculum ſuum. Vx. Mechtildis, filia Thebergae, *fundatrix Monaſterii Hamerslebenſis* † 1115.

Henricus † iuuenis.

Fridericus Canonicus Magdeburgenſis poſt mortem fratris, Sizzonis Comitis in Thuringia filiae deſponſatus; ſed deinde in Monaſterium retractus.

Fridericus Iunior *Comes Palatinus, fundator Coenobii Marienthalenſis* † 1162. Vx. Lucardis, filia Rudolfi Marchionis Stadenſis.

Alheidis, Vx. Goswini Comitis Heinsbergii.

Iuditha, Vx. Ludouici Comitis Aldenburgenſis.

Agnes, Vx. Conradi Marchionis Brandenburgenſis.

Sophia, Vxor Hermanni Landgrauii Thuringiae.

Albertus *Palatinus Comes* † ἄπαις 1180. Vx. Lutgardis Hennebergica. † 1220.

Adelheidis, Abbatiſſa Quedlinburgenſis 1161. † 1190.

Vbi

Vbi ſepultus ſit Albertus Palatinus, Scriptores non commemorant. Crediderim inde, illum in Marienthalenſi Eccleſia tumulum nactum, vbi ipſe patrem ſuum Fridericum terrae mandatum in diplomate Anno 1164. dato refert, quod infra (Probat. N. LXXVIII.) ex autographo ſigillato damus; cui (Probat. N. LXXIX.) ſubiicimus Odelrici Halberſtadenſis Epiſcopi & (Probat. N. LXXX.) Adriani PP. IV. teſtimonium, eumdem Fridericum, Alberti patrem, Monaſterii eius conditorem fuiſſe profitentium.

§. 80.

Ad dignitatem & bona eius hereditaria non vni aſpirarunt. Dignitatem quidem nactus eſt ſtatim *Ludouicus Landgrauius Thuringiae;* eandem tamen, vt & hereditatem ſibi deberi contendit *Theodericus,* Dedonis Craſſi Comitis Groicenſis filius, & abdicata Magdeburgenſis Eccleſiae Praepoſitura, ſe *Palatinum Saxoniae & Sommerſeburgi Comitem* vocauit, vt etiam e Chronico Montis Sereni apparet. *Fridericus* quoque e Comitibus Kirchbergenſibus ortus, ius aliquod in Palatini hereditatem ſibi ſumſiſſe debuit. Nam, vt Meibomius Chronici Marienthal. pag. 252. indicat, Hilleboldus Comes de Limbere ad ipſum ſcribens, eum *Epiſcopum Halberſtadenſem & Comitem Sommerſeburgium* ſalutat. Omnium vero maxime *Adelheidis Abbatiſſa,* fratre defuncto, Comitatum auitum ad ſe deuolutum putauit. Sed contradixit, Meibomio referente, *Henricus Leo,* qui ſe *Palatinorum proximum agnatum,* atque eo iure heredem dicebat. Crediderim tamen praecipue conuentioni cum Palatino, ipſius, dum viueret, amico, de ſucceſſione inita fultum fuiſſe. Nam ſi quid recte intelligimus, cognatio inter vtroſque remotior, aut potius nulla eſt; vti ex hac tabella euidens fiet.

Wilhelmus Comes Wimarienſis † 1103.

Agnes vxor Friderici Comitis Gozecenſis. — Otto Orlamundanus Marchio Miſniae.

Fridericus Comes Palatinus &c. — Oda Vx. Adelberti Sommerſeburgii Comitis. — Oda == Ecbertus II. Marchio. — Gertrudis fratris defuncti heres.

Fridericus Comes Palatinus. — Richenza Imperatrix.

Fridericus Comes Palatinus. — Gertrudis, Henrici Magnanimi vxor.

Albertus Comes Palatinus vltimus. — Adelheidis Abbatiſſa Quedlinburgenſis. — Henricus Leo.

Adelheidis Abbatiſſa, vt Henrico opimam hereditatem non relinqueret, offenſior ei facta, ſiue ſua ſponte, ſiue ab aliis perſuaſa, Comitatum *Wichmanno Antiſtiti Magdeburgenſi* vendidit certo pretio, Leone armis acriter ſe opponente. Qui tandem *arcem Sommerſeburgiam* funditus dirutam, Baroni Warbergio Echardo tradidit, a quo cum inſtaurata nonnihil eſſet, a Ludolfo, Wichmanni ſucceſſore, denuo euerſa eſt. Ab eo tempore Sommerſeburgium penes Archi Epiſcopos Magdeburgenſes remanſit, licet Warbergii Barones, tanquam vaſalli, & domicilium & aliquid praeterea iuris ibi habuerint.

§. 81.

In natali Domini Anni 1179. cum Henricus Dux, vt diximus, Vdalricum Epiſcopum Halberſtadenſem, Luneburgi agens, e captiuitate dimiſiſſet, Imperator Principum Conuentum *Wirceburgi* celebrauit. *Erat haec quarta*, vt cum Arnoldo loquar, *Curia*, *adhuc rogatu Principum* Henrico Duci *indicta*, *ad quam* [inimicorum ſuorum conſilia violenta non ignorans] *cum non veniſſet*, Imperator *fecit*, *vt* Goslariae *ex ſententia Principum inſtructus erat*, **Bernhardum Comitem de Anhalt**, paulo ante ab amicitia Ducis auulſum, *pro eo Ducem conſtituit, & Epiſcopis, vt ſua reciperent, quae in beneficiis ab eis habuerat, mandat, & bona eius publicari praecepit. Vnde accepta occaſione quidam de ſuis alienati ſunt ab eo. Dux autem iniuſte de ſe iudicatum eſſe affirmabat, dicens, ſe de Sueuia oriundum, & nullum proſcriptione damnari poſſe, non conuictum in terra natiuitatis ſuae.* Vltimam hanc circumſtantiam annotat quoque Vrſpergenſis, de conuentu Wirceburgenſi, quanquam eum non nominet, loquens: *Vbi*, inquit, *quidam Principes & Barones, fautores Ducis, more Teutonicorum, qui ſine lege & ratione voluntatem ſuam pro iure ſtatuentes, contra Imperatorem hoc ius tenere volebant, vt Imperator Ducem condemnare non poſſet, vel terras ſuas abiudicare, niſi infra terras Ducis placitum ſtatueret. Porro quidam nobilis exſurgens in medium, propoſuit, quod lege duellionum, quae & lege & ratione firmatur, hoc vellet obtinere contra quemlibet ſecum pugnare volentem, quod Imperator quemlibet Principem poſſet euocare pro iuſtitia ad locum quemcunque vellet, infra terminos ſui Imperii exiſtentem. Cumque nullus iſti ſe offerret ad pugnam, edicto Imperatoris praefata ſententia pro iure perpetuo ſtatuta eſt, quam non dubium eſt auctoritate & ratione firmari. Cumque Imperator praefato Duci abiudicaſſet Ducatus ſuos, & alia bona, ſingula conceſſit his, quibus apta erant ad retinendum.* Amici illi, qui Ducem in natali ſolo, Sueuia nempe, iudicandum ſtatuebant, ſine dubio e Sueuia fuere *Comites Zolerenſes*, *Veringenſes* aliique, quos Henrico Duci fauiſſe paulo ante Vrſpergenſis dixerat.

Digitized by Google

xerat. Otto de S. Blaſio cap. 24. *Ibi* [Herbipoli] *ſententia Principum Ducatu Norico & omni praediorum & beneficiorum poſſeſſione, feudali poena mulctatus, priuatur. Ipſe autem more paterno maieſtati cedere, regalemque gratiam quaerere dedignatus, dum ſe exiſtimat ſtare, cecidit, perditumque ſtatum dignitatis vsque ad terminum vitae nunquam recuperauit. Nam Imperator praediis & beneficiis cedentibus, Ottoni Palatino de Witilinsbach Ducatum Noricum conceſſit, ac Bernhardum Comitem de Anehalde Ducatu Saxonico ſublimauit.*

§. 82.

Godefridus Colonienſis, Chronicon Montis Sereni & Albertus Stadenſis Henricum non *Wirceburgi*, ſed *Geilenhuſae* Ducatibus & beneficiis priuatum aſſerunt; nec errant. Ibi enim ſententia, Wirceburgi in Ducem pronunciata, executioni mandata eſt. Et ibi Fridericus Imperator ſolenni diplomate Anno 1180. Idibus Aprilis dato & *aurea bulla* munito, Philippo Colonienſi *partem Ducatus Weſtfaliae & Angariae* conceſſit. Edidit illud ex Archiuio Eccleſiae Colonienſis Gelenius in libro de admiranda magnitudine Coloniae Agrippinae pag. 73. ſeq. vnde integrum hic inſerimus: *In nomine Sanctae & Indiuiduae Trinitatis: Fridericus Diuina fauente Clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Quoniam humana labilis eſt memoria, & turbae rerum non ſufficit: praedeceſſorum aetatis noſtrae Diuorum Imperatorum & Regum decreuit authoritas, litteris annotare, quae fluentium temporum antiquitas a notitia hominum conſueuit alienare. Proinde tam praeſentium quam futurorum Imperii fidelium nouerit vniuerſitas, qualiter* HENRICVS *quondam Dux Bauariae & Weſtphaliae, eo quod Eccleſiarum Dei & Nobilium Imperii libertatem, poſſeſſiones eorum occupando, & iura eorum imminuendo, grauiter oppreſſerit, ex inſtanti Principum querimonia, & Nobilium plurimorum, quia citatione vocatus Maieſtati noſtrae praeſentari contempſerit, & pro hac contumacia proſcriptionis noſtrae inciderit ſententiam. Deinde quoniam in Eccleſiis Dei & Principum & Nobilium Iura & libertatem graſſari non deſtiterit, tam pro illorum iniuria, quam pro multiplici contemptu Nobis exhibito, ac praecipue pro euidenti reatu Maieſtatis & ſub foedali iure legitimo, trino edicto ad Noſtram citatus audientiam, eo quod ſe abſentaſſet, nec aliquem pro ſe miſiſſet reſponſalem, contumax iudicatus eſt, ac proinde tam Ducatus Bauariae, quam Weſtphaliae & Angariae, quam etiam vniuerſa, quae ab Imperio tenuerit beneficia, per vnanimem Principum ſententiam in ſolemni curia Wirziburc celebrata, ei abiudicata ſunt, Noſtroque iuri addicta & poteſtati: Nos itaque habita cum Principibus deliberatione, communi ipſorum conſilio, Ducatum, qui dicitur Weſtphaliae & Angariae in* [duo] *diuiſimus, & conſideratione merito-*

 rum,

rum, quibus dilectus Princeps noſter Philippus Colonienſis Archi Epiſcopus ob honorem Imperialis coronae promouendum & manutenendum, nec rerum diſpendia, nec perſonae formidans pericula; gratiae Imperialis promeruit priuilegium, vnam partem, eam videlicet, quae in Epiſcopatum Colonienſem & per totum Patheburnenſem Epiſcopatum protendebatur, cum omni iure & iurisdictione, videlicet cum Comitatibus, cum Aduocatiis, cum Conductibus, cum Manſis, cum Curtibus, cum Beneficiis, cum Miniſterialibus, cum Mancipiis, & cum omnibus ad eundem Ducatum pertinentibus, Eccleſiae Colonienſi legitimo donationis titulo Imperatoria liberalitate contulimus, & requiſita a Principibus ſententia, an id fieri liceret, adiudicata, & communi Principum & totius curiae aſſenſu approbata, accedente quoque publico conſenſu dilecti Conſanguinei noſtri, Ducis Bernhardi, cui reliquam partem Ducatus conceſſimus, praememoratum Archi Epiſcopum Philippum portione illa Ducatus, ſuae collata Eccleſiae, vexillo Imperiali ſolemniter inueſtiuimus. Hanc igitur legitimam Maieſtatis noſtrae donationem & inueſtituram Colonienſi Eccleſiae & ſaepe dicto Principi noſtro Philippo Archi Epiſcopo, omnibusque ſuis ſucceſſoribus confirmamus, & in omne poſteritatis aeuum eis ratam permanere volentes, ne quis eam auſu temerario infringere, vel quomodolibet violare attemptauerit, Imperiali edicto inhibemus, & hanc noſtram conſtitutionem praeſenti priuilegio aurea Excellentiae Noſtrae Bulla inſignito corroboramus authentice: Teſtibus annotatis qui huic facto interfuerunt; ſunt autem hi: Arnoldus Treuirenſis Archi Epiſcopus, Wigmannus Magdeburgenſis Archi Epiſcopus, Conradus Salsburgenſis, Sifridus Bremenſis Electus, Conradus Wormacienſis Epiſcopus, Rudolphus Leodienſis Epiſcopus, Bertramus Metenſis Epiſcopus, Arnoldus Oſnaburgenſis Epiſcopus, Conradus Abbas Fuldenſis, Adolphus Abbas Hirsfeldenſis, Lotharius Praepoſitus Bunnenſis, Luduicus Palatinus Saxoniae & Landgrauius Thuringiae, Bernhardus Dux Weſtphaliae & Angariae, Godefridus Dux Lotharingiae, Fridericus Dux Sueuiae, Otto Marchio de Brandeburg, Theodoricus Marchio de Luſiz, Dedo Comes de Groix, Sifridus Comes de Orlamunde, Robertus Comes de Naſſoue, Emicho Comes de Linninche, Engelbertus Comes de Monte, Theodoricus Comes de Hoſtaden, Gerardus Comes de Nurberc, Henricus Comes de Arnisberc, Hermannus Comes de Rauinsberg, Henricus Comes de Kuc, Wernerus Comes de Vittinckinſtein, Witikindus de Waltecke, Fridericus de Arriſurde, Hartmannus de Butingin, Wernerus de Boulande, Conradus Pincerna, Henricus Marſcalcus de Pappenheim, Sibodo de Groix Camerarius, & alii quam plures. Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris inuictiſſimi.

§. 83.

Digitized by Google

§. 83.

Ex monumento hoc inſigni non vna diſcimus. Prodit enim illud manifeſte innocentiam Ducis, genuinam ſententiam, eiusque iniuſtitiam. Multa quidem de Henrico Principes, a Friderico incitatos, conqueſtos eſſe, multa de eo in vulgus iactaſſe ex Scriptoribus antea citatis coniicimus; ſed eum de nullo crimine conuictum fuiſſe, & proceſſus aduerſus ipſum inſtitutus, & iudicum conditio, & ipſa haec ſententia euincunt. Nullum enim eius crimen diſtincte in ea exprimere auſus eſt Imperator. Dicitur ſaltem eum *Eccleſiarum Dei & nobilium Imperii libertatem, poſſeſſiones eorum occupando, & iura eorum imminuendo grauiter oppreſſiſſe.* Acquiſiuerat Henricus, vt hactenus vidimus, plurima bona, partim hereditate, partim donatione ipſius Caeſaris, aliquando & iudice illo. Ab Epiſcopis, gratis in ipſius merita, *feuda* quaedam obtinuerat: *Slauiam*, volente Imperio, ſibi ſubiecerat ab Albi ad Viſtulam vsque, ibique Regio pene iure regnabat. Sed tandem Epiſcopi & Principes minores, ingenti eius potentia offenſi, haec omnia ſiniſtre accipiebant, & irato in eum Imperatore ipſis fauente, de vi atque oppreſſione conqueſti ſunt, cum debita ſibi iura exigeret Henricus, nec iuſte acquiſita amittere vellet. Ex Bauaris & Sueuis eum accuſabat nemo. Iudices in fine huius aureae bullae nominati aut Caeſaris aſſeclae & clientes, aut Ducis iuſſibus ſubiecti, & ex priuatis cauſis inimici eius capitales erant, quorum iudicium de hoſte aut de domino ſuo ſuſpectum omnino eſſe debebat. *Philippus Colonienſis Archi Epiſcopus* Duci infenſus erat, quod Rhenum ſub ſuo iure fluere & vtramque eius ripam ſuam eſſe contenderat; nec non ideo, quod hereditatem Aslenſium ei cedere noluerat. Hi ſunt *reditus, quos ſibi in Saxonia ſubtractos eſſe a Duce*, conqueſtus eſt, vt apud Houedenum legitur. Primus itaque in ordine iudex *Arnoldus Archi Epiſcopus Treuirenſis* ab Imperatore promotus, & dum Praepoſitus Coloniae fuiſſet a Philippo fotus, non potuit non pro vtriſque contra Ducem pronunciare. *Wichmannum Archi Epiſcopum Magdeburgenſem* inimicum Henrici ſummum plus vice ſimplici vidimus. *Conradus Salisburgenſis* a Friderico promotus *eiusque conſanguineus* erat, (zzz) vt patet ex ipſius Friderici diplomate apud Hundium Metrop. Salisb. T. I. p. 49. ſq. *Sifridus Bremenſis* paulo ante ad Archi Epiſcopatum Ducis commendatione peruenerat; ſed, *fratre Bernbardo* in partes pertracto & altera Ducatus Weſtphaliae & Angariae parte donato, ei aduerſus eſſe debuit, cum & ipſe Comitatui Sta-

zzz) Immo, quod maius eſt, Ottonis de Wittelsbach, qui Henrico in Ducatu Bauariae ſubſtituitur, frater germanus: vti videre eſt ex Charta, (Probat. N. LXXXI.) quam paullo poſt ad inſulam Moguntinam promotus, memoriae cauſa dedit Anno 1183. quo nouus ille Dux vt flos vernalis in herba periit. Vid. Chron. Reichersberg. ad h. annum.

Digitized by Google

Stadenſi adhuc inhiaret, & inique ferret, ſuffraganeos ſuos inueſtituram a Duce petere coactos. *Conradus Epiſcopus Wormatienſis* Welfi quidem amicus fuerat; ſed, Welſo iam a Duce noſtro diffidente & Imperatoris amicitiae dedito, & ipſe Caeſari, cui arcte iam a longo tempore adhaeſerat, fauiſſe credendus eſt. *Rudolfus Leodienſis* Philippi Colonienſis ſuffraganeus erat, & peſſimorum homo morum fuiſſe traditur. *Bertramum Metenſem* Saxonem ortu fuiſſe ferunt; vnde non mirum eum cum Metropolitano ſuo Archi Epiſcopo Treuirenſi aduerſus Ducem conſpiraſſe. *Arnoldus Oſnabrugenſis* & ſuffraganeus Philippi erat & Coloniae Praepoſitus fuerat. Inter ſaeculares Principes primas ducit *Ludouicus*, Palatinatum modo adeptus, & Friderici Imperatoris ſorore vterina natus. *Bernbardus Anhaltinus* modo Weſtfaliae & Angariae Ducatus partem, Duci noſtro violenter ereptam, receperat. *Godefridus Dux Lotharingiae* vaſallus & amicus deditiſſimus erat Archi Epiſcopi Colonienſis, vt hic expreſſe Houedenus dicit, & Arnoldus Lubecenſis Lib. III. c. 9. exemplo inſigni oſtendit. *Fridericus Dux Sueuiae* eſt Imperatoris filius. *Otto Marchio de Brandenburg*, Bernhardi, nouiter in Ducem creati, frater. *Theodericus Marchio Luſatiae* & *Dedo Comes Groicenſis* praecipui erant Principum Orientalium, quos Henricus armis aliquoties in ordinem redegerat, eius ideo antea accuſatores, nunc iudices, a quibus vix aequitatem ſperes. *Sifridus Comes de Orlamunda* aſſecla eorum & Bernhardi noui Ducis ex fratre eius Hermanno nepos erat; vti id in Originibus Anhaltinis Cap. IV. clare oſtendimus. *Robertus Comes Naſſouienſis* vaſallus & amicus Philippi Colonienſis inter paucos erat, vti ex Houedeno, & iis, quae Arnoldus Lubecenſis Lib. III. c. 9. profert, ſatis elucet. *Emicho Comes Leiningenſis*, *Engelbertus Comes de Monte*, & alii ſequentes, etiam aut vaſalli aut amici Colonienſis Archi Epiſcopi erant; aliqui etiam rebellione in Ducem & latrociniis dudum infames, vt facile oſtendi poſſet, ſi vacaret. *Henricum Comitem Arnsbergium*, quod fratrem in carcerem conieciſſet, in quo extinctus erat, grauiter Anno 1163. puniuerat Henricus Dux, vt Gobelinus Aet. 6. c. 60. & alii a Schatenio citati auctores produnt. Nec crimen ipſi condonatum fuiſſet, niſi Archi Epiſcopo Colonienſi omnia ſua bona, ſi moreretur, obtuliſſet. *Theodericus de Hoſtaden* frater erat *Lotharii Praepoſiti Bunnenſis*, ac deinde, iuſſu, vt videtur, Henrici VI. Imperatoris interfici fecit Albertum Epiſcopum Leodienſem, vt eius in locum Lotharium fratrem intruderet; vti ex Aegidii Aureae vallis Monachi Chronico Epiſcoporum Leodienſium intelligimus. *Hermannus Comes Rauensbergius* iam Anno 1177. cum fidiſſimo amico Ducis Bernhardo de Lippia colliſus fuerat. *Werneri de Bolandia* genium nobis

Bro-

Digitized by Google

Browerus depingit, dum in Annalibus Treuirenſibus refert, eum poſtea cum aliis Imperatoris legatis in bona defuncti Arnoldi Archi Epiſcopi ſe ingurgitaſſe, eorumque quae condiderat, nihil reliqui feciſſe. *Pincerna* ac *Mareſchallus* Imperatoris neceſſario ſentire debebant, quae Domino placerent. En igitur tibi Iudices Henrici Leonis, & quale iudicium proferre potuerint inimici pene iurati, aut eidem Domino ſuo rebelles, iam ipſe perpende. Poteratne ſe his ille ſiſtere? poteratne aequi quid ab iis ſperare? Magnum certe pondus, ſi aequitati paululum lites, habebat prouocatio amicorum Sueuorum ad iudicem iuſtiorem. Sed non audiebantur. Bene itaque ſibi conſuluit Dux, dum non comparuit. Interim hoc ei, tanquam ingens crimen obiiciebatur ab Imperatore. Houedenus quidem refert, *Imperatorem calumniatum eſſe Ducem de periurio, de fide laeſa, de laeſione maieſtatis Imperialis.* Otto de S. Blaſio inter capita accuſationis recenſet, quod *Italicis hoſtibus Reipublicae contra Imperatorem fauiſſet.* Theodericus Marchio Landsbergius ei *traditiones quasdam contra Imperium factas* imputauit. Sed nihil horum demonſtrari, aut ſolide probari potuiſſe, vel inde euidens eſt, quod Imperator haec omnia in diplomate ſuo pro Colonienſi Archi Epiſcopo, quod inſtar ſententiae in Ducem latae eſt, ſilentio transmittat, ſolamque inobedientiam obiiciat.

§. 85.

Dicit in eodem Imperator, hanc propter cauſam Wirceburgi ipſi *abiudicata eſſe Ducatum Bauariae* vt & *Weſtfaliae Angariaeque*, nec non *vniuerſa quae ab Imperio tenuiſſet beneficia.* Relicta ergo ſunt illi omnia bona gladio acquiſita, aut auita & allodialia, nec non feuda, quae non ab Imperio, ſed ab aliis habebat. Haec tamen poſtea capta & direpta ſunt promiſcue ab inimicis Ducis, Imperatore tacite conniuente, vt aegre faceret, quem oderat, &, ſi eluctaretur, metuebat. Saxonia olim in tres Prouincias maiores diſtincta erat, *Oſtfaliam* nempe, *Angariam* & *Weſtfaliam.* Haec diſtinctio adhuc obtinebat. Omnibus tamen tribus his partibus Henricus Dux praeerat, atque a Rheno ad Viſtulam vsque dominabatur. *Oſtfaliam* a Viſurgi ad Albim extenſam, cum Slauia ad Viſtulam vsque procurrente, quae a Duce gladio acquiſita erat, ei eripere deſperabat Imperator, quia maiorem eius partem Dux inter allodia numerabat. Mentionem igitur eius nullam facit, ſed profitetur ſaltem, abiudicatam eſſe *Weſtfaliam* & *Angariam*, Ducemque illum *Bauariae* & *Weſtfaliae* ſolum vocat. Diuidit vero has Prouincias in duas partes, & Philippo Archi Epiſcopo vnam inde in praemium operae nauatae attribuit, eam nempe, *quae in Epiſcopatum Colonienſem & per totum Epiſcopatum Paderbornenſem protendebatur*; illumque mox *hac Ducatus portione vexillo*

Imperiali ſolemniter inueſtiuit, conſentiente *Bernhardo dilecto conſanguineo ſuo.* Bernhardo tandem *reliquam partem Ducatus*, Weſtfalici nempe & Angarici, *conceſſit.* Haec ergo per inferiorem Rheni oram & Dioeceſes Monaſterienſem, Oſnabrugenſem & Mindenſem ſe extendit, & a Viſurgi ab Oſtfalia ſeparata fuit. In his tamen terris vnquam ne minimam quidem poteſtatem ſibi arrogare auſus eſt Bernhardus, (aaaa) vt nihil praeter inane *Ducis Saxoniae* nomen accepiſſe videatur, quod in Chartis eius apud Becmannum, hiſtoriae Anhaltinae Scriptorem, ab hoc tempore legimus. vide infra (Probat. N. LXXXIII. a. b. c.) Immo hoc non niſi per terras auitas, non ex Caeſaris conceſſione, ſed auſu proprio extendit: Vnde & a coaetaneis eum ſaltem *Ducem de Anhalt* vocari videbimus. Henrico ergo & poſteris ipſius ius integrum in iniuſte ereptas partes, & poſſeſſio illibata Ducatus Saxonici in Oſtfalia manſit.

§. 85.

Imperator interea quod coeperat, continuauit, & teſte auctore Chronici Reicherſpergenſis, III. Kal. Iulii conuentum Principum, praeſertim Bauariae, *Ratisbonae* habuit, (bbbb) cui tres Cardinales Legati Pontificis interfuerunt. Ibi vero *Palatinus Bauariae Comes*, *Otto Senior* de Witelsbach, *Ducatum Bauariae de manu Imperatoris ſuſcepit.*

§. 86.

Dux vero Henricus iniuriis illatis ſtrenue vindicandis, eo ipſo tempore, quo Wirceburgi & Geilenhuſae ſententia in eum pronunciabatur, exercitum in Weſtfaliam miſit, rebelles ibi Comites puniturus. Duces erant expeditionis huius Adolſus Schauenburgicus, Bernhardus Raceburgenſis, Bernardus Welpenſis (qui etiam poſt haec, aliis deficientibus, Duci ſolus fidelis permanſit) Guncelinus Suerinenſis, Ludolſus fraterque eius Halremundenſes Comites. Pugnatum eſt contra inimicos Ducis in medio ter-

aaaa) Potentia quidem & arte regnandi deſtitutus. Cautior eo fuit Philippus Colonienſis, qui firmandae nouae acquiſitioni in Weſtfalia nouum Caſtrum conſtruxit, ſcilicet Pyrmontanum, quod continendis in officio nouis ciuibus par eſſet. (Probat. N. LXXXII.) Contra Bernhardi feuda minutiora in plures particulas ſparſa, nec facile contra inuaſores defendenda, abiere in ſcopas diſſolutas. Vnde diu fluctuauit in titulo, quem aſſumeret. Primis enim nouae dignitatis annis *Ducem* ſe *Weſtfaliae & Angariae* quidem ſcripſit; non omiſſo tamen, ex reuerentia, vt credendum eſt, erga Colonienſem Archi Epiſcopum, *Comitis Aſcherslebienſis*, quem ante geſſerat, & qui ei connatus erat, titulo. Vid. Heineccius de Sigill. p. 71. Aſcherslebiam enim cum circumiecta regione ex paterna hereditate acceperat, vbi *mallum* ſuum habuit. Quod eleganter adſtruit charta Vallis Mariae ſigillata. (Probat. N. LXXXVI.)

bbbb) Quo etiam conſtitutio de ponte, telonio & moneta, in gratiam Henrici Leonis Veringa Monachium transferenda, reſciſſa eſt. (Probat. N. LXXXVII.)

Digitized by Google

terrae eorum, qui terras Ducis ibi occupauerant. Hi erant Comites, Simon Teclenburgicus, Hermannus Rauensbergicus, Henricus Arnsbergenſis, Witekindus Sualenbergenſis & alii plures. Ex aduerſo Oſnabrugae exercitus Ducis ſubſtitit, inimicosque expectauit. Cumque hoſtiles copiae appropinquaſſent, *attriti ſunt Weſtfali plaga magna*, vt Arnoldus Lib. II. c. 27. loquitur. Occiſi plurimi, multi capti, inter quos eminebat *Simon Comes Teclenburgicus*, qui a Duce coniectus in vincula, & manicis ferreis conſtrictus, nec ante ſolutus eſt, quam iureiurando fidelitatem ei promiſiſſet, in qua etiam, quoad vixit, ſancte perſeuerauit. Poſt reditum e bello captiuos pro opera & impenſis ſibi deberi aſſerebat Adolfus; alii eos Ducis eſſe contendebant. Vnde grauis & rebus Ducis pernicioſa diſſenſio orta eſt. Adolfus enim his captiuis ſibi denegatis a partibus eius vna cum Comite Daſſelenſi ſeceſſit. Gobelinus Aet. 6. c. 60. commemorat, eodem tempore, quo pugnaretur aduerſus Teclenburgicum & ſocios, miſſos quoque *Bernhardum de Lippia* & *Witekindum de Reden* aduerſus Suſatenſes rebelles, Prouinciam illam circumquaque incendio vaſtaſſe, & in die Iudae oppidum Medebecam concremaſſe.

§. 87.

Dum in Weſtfalia pro Duce pugnabatur, ipſe Dux arma in Oſtfaliam & Thuringiam menſe Maio vertit. Gerhardus Stederburgenſis id breuiter his indicat: *MCLXXX. Henricus Dux Thuringiam vaſtans incendio, Landgrauium & fratrem eius cum multis nobilibus captiuum duxit.* Chronicon Montis Sereni ad eundem annum: *Henricus Dux congregato exercitu Saxoniam ingreditur, folles Goslarienſium incidit, officinas operis eorum deſtruxit, ipſosque ciues fame multisque aliis modis afflixit. Ludeuicus Landgrauius & frater eius cum CCCC. & eo amplius capti ſunt. Bernhardus Dux cum ceteris fuga elapſus eſt. Caſtrum Northuſen, & Monaſterium Sanctimonialium in eo ſitum, igne conſumtum eſt.* Chronicon Bigaugienſe eadem ad eundem annum ſic refert: *Poſt Paſcha Dux Goslariae folles & coetera eiusdem ciuitatis in Caeſaris iniuriam euertit, ciuibus annonam inferri prohibuit. Northuſen concremauit, ibi etiam Monaſterium Sanctimonialium exuſtum eſt. Cui occurrunt Lutwicus & Hermannus; Bernhardus fugatus, Dux fugientes Thuringos vsque in Molhuſen perſecutus eſt, omnia deuaſtans.* Ludouico Landgrauio Henricus praecipue ſuccenſus erat, quod is copiis praefuiſſet, quae *Haldeslebiam* ceperunt anno ſuperiori. Certiores nos hac de re facit Hiſtoria de Lantgrauiis cap. 24. *Imperator*, inquiens, *miſit Lantgrauium Ludouicum cum magno exercitu in Saxoniam, & ciuitatem Hatisleybim obſederunt, & expugnatam deſtruxerunt.*

Digitized by Google

Accidit poſtea quod idem Dux dictus Leo Thuringiam intrauit, & villas regias Molhuſen & Northuſen cepit & incendit, & hoſtili manu plures villas in Thuringia deſtruxit. Quod audiens Ludouicus Lantgrauius, collecta quanta poterat multitudine pro tempore Ducem Henricum iam abeuntem inſequitur: congreſſus cum eo bellum inconſulte, multis vtrobique interfectis. Ipſe Ludouicus cum fratre ſuo Hermanno & multis aliis captiuis abducitur. Arnoldus Lubecenſis Lib. II. c. 30. *Adueniente*, ait, *Maio Dux cum expeditione intrauit Thuringiam, & exuſſit ciuitatem, quae dicitur Koniges-Northauſen. Cui occurrit Ludouicus Comes Prouincialis cum multitudine magna, commiſſumque eſt proelium inter eos, & fugati ſunt Turingi, & Ludouicus captiuatus eſt cum fratre ſuo Hermanno Palatino, & cum militum multitudine. Exaltatus eſt autem Dux in die illa, & factum eſt gaudium & exultatio in domo eius. Et reuerſus eſt Brunſchwig cum infinita turba captiuorum & ſpoliis multis.* Brunſuici tunc lis de captiuis, paulo ante relata, Adolfum Comitem Holſatiae a Duce auertit. Captiuus Landgrauius eiusque frater Hermannus *Luneburgum* miſſi ſunt; vt inferius intelligemus.

§. 88.

Non parum detrimenti rebus Henrici Ducis attulit mors inopia *Caſimiri Principis Pomeranorum* illi deuotiſſimi. Qui enim ſucceſſit frater eius, *Bugislaus, Imperatori*, vt Arnoldus cap. 31. prodit, *coniunctus, qui & eidem homagium fecit & tributa perſoluit.* Hinc Slaui ab Henrico defecere. Obitum Caſimiri Chronicon Montis Sereni in Annum 1180. recte contulit. Male ergo Saxo Grammaticus eum Anno 1182. adhuc viuum nobis ſiſtit.

§. 89.

Dux inter haec *de defectione Adolfi* certior factus, Holſatiam verſus ſtatim cucurrit, *omnem eius terram trans Albim* occupauit, Caſtrum Ploenam expugnauit, & in eo Marcradum Holſatum collocauit. *Sigeberga*, quanquam non expugnabilis videretur, per *Bernhardum Comitem Raceburgenſem* recepta, eique a Duce Lupoldus Bauaria oriundus, vir prudens ac ſtrenuus, praefectus eſt. Mathildis Comitiſſa, quae ibi fuerat, ſe *Schauenburgum* recepit, quo & filius Adolfus confugerat. Is abſentia Ducis vſus, tunc cum amicis & cognatis ſuis Caſtrum *Honrodam* deſtruxit, quod e regione Caſtri ſui vltra Viſurgim Conradus de Roda aedificauerat. Haec ex Arnoldi cap. 30. ſcimus.

§. 90.

Dum circa maritima loca verſaretur Henricus Dux, & iam percepiſſet, ipſum in ſe Imperatorem mouere, videtur ille colloquium cum Wal-

Digitized by Google

Waldemaro Daniae Rege habuiſſe, quod nobis Saxo Grammaticus Lib. XV. p. 363. indicat; ſed vt alibi ſaepius, ita hoc loco manifeſte partium ſtudio laborat. Multa Duci debebat Waldemarus Rex. Fauerat ei quauis occaſione, & filiam ſuam Gertrudem filio ipſius Canuto dederat. Hoc vinculo amicitiam firmatam credidit, & ad Egidoram Regem conuenit. Dicit Saxo, Henricum ad Regem veniſſe *pertranſito ponte, cuius nunquam antea dimidium excedere conſueuiſſet.* Addit, Ducem *per ſummam mutuae fidei exhortationem obnixa auxilii petitione ſollicitaſſe*; Regem vero *praefatum, ſe nullo fidei debito compelli, amicitiae tamen, quam olim cum eo iunxerit, non defuturum,* promiſiſſe, *ſi Deum iampridem a ſe Pontificalium bonorum rapinis offenſum, congruis reſtaurationis officiis conplacaſſet:* Henricum tum *multa a ſe, de Pontificum bonis, beneficii nomine, extorta* confeſſum, *quibus ſi ſponte cederet, vltimae paupertati ſubiiceretur:* negaſſe porro, *raſae attonſaeque ceruicis homines tanti a ſe aeſtimari, vt vltro opibus carere, plusque eorum irae, quam gloriae ſuae tribuere velit.* Hinc Regem ei auxilium ſuum plane denegaſſe: Ducem vero a Rege petiiſſe ſilentium, *ne in vulgus negatae opis fama differeretur;* & in reditu *promiſſi a Rege praeſidii ſimulationem apud milites, ne ad Caeſarem deficerent, exhibuiſſe, & hac ſpe animos eorum firmare cupiuiſſe.* Veri quid his narratis ſubeſſe, non dubito. Sed credo etiam, Waldemarum iam ab Imperatore variis promiſſis ab Henrico Duce alienum factum. Callide igitur is, vt amicum, cuius gloriam potentiamque diu limis oculis adſpexerat, eneruaret, eidem ſuaſit reſtitutionem feudorum ab Epiſcopis acceptorum, inter quae Principem locum obtinebat vrbs & Comitatus Stadenſis, vnicum fere Ducis in arctis poſiti praeſidium. Hunc ſi Regis hortatu Dux dimiſiſſet, actum de ipſo fuiſſet ſtatim. Vnde Dux prudenter abnuit.

§. 91.

Imperatorem non diu latere poterant diſſenſiones inter Henricum & Adolfum, auxiliaque Daniae Regis denegata. Hinc ea occaſione vtendum ratus, *conuertit*, vt Arnoldi Lib. II. c. 31. verbis vtar, *faciem ſuam venire in Saxoniam, & timuerunt valde omnes viri bellatores, qui erant in Caſtris Ducis, a facie eius. Et eo approximante, ſiue ex neceſſitate, ſiue ex voluntate, omnia Caſtra eius firmiſſima & ſe ipſos in poteſtatem Imperatoris tradiderunt. Multi enim Miniſterialium Ducis, qui ab incunabulis ab eo educati fuerant, & quorum patres ſine omni contradictione ipſi ſeruierant, vt Henricus de Witha, Lupoldus de Hertesburg, Ludolfus de Peina, & plures alii receſſerunt ab eo, & ad Imperium ſe transtulerunt. Inualuit ergo Imperator cum obtinuiſſet Caſtra firmiſſima, Hertesburg, Blanckenburg, Lawenburg, Regenſtein, & conuertit exercitum ad expugnandum Liechtenberg,*

tenberg, & poſt paucos dies tradita eſt in manus eius. Haec Arnoldus. Godefridus Colonienſis, Chronicon Montis Sereni & Bigaugienſe conueniunt, haec Anno 1180. contigiſſe. Vnde ſequitur, & ea, quae praemiſimus, hoc anno geſta eſſe. Miranda eſt diligentia Imperatoris, qua perdere tentauit Henricum, & Henrici, qua ſe defendit. *Hertesberg*, quod Bigaugienſe Chronicon *Hartesberg*, alii corrupte *Henneberg* & *Hermenburg* vocant, eſt *Hertzberga arx*, Henrico olim ab ipſo Friderico Imperatore donata. (cccc) *Lawenburgum* rectius Chronicon Montis Sereni *Stoufenburg* effert, & eſt *Stauffenberga* prope Gandershemium. *Blanckenburgi* obſidioni deputatum fuiſſe Epiſcopum Halberſtadenſem ex Gerhardo Stederburgenſi intelligimus. *Regenſteinium* vetus poſſeſſio Ducum noſtrorum, nunc a Brandenburgicis adhuc detenta, nota eſt. Chronicon Montis Sereni ad h. a. addit, tunc etiam Imperatori *nobiles de Waltingeroth, de Scartfeld, de Danneberg & Ilſeld cum caſtris ſuis ſeſe tradidiſſe*; quod & Chronicon Bigaugienſe affirmat. Adiiciunt iidem auctores & Gerhardus Stederburgenſis Arnoldusque, eodem hoc anno & *Hartzburgum* prope Goslariam ab Imperatore reſtauratum, aliudque in ea regione Caſtrum *Biſchofesberg* dictum, ab Vdalrico Halberſtadenſi Epiſcopo olim aedificari coeptum, ſed non perfectum. Arnoldus memorat, reſtitiſſe Imperatori eos, qui fuerint in Caſtro *Waldenburg* (Wolenbergam intelligi puto) ſed nihil profeciſſe, & coactos eſſe *Caſtro eorum deſtructo ad Caſtrum Imperatoris migrare.* Imperator ab expeditione reuerſus natalem Domini Wirceburgi celebrauit.

§. 92.

Quid A. 1181. actum ſit vtrimque, non inuenio. Satis laboratum erat anno praeterito. Vnde hunc praeparationi ad anni ſequentis expeditionem impenſum veroſimile eſt. Imperator magnum Principum conuentum ſub finem menſis Nouembris *Erfordiae* habuit. In eo diſcuſſa eſt controuerſia de *Caſtro Homburg* Henrico Duci nuper adempto. Imperator crediderat, id cum aliis terris, quae Henricus Dux ab Imperio tenuerat, ad ſe deuolutum eſſe; ſed Adelogus Epiſcopus Hildeshemenſis, qui Eccleſiae ſuae illud vindicare ſummo ſtudio moliebatur, neque ignorabat rem facillimam fore, in abſentem & indefenſum, atque praeter meritum ſuum communi Imperatoris & Ordinum Imperii odio depreſſum, omniumque rapinae expoſitum Principem quiduis volentibus perſuadere, teſtimonio *Hogeri & Borchardi de Waltingeroth Comitum, Theoderici de Inſula, Witikindi de Sualenberg, Comitis Henrici de Slatheym, Engelmari &* Fri-

cccc) Non donata, ſed, vt ſupra vidimus, ex contractu permutationis, atque hinc titulo oneroſo, vt Iure conſulti loquuntur, ipſi debita & adiudicata.

Digitized by Google

Friderici, quos omnes procul dubio magnis pollicitationibus in partes ſuas traxerat, demonſtrare niſus eſt, *quod Hildesheimenſis Eccleſia proprietatem dicti Caſtri XXX. annis & amplius quiete poſſediſſet, & Henricus Dux illud ab Epiſcopis Hildesheimenſis Eccleſiae in beneficio tenuiſſet*; Quo quidem aſſerto licet nihil dici potuiſſet vanius, falſius nihil; tamen Fridericus Imperator, qui non tam de iuſtitia cauſſae, quam quidem de eo ſollicitus erat, vt Principes multos in partes ſuas traheret, eorumque aduerſus Henricum Leonem animos odio atque ira incenderet, eidem Eccleſiae Caſtrum hoc confirmauit (dddd) diplomate hoc anno Kalendis Decembris in Curia Erfordiae dato. (Probat. N. LXXXVI.) Teſtes adſuere *Philippus Colonienſis Archi-Epiſcopus*, *Sifridus Bremenſis Archi Epiſcopus*, *Anno Mindenſis Epiſcopus*, *Bernhardus Dux Weſtfaliae & Angariae*. *Otto Marchio Brandenburgenſis*, *Comes Albertus de Ebirſtein*, *Ludolfus Iunior de Waltingeroth*, *Sibotho Comes de Scartfelt*, *Luppoldus Aduocatus*, *Ludolfus de Payne*, *Theodericus de Goltorne*, *Conradus de Kemme & alii quam plures*. Adelogus Epiſcopus Anno deinde 1183. eiusdem Caſtri medietatem *Ludolfo de Dasle & fratri eius Adolfo*, & aliam medietatem *Botoni & fratri eius Bertholdo Dynaſtis Homburgicis* ſub certis conditionibus in feudum tradidit. (Probat. N. LXXXVII.) Sed Henricus Dux A. 1189. ex Anglia redux factus Caſtrum hoc olim ex hereditate Wincenburgica occupatum nouis Dominis mox iterum eripuit, iisque eiectis illud cum ditione recuperatum ad filios transmiſit; vtque illud numquam antea feudum Hildesheimenſis Eccleſiae agnouit, ita nec plus a poſteris eius Epiſcopis vmquam conceſſum eſt. Immo in diuiſione hereditatis, quae A. 1203. inter Ottonem IV. Imperatorem & Henricum Comitem Palatinum facta eſt, Homburgum Caſtrum inter allodia diſertim recenſetur. Dux Albertus Magnus partem huius Caſtri Homburgicis Dynaſtis alteram ſemiſſem iam paterna ſucceſſione tenentibus in feudum tradidit. Quod licet aegre tulerint Daſſelenſes Comites, qui illam, tamquam ſibi debitam hereditatem, ab Epiſcopis ſaepius, & adhuc Saeculo XIII. ab Henrico repetiere, nil tamen ab eo praeter CCC. marcas obtinuerunt, Chronico Hildesheimenſi a Leibnitio edito atteſtante. Potius ex hoc tempore Homburgii Dynaſtae integrum Caſtrum & ditionem ſubiectam tenuere, donec A. 1409. partim ex donatione, partim iure conſolidationis, mox ſecuto obitu Henrici, vltimi Homburgicorum, quem Eberſteinius Comes in ipſo templo Eccleſiae Amelungsbornenſis confodit, vna cum Eberſteiniorum

ddd) Idem de Burgo & Caſtro Stadii factum, quod eodem in Conuentu Fridericus Imperator Sifrido, Bremenſi Archi Epiſcopo adiudicauit per litteras infra recitandas; (Probat. N. LXXXVIII.) licet ſine effectu. Datae ſunt eae quidem Anno 1180. ſed anni Regni & Imperii, nec non indictio decima quarta annum poſtulat 1181.

niorum Comitatu ad Duces Brunſuicenſes peruenit, qui ex eo tempore ſemper Homburgicum Caſtrum & regionem annexam feudi Imperialis nomine obtinuerunt. Nec Eccleſia Hildeshemenſis, vtut aliquoties hoc tentarit, aliquid iuris amplius in hoc Caſtro obtinere potuit.

§. 93.

Ducem *Luneburgi* Natalem Domini Anno 1181. peregiſſe Arnoldus Lib. II. c. 33. prodit. Ibi, vti idem ſcribit; *coepit incuſare Comitem Bernhardum de Raceburg, qui tunc cum ipſo erat, de conſpiratione aduerſus eum facta, imponens ei notam perfidiae & traditionis, dicens ſe indubitanter a fidelibus ſuis compertum habere, imo ſi neceſſitas exegiſſet, manifeſtis eum indiciis & teſtimoniis poſſe conuincere, quod cum inimicis ſuis hanc contra eum conſpirationem fecerit, vt eum vna cum vxore ſua in Raceburg quaſi ad epulas inuitaret, & ſic inſidiis diſpoſitis conuiuantes occideret. Cumque ad obiecta nihil digne praetenderetur, captiuauit eum Dux vna cum filio ſuo Volrado, & veniens cum exercitu Raceburg, obſedit eam, ipſum trahens ſecum. Cui ſuccurrerunt viri Lubecenſes cum nauibus multis & armis & machinis, & creuit obſidio. Neceſſitate ergo compulſi, qui Caſtrum inhabitabant, tradiderunt ipſum Duci. Bernhardus autem Comes, quem Dux Henricus ſecum duxerat coram caſtro Ratzeburg, lapſus de manibus Ducis, fugit cum vxore ſua & filiis in Godebuz. Quem mox ſecutus Hencus expugnauit caſtrum Godebuz. Poſtea tamen cum adhuc Dux eum ſuſpectum haberet, quod fidem integram ei non ſeruaret, quia adhuc cum inimicis ſuis familiaritatem habebat, ſecundam in terram ſuam profectionem fecit, & deſtructo caſtro Godebuſch, ſpolia multa ibidem accepit. Ille autem fugiens, ad Bernhardum Comitem de Anehald, factum Ducem Saxoniae per Imperatorem, apud eum ſe continuit. Dux igitur eiectis omnibus de fauore Bernhardi Comitis exiſtentibus, ſolus potitus eſt omni terra, & coepit munire caſtrum Raceburg, Sigeberg, Plune, plurimum confidens in potentia ſua & victoriis ſuis.*

§. 94.

Imminebat iam aeſtas, Anni 1182. cum Imperator ipſe ingenti exercitu Ducis terris ſe infunderet, iis illum eiecturus. *Werra*, inquit Gerhardus Stederburgenſis, *maxima in terra oriri coepit. Imperator enim Fridericus cum Archi Epiſcopis, Abbatibus, Principibus Regni & toto Imperio nobiliſſimum Ducem Henricum inuaſit.* Arnoldus Lubecenſis Lib. II. cap. 34. *Proxima autem aeſtate Imperator totus infuſus finibus Ducis in manu valida intrauit terram illius, & eiecturus eum de terra, in propria perſona Albiam tranſire diſpoſuit. Timens autem ne poſt eum inſurgerent inſidiae, Philippum Colonienſem cum aliis Principibus praecepit obſer-*

obſeruare Brunſchwig, (eeee) vnde nempe excurſiones metuebantur. Capi vrbem poſſe deſperatum eſt. Nam firmis eam Dux munimentis cinxerat & robur militum impoſuerat. Gerhardus hac de expeditione porro: *Dominus*, ait, *Imperator mericam* [ericetum Luneburgicum] *tranſiturus, Colonienſem Archi Epiſcopum, Treuirenſem, Monaſterienſem, Pathelburnenſem, Hildenſemenſem, Mindenſem, Oſenburgenſem, Abbatem Corbeienſem cum nobilioribus tam noſtrae, quam remotae terrae in obſidione ciuitatis iuxta Ouekaram, in villa, quae Leiforde dicitur, reliquit.* Addit, *Imperatorem & Principes nonniſi propulſioni Ducis intentos fuiſſe, & vnumquemque Principum partes ſibi adiacentes, quae ad Ducis ditionem pertinerent, atrociter inuaſiſſe.* Colonienſem praecipue ſic deſcribit: *Iisdem inimicitiis perdurantibus Colonienſis Epiſcopus vice Domini Imperatoris vaſtator hoſtilis & impius exactor, nec Coenobiis, nec Eccleſiis parcens, impietatis ſuae efficaces executores de partibus Occidentis adduxit.* Brunſuicum tunc, vt aliqui recentiores putant, non eſt capta; ſed qui intus erant, frugibus e vicinis locis vrbi inuectis, eam Duci ſeruarunt. Recte inde Otto de S. Blaſio cap. 24. Imperator *procinctum mouit contra Henricum Ducem, omnesque ciuitates, & caſtella cunctaque iuris ipſius in Sueuia, & Bauaria, & in Saxonia, ditioni ſuae ſubiugauit. Deinde contra ciuitatem munitiſſimam Brunſwich aciem dirigens, eam obſedit, ciuibusque acriter reſiſtentibus cum minime proficeret, caeteris omnibus cis Albim fluuium ei ſubiectis, ſoluta obſidione diſcedit.* Similia his Abbas Vrſpergenſis habet.

§. 95.

Iuxta Brunſuicum *Luneburgum* natura & arte munitiſſimum. Vt igitur nec inde inuaderetur, Fridericus Imperator *Bernhardum Ducem*, verbis Arnoldi vtor, *& fratrem eius Ottonem Marggrauium de Brandenburg cum aliis Principibus Orientalibus propter Luneburgenſium inſidias depoſuit Bardewich.* Antequam hic exercitus adueniret, Ludouicus Comes Prouincialis Thuringiae, qui captus Luneburgi cuſtodiebatur, *Sigebergam* deductus & in arctiori cuſtodia aſſeruatus eſt. *Ipſe Imperator in Comitatu habens Wigmannum Magdeburgenſem & Dominum Bambergenſem, Abbatem Fuldenſem, Corbeienſem, Hersfeldenſem, cum Ottone Marchione de Misna & multo robore militum Sueuorum & Bauarorum, conuertit exercitum*

eeee) Si haec Anno 1181. facta ſunt, numerus dualis addendus eſt diplomati huius Philippi *in expeditione Saxonica prope Brunſchwig* Anno 1180. dato, (Probat. N. LXXXIX.) quo Corbeienſes indemnes praeſtat deuaſtationum, quas exercitus eius per eorum terras tranſiens exercuerat, & de qua damni praeſtatione non valde magnifice ſentit Abbas. (Probat. N. XC.)

Digitized by Google

citum verſus Albiam. Dux eo tempore Lubecae conſtitutus erat, muniens ciuitatem & erigens machinas multas. Haec Arnoldus, qui mox pergit, eum, rebus hic diſpoſitis, in die Petri & Pauli Apoſtolorum *Raceburgum* abiiſſe; mane vero, cum inde diſcederet, eumque milites ad Albim comitarentur, Bernhardo Comiti addictos, qui intus remanſerant, arcem vacuam occupaſſe, reliquos e Ducis fidelibus eieciſſe. Dux, audito facto, rediit quidem, copiasque aduocauit, vt reciperet arcem; ſed fruſtra. Imperator enim imminebat. Vnde non ſine ingenti indignatione *Erteneburgum* ſe recepit, &, Imperatore huc etiam eum inſequente caſtrum ſuccendit, nauiculamque ingreſſus per deuexa Albis *Stadium* diſceſſit. *Lubeca* hinc Imperatori ſe dedere coacta eſt, cui tamen priuilegia a Duce conceſſa & *iura Soſatiae*, primariae Angariorum vrbis, confirmauit. Adolfo quoque Comiti Holſatiae dimidium tributorum totius vrbis de trapezitis in beneficium dedit, qui multum ipſi ſeruierat, & eius cauſa aliquo tempore exularat. Lubecenſes Scriptores recentiores gloriantur, nunc vrbem ſuam Imperialem & ciuitatum maritimarum Principem factam. Henricus Aquilopolitanus de primordio Lubecae cap. 8:

> *Amplius vt caput vrbibus vrbs iſta eſſe marinis*
> *Debeat, elegit prae reliquis & eam.*
> *Aurum deferre poſſit Senatus eorum*
> *Conceſſit Caſar (militum ad inſtar) herus.*

Auctor Chronici Slauici cap. 37: *Lubecam imperialem & quod eſſet caput omnium ciuitatum maritimarum, & quod Conſulares* [Senatores] *eorum aurum deferre poſſent, & quod omnes de Conſulatu eſſent in concilio Imperatoris in perpetuum* conſtituit. Hermannus Cornerus a nobis primum editus: *conceſſitque*, inquiens, *eisdem ciuibus gratioſe, vt amplius caput eſſent omnium ciuitatum maritimarum, & quod Conſulatus eorum aurum deferre poſſet, & eo vti, vt milites. Et inſuper omnes in praeſentiarum in Conſulatu exiſtentes & in perpetuum futuros, aſſumſit de ſpeciali gratia in Conſiliatores Imperii.* Sed nos haec in medio relinquimus.

§. 96.

Slaui, tunc apud Lubecam, *Bugislao Pomerano* incentore, vt ex Saxone Grammatico patet, & *Holſati* ſe Caeſaris exercitui addidere. Lubecam quoque *Waldemarus Rex Daniae* claſſe venit, & cum Imperatore collocutus eſt, vt Saxo Lib. XV. p. 370. fuſius atque etiam iactantius refert. Dicit: Caeſarem occurriſſe Waldemaro, *eumque amplexu & oſculo decentiſſime veneratum, mox dextra honorabiliter apprehenſa, depoſito amiculo, per media caſtra eum duxiſſe & praeconis more cunctos ei via*

cedere

cedere, in tentorium deinde deductum iuxta ſe conſidere iuſſiſſe: Teutones admiratos egregiam Regis ſtaturam, exclamaſſe, Caeſarem in eius comparatione *homuncionem* eſſe: poſtero die aliud cum Rege colloquium habuiſſe Caeſarem. *Interea*, pergit Saxo, *filios Regiam nauem petere, inque ea ſub ſpecie luſitandi morari praecepit* [Imperator] *chariſſimorum pignorum familiari conuerſatione, in quanto Regis aduentum poneret, oſtendere cupiens. De quarum nuptiis condicto in loco mentionem orſus, maiori triginta millia talentum, minori octo in matrimonii conditionem depoſcit. Quae res ſuſpecta Danorum Maioribus fuit, virgines, nondum ad nubendi aetatem prouectas, fraudulenter ab eo poſtulari credentibus. Sed Waldemarus maiorem ſummam ſuis opibus imparem arbitratus, minorem, Vngariae Regis arcta ſibi propinquitate coniuncti fiducia pollicetur. Huic pactioni iureiurando firmitas adiecta eſt, deſponſioniſque vinculum ſacramenti religione conſtrictum.* Poſtera die Imperator nauem Regis adiit, cymba regia vectus, & Proceres ad colloquium omnes admiſit, excepto *Iarimaro, Rugiae Principe,* cui dudum *regio nomine* adulatus fuerat, & quem tamen a fidelitate Danorum abſtrahere non potuerat. Excuſauit deinde ſecreto, quod Slauos recepiſſet, dicens, *eos ſolum eneruandi gratia Henrici a ſe promiſſionibus allectos eſſe, quas eodem expugnato minime exequi velit, memor, quod olim Regi de ſubigenda Slauia pollicitus fuerit.* Hanc ergo iam dudum ante haec tempora Henrico Duci eripere cogitauit. Rogauit porro, vt fratres Pomeranos a ſe Praefecturae titulo honorari Rex non aegre ferat: *eandem enim Prouinciam ſe ei profligato Henrico ſubiicere curaturum. Annuente Rege, poſteroque die concionem petente,* Caeſar *Bogizlaum & Cazimarum* [is ergo Bugiſlao iunior fuit; Senior enim frater eiuſdem nominis iam obierat] *datis ſolenniter Aquilis Sclauiae Duces appellat. Qui ſi ſciuiſſent quanto oneri ſe exigui panni receptione ſubſternerent, mortem beneficio praetuliſſent, aut priuati degere maluiſſent.* Haec Saxo. In illo etiam Imperatoris Regiſque conuentu *Sifridus*, vt idem Saxo refert, *ſplendido Thuringiae loco ortus, vnam Waldemari filiarum, Caeſare adſtipulante, deſpondit, regiaque naue deuectus, ſolennes Sleſuici nuptias habuit.* Erat hic *Sifridus* Comes Orlamundanus, & Alberti Vrſi Marchionis ex filio Hermanno nepos, paterque is deinde ex filia Waldedemari Regis factus eſt *Alberti Orlamundani, Comitis Nortalbingiae & Holſatiae*, vt hoc nos primi Originum Anhaltinarum Cap. IV. ſolide demonſtrauimus.

§. 97.

Lubeca ordinata, Imperator, Albi transmiſſo, *Luneburgum* ipſe tendit, caſtraque metatus eſt iuxta ciuitatem ad *plagam occidentalem.* Col-

Digitized by Google

lis ibi adhuc *Mons Tentoriorum*, ſiue *Teltberg*, dicitur. Dux interea *Stadii* commorabatur, loco firmiſſimo, & vnde, ſi ab hoſtibus caperetur, per aquam elabi poſſet. Guncelinus Comes Suerinenſis muniendae vrbi inſudabat, maximo ei vallo circumdato, machinisque circum ordinatis. Mox tamen Dux videbat, ſe totius Imperii viribus premi, & ſolum tot hoſtibus tandem reſiſtere non poſſe. Vnde ad mitiora animum inclinans conſilia, miſſis Legatis, Imperatorem rogauit, vt permitteretur ipſi imperatorio conductu *Luneburgum* venire, *ſperàns, ſe apud ipſum aliquo pacto miſericordiam inuenire*, vt Arnoldus, quem hic ſequimur, memoriae prodidit. Annuit precibus Imperator. Dux itaque cum inter Ertene-burgum & Bardewicum conduceretur, occurrit ei multitudo militum de caſtris Imperatoriis, pacifice eum ſalutantium; quibus reſalutatis: *Non conſueueram*, ait, *in his partibus alterius conductum accipere*, *ſed magis dare.* Luneburgum delatus, nil intentatum reliquit, quo animum Caeſaris flecteret. Captiuos etiam *Ludouicum Landgrauium*, & fratrem eius *Hermannum*, in quem *Comitatus Saxoniae Palatinatus* nunc translatus eſt, in libertatem reſtituit. Gobelinus addit, tunc etiam *Comitem de Tekeneborch* & *Witikindum de Waldegge* aliosque plures nobiles captiuos ab Henrico dimiſſos. Sed omnibus officiis hoc ſolum obtinuit tandem, vt Imperator, abiturus, diem illi *Quedlinburgi* indiceret, *vt ibi inter Principes*, *quid de ipſo fieret*, *iuſtitia mediante*, *decerneretur.* Sed diſſoluto illo Conuentu propter ſeditionem illorum, qui ab eius partibus erant, & qui aemulo Bernhardo adhaerebant, alius ei dies conſtitutus eſt *Erfurti.* Sifridus interea Archi Epiſcopus Bremenſis *Stadium, Bernhardus Raceburgius* & *Adolphus Holſatus* Prouincias quisque ſuas ab Imperatore receperunt.

§. 98.

Quid Erfurti actum ſit, iterum verbis Arnoldi cap. 36. referimus: *Dux veniens ad curiam ſibi praefixam totum ſe ſubmittens gratiae Imperatoris, venit ad pedes eius. Qui de terra leuans, oſculatus eſt eum, non ſine lacbrymis vtriusque, quod tanta inter eos controuerſia diu durauerit, & quod ipſe ſibi tantae deiectionis cauſa fuerit. Quae tamen an verae fuerint, ambigitur; nam videtur eum vere non fuiſſe miſeratum: quia ad ſtatum priſtini honoris eum reſtituere non eſt conatus. Quod tamen propter iusiurandum ad praeſens facere non potuit. Denique cum omnes Principes ad deiectionem ipſius aſpirarent, iurauit eis Imperator per thronum Regni ſui, nunquam ſe eum in gradum priſtinum reſtauraturum, niſi id fieret in beneplacito omnium. Hoc tamen circa ipſum diſpenſatum eſt, vt patrimonium ſuum, vbicunque terrarum fuiſſet, ſine omni contradictione liberrime poſſideret,*

deret,

Digitized by Google

deret. Dux vero per triennium terram abiurauit, vt infra tempus id terram ſuam non intraret, niſi per Imperatorem reuocatus. Profectusque eſt ad generum (ſocerum) *ſuum, Henricum Regem Angliae, cum vxore & liberis, & apud eum moratus eſt omni tempore illo. Quem Rex Angliae honeſtiſſime ſuſcipiens, ipſum quaſi Principem ſuper omnem terram conſtituit, & omnes, qui ſecum exulabant, donis multis ampliauit.* Eadem ex Arnoldo repetit Gobelinus Cosmodr. Aet. 6. cap. 60. qui, cum memoraſſet, Brunſuicum & Luneburgum Duci conceſſas, addit, *ciues proſcriptos ob fidem, quam Duci ſeruauerant, tunc patrimoniis & honoribus reſtitutos eſſe.* Hiſtoria de Landgrauiis cap. 19. recte etiam refert, Imperatorem Henrico *conceſſiſſe Ducatus Luneborg & Brunſchwig cum caſtris & ciuitatibus circumiacentibus, excepta ciuitate Lubeck, quam Imperator pro Imperio retinuerit.* Quicquid igitur inter Viſurgim & Albim poſſedit Dux, ei conſeruatum eſt. Pleraque enim ad patrimonium eius pertinebant, a progenitoribus per hereditatem accepta. Et ſi quid inde per rebelles ei Comites detractum, hoc praeter mentem Imperatoris factum eſt.

§. 99.

Ab omnibus deſertus erat Henricus Dux, amicis etiam intimis ſe hoſtibus eius addentibus. Et recte Saxo Grammaticus eum a Caeſare deuictum, *non bello aut clade, ſed fraude militum & deſertione, viribus amiſſis.* Solus Rex Angliae, ſocer eius, vt Robertus de Monte apud Dacherium ait, pro Henrico ad ſe in Normanniam delato, non modo *maximas expenſas ſecit quotidie, ſcilicet quinquaginta libras Andegauenſium,* verum etiam legatione miſſa, pro eo apud Imperatorem interceſſit; ſed parum profecit. Houedenus ſcribit: *Eodem Anno* 1182. *Rex Angliae pater miſit nuntios ſuos, videlicet Williehnum de Mandeuilla, Comitem Albemarliae & quosdam alios familiares ſuos, ad Fredericum Romanorum Imperatorem, vt, ſi aliquo modo fieri poſſet, auerterent iram & maleuolentiam ſuam ab Henrico Duce Saxoniae. Quod cum ad plenum fieri non poſſet, conceſſit Imperator, quod omnes, qui cum eo ire vellent, licentiam haberent repatriandi. Praeterea idem Imperator conceſſit Mathildi Duciſſae Saxoniae, pro amore Regis Angliae, patris ſui, vt ipſa libere & in pace remaneret, & totam dotem ſuam liberam & quietam haberet; & ſi mallet cum domino ſuo in exilium ire, conceſſit ei Imperator, vt cuſtodes ſuos poneret ad dotem ſuam cuſtodiendam.* Idem Houedenus paulo ante haec de Henrico Duce: *poſuit,* inquit, *ſe in miſericordiam Imperatoris, & abiurauit terram ſuam per ſeptem annos, & exulans venit ad Henricum Regem Angliae, patrem vxoris ſuae.*

Digitized by Google

§. 100.

Ex Comitiis Erfurtenſibus redeuntem Henricum Letznerus nobis mendici fere inſtar ſiſtit, furtiue vrbes ſuas & loca patrimonialia pertranſeuntem; ſed fabulas ipſum nobis obtrudere res ipſa declarat. Nec veroſimile eſt, Ducem Erfurto ſtatim aufugiſſe ad ſocerum; ſed, cum magno clientum numero cinctus abiret, tempore opus habuit. Vnde eum non ante finem huius Anni 1182. diſceſſiſſe opinor, hyeme praeparandis itineri neceſſariis impenſa. Houedenus: *Appropinquante igitur termino, quo praefatus Dux a terra & cognatione ſua recederet, ipſe & vxor eius cum filiis & filiabus ſuis, & cum Comitibus & Baronibus & ditioribus terrae ſuae egreſſi ſunt de terra & cognatione ſua, & venerunt in Normanniam ad Henricum Regem Angliae, patrem praedictae Duciſſae, quos ipſe cum gaudio ſuſcepit; & paulo poſt praefatus Dux dedit Comitibus & Baronibus & ditioribus terrae ſuae licentiam repatriandi, quibus Angliae Rex, pater Duciſſae, munera multa dedit, & dimiſit eos.* Abeunte Duce, ditiones eius ab hoſtium furore liberatas aliquantum reſpiraſſe Gerhardus Stederburgenſis indicat.

§. 101.

Ingentes turbae, continui labores, curaeque immenſae Ducem hactenus fatigauerant. Otium igitur, licet infelix, nactus, id & animo & corpori curando impendit, ſimulque votum exſoluit Compoſtellam *ad S. Iacobum* pergendi. Coniicio inde, eum Brunſuiga, voto hoc ibi *in Eccleſia S. Iacobi* facto, diſceſſiſſe. Hunc enim morem fuiſſe Compoſtellam religioſe adeuntium, vel ex libello Germanica lingua Brunſuici ſub finem Saeculi decimi quinti impreſſo didici, in quo omnes ſtationes ab hac S. Iacobi Eccleſia Brunſuicenſi Compoſtellam vsque ſolicite enumerantur, vt peregre euntes eo vti poſſent. Perrexit eo Henricus Dux Anno 1183. ſub aeſtatem. Vxorem enim grauidam apud patrem in Normannia reliquit, quae anno ſequenti in Anglia reduci filium peperit. Houedenus haec nobis nota fecit: *Dux*, inquiens, *peregre profectus eſt ad S. Iacobum, & Duciſſa vxor eius remanſit cum Rege patre ſuo in Normannia praegnans apud Argentonium.*

§. 102.

Statum Saxoniae Prouinciarumque ei ſubiectarum, abſente Henrico Duce, nemo melius Arnoldo Lubecenſi Lib. III. c. 1. deſcripſit: *In diebus illis*, ait, *non erat Rex in Iſraël, ſed vnusquisque, quod rectum in oculis ſuis videbatur, faciebat. Siquidem poſt exilium Ducis Henrici, qui ſolus in terra praeualuerat, &, ſicut ab initio diximus, pacem maximam fecerat, quia non ſolum finitimas, ſed etiam barbaras, & extraneas regiones*

nes

Digitized by Google

nes ita freno ſui moderaminis conſtrinxerat, vt & omnes ſine terrore quieſcerent, & terra propter quietis ſecuritatem bonis omnibus exuberaret, tyrannico more vnusquisque regnabat in loco ſuo, & alterutrim vim faciebant & vim patiebantur. Bernhardus, valoris & potentiae expers, ſpeciem ſolum inanem Ducis oſtentabat. Arnoldus: *Bernhardus* ait, *Dux, qui Principatum obtinere videbatur, ſegniter agebat, & cum prius in Cometia poſitus ſtrenuiſſimus fratrum ſuorum fuiſſet, ad Ducatum promotus, non vt verus Princeps proficiebat, ſed vt ſuperpoſitus degenerabat, & quaſi pacificum ſe exhibens, in omnibus tardus & diſcinctus erat. Vnde nec ab Imperio iuxta ſtatum prioris eſt honoratus, nec a Principibus, vel terrae nobilioribus, eſt reputatus.* Venit tamen cum fratre, *Ottone Marchione, Erteneburgum*, magnifico apparatu, &, vt magnates regionis ad eum venirent, feudaque ab ipſo reciperent, praecepit. Sed nemo paruit praeter vicinos Marchiae Comites Raceburgenſem, Dannebergenſem, Luchouienſem & Suerinenſem. Nouis praeterea tributis impoſitis, & ex beneficiis Comitum Transalbinorum iniuſte quaedam decerpens, ſe omnibus reddidit odioſum. Adolfus ipſe nouum Ducem ſpreuit, nec comparuit. Celebrauit is eodem tempore nuptias cum filia Ottonis Comitis Aſſelenſis, nepte Philippi Archi Epiſcopi Colonienſis, cuius illa propinqua erat. Inde viribus auctus, Henrici Ducis praefectos Holſatia & Wagria expulit. Ducis Bernhardi frater, Sifridus, Archi Epiſcopus Bremenſis, *Ditmarſos* quidem ei adimere conabatur; ſed vires armaque Comitis hunc ſacri hominis conatum irritum reddidere. Ne nihil ageret Bernhardus, Polabiae ſe infudit, Prouinciae Henrici Ducis gladio acquiſitae, atque ideo ei per ſententiam non ademptae. Hic arcem *Lauenburgum* ſuper Albis littus ex aduerſo Erteneburgi conſtruere coepit, lapidibus Erteneburgi deſtructi ad id opus vſus, ſed Lubecenſibus grauiter ferentibus, quod etiam nauium ſtationem Erteneburgo Lauenburgum transtuliſſet. Haec ex Arnoldo percepimus. Eodem Anno 1183. Otto nuper Dux Bauariae factus deceſſit, & filium Ludouicum ſucceſſorem habuit.

§. 103.

Henricus Dux e Gallicia redux ad ſocerum in Normannia adhuc agentem venit. Inde cum eodem & ſuis in Angliam Anno 1184. profectus eſt, Houedeno & Annalibus Wauerleienſibus teſtibus. *Eodem anno*, inquit Houedenus, *Duciſſa Saxoniae, filia Regis, peperit filium apud Wintoniam.* Erat is *Wilhelmus*, vniuerſae deinde Ducum Brunſuicenſium & Luneburgenſium Familiae propagator, qui ideo in Anglia natus videtur, vt praeluderet fortunae Domus, quam ſapientiſſimo diuinae deſtinationis con-

ſilio

ſilio hodie magno totius orbis Chriſtiani bono in Regno hoc potentiſſimo & pacis bellique artibus florentiſſimo imperium tenere cernimus.

§. 104.

Sub idem tempus in Angliam venit *Philippus Archi Epiſcopus Colonienſis*, vt ad Sepulchrum S. Thomae deuotas preces effunderet, ſimulque ad petitionem Regis Angliae *conceſſit Richardo Comiti Pictauiae, Regis filio, filiam Friderici Romanorum Imperatoris dari in vxorem. Sciebat enim ipſum Imperatorem hoc velle, & plurimum deſideraſſe*, vt ſcribit idem Houedenus, qui & addit, Regem Angliae tunc etiam effeciſſe, vt Philippus *Henrico Duci Saxoniae perdonaret iram & maleuolentiam ſuam, & eum in priſtinam dilectionis familiaritatem reciperet.* Multum intererat ipſi Archi Epiſcopo, vt Henrico reconciliaretur. Optime enim videbat exulem aliquando rediturum, &, vt magno erat animo, nunquam erepta in manibus aduerſariorum tranquille relicturum. Philippus quoque iam ſub initium huius anni in Comitiis Moguntinis ſatis prodiderat, ab Imperatore ſe non pro meritis de tot officiis remuneratum; & iam indignatio in eundem menti irrepſerat, quae mox erupit. Vix enim redierat, cum, ob mercatorum Auguſtanorum bona quaedam Coloniae detenta, & quod ipſum pro Rege non agnoſcere videretur, ad Comitia tribus vicibus citatus eſt, vt iuſtitiam mercatoribus faceret, ſeque de obiectis purgaret. Ad tertiam citationem Moguntiam venit, ibique ſe de imputatis purgare, & mulctam ſoluere coactus eſt. Arnoldus haec Lib. III. c. 11. refert, & inter caetera ſcribit: *Aliud etiam ſacramentum fecit; quia Rex eum ſuſpectum habuit, quod ad Regem Angliae ierat; quae tamen ſuſpicio propter Henricum Ducem fuerat, qui tunc temporis in Anglia exulabat. Praeterea trecentas marcas ei compoſuit, ſicque diſceſſit. Ex illo autem tempore a familiaritate ſe Imperatoris & filii eius elongabat, plurimum dolens, quod tanta deuotione Imperio ſeruierat. Et coepit Coloniam vallo maximo & turribus munire. Vnde Imperator eum ſuſpectum habebat, quaſi aliquid noui molientem.* Vt Philippus itaque Henricum Ducem ſibi placaret, cogitauit etiam de amicis Ducis ſibi reconciliandis. Tradiderat feruente bello Saxonico Henrico Comiti Arnsbergio, fideli ſuo, feudum Colonienſe *Bernhardi de Lippia*, qui a partibus Henrici Ducis ſtrenue ſteterat. Cum vero diſſidiis compoſitis Bernhardus illud repeteret, Philippus Arnsbergio perſuaſit, vt idem in manus ſuas reſignaret. Quo facto id Bernhardo de Lippia reddidit; eius vero vice Arnsbergio promiſit, ſe illi de primo feudo in ea, quam receperat, Weſtfaliae parte vacaturo, reditus annuos viginti quinque marcarum conceſſurum. Diploma ea de re confectum (Probat. N. XCI.) datum eſt Suſatiae Anno 1185. III. Idus Martii.

§. 105.

Digitized by Google

§. 105.

Rex Angliae, pergit Houedenus paulo ante citatus, *ſolicitus de pace facienda inter Ducem Saxoniae & Imperatorem Fridericum conſilio Archi-Epiſcopi Colonienſis miſit nuncios ſuos, videlicet Hugonem de Nunant Lexonienſem Archi Diaconum, & quosdam alios de Clericis & familiaribus ſuis ad Lucium Summum Pontificem, vt auxilio illius praefatus Imperator recepiſſet Ducem Saxoniae in amorem. Venientes itaque nuncii Regis ad Curiam Domini Papae, inuenerunt eum in Italia apud Veronam, & dum ibi moram cum eo facerent, venit illuc Fredericus Romanorum Imperator ad loquendum cum Domino Papa: ad cuius inſtantiam praedictus Imperator dedit Duci Saxoniae licentiam redeundi in patriam ſuam, & relaxauit ei omne ſacramentum, quod ei fecerat de exilio exequendo; & Dominus Papa abſoluit eum de ſacramento illo, quod ipſe Imperatori fecerat.* Colloquium Imperatoris cum Lucio Papa ad Veronam habitum eſt Anno 1185. indice Arnoldo; quanquam Godefridus Colonienſis id in Annum 1184. referat. Imperator hic varia cum Papa tractabat; ſed nihil ab eo hac vice obtinuit.

§. 106.

Cum Canuto Daniae Rege etiam hoc anno colliſus eſt Imperator. Nam mortuo Waldemaro, miſerat quidem Imperator ad Canutum eius filium Legatos honoratos, Sifridum Archi Epiſcopum Bremenſem, & alios, vt ſororem ſuam, quam pater ipſius filio ſuo iam dudum deſponſauerat, mitteret, partemque pecuniae, quatuor nempe millia marcarum, ſecundum pacta, ſolueret. Canutus tamen Rex, Arnoldo Lib. III. c. 2. prodente, virginem inuitus eis tradiderat, dicens, *ſororem ſuam nequaquam filio Imperatoris ſociandam, ſi iuramenta patris temerare voluiſſet.* Soluerat quoque tantum partem pecuniae ſtipulatae, & ſponſam cum equitatu & veſtitu mediocri, nec vt regiam magnificentiam decebat, dimiſerat. Henricus Dux iam exul huius rei cauſa non vltima erat, quem Canutus Rex, eius gener, indigne tractatum aegre ferebat, Arnoldus: *Iam enim*, inquit, *inter Imperatorem & Regem diſcordia erat, quia Imperator ab ipſo hominium exigebat* [quod anteceſſores Imperio praeſtiterant] *quod ei Rex negabat: quia propter generum ſuum* [ſocerum dicere debebat] *Ducem Henricum, quem de terra eiecerat, occaſionem rebellionis aduerſus eum, vt quidam arbitrati ſunt, ſuſcipere attentabat.* Mortuam mox credo filiam hanc Waldemari, aut remiſſam. (ffff) Anno enim

ffff) Remiſſam fuiſſe, teſtatur Arnoldus Lubec. L. III. c. 20. propter dotem conuentam non ſolutam. Hanc enim ob cauſam Imperator, *non propter repudii occaſionem,*

Digitized by Google

enim 1186. filius Imperatoris Henricus Rex *Conſtantiam* Siculam ſolenniter duxit.

§. 107.

Magnis itaque cauſis Imperator vrgebatur, vt reditum Henrico permitteret, eumque ſuo tempore placaret, ſine quo ſecure Imperium non poterat moderari. Intellecta vero Imperatoris permiſſione, Henricus Dux ſtatim Anno 1185. in Saxoniam ſuam reuerſus eſt. Annales Wauerleienſes ad hunc annum: *Henricus Dux Saxoniae cum vxore & liberis rediit ab exilio in Saxoniam.* Arnoldus Lib. III. c. 12. *Hac ſerie temporum* [cum Hartwicus Siſrido defuncto in Archi Epiſcopatu Bremenſi ſuffectus fuiſſet] *Dux Henricus, transactis diebus peregrinationis ſuae, reuerſus eſt in terram patrum ſuorum, & ſedit in Brunſchwig cum vxore & filiis ſuis, contentus patrimonio ſuo, quod tamen ex magna parte a multis violenter occupatum fuerat. Imperator vero verbis bonis & conſolatoriis per litteras ſuas frequenter ei bonam ſpem faciebat; quam tamen variis impeditus caſibus ad effectum non perducebat. Nam quicquid aduerſitatis ei illis in temporibus accidiſſet, ſiue ab Apoſtolico, ſiue ab Archi Epiſcopo Colonienſi Philippo, vel a Rege Danorum Canuto, qui filiam Ducis habebat, Ducem Henricum, quaſi per eum vel propter eum factum fuiſſet, ſuſpectum tenebat, ideoque ſegnius cauſae ipſius intendebat.*

§. 108.

Anno 1186. Imperator in Italia agebat, ſuccedentemque Lucio Vrbanum Papam ſibi aduerſari non vno experimento comperit. Philippus Archi Epiſcopus Colonienſis, vt apparet, in Germania Papae partes ſedulo fouebat, Imperatorique negotia, vbi poterat, callide faceſſebat. Conciliatus quidem eſt Imperatori Anno 1187. ſed non ex animo. Interea nuntius aduenerat *Hieroſolymam* a Turcis captam, maioremque Terrae ſanctae partem amiſſam. Vnde Gregorii Papae, qui Anno 1187. Vrbano ſucceſſerat, hortatu, Imperator ipſe cum magno Principum numero Expeditionem vltramarinam decreuit. Annus 1187. Imperii negotiis

nem, ſed propter pactionis immutationem, Regi ſororem ſuam intactam cum tali apparatu, quo eam acceperat, reſtituit. Quod Canutus grauiter accipiens, manifeſtas ex illa die inimicitias contra Imperatorem exercere coepit, ita vt omnem terram Wagirorum, Holſatorum, Stormariorum & Polaborum vſque ad Albiam ſui iuris eſſe diceret, & eam per Slauos, quos ſibi obſtrinxerat, frequenter vaſtaret. Mater etiam eius a Ludouico Landgrauio repudiata, & ad terras natiuitatis ſuae ſine bonore reuerſa, conqueſta eſt in multis ſe a marito iniuriatam. Vnde etiam magis inſtimulatus iuſtam ſe cauſam contra Teutonicos habere arbitratus eſt.

negotiis componendis impenſus eſt; Cruceque Moguntiae ſumta Imperator *Goslariam* perrexit, vbi ſolennem Principum conuentum indixerat. Vt vero eo tutius iter ſuſcipere poſſet, Arnoldo Lib. III. c. 28. teſte, *Ducem etiam Henricum illic adeſſe voluit, vt quia diſcordia non parua inter Bernhardum & ipſum pro Ducatu erat, pacem inter ipſos aliqua conditione iuxta decreta Principum reformaret. Duci tamen Henrico trium optionem dedit, vt aut diſpenſationem in particulari quadam reſtitutione priſtini honoris pateretur, aut ſecum peregrinatum in expenſa Imperatoris iret, poſtea plenarie reſtituendus, aut terram per triennium tam pro ſe, quam pro filio ſuo aequiuoco, abiuraret. Dux tamen magis elegit terram exire, quam vel ire quo non vellet, vel honore priſtino vlla diminutione mutilari.* Gerhardus Stederburgenſis eadem de re haec profert: *Imperator ab odio nobilis Henrici non ceſſauit, quia antequam expeditionem arriperet, conuentum Principum in Goslaria habuit, vbi iam dictum Henricum Ducem trium annorum exilio deputauit, ipſum & omnia ſua in firmiſſima pace conſtituens.* Godefridus Colonienſis ad hunc annum: *Henricus*, inquit, *de Aldenburg* [lege *Luneburg*] *qui antea Dux fuerat, Imperatori reconciliatur, & natale ſolum ad tres annos abiurat, & in Angliam ſecedit.* Vbi nota hunc Scriptorem partium ſtudio non vacare. Non enim fuerat, ſed adhuc erat Dux in terris ſuis non direptis, ipſo Imperatore fatente; ſed Ducatum Bauariae, & ea, quae a Ducatu Saxoniae iniuſte auulſa erant, reddi poſcebat. Et per diploma ſolenne, quod ſupra recitauimus, Imperator non omnem Ducatum Saxonicum, ſed ſolum *Weſtfaliam* & *Angariam Henrico* eripuerat, *Oſtfalia* ei, tamquam veteri & iuſto domino, relicta.

§. 109.

Imperator Anno 1189. filio Henrico Rege in Germania relicto, iter ingreſſus eſt, menſe Maio, habito prius vltimo Principum Conuentu Noribergae, vbi de pace terrae diſpoſuit, eamque in literas redigi iuſſit, *quas Alemanni literas pacis vocant, nec aliis Legibus vtuntur, tamquam gens agreſtis & indomita.* Ita Vrſpergenſis p. 230. de contribulibus ſuis, qui ante Italos laudauit, quod *inter omnes gentes ſoli ſcripta legum ſanctione regantur.* Formulam Pacis publicae Fridericianam idem ille nobis conſeruauit, Latinam illam quidem; at Principibus, Latinarum literarum expertibus, e breuiculo ſine dubio Germanice praelectam. Fortiter quidem res in Terra Sancta geſſit Fridericus I. (gggg) ſed triſti fato Anno 1190.

gggg) Terram ſanctam ne attigit quidem Fridericus, in hoc Moſi ſimilis, quippe in

1190. dum ſe in flumine Armeniae, quem alii *Cidnum*, alii *Salepti* vocant, lauaret, aquis praefocatus eſt.

§. 110.

Sed ad *Henricum Ducem* redeundum. Hic vbi feſtum Paſchale Anni 1189. peregiſſet, iuxta promiſſum Imperatori in Comitiis Goslarienſibus factum, Gerhardo Stederburgenſi teſte, iterum in exilium iuit, *Mathildam Duciſſam, filiam Regis Anglorum, poſt ſe relinquens, quae eodem anno in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli defuncta eſt.* Errant ergo Chronicon Rhythmicum obitum eius in Annum 1188. referens, & Chronicon Picturatum annum mortis eius 1187. ponens. Eodem anno in Anglia obiit pater Mathildis *Henricus Rex*, eique *Richardus* filius ſucceſſit: Houedenus: *Eodem vero tempore quo praedictus Rex Angliae* [Henricus II.] *obiit, Mathildis Duciſſa Saxoniae, filia eius, ſimiliter obiit.* Annales Wauerleienſes ad An. 1189: *Obiit Sereniſſimus Rex Angliae II. Nonas Iulii, ſcilicet in Octauis Apoſtolorum Petri & Pauli . . . & ſepultus eſt Rex in partibus transmarinis in illo nobili Monaſterio Monialium Fontis Ebrandi.* Vetus Necrologium Mindenſe MStum: *Leonis Papae die obiit Mechtildis, vxor magni Ducis Heinrici, qui ambo contulerunt curiam in Lothe.* Die ergo 28. Iunii illa vitam cum morte commutauit, & quidem anno aetatis trigeſimo tertio. Matthaeus enim Paris tradit, eam Anno 1156. natam eſſe. Elogium Mathildis hoc Arnoldus Lib. II. c. 1. habet: *Domina Duciſſa Mechtildis, religioſiſſima femina, cuius memoria & apud Deum nota eſt & apud homines, filia Regis Anglorum. Quae lineam generoſitatis ſuae, quam ex longa regalium parentum proſapia traxit, piis operibus extulit, & caritatis inſiſtens effectibus, religionis decore venuſtauit. Erat enim ſummae pietatis, circa afflictos mirae compaſſionis, eleemoſynarum larga erogatrix & orationibus dedita: Miſſarum, quas plurimas decantari fecit, deuotiſſima frequentatrix. Fidem quoque coniugii illibatam cuſtodiens, thorum conſeruabat immaculatum.* Magnum ea decus Familiae Henrici Ducis intulerat, ſpemque ſucceſſionis in Regnum Angliae Ducatumque Aquitaniae, cuius mater Alienora heres ex aſſe fuerat. Origo eius paterna maternaque haec erat:

Tortulfus.

itinere per Ciliciam fluuio hauſtus & interceptus. Si Ciliciam terrae ſanctae annumerauit Dn. Eccardus, ſitus locorum & Prouinciarum, vt alias, parum ſe peritum oſtendit.

Digitized by Google

Tab. XI. ad p. 125.



Digitized by Google

Tortulſus.	Rainaldus Comes Arbatilicenſis.
Tertullus Waſtinenſium Comes. Vx. Petronilla, filia Conradi Comitis Guelfici ex Adelaide Ludouici Pii Imperatoris nata.	Bernardus Comes Pictonum.
	Ranulſus I. Comes Pictonum & Dux Aquitaniae.
Ingelgerius Comes Andegauenſis.	Ranulſus II. Dux.
Fulco Rufus.	Ebalus Dux.
Fulco Bonus.	Guilielmus Caput Stuppae Dux.
Gaufridus Griſagonella.	Guilielmus III. Dux.
Fulco Nera.	Guilielmus IV. Dux.
Ermengardis, Gaufridi de Caſtro Landono vxor.	Guilielmus VII. Dux.
Fulco Hieroſolymitanus.	Guilielmus VIII. Dux.
Gaufridus Pulcher, Vx. Mathildis, filia Henrici I. Regis Angliae.	Guilielmus IX. Dux.
Henricus II. Rex Angliae. ═══	Alienora.

Mathildis vxor Henrici Leonis Ducis.

Genus Mathildis paternum deſumſimus ex ipſius Fulconis Hieroſolymitani, Comitis Andegauenſis, narratione de Familia ſua, quam edidere Dacherius Spicileg. T. X. & curatius Baluzius Miſcell. T. IV. Maiorum vero eius ex matre, Ducum Aquitaniae & Comitum Pictauiae, ſeriem diligenter atque exacte opere peculiari Iohannes Besly demonſtrauit. Effigiem Principis egregiae conſeruat ſtatua eius & mariti Henrici Leonis in Curia S. Autoris Brunſuici exiſtens, quae exciſa eſt tempore Ottonis Pueri eo modo, vt hic aeri inciſa adpoſita eſt.

§. III.

Pax firmiſſima ab Imperatore Henrici Ducis terris promiſſa erat, quam cum non ſeruari perciperet, nec ſe putauit promiſſis teneri. Gerhardus Stederburgenſis: *Dux Henricus pollicitam ſibi ab Imperatore non ſenſit pacem; ſed bona ipſius omnium expoſita erant direptioni.* Vnde idem

Digitized by Google

idem Dux Henricum filium ſuum maiorem inopinate miſit, & ipſe contra conſtitutum ſibi tempus in breui eum ſubſecutus eſt. Eodem itaque Anno 1189. ex Anglia ſoluit, & circa feſtum S. Michaëlis ***Stadium*** appulit. Factum id eſſe, *Richardi Regis Angliae, affinis,* & *Canuti Regis Daniae, generi ſui, hortatu,* Godefridus Colonienſis diſertim indicat.

§. 112.

Erat ***Stadium*** hactenus, ex Imperatoris de alieno liberalitate, ArchiEpiſcopi Bremenſis; qui nunc Hartwicus dicebatur. Is, vbi Henricus Dux poſt primum ſuum ex Anglia reditum Anno 1185. rogaſſet, vt ſecum colloqueretur, abnuerat, nec videre eum, nec ſalutare dignatus, vt iterum Arnoldus Lib. III. c. 12. teſtatur; licet olim eius in familia & Notarius in Curia, ipſiusque gratia Canonicus Bremenſis factus fuiſſet. Deinde Hartwicus *Ditmarſos,* vt ex eodem Arnoldo c. 21. nouimus, ope Adolfi Comitis Schauenburgici & Chriſtiani Comitis Oldenburgenſis aliorumque nobilium, amplis ſtipendiis ſuo damno promiſſis, ſubegerat. Ditmarſi autem, cum pecuniam promiſſam ſoluere non poſſent, ad *Waldemarum Sleſuicenſem Epiſcopum* ſe contulerant, eique ſe dederant. Is erat filius Canuti Regis a Suenone occiſi, ſummamque ab iis promiſſam ſoluerat. Sicque datis obſidibus, ex illa die *additi ſunt Regno Danorum* Ditmarſi, & *ſeruierunt S. Petro Sleswici, vt antea ſeruierant Bremae,* nec ArchiEpiſcopus eos ad ſe reducere poterat. Tandem igitur ad ſe rediit, & ſenſit, ſe ope Leonis indigere, vbi ille Stadio appuliſſet. Saepe laudatus Arnoldus, qui haec memoriae mandauit, pergit Lib. IV. c. 1. *Dominus Hartwicus, Bremenſis ArchiEpiſcopus, Dominum Ducem Henricum vna cum filio ſuo aequiuoco circa feſtum B. Michaëlis de Anglia reuertentem benigne ſuſcepit. Et ſperans, ſe per eum recuperare poſſe priſtinum ſtatum, qui iam ab omnibus quaſi deſpectus erat propter Thetmarchos, quos a Waldemaro Sleſuicenſi requirere non valebat, & faciens cum eo amicitias, eum in Stadio collegit, & Cometiam in manu eius conſignauit.* Eadem, & ſimul reditus Henrici cauſam nobis ſiſtit Auctor contemporaneus, qui Hiſtoriam Godeſchalci ruſtici ſcripſit, a Leibnitio Script. Brunſu. T. I. p. 870. excerptus, ſed integer extans Helmſtadii in Bibliotheca Iulia. Ipſa eius haec verba proferre lubet: *Anno incarnationis Dominicae milleſimo octuageſimo octauo glorioſus Imperator Fridericus, Chriſti cruce inſignitus, ad expugnandum ipſius crucis inimicos, peregrinationi Hieroſolymitanae deuote ſe dicauit, & inter caetera, quae pro conſeruanda interim pace reipublicae prouide ordinauit, Dominum Henricum Ducem Bauariae atque Saxoniae, pro priori infeſtatione ſibi ſuſpectum, fines Imperii ad triennium abiurare coëgit. Qui tamen*

de

de Imperatoris abſentia recuperandi honoris ſui ſpe opportunitatis concepta, cum pacta ſibi non ſeruari videret, primo egreſſionis ſuae anno de Anglia in Saxoniam rediit, ſuſceptusque ab Archi Epiſcopo Bremenſi Hartwico, Caſtrum & Cometiam Stadenſem cum omni feudo, quod aliquando Dux a Bremenſi Eccleſia ſibi collatum tenuerat, ab eo recepit.

§. 113.

Vel ipſo igitur aſpectu ſuo partem iam eximiam ditionis ſuae receperat Henricus. Nec ſpei Archi Epiſcopi defuiſſet, ſi licuiſſet. Statim certe, vt idem Auctor refert, *Albiam tranſiens Cometiam Atholfi cum Caeſare peregrinantis, Vice-Comite Atholfo de Dasle animum totius pene gentis Holſaticae in fauorem Domini Henrici proniorem ſentiente, & ob id reſiſtere non praeſumente, facile obtinuit. Vice-Comes vero in Caſtro Sicbebergenſi praeſidio militum collocato, ſe cum ſuis in ciuitatem Lubicenſem tranſtulit, putans inibi ſecure a perſecutione eius poſſe manere. Dominus igitur Henricus Caſtrum facile capi non poſſe iam tum expertus, diuiſa in octo partes tota Holſatorum gente, quamlibet harum ad duas ſeptimanas Caſtrum vallare, non quidem ad ipſum expugnandum, ſed obſeruandum, ne forte milites erumpentes patriae nocerent, & quae vſui ſuo neceſſaria viderent, conquirentes, ſibi proficerent, conſtituit.* De progreſſibus Henrici Ducis in Transalbina regione Arnoldus loco citato ita ſcribit: *Quo* [reditu Ducis] *audito meliores Holſatorum & Sturmariorum Duci Henrico occurrerunt, & pacifice eum ſalutantes introitum ei terrae obtulerunt. Qui gauiſus eſt, & eos exaltare ſpopondit, ſi per eos introitum habere poſſet. Qui ſtatim occupauerunt loca Comitis, Hammenburg; Plune, Etzibo, & eiecerunt homines eius de terra. Quod videntes Comes Adolfus de Dasle, qui tunc in terra erat vice nepotis, & Domina Mechthildis, mater Comitis de Schawenburg, & vxor eius, Domina Adelheidis, filia Domini Burcardi de Querenforde, in ciuitatem Lubeke ſe receperunt.* Rediere quoque ad ipſum veteres amici, Comites Raceburgi, Suerini, Welpae, aliique, & auxilia in hoſtes pugnanti adduxere. Houedenus refert, Henricum *magno exercitu congregato inuaſiſſe eos, quibus Imperator terram ſuam dederat, & expugnauiſſe eos, & plus quam triginta caſtella obtinuiſſe.*

§. 114.

Mox ex Holſatia arma vertit, & *Bardeuicenſes*, qui vrbem ſuam tradere nolebant, aggreſſus eſt, exercitu ex Stadenſibus, Holſatis, Stormariis & Polabis contracto. Aderant etiam ipſi Bernhardus Comes

Digitized by Google

Raceburgenſis, Bernhardus Comes Welpenſis, Helmoldus Comes Suerinenſis, aliique amici. Succubuit mox *Bardewicum*, & opulenta haec ciuitas ſuccenſa, deuaſtata & ſolo aequata eſt. Ciues aut occiſi, aut capti. Haec ex Arnoldi Lib. III. c. 2. Eos qui euaſerant primo furori, *Luneburgum* traductos, & in villa *Modeſtorp*, quae iam pars ciuitatis Luneburgenſis eſt, collocatos, Chronicis Luneburgicis facile credo. Deſtructionem celeberrimae ciuitatis *die Simonis & Iudae* accidiſſe, Albertus Stadenſis ad Annum 1189. annotauit. Et Sagittarius Hiſt. Bardewici p. 235. obſeruat, *pluribus in locis Ducatus Luneburgenſis* hoc ipſo die *hiſtoriam excidii Bardewicenſis* e cathedra Eccleſiaſtica publice proponi, eodemque exemplo auditores ad veram poenitentiam exhortari. Eccleſia Cathedralis, quae ſola nunc ſupereſt, veſtigia deſtructionis ſatis oſtendit; & veroſimile videtur ſupra portam eius praecipuam in rei memoriam Leonem lapideum Ducis iuſſu poſitum eſſe, qui ibi adhuc cernitur, cum inſcriptione: VESTIGIVM LEONIS. Ciuitas dein ipſa ob ſoli bonitatem in hortos mutata, inter quos tamen veteres adhuc plateas, ſuis nominibus diſtinctas, obſerues. Olera illa iam Luneburgenſibus & Hamburgenſibus magna copia ſuppeditat. Et habent incolae Hamburgi ſingularem domunculam, certis quibusdam priuilegiis munitam, in qua mulierculae Bardewicenſes merces ſuas hortenſes diſtrahunt. Templi Cathedralis foribus quondam hos verſus adſcriptos fuiſſe Buntingius prodit:

Abram dum natus, mox Treueris incipit ortu,
Hinc annis Bardwick mille ſex X. quoque quinque:
Poſt Bardwick Roma duo CC. cum quinque triginta.
M.C. poſt Nat. iunctis octoginta nouemque
Simonis in feſto Bardwick ſubuertit ab alto.

Iactantius hic antiquitas Bardewici venditatur. Hoc tamen certum eſt, eam antiquiſſimam eſſe. Dicta illa eſt *Bardeuicum* ſiue *angulus Bardorum*, quod iaceret in extremo *Pagi Bardengau* angulo. *Bardi* ipſi ſunt celebres illi Longobardi, Albis huc vsque olim accolae; poſtea Italiae occupatores. Vnde non immerito hos loci conditores conſtituere quis poſſet. Caroli M. aeuo iam mercimoniis floruit. Slauos praecipue huc merces ſuas aduexiſſe ex *Capitulis Caroli M. ad Omnes generaliter* a nobis Legi Salicae pag. 179. ſeq. ſubiunctis, patet. Eoque tempore *Redus* quidam vrbi praefuit. Merces hinc *Cellam*, inde *Magdeburgum*, *Erfordiam*, *Forchemum*, *Norimbergam*, (hhhh) *Ratisbonam* & tandem *Lauriacum*

hhhh) Codices Capitularium ad vnum fere omnes *Breemberg* habent: quod quia Dn. Eccardo ignotum erat, *Neernberg* ei ſubſtituit, ſublimi feriens ſidera vertice, quod *ipſe*

Digitized by Google

acum deuectas fuiſſe, ex iisdem Capitulis diſcimus, vt in notis ad eadem euidenter demonſtrauimus. Scriptores tandem vrbs haec celebres etiam poſt fata ſua inuenit, *Meibomium* Seniorem, *Sagittarium*, & nuper demum *Schloepkenium*.

§. 115.

Deſtructo Bardewico, Dux circa feſtum Martini *Lubecam* properauit, & eam recepturus. Nec auſus ſucceſſu caruerunt. *Cum* enim *appropinquaret ciuitati*, iterum verbis Arnoldi vtor, *territi, qui intus erant, propter deſolationem memoratae ciuitatis, miſſis nunciis, pacifice eum ſuſceperunt, tali tamen conditione, vt Adolfus Comes de Dasle & mater Comitis de Schawenburg, qui tunc in peregrinatione erat, ſimiliter cum coniuge ipſius & hominibus eius, cum omnibus, quae ipſorum erant, libere terra exirent. Cumque Dux obtinuiſſet ciuitatem, & omnem terram Adolfi Comitis tunc peregrini, ſtatim expugnabat Lawenburg, Caſtrum Ducis Bernhardi, & poſt menſem traditum eſt in manibus eius, hac tamen conditione, vt hi, qui in Caſtro erant, abirent illaeſi. Succedentibus igitur proſperitatibus, Dux obſideri fecit Caſtrum Sigeberg, quod ſolum adhuc homines Comitis tenebant, per manum Waltheri de Baldenſile, quem adiuuabant Holſati & Sturmarii; ſed tamen in dolo. Siquidem poenitentia ducti de facto priore, mutata voluntate alienati ſunt a Duce, & liberatum eſt Caſtrum auxilio Eggonis de Sture & amicorum ſuorum. Et captiuatus eſt Waltherus, & in vincula coniectus, Caſtrum, quod prius expugnabat, exul inhabitabat.* Diſcimus hinc Ducem Lubeca ad Polabos declinaſſe, ibique *Lauenburgum* Ducis Bernhardi Caſtrum fauſto ſucceſſu obſediſſe, qui intus erant, ad deditionem compulſos, & milites Ducis in eo collocatos; quod idem etiam Gerhardus Stederburgenſis nobis indicauit.

§. 116.

Reditus Henrici male habebat *Regem Henricum*. Cauſabatur, iuramentum a Duce non ſeruatum; nec recordabatur, ſe ipſum fidem datam non ſeruaſſe. Vbi ergo intellexiſſet, Henricum trans Albim occupatum, & militibus eius obſidionem *Sigebergae* male ceſſiſſe, commodum

ipſe primus vrbi clariſſimae vetuſtatem ſuam ab aliis impugnatam *reſtituiſſet*. At enim vero *Breemberg* illud ad amnem Napa vel Nabum in Palatinatu ſuperiori ſitum fuit. Apud Pezium enim Anecdotor. T. I. Part. III. p. 51. p. 104. & p. 96. antiquiſſima Monaſterii Sant-Emmeramnenſis apud Ratisbonam monumenta habentur, in quibus legitur: *in pago Nordgowe, in loco, qui vulgo Priemberg vocitatur, iuxta amnem vocabulo Napa.* Ex quo vno loco alibi demonſtraui, *Breemberg* non eſſe poſſe *Nurenberg*, cum illud ad *Nabum*; hoc vero ad *Pegneſium* ſitum ſit.

Digitized by Google

modum tempus adeſſe ratus eſt, Henrico nocendi, aut, ſi poſſet, denuo eum Ducatu eiiciendi. Miſerat Dux filium ſuum Henricum Lauenburgo *Brunſuigam*, vt eam contra inimicos, ſi opus eſſet, defenderet. In hanc igitur vrbem primum impetum Rex vertit, *conuocatisque Principibus Goslariae*, vt Gerhardus Stederburgenſis inquit, *remota omni miſericordia, cauſam, imo modum deſtructionis ipſius tractare coepit, & licet hiemis inclementia eum poſſet deterrere, quae tunc, vt ſemper, poſt feſtum S. Martini imminens eſt, inconſulte expeditionem, cum ſuis & Moguntino & aliis Principibus Ducem perſecuturus, arripuit, fugam ipſius eo moleſtiorem fore exiſtimans, ſi hieme fieri videretur.* Henricus Iunior, intellecta Regis mente, Brunſuicum ſedulus munit, atque *ad ſupplementum cibariorum ea, quae in villis erant, intra muros refert. Rex adueniens,* pergit Gerardus Stederburgenſis, *adiuncto ſibi Moguntino & Duce Bernhardo, ac Hildeshemenſi Epiſcopo, & aliis Principibus & Baronibus, non obſidioni ciuitatis intendebat, ſed vaſtationi circumiacentis regionis. In cuius executione iam dictus Moguntinus ita ſe efficacem exhibuit, vt non iam Epiſcopus, ſed magiſter militum eſſe videretur. Nam non pacem, ſed facem; non infulam, ſed galeam oſtendebat: Coemeteriorum & Eccleſiarum depraedationem, non conſecrationem exemplo ſuo fieri monſtrauit: clauam vel fuſtem, quo feriret, non virgam, qua regeret vel ſuſtentaret, manu gerebat: caligis ferreis, quibus conculcaret, non purpureis, in quibus torcular ſolus calcaret, tibias circumdedit; tunica ferrea, non cilicina, induebatur: non mandatis charitatis, ſed minis dirae hoſtilitatis dilatabatur, inſidens equo rapido, freno ſpumantia ſtringens ora; euagatus ipſe effrenis per latos campos pernicioſiſſimae diſſolutionis. His armatus non Regem ſequebatur, ſed praeibat; non compeſcebat, ſed compellebat ad iram. Completa igitur hac, quam praediximus, malitia, Rex & Moguntinus Epiſcopus ciuitati appropinquant, ſolo terroris incurſu incolas eius ſibi ſubiacere exiſtimantes. Sed ſpe impetus ſui penitus fruſtrati, licet ipſe Rex, omni diligentia adhibita & toto virtutis ſuae robore in vanum expenſo, caſas anteurbanas, non foſſa aut munitione aliqua, ſed baliſtariorum & lancearum portitorum, libere in campo diſcurrentium, praeſidio defenſas, exurere non potuerunt.* Arnoldus Lib. IV. c. 3. breuius haec hiſce enarrat verbis: *Rex iuuenis, audito reditu Ducis Henrici & filii eius, indignatus eſt, tum quia quaſi deſpiciens adoleſcentiam ſuam contra iusiurandum ante tempus rediſſet, tum quia terram Adolfi Comitis ſibi vſurpauerat, qui cum patre ſuo, vt dictum, exulauerat. Impetu igitur quodam venit Brunſchwig, volens vaſtare eam. Quam cum propter inſtantem hyemem obtinere non potuiſſet, abiit Linberg ad Caſtrum Conradi de Rothe, volens obtinere illud. Sed*

Digitized by Google

Sed cum nec ibi profeciſſet, amaro animo reuerſus eſt in locum ſuum. Gerhardus Stederburgenſis etiam refert, Regem ab obſidione Brunſuici cum dedecore per Hildeshemenſem dioeceſin rediiſſe, regionique, vbi transiuiſſet, vaſtitatem intuliſſe, *Hanoueram* ſuccendiſſe; ſed ab inſultu in Caſtrum Conradi Comitis de Roda, *Limmere* dictum, inhoneſte depulſum eſſe: vnde pudibundus *Goslariam* reuerſus ſit. Gerhardus Conradi Comitis Caſtrum *Limbarc*; Arnoldus *Limberg*; Rehtmeierus in Supplemento ad Letznerum *Limburg* vocant, & recentiores putant, fuiſſe illud eo loco, vbi iam villa *Limmera* in loco eleuato trans fluuium Leinam Neapoli Hanoueranae adiacet. (iiii) Sed falluntur. Villa enim Limmera olim quidem *Limberga* dici potuit, ob loci modice aſſurgentis altitudinem. (kkkk) Sed Caſtrum non ibi, verum in vliginoſo ſolo ex altera Leinae parte, & retro hortos Regis noſtri Herrenhuſanos ſitum fuit. Nam, cum ibi ante paucos annos aquaeductus foderetur, aquis ſalientibus Herrenhuſanis inſeruiens, detecta ſunt rudera arcis iſtius. Et ipſe ibi notaui hypocauſta, cellas ſubterraneas, carcerem, aliaque. Magnus etiam ibi numerus inueniebatur ſagittarum ferrearum & obtuſarum, quae ex arcubaliſtis iaculabantur, & *quadrelli* olim vocabantur. Locum antiquiſſimis temporibus iam frequentatum concludo ex vrnis in colliculo ibidem repertis. Nomen eius genuinum fuiſſe *Limmere*, compoſitum ex *Line*, Leina, & *Mor*, palus, locus vliginoſus, vt eo denotetur *locus vliginoſus ad Leinam* forte non abſurde dixeris.

§. 117.

Epiſcopus Hildeshemenſis, qui expeditioni Regis interfuit, Adelogus fuit. Hic Anno 1190. XII. Calend. Octobris demum deceſſit, vt lapis ſepulchralis habet, qui adhuc in Eccleſia cathedrali Hildeshemii in crypta viſitur. Error ergo ſcribae eſt, vbi apud Gerhardum Stederburgenſem Anno 1187. defunctus eſſe dicitur. Hoc ipſo certe Anno 1189. & quidem VI. Kal. Iulii, diplomate, (Probat. N. XCII.) quod in Archiuio Ducum communi Brunſuici inuenimus, confitetur Adelogus Epiſcopus,

iiii) Ea villa, quae in loco eleuato trans fluuium Leinam nouo oppido Hanouerano adiacet, *Limera* non eſt, ſed *Linden*. *Limera* autem, de qua ſermo, alia villa eſt, ab hac paſſibus ter mille & amplius remota, & infra Linden in ſiniſtra ripa fluminis pariter, ſed in loco plano, poſita poſt hortos Herrenhuſanos, qui in dextra fluminis ripa, licet paullulum ab ea remoti, ſunt poſiti.

kkkk) Pergit auctor in permutandis harum villarum nominibus, quas tamen quotidie in oculis & in ore hominum habuit & nominari audiuit. *Limmeram* equidem, dum ſcribit, in mente habet; ſed eam ita deſcribit, vt *Linden* potius prae oculis habeat. *Linden* enim, at *Limmera* non item, in modice aſſurgentis montis altitudine poſita, nouo oppido Hanouerano adhaeret, & magnifico ponte iungitur.

pus, quod ex ſua permiſſione *Capella Obergen aedificata ſit in fundo Ducis Heinrici, accedente ſua voluntate, & quod ius Patronatus ad ipſum ſpectet*, eamque confirmat. (IIII) Noſtro aeuo in Capellam illam ius Patronatus Capitulum Hildeshemenſe ſibi vindicat; qua vero ratione id acceperit, nondum mihi liquere fateor.

§. 118.

Anno 1190. menſe Maio Dux vltionem ſumturus de Adolfo Dasſelenſi, qui ex Caſtro Sigebergenſi Lubecam infeſtabat, eo miſit cum copiis *Comites Bernhardum Raceburgenſem, Helmoldum Suerinenſem & Iordanem Dapiferum.* Sed infeliciter pugnatum eſt. Exercitus in fugam datus, plures militum Trauena fluuio merſi, Helmoldus & Iordanes capti ſunt. Solus *Bernhardus Raceburgenſis* fuga elapſus eſt. *Helmoldus* poſtea trecentis denariorum marcis, & *Iordanes* quingentis argenti marcis ſe a captiuitate Sigebergenſi liberarunt.

§. 119.

Hartwicus Archi Epiſcopus Bremenſis hac quoque tempeſtate iram Regis expertus eſt, quod Ducem nuper recepiſſet, adeoque turbis enatis anſam praebuiſſet. Illum enim, ad Bremenſium delationem, de Sede ſua pepulit. Vt igitur irae Regis cederet, in Angliam profectus eſt, & ibi per integrum annum degit; reuerſus vero ad Ducem ſe contulit. Haec ex Arnoldi Lib. III. cap. 2. & 3. hauſimus.

§. 120.

Dux vero Henricus prouide perpendens, proſperos ſucceſſus ſiniſtris miſceri, quietem tandem concupiuit. Interceſſerunt igitur apud Regem pro eo varii amici, & Conradus Archi Epiſcopus Moguntinus ac Philippus Colonienſis eo tandem rem prouexerunt, vt cum eo ſuper controuerſiis, Germaniae hactenus fatalibus, tranſigeretur. Houedenus de pace Regis cum Henrico inita magnifice loquitur ad Annum 1190. *Henricus*, inquit, *Rex Alemannorum reddidit Henrico Duci Saxoniae vniuerſa, quae pater ſuus ei abſtulerat, & in incrementum dedit ei decem Caſtella optima.* Credas Henricum Ducem haec voluiſſe; ſed Regem minime conſenſiſſe ex noſtris auctoribus concludi poteſt. Longe enim aliter de pacificatione hac loquuntur. Gerhardus Stederburgenſis: *Henricus*, ait, *Dux conſilio Principum, Moguntini videlicet & Colonienſis, Archi Epiſcoporum,* ſe

IIII) Nos huic diplomati aliud (Probat. N. XCIII.) addimus, eodem anno datum, quod quidem ad res Henrici non pertinet, Familiam tamen Comitum de Waſſele, quorum nomen ferme penitus e memoria hominum deletum eſſe videtur, reſuſcitat.

ſe ſubdidit, & propoſita ſibi ſpe recuperandi priſtini honoris, Regi ſuam ſatisfactionem exhibuit, duos filios, Henricum videlicet & Luderum, obſides conſtituit: quorum alter Luderus apud Auguſtam vrbem defunctus eſt, alter cum Rege in Apuliam cum militibus ſibi a patre deputatis abiit; ſed nihil Henrico Duci de his, quae ſibi promiſſa erant, conceſſum eſt. Diſtinctius Arnoldus loco citato: *Dux*, ſcribit, *mediante Conrado, Archi Epiſcopo Moguntino, & Philippo Colonienſi pro gratia Regis laborare coepit. Qui praefigens ei Curiam in Fulda, ita eum in gratiam recepit, vt muros Brunſchwig in quatuor partibus deponeret, Caſtrum Lawenburg dirueret, Lubecam vero ciuitatem dono Regis dimidiam haberet, dimidietatem alteram Comes Adolfus cum omni terra ſua quiete poſſideret. Vt autem iſta pacis reformatio rata permaneret, filium eius Ludgerum obſidem accepit, qui poſtea in ciuitate Auguſta mortuus eſt. Henricus vero filius ipſius ſenior cum eo Romam ſimiliter & in Apuliam cum quinquaginta militibus iuit.* Omittit Arnoldus *reſtitutionem priſtini honoris*, quam tamen praecipuum Pacificationis articulum fuiſſe Stederburgenſi Praepoſito, qui magnum & infractum Henrici animum perpendunt, facile credent. Et cum hanc Henricus non obtinuiſſet, nec ſe ad iniuncta exequenda obligatum putauit. Nec *Lauenburgum deſtruxit, nec dimidietatem Lubecae, ſicut promiſerat, Adolfo*, qui adhuc in Terra ſancta agebat, *reſtituit, nec terram ipſius infeſtare ceſſauit*, vt Arnoldus refert.

§. 121.

In ſuis interim ditionibus Henricus Dux pia opera non neglexit; ſed eodem Anno 1190. iam fini propinquo conſenſit, vt a nouiter electo Hildeshemenſi Epiſcopo Bernone decima in *Mandere* conferretur Monaſterio Stederburgenſi, licet ea ipſi ante hac contra ius & fas ademta fuiſſet, vt Gerhardus Praepoſitus exponit. Idem hoc anno, *Schoeningae* exiſtens, concambium bonorum quorundam hereditariorum cum Bertrammo Abbate Riddagshuſano iniit, Monaſterio valde proficuum. Chartam hac de re conſcriptam infra inter Probationes vide (N. XCIV.) In initio ſe ſolum *Henricum Ducem* vocat, Bauaria & Saxonia non nominata, dum integram horum Ducatuum reſtitutionem adhuc exſpectaret.

§. 122.

In Ilfeldenſi Eccleſia monumentum lapideum cernitur, in quo ad dextram eſt foemina, dextra cum viro aedificium ſacrum ſuſtinens, ſiniſtra galeam tenens cornibus ceruinis ornatam. Vir ad ſiniſtram adſtans gladio ſuccinctus ſiniſtra clypeum tenet, in quo legitur: VON HONSTEIN. Supra foeminam cernitur: LVTRVDIS FVNDATRIX,

TRIX, & ſupra virum: ELGERVS P. M. FVNDATOR. Ad latera vero ſcriptum eſt: ANNO DOMINI MCXC. HENRICVS IMPERATOR APPROPRIAVIT FVNDVM ISTIVS ECCL. OBTENTV ELGERI COMITIS DE HONSTEYN CVIVS PATER HOC CENOBIVM FVNDAVIT QVOD ISTE ET SVI HEREDES PERFECERVNT.



Poſt haec demum tempora monumentum hoc factum eſſe, manifeſtum vel inde fit, quod Henricus *Imperator* vocetur, qui adhuc *Rex* ſolum erat; & mentio *heredum Elgeri* fiat. In Eccleſia eadem ſuperat & haec inſcriptio ligno inciſa: *Anno MCXC. fundata eſt Eccleſia Ylveldenſis B. Mariae. Eyligerus Comes de Honſtein fundator Ylueldenſis. Lutradis de Orlamund, Domina de Honſtein.* Nec vero & haec inſcriptio rei, quam narrat, coaetanea eſt. Chartularium Ilfeldenſe libellum *de Origine & proceſſu Dominorum de Honſtein* exhibet: ſed nec is contemporaneus eſſe dignoſcitur ex eo, quod in fine dicat de Elgero III. *credi iſtum deſtruxiſſe Caſtrum Ylſelt.* Si enim Auctor illius ea aetate vixiſſet, quae narraret, non credere, ſed cum certiſſimis ſcire debuiſſet. Interim & is: *Elgerus II.* ait, *obtinuit*

Digitized by Google

nuit ab Heinrico Anno MCXC. proprietatem Eccleſiae noſtrae, ſcilicet, quodquod eſt inter aquam Bera, & riuum, qui ante Eſpe egreditur de ſilua, & vsque in frigidam vallem, & inde per riuum Piſtium, vt patet in priuilegio. Idem libellus de vxore Elgeri II. *Lutrade* refert, eam, *vt quidam dicunt*, fuiſſe natam *de Orlamunt*, patremque eius *Heſeke* ſiue *Eſiconem* vocat, matrem *Remuicem*, ſiue, vt coniicio, *Reinwigem*. *Eſiconis* nomen contractum eſſe ex illo *Adalbertus* alibi oſtendimus. Et ea aetate, quae in Eſiconem congruit, *Adalbertus Marchio*, cognomento *Vrſus*, Comitatum Orlamundanum ex hereditate Sifridi II. Comitis Palatini Rheni Anno 1124. defuncti, & fratre Ottonis Comitis Ballenſtedenſis, Sifrido I. Comite Palatino nati, nactum poſſedit. Sifridus is ſui nominis ſecundus matrem habebat Gertrudem, filiam Henrici Craſſi Comitis Northemii. Et Northemios Honſtenii olim Dominos fuiſſe magna eſt veriſimilitudo. Sed Adalbertus Vrſus neque vxorem *Reinwigem* vel *Remuicem*, neque filiam *Rutradem* habuiſſe legitur. Cum tamen fama de origine Rutradis Orlamundana non plane nulla videatur; ſtatui forſitan poſſet, matrem eius natam fuiſſe Sifrido II. Orlamundano, Comite Palatino Rheni, & Irmengarde Hennebergica, de quibus in Originibus Anhaltinis Cap. 3. agimus; & Eſeconi Comiti, nobis hactenus ignoto, hanc Rutradem peperiſſe. Sed quae noua eſt difficultas, & hanc ſententiam multum impedit, Sifridus ille ſecundus Comes Palatinus Rheni *Honſtenium* non poſſedit. Ex Annalibus enim breuibus Piſtorianis de Landgrauiis Thuringiae & Hiſtoria de Landgrauiis, ſimul coniunctis patet, Ludouici Barbati Comitis Thuringici filium, *Beringerum*, Comitem Sangerhuſanum, vxorem habuiſſe *Bertradam, filiam Conradi Comitis & Othelhildis, quae ſoror erat Theoderici Senioris Comitis de Catelnburg.* Hoc Beringero natus eſt *Conradus*, quem Hiſtoria de Landgrauiis *arcis Honſteinenſis* conditorem fuiſſe ſtatuit, & *Honſteinenſium Comitum* propagatorem. Sed nos in Hiſtoria Landgrauiorum Thuringiae hunc Conradum ſine liberis obiiſſe oſtendimus. Beringerus eius pater ſororem habebat *Vtam*, nuptam *Comiti de Linderbeke*, vt eadem Hiſtoria de Landgrauiis prodit. Vnde filius natus eſt *Beringerus*, heres ex aſſe Conradi Sangerhuſani, excepta ſola Sangerhuſa, quam Conradus viuus vendiderat, vt ipſi loco citato demonſtrauimus. Beringerum itaque ſuſpicati ſumus filium habuiſſe *Conradum*, propagatorem *Comitum Honſtenenſium*. Quid ſi igitur Conradus hic ſine liberis obiiſſet, & fratrem habuiſſet *ELGERVM I.* ac nepotem ex hoc fratre *ELGERVM II. Lutrudis maritum*, in Comitatu Honſtenenſi poſt patrui Conradi fata ſucceſſorem? Sic omnia bene cohaererent. Bona Northemenſium auita ad Lotharium Imperatorem, & inde ad Henricum Magna-

Digitized by Google

Magnanimum eiusque poſteros deriuata ſunt. Catelenburgici arcti Northemenſium cognati fuere. Inde in eorum gratiam regio, in qua *Honſtenium* conſtructum eſt, in feudum dari potuit Othelhildis Catelnburgicae nepoti Conrado Sangerhuſano; ab eo vero ad *Comites de Linderbeck* venire. Elgeri II. pater *ELGERVS I.* nominatur, & *Ilfeldam* inter auita bona numeraſſe videtur. De eo haec Chartularium Ilſeldenſe MStum profert: *Quidam Elgerus natus de Bilſtein, vbi & pater eius reſidens mortuus eſt & ſepultus, aedificauit Caſtrum in monte ante Clauſtrum, ſicut adhuc patet; vnde & Comes vocatus, non tamen adhuc de Honſtein. Qui obiit XII. Cal. Martii, vt patet ſcriptum in Regula noſtra inter Defunctos. Cuius vxor Bertradis nomine obiit IIII. Idus Octobris.* Non ſine cauſa nos hunc *Elgerum*, *Bilſtenenſem* ortu, filium Beringeri de Linderbeck & fratrem Conradi conſtituiſſe, iam manifeſtum fiet. *Bilſtenium*, olim arx, ſita eſt ad ſuperiorem Viſurgim ſiue Werram in Praefectura Eſchwegenſi. Prope Bilſtenium e montibus delabitur amnis *Linderbeka*, ſiue, vt nunc loquimur, *Linderbach*, inque Gelſteram effunditur, vt vel ex Meriani Appendice Topographiae Haſſiae p. 20. videre licet. Spangenbergius inde non abſone arcem *Bilſtenium* & *Linderbekam* pro vno eodemque loco habuit. Quodſi tamen diuerſa fuerint, non procul vnum ab altero iacuit. Anno 1155. Marquardus Abbas Fuldenſis Charta approbauit, quod *Fratres de Walkenrede paludem quandam in Heringen, quae ad Fuldenſem Eccleſiam ſpectabat, Ludouico Landgrauio Thuringiae inbeneficiatam cum EDELGERO de Ilfelt*, qui ipſam beneficiali iure ab eodem Landgrauio ſuſceperat, *cummutaſſent cum praediis ſuis in Werthere* & *Weſungen.* Chartam Marquardi nobis Hofmannus conſeruauit. (mmmm) Anno 1178. Conradus Abbas Fuldenſis in Charta ab eodem Hofmanno transſcripta Walkenredenſibus de bonis in *Culaa* [Keule] data teſtes inter caeteros habet *Rudolfum Comitem & Aduocatum Fuldenſem & fratrem ſuum Comitem ADELGERVM de Ilfelt.* (nnnn) A Rudolfo iſto forte ſequen-

mmmm) Chartam hanc non inuenio inter Hofmanniana Manuſcripta; ſed nec hoc Chartae excerptum, quod partim habetur in Eckſtorm. Chronico p. 49. inutile eſſe cenſeo: *ELIGERVS Comes de Ilefeld a Ludouico Thuringiae Landgrauio, vterque vero a Collegio Fuldenſi paluſtria quaedam loca prope Heringam - - in beneficio habebat. Ea, conſentiente Landgrauio, permutauit cum Walckenriedenſibus, & ipſorum bona in Werthere & Weſſingen recepit. Permutationi aſſentit Marquardus Fuldenſis Abbas Anno 1155. adductis teſtibus: Ludouico Landgrauio, Ludouico Comite de Lare, Sigebodone cum filio cognomine de Startfelde, Friderico de Bichelingen, Friderico de Kirberc, Godefrido de Lingenbugen, Bobbone de Blanckenheim cum filiis, & aliis pluribus.*

nnnn) Immaniter erratur hic in Comite Honſteinenſi conſtituendo fratre Rudolfi, Fuldenſis Aduocati, & in conſequentiis ex hoc fonte deducendis. Excerpta Chartae haec ſunt: *Ditmarus Abbas W. bona in Keula Gunthero de Boikendorf, Fuldenſi Miniſteriali eiusque vxori Ceciliae dedit, aliaque in Gersbach & Crimehilderoth accepit, aſſentiente feudi Domino, Conrado, Fuldenſi Abbate Anno 1178. II. Non. Sept. Fuldae coram teſti-*

ſequentis aeui *Comites Bilſteinii* deſcenderunt. Michaël Neander, vbi de confirmatione Monaſterii Anno 1190 ab Henrico Rege impetrata locutus eſſet in carmine de Ilefelda, meminit, *Henricum Leonem* Elgero ampliorem quidem, *Comitum* ſcilicet *Honſteinenſium*, titulum conceſſiſſe. Conſentit Neandro vetus Libellus iam ante citatus: *Iſte*, inquiens, *ſecundus Elgerus cum impetraſſet hoc Caſtrum Honſtein a Duce de Brunſwic illius temporis ſibi dari, qui hoc habebat de Imperio, noſtrum Coenobium - - - fundauit.* Henricus Dux vetus allodium (& non feudum Imperiale, vt libellus citatus garrit,) eo lubentius feudi loco impertitus eſt Elgero, quod eius vxor, ſecundum opinionem noſtram, ex auiae ſuae ſorore deſcendiſſet. Ex hactenus vero dictis haec Honſteinenſium Comitum origo eſt:

Ludouicus Barbatus, Comes in Thuringia.

Beringerus, Comes Sangerhuſanus. Vx. Bertrada, filia Conradi Comitis Mersburg. & Othelhildis Catelnburgicae.	Vta. Vxor Comitis de Linderbek vel Bilſtein.
Conradus, Comes Honſteinenſis, ἄπαις.	Beringerus, Comes Bilſteinenſis, Conradi Honſteinenſis heres.
Conradus, Comes Honſteinenſis, ἄπαις. † circa A. 1190.	Elgerus I. Comes Bilſteinenſis.
Elgerus II. Comes Honſteinenſis. Vx. Rutradis, filia Eſeconis & Reinwigis, neptis Sifridi II. Comitis Palatini Rheni de Orlamunda & Gertrudis Henrico Northemio natae.	Rudolfus, Comes Bilſteinenſis & Aduocatus Fuldenſis.

Fata Comitatus Honſteinenſis infra iterum attingendi occaſionem habebimus; nunc in origines eius inquiſiuiſſe ſufficiat.

§. 123.

Anno 1191. Henricus Rex in Italiam mouit, iuitque cum eo, iuxta promiſſum, *Henricus iunior, Ducis Henrici filius natu maior*, ſplendido quin-

teſtibus: Bertoldo Decano - - Henrico Capellano. Aderant praeterea Rodulfus Comes & Aduocatus Fuldenſis Eccleſiae, cum fratre ſuo Gozmaro.

Adelbertus Comes de Ilſelt.
Comes Fridericus de Kirberc.
Comes Chriſtianus de Rotenburch.
Comes Godeſcalcus de Rotenburch.
Rubertus Aduocatus de Northuſen.
Burchardus de Hohenſtein &c.

Sed quia hic tantum de Edelgeri de Ilefelt memoria agitur, ſubiicio (Probat. N. XCVI.) diploma, quod propius accedit ad tempus erecti monumenti Ilefeldenſis, & teſtem habet Edelgerum II. cujus pater obiit 1189. primum Comitem de Hohenſtein,

Digitized by Google

quinquaginta militum, ſiue, vt nunc loquimur, Equitum nobilium comitatu, vt ex Arnoldo intelligimus. In itinere mors Friderici Imperatoris intellecta eſt. Properauit itaque Rex, vt a Clemente Papa coronam imperialem impetraret. Sed vbi ad ipſa Romae moenia veniſſet, Papa deceſſit, eiusque loco *Coeleſtinus* conſtitutus eſt. Actum hic eſt induſtria Henrici iunioris, vt, Papa in Sancto Paſchae die conſecrato, Henricus Rex cum coniuge Conſtantia ſequenti die coronaretur. Gerhardus Stederburgenſis id nobis indicat hiſce: *Rex eo amplius anhelans ad coronam, quanto, ne quid erroris interueniret, anxius erat. Profectus itaque Romam, ordinationem, quam in breui accipere ſperabat, morte Domini Clementis Papae, dum ad muros vrbis ſederet, intercipi doluit, donec electo Domino Iancincto, & Sancto die Paſchae conſecrato, ſequenti die Rex a Coeleſtino Papa coronam Imperialem cum benedictione vna cum vxore ſua percepit. Ad cuius conſecrationem adoleſcens de Brunſuich, filius Henrici Ducis, vt conſanguineus Domini Papae, ſummam diligentiae ſuae operam oſtendit, propoſita etiam ſibi ſpe, imo data ſibi certitudine, quam inde conſequeretur, maximi honoris & fructuoſae vtilitatis.* Illuſtris Leibnitius in adnotatione ad hunc locum pro *conſanguineus Domini Papae* legendum putat: *conſanguineus Domini Imperatoris.* Sed fallitur. Ipſi enim vetuſtum & authenticum Stederburgenſis Praepoſiti Codicem inſpeximus, & vocem *Papae* inuenimus: Lectionemque hanc confirmat quoque Chronicon Rhythmicum, quod de eadem Papae & Henrici noſtri conſanguinitate mentionem facit, vbi Cap. XLI. canit:

Den Pawes, den he dar vant,
De ſtarf Clemens was her genant.
Na ome beſat eyner, alſo ek las,
De Celeſtinus geheiten was.
He was ok, alſo men jach
Des langen Hertogen Mach [cognatus]
Der mit dem Koninge was gekomen,
Dat oeme dar quam to fromen.

Deinde addit, multa bona Imperatorem promiſiſſe Henrico Principi pro hoc ſuo benefacto:

Vil groter Ere he untheit
Henrich; dorch dat de Pawes leit
Ome geneiten ſiner Mageſchap,
Dat he oeme de Kronen gab,
Des genos he des van Brunſchwig.

Cognatio

Digitized by Google

Cognatio inter Henricum Principem & Coeleſtinum Papam, qui nobili ſtirpe Romana ſatus erat, ſine dubio ab Azonis Marchionis Liguriae poſteris deriuanda eſt, vnde Princeps foemina alicui Maiorum Coeleſtini potuit olim nupſiſſe. Modum cognationis ſuperiori libro Cap. II. §. IV. ab *Athelaſia Azonis Marchionis filia* deriuatum propoſuimus; quo iam Lectorem remittimus. (oooo)

§. 124.

Henricus vero Princeps, pia ſolicitudine pro patris reſtitutione omnem lapidem mouens, cum omnibus officiis apud Imperatorem nil agi, ſibique verba ſolum dari cerneret, taedio tandem correptus eſt inſeruiendi Domus ſuae inimico iurato. Augebatur id, cum fratrem *Ludgerum*, qui obſes Auguſtae Vindelicorum remanſerat, deceſſiſſe intelligeret. Inuitus itaque Imperatorem ſecutus eſt in Apuliam, quo pergebat is, vt hereditatem Wilhelmi Regis Siciliae, Conſtantiae Imperatricis ex fratre nepotis nuper defuncti, colligeret, Regnoque eiiceret Tancredum, qui ſe, licet nothus ſolum eſſet Rogerii, fratris Conſtantiae, heredem & Regem ferebat. Occupabat quidem Henricus Imperator ab initio caſtella quaedam Apuliae, Montem Caſſinum & alia; ſed ad Neapolim graui clade attritus eſt, peſte exercitum eius & magnum magnatum numerum conſumente. Hic clam diſceſſiſſe Henricum Principem ab Imperatore Stederburgenſis refert, qui hac aetate in aula Ducis gratioſus erat, & haec aliis melius noſſe poterat. *Profectus*, inquit, *Roma Imperator cum Colonienſe & Duce* *Boë-*

oooo) Ego hic temperare mihi non poſſum, quin ex Chronico Magdeburgenſi Manuſcripto, quod ad manus eſt, conditiones proferam, quibus promiſſis Henricus VI. Imperator a Coeleſtino Papa coronatus eſt. Suntque hae: *vt Beati Petri patrimonium paternis adminiſtrationibus quaſi piratice detentum redonaret; & pro inſtitutione Principum Eccleſiaſticorum*, i. e. pro regalibus *nihil exigeret; & Ducem Saxoniae cum integritatis reſtauro tamquam gratiae ſuae fomentis recuperandum priſtinis honoribus reſtitueret*; *& de indemnitate Romanae Eccleſiae iuriſiurandi ſacramenta praeſtaret. His omnibus propoſitis Imperator accedens, & de cunctis debitam cautionem praeſtans, coronam Imperialem obtinuit & benedictionem. Sed praebitae cautionis oblitus, in retentione praefati patrimonii patrem imitatus eſt.* Haec propterea appoſui, vt appareat, Coeleſtinum Papam iactatae cognationis memorem, ab Henrico iuniori exoratum, vel ſua ſponte, pro patris Henrici Leonis reſtitutione in integrum laboraſſe, quoad eius fieri potuit. Sed optimi Pontificis conata perfidi Imperatoris, qui cogi non potuit, ferocia eluſit. Denique munuſculum addo, quod Henricus iunior ab cognato ſuo Coeleſtino Pontifice acceptum domum retulit & patri dedit. Eſt illud breue apoſtolicum, quo *Henrico Leoni & filiis eius, ob feruorem deuotionis, quam ergà Summos Pontifices ſemper habuerunt, & erga Coeleſtinum ſpeciatim habent*, id beneficii indulget, *vt ne quis in ipſos, excepto Romano tantum Pontifice vel Legato, ſpecialiter ab ipſius Latere deſtinato, excommunicationis ſententiam poſſit promulgare, niſi forte talis exceſſus fuerit, qui ex ipſo facto poenam excommunicationis importet.* (Probat. N. XCVII.) Attulit forte & Bullam Coeleſtini pro Valle S. Mariae; quam pariter exhibeo. (Probat. N. XCVIII.)

Digitized by Google

Boëmico & iam dicto adoleſcente de Brunſuich, vt primum Apuliam appulit, viribus atque minis caſtella cum opibus & ciuitatum munitionibus, quo potuit modo, aggreſſus eſt, repugnante ſibi Tancredo, qui Regnum Apuliae poteſtatiue ſibi vſurpauerat. Sed Imperatoris exercitum ſubitae magnitudo cladis terribiliter turbauit, adeo vt plerique iam ſani & validi miſerabili mortis articulo ſolo ſternerentur. Henricus itaque adoleſcens, filius Henrici Ducis, audita morte fratris ſui Luderi, cui diuina clementia cum naturalium decore donorum venuſtam etiam morum honeſtatem contulerat, timens etiam malo imminentis morbi florem ineuntis perdere iuuentutis, nihilque conſecutus promiſſi ſibi honoris, nec aggreſſos ſibi videns reſpondere labores, cum Imperator apud Neapolim coadunato ſederet exercitu, a familiaritate ipſius diuiſus eſt. Ea propter ira Imperatoris in ipſum grauiter accenſa eſt, ratus aliquam ſibi ex hoc naſci intricationem. Vnde terra marique omnes ei vias praecludere conatus eſt. Ipſe autem caute inde elapſus, in Neapolim ſe contulit; vnde nauigio calliditate, qua potuit, euaſit. Arnoldus Lubecenſis ſcribit, Henricum Principem ſtatim, ad Montem Caſſinum exiſtente Imperatore, *eo inſalutato diſceſſiſſe, & Romam rediiſſe, vbi a quibusdam Romanis acceptis nauibus per aquas euaſerit.* Sed Stederburgenſis narratio veriſimilior eſt. Crediderim ferme ipſum Tancredum Siculum ſecreto fugam Principis iuuiſſe. Erat is Richardi Regis Angliae amicus, ab eoque ad Regnum obtinendum auxilia acceperat; quod iam male Imperatorem habebat. Chronicon Reicherſpergenſe inter cauſas, cur Imperator nihil in Apulia hac vice profecerit, nec Neapolim capere potuerit, peſtem atque etiam Henrici Principis ſeceſſum refert. Verba eius ſunt: *Imperator Henricus VI. profectus eſt in Apuliam cum exercitu ſtatim poſt ordinationem ſuam aduerſus Tancredum Regem, qui Apuliam ſibi vindicabat: Sed incaſſum; tunc Imperator rediit circa menſem Nouembrem. Quia exercitum ſuum pene totum peſtilentia & aliis infortuniis perdidit, captiuata inſuper Regina vxore Imperatoris, ad quam haereditario iure Apulia pertinebat. Epiſcopus Colonienſis, Dux Boëmicus, Cancellarius Imperatoris, & alii Principes multi ibi mortui ſunt. In eadem expeditione, dum Imperator detineretur in expugnatione vnius ciuitatis Italiae* [Neapolis] *filius Ducis Saxoniae Heinrici, nepotis Lotharii Imperatoris, receſſit in ira & indignatione ab Imperatore, ideoque ciuitas non eſt expugnata.* Henricus plurimum apud Papam poterat, amicum, vt vidimus, & cognatum: eius vero fauore indigebat Imperator. Ipſe Princeps iuuenis magna rei militaris ſcientia praeditus erat, eiusque egregia poſtea ſpecimina in Terra Sancta exhibuit: Vnde non mirum abſentiam eius Imperatori hic nocuiſſe. Cum igitur grauiſſime is ferret eius fugam, vbi-

Digitized by Google

vbique illi vias praecludi fecit; Henricus tamen nihilominus elapſus eſt inſidias, ſaluusque rediit Brunſuicum ad patrem. Gerhardus Stederburgenſis: *Tandem*, ait, *Imperator noſtro redditus Regno, & ipſe, quod deliquerat filius, in patrem refudit, certus adoleſcentem obiectos inſidiarum laqueos non poſſe euadere; patrem acerrimis minis aggreditur. Interim iunior Dux, Deo ſe cuſtodiente, per medios hoſtes & per diſpoſitas cuſtodias, via, quam homo non poſſet oſtendere, mirabiliter elapſus*, (pppp) *per multos labores & grauia pericula inopinate Brunſuich aduenit: in cuius aduentu patri ſuo laetitia accreuit; Imperatoris autem ira vehementiſſime efferbuit.*

§. 125.

Pater interea, Henricus Leo, nihil non agebat, vt Imperatorem placaret; ſed nil profecit. Legati ab eo miſſi, atque, vt in gratiam reciperetur, ſupplicaturi, pene deriſi ſunt: conditiones non auditae. Multum intererat Imperatori, vt Apuliam reciperet, coniugemque ibi captiuam. Pollicitus igitur eſt Henricus Dux, vt Stederburgenſis prodit, *ſe in Apuliam iturum, vt eandem terram ſuo redderet dominio, Imperatricem honorifice reduceret: quae omnia tanquam nihilum & inane reputata ſunt ei.* Funditus enim Ducem cum ſuis extirpare nitebatur; & erant in ipſius Ducis Familia amici ficti, Imperatorem continuo in Ducem irritantes, vt inde commoda ſua promouerent; vt idem Stederburgenſis indicat. Imperatoris abſentia his nimis diuturna videbatur. Vnde propriis auſis Duci moleſtias faceſſere aggreſſi ſunt. Principes tamen conſpirationis caeteris perſuaſere, ſe iuſſu Caeſaris agere, & ipſum mox iis adiutorem affuturum. Conuenerunt igitur Nobiles terrae cum Theoderico Epiſcopo Halberſtadenſi, Bernone Hildeshemenſi, & Witekindo Abbate Corbeienſi, exercitumque Obacro admouerunt, in villa Leiforde caſtra locantes, aqua & vallo cincta. Hinc depraedationes latrunculorum more

pppp) Albertus Stadenſis ad Annum 1192. habet, quae alii non habent; *Imperator quoque eſt grauiter infirmatus - - ita vt diceretur mortuus. Teutonici de Rege alio iam tractabant, & maxime Dux Henricus, cuius filius Henricus iam conſpirauerat cum Tancredo. Qui Henricus, nuper reuerſus, per Graeciam*, i. e. Siciliam, *Hungariam & Bohemiam redierat in ſpecie monoculi, vtentis emplaſtro, ſuper alium oculum poſito.* Modum & cauſam fugae Chronicon Magdeburg. MS. ita exprimit: *In hanc ciuitatem* (Neapolin) *iunior Dux Saxoniae, Magni Ducis Henrici & Anglicae Reginae filius, ſe tamquam transfugam receperat - - Vnde fuga lapſus in ſeruili habitu, inſcio Romano Principe, repatriauit, & deſolatum patrem, doloreque & aetate confectum, improuido aduentu ſuo quaſi reſpirare commouit. Is nempe de occubitu fratris ſui Lotharii multiplicem ac diuerſam fama relationem ſaepius audierat, in eo ſcilicet, quod debitae quietis pauſam eumdem Imperatorem numquam facturum acceperat, niſi eiusdem magni Ducis poſteritatem efferae mortis aerumnis exſtinxiſſet.* Quae verba haut obſcure innuunt, Luderum iuſſu Imperatoris necatum fuiſſe, & Henricum iuniorem ſimilia timuiſſe.

Digitized by Google

per breue quoddam tempus agentes, a Duce ſubinde acriter caſtigati & tandem ita incluſi ſunt, vt vix pacem ab eo vsque ad Feſtum Michaëlis obtinere potuerint. *Ex hoc*, inquit Stederburgenſis, *tempore ſicut infirmitas Imperii, ita & robur Ducis omnibus patuit hominibus.* Hi nihilominus Ducis inimici Imperatorem ex Italia reducem aggrediuntur, & de nouo faces irritato animo addunt. Adiunxerat ſe iis ex vrbe Brunſuico ob liticulas quasdam de captiuis profugus *Ludolfus Aduocatus.* Hic ad iudicium vocatus, ſe ad Caſtra ſua *Winethen* ſiue *Wendam* & *Dalem*, quod nunc adhuc ab eo *Vogtsdalem* audit, Domino ſuo rebellis, recepit, & inde in vicinos graſſatus eſt. *Wenda* tamen mox a filio Ducis capta eſt. Hinc cum ſuis primus inducias, quibus non incluſus erat, rupit, & iunctus *Ecberto de Wolfenbutela* bona Ducis & Eccleſiarum vbique diripuit ac deuaſtauit. *Dux igitur*, verbis vtor Stederburgenſis, *vt de ſuis plenam conſequeretur vindictam, & ſe a circumcurrentibus exoneraret latrunculis, collecta valida multitudine per filium ſuum & Bernhardum de Welepa, & plures nobiles, Wolferebutle obſedit: quod machinis & inſtrumentis ad hoc deliberatiue apparatis viriliter appetentes ad deditionem Guncelinum quarto die compulerunt: maiore filio ſuo alias tranſeunte. Hi ſunt, qui foderunt foueas, & inciderunt in eas. Ludolfus Aduocatus cum filio ſuo captiuus abducitur, & Caſtrum ſuum his, qui eum oderant, commendatur. Ipſo tempore Caſtrum Ludolfi de Peina, qui, auunculi ſui exempla deuia ſecutus, Conradum de Rothen in ſui perniciem ſibi adſciuerat, altera die capitur, incenditur & aequatur, & nomen Ducis ex huius facti memoria, quod fieri poſſe videbatur incredibile, eo glorioſius dilatabatur.* *Wolfenbutela* quidem poſt haec iterum aedificata, Dominos habuit Dynaſtas *de Wolfenbutel* dictos; ſed Albertus Magnus Anno 1255. idem ſolo aequauit. Tandem Anno 1283. Henricus Mirabilis, Dux Brunſuicenſis Lineae Grubenhagicae, locum munitioni & praeſidio commodum rurſus inſtaurauit. *Ludolfus Aduocatus Brunſuicenſis* e Familia *Wendenorum* ortus eſt, & fundator Monaſterii Riddageshuſani fuit. Patrem eius fuiſſe credo *Ludolfum Aduocatum*, cuius Lotharius Imperator Anno 1137. meminit in diplomate fundationis Monaſterii Sigebergenſis, quod apud Henningeſium in Genealogiis Saxonicis extat. Diuiſa poſtea Familia haec in *Wendenos* & *Dalemios*, opibusque & terris inſignibus gauiſa eſt. Genealogiam eorum Meibomius Chronico Riddageshuſano pag. 366. ſq. inſeruit. *Ludolfus* vero, de quo agimus, Conrado demum Comite Palatino Rheni Brunſuicum delato, in gratiam receptus eſt, vt Stederburgenſis annotauit.

§. 126.

Digitized by Google

§. 126.

Circa hoc tempus & quidem ſub finem anni Imperator in Bauariam deflectens inuenit ibi *Welſum*, Henrici Ducis patruum, deceſſiſſe. Vnde ſecundum pacta cum eo inita vniuerſum eius patrimonium, bonaque in Bauaria, Sueuia & Italia ſita, ad ſe recepit, ſuaeque Familiae diuiſit, vt ſupra oſtendimus; quae tamen ſummo iure ad Henricum Ducem redire debuiſſent.

§. 127.

Intellexerat interim Adolfus Holſatus, ditiones ſuas ab Henrico Duce occupatas; vnde e Terra Sancta feſtinus domum rediit, & Imperatorem Anno 1192. *Hagenoae* Comitia celebrantem inuenit. Hic gauiſus, nouum Henrici hoſtem adeſſe, ſpem de recuperandis amiſſis fecit, muneribusque honoratum dimiſit. Adolfus cum Schauenburgum veniſſet, *vidit* (verbis Arnoldi Lib. IV. c. 7. loquor) *ex omni parte praecluſum ſibi introitum Holſatiae: quia Dux omnia circa Albiam loca tenebat, videlicet Stadium, Lawenburg, Boyceneburg, Suerin. Nec per Slauiam intrare poterat, quia Boruinus, gener Ducis, ei ibi inſidias tetenderat. Abiit ergo ad Bernhardum Ducem, & ad Othonem Marchionem de Brandeburg, qui in manu valida eum Ertheneburg deduxerunt. Vbi occurſans ei Adolfus nepos ipſius de Dasle cum multitudine Holſatorum, Sturmariorum, ſimimiliter etiam cum matre & vxore ipſius, excipit illum gaudens. Bernhardus quoque iunior, filius Comitis Bernhardi de Raceburg, quem Dux per diſpenſationem Domini Apoſtolici de clericatu ad militiam transtulerat, quia patri vnicus fuerat, timens perdere terram ſuam, veniens ad Ducem Bernhardum & ad Marchionem ſub nomine Imperatoris, ad eos ſe transtulit, & alienatus a Duce Henrico, coepit Adolfo Comiti in omnibus aſſiſtere. Pater vero ad Ducem Henricum diuertens, apud eum manſit diebus multis. Poſtea tamen infirmitate tactus, ad Raceburg Clauſtrum, non Caſtrum reducitur. Vbi filio ſimiliter & vxore curam ipſius agente, per aliquot dies aegrotans, exilii ſui finem faciens, diem clauſit extremum.* Bernhardus Dux, reſtituto Adolfo, rediit ad ſua vna cum Ottone Marchione, ſuo ex fratre nepote; relictis tamen illi & Bernhardo Raceburgenſi iuniori commeatu, quem ſecum adduxerat. Hi ergo ad Lubecam recipiendam properarunt, quam etiam poſt acrem obſidionem tandem ſubegerunt. Milites Ducis illaeſi vrbe exire permiſſi. *Stadium* etiam ab Adolfo occupatum eſt, cum Conradus de Roda, quem loco praefecerat Henricus Dux, inde aufugiſſet. Henricus quidem iunior mox aderat cum Archi Epiſcopo, & Caſtrum hoc recipere conabatur; ſed irrito conatu. Imperator, cum ipſum Adolfus inuiſeret, in impenſi laboris praemium ei *omnes ciuitatis Lubecae reditus* permiſit; in Bernhardum quoque Comitem liberalis fuit.

§. 128.

§. 128.

Waldemarus interea, Sleſuicenſis Epiſcopus, Canuti Regis olim occiſi filius, ad Regnum aſpirauerat, & contracto Regum Noruegiae & Sueciae auxilio, fauoreque amicorum Imperatoris, Ottonis Marchionis, Adolfi Holſati & Bernhardi Raceburgenſis, ſibi conciliato, in Canutum inſurrexerat. Eodem momento, vt Waldemarum iuuaret, Adolfus Comes traiecerat Egidoram, & regionem Sleſuicum vsque vaſtauerat; ſed, nuntio ſiniſtro accepto, mox cum praeda regreſſus erat. Waldemarus inde in manus Canuti delatus, compedibusque & manicis ferreis conſtrictus eſt. Tum cogitatum de vindicta ab Adolfo ſumenda; qua re etiam *Henrico Duci ſubueniri* poſſe credebatur. Adolfus diu de aduentu Regis certior factus erat, & accito Ottone Marchione, validaque militum manu parata, illum expectauerat. Cum tamen Rex moraretur, Otto receſſit, & militum non pauci abiere. Rex, hoc reſciens, ſubito irruit in Comitem, qui, imparem ſe agnoſcens, pacem a Rege mille quadringentis denariorum marcis redemit.

§. 129.

Dum haec gererentur, Bernhardus quoque Dux ſibi deeſſe nolebat. *Lauenburgum* igitur aggreditur, & circa Feſtum Cathedrae Petri Anni 1193. Caſtrum hoc acri obſidione vallat. Aderant illi Comites Adolfus & Bernhardus; qui tamen cum obſidio diuturnius, ac ſperauerant, duraret, tandem recedebant; & Bernhardus quidem Caſtrum Borſich cum ſuis expugnabat. Lauenburgo fere ad incitas redacto, praeter ſpem obſeſſorum ſubuenerunt tunc amici Ducis Henrici *Bernhardus de Welpe*, & *Helmoldus de Schwerin.* * Hi Ducem Bernhardum ſtrenue aggreſſi ab obſidione fugarunt. *Sic*, ait Arnoldus, vnde haec omnia didicimus, *praeter ſpem liberata eſt Lauenburg, vel quia Ducem Bernhardum fortuna coeca deſeruit, vel quia Duci Henrico aliquas reliquias Transalbinas Deus reſeruare voluit. Qui tamen vltionem de inimicis expetens, nunc a Slauis, nunc a Danis auxilium quaerebat, & non erat.*

§. 130.

Electus erat Anno 1192. in Epiſcopum Leodienſem Albertus, frater Henrici Ducis Brabantiae. Imperatori adhaerentes cauſabantur, illum canonice non intraſſe, ſubſtituebantque Lotharium, Bonnenſem Praepoſitum, quem ſupra inter iudices Ducis noſtri conſediſſe vidimus. Albertus expulſus aduerſarium ad Papae audientiam citat; vt Godefridus Colonienſis prodit: Imperator, ne turbae ſibi enaſcerentur, vel nece exulis Epiſcopi eas praeueniendas putat. Frater Lotharii, Comes de Hoſtaden,

ſica-

Digitized by Google

ſicarios procurat. Sic Albertus callide ex vrbe Remenſi, vbi tunc agebat, elicitur & interficitur. Interfectores, ſcelere peracto, ad Imperatorem redeunt, inque aula eius impune viuunt. His perceptis, cognati Epiſcopi occiſi, Henricus Dux Brabantiae eius frater, Henricus Dux Limburgi auunculus, & Archi Epiſcopus Colonienſis, aliique multi Comites & Principes Lotharingiae, Coloniae conueniunt, atque inter ſe contra Imperatorem & Comitem de Hoſtaden coniurant, vt Aegidius Aureae Vallis Monachus in Chronico Epiſcoporum Leodienſium habet. *Ducem* quoque *Saxoniae* Henricum Leonem confoederatis ſe iunxiſſe, ex Houedeno intelligimus.

§. 131.

Interea anno eodem 1192. rediens e Terra Sancta Richardus Rex Angliae, & per terras Leopoldi Ducis Auſtriae ſecreto pergens, apud Viennam agnitus & captus erat a Duce ipſius inimico, a quo deinde 1193. Imperatori traditus eſt. Hinc arcta cuſtodia detentus, eique non vna imputata delicta, quae tamen facili opera a ſe amouit. Non tamen prius a captiuitate exire potuit, quam lytrum centum & quinquaginta millium marcarum argenti promitteret, duasque huius ſummae partes ſolueret ſtatim, & pro reſiduo obſides poneret, vnde Dux Auſtriae ſuam quoque partem habiturus erat, & interea ſeptem obſides, Imperator vero ſexaginta acciperet. Hos inter praecipuos fuiſſe *Ottonem* & *Wilhelmum, filios Henrici Ducis*, ex Gerhardo Stederburgenſi & Houedeno intelligimus. Et *Wilhelmum* quidem Leopoldo Auſtriae Duci traditum fuiſſe ex infra dicendis manifeſtum fiet. In captiuitate variis etiam modis tentatus eſſe videtur Richardus, vt in Henrici Ducis perditionem conſentiret. Hac enim de re interpretor, quod Houedenus ait, Imperatorem primo *multa petiiſſe; quibus nec etiam pro mortis periculo Regi conſentiendum iudicarit*. Tandem hoc ſolum ab Imperatore actum eſſe videtur, vt Rex Henricum Ducem induceret, quo iuri ſuo in bona Welfi Ducis nuper defuncti & in patrimonium Mathildis renunciaret. Huius rei ſpem Imperatori aliquam feciſſe credas Richardum. Inde formae compoſitionis inter Imperatorem & Regem articulus inſertus eſt hic: *Si autem Dominus Rex ſoluerit promiſſionem, quam Domino Imperatori* de Henrico quondam Duce Saxoniae *fecerat, de quinquaginta millibus marcarum Regem liberum dimittens & abſolutum, pro ipſo Rege ſoluet Duci Auſtriae viginti millia marcarum, & Rex non tenebitur dare Duci Auſtriae ſeptem obſides, nec Imperatori ſexaginta. Cum igitur Rex praedictam* promiſſionem de Henrico quondam Duce Saxoniae *impleuerit, & centum millia marcarum ſoluerit, libere recedat.* Et inferius dicitur: *Item ſi* promiſſio de

Henrico quondam Duce Saxoniae completa non fuerit, quinquaginta millia marcarum, quae reſidua ſunt, ſoluentur intra ſeptem menſes, poſtquam Dominus Rex in terram ſuam redierit. Sed Regem Familiae Guelficae amicum nihil huiusmodi ab Henrico Duce exegiſſe, vel Henricum Ducem eiusmodi propoſitiones reieciſſe vel inde ſatis patet, quod Rex obſides dederit, & ſtipulatam pecuniae ſummam ſoluerit; vt ex Houedeno, aliisque Anglicis Scriptoribus intelligitur, qui & Formam Compoſitionis (Prob. N. XCIX.) nobis conſeruarunt, repetitam deinde a Rymero Actor. Angl. Tom. I. pag. 84.

§. 132.

Pace concluſa Rex, vt Imperatori officii quid ſtatim praeſtaret, eum Principibus Lotharingicis & Saxonicis, de morte Alberti Epiſcopi alias vltionem quaeſituris, conciliauit. Houedenus haec memoriae prodidit: *Ad Regis*, inquiens, *inſtantiam Imperator & Magnates praedicti inter ſe pacis foedus & concordiae inierunt, in hunc modum: quod Imperator iurare fecit Epiſcopos quam plures & Comites & Barones in animam ſuam, quod ille nec praecepit, nec voluit, vt praedictus Epiſcopus de Leges occideretur, & quando hoc ſciuit, vehementer indoluit; & de ſatisfactione reddidit vnicuique praedictorum virorum, qui contra eum conſpirauerant, omnia caſtella, quae pater ſuus vel ipſe eis abſtulerat: & ſic facti ſunt amici excepto Duce Saxoniae.* Imperator viciſſim pro accepta pecunia aliquam gratiam Regi ſe referre velle oſtendit, dum ei *Charta ſua confirmauit has terras ſubſcriptas, ſcilicet Prouenciam & Vianam & Vianàis & Marſiliam & Nerbonam & Arleblanc, & Leun ſuper Rhodanum vsque ad Alpes, & quicquid Imperator habet in Burgundia, & homagium Regis Arragoniae, & homagium Comitis de Bisders, & homagium Comitis de S. Aegidio.* Pleraque haec olim ad Regnum Arelatenſe pertinuerant; ſed recte Houedenus obſeruat, quod *Imperator nunquam his terris dominari potuerit, neque incolae earum aliquem Dominum ad praeſentationem Imperatoris recipere voluerint.* Richardus tamen lubens oblata Imperatoris accepiſſe videtur, (qqqq) vt inde perpetuam materiem Regem Galliae inquie-

qqqq) Richardus XIII. Cal. Maii 1193. matri cum maximo tripudio ſignificauit, quod e caſtello Triuelſienſi, quo adhuc detinebatur, obuiam venerit Imperatori apud Hagenauiam, vbi ab ipſo & a tota Curia honorifice receptus, variisque & magnis muneribus tam ab Imperatore, quam ab Imperatrice honoratus fuerit, foedusque cum Imperatore inierit, cuius exemplum matri ſimul tranſmittit per litteras, quae habentur apud Rymer. Act. Anglican. T. I. p. 80. In illa conuentione Regnum Arelatenſe Richardo promiſſum fuiſſe patet ex ſubſequentibus, (Prob. N. C. & CI.) vbi coronationi eius in Regem Prouinciae certus dies Spirae praeſtitutus fuit: quem cum Imperator, tum Rex Richardus Magnatibus Angliae ſignificarunt. An vero coronatio dicto die Spirae peracta fuerit, ignoratur, quia de hoc negotio in annalibus Germaniae

Digitized by Google

inquietandi haberet, qui eo abſente Prouincias eius Gallicas inuaſerat. Regni vero Arelatenſis collati cauſa *Richardus Rex*, vt in Ottonis IV. electione videbimus, *Princeps Imperii* factus eſt. Citauerunt enim tunc Principes Coloniae congregati, vt Houedenus diſtincte narrat, *Richardum Regem*, vt Coloniam veniret, hocque ei *praeceperunt vi ſacramenti & fidei, quibus aſtringebatur Imperatori & Imperio Romano.* Richardus quoque tunc Officiales ſibi quosdam Regni Arelatenſis conſtituiſſe videtur, qui, eo defuncto, ad Ottonem IV. Imperatorem, tanquam heredem huius Regni, tranſiere. (rrrr) Fuit inter hos ſine dubio *Geruaſius, Tilberienſis* ortu, qui dum Ottoni IV. Imperatori *Otia Imperialia* dedicat, ſe *Mareſchallum Regni Arelatenſis* vocat. Commodus is ad hoc officium erat, quod, vt ipſe prodit, *propter ius patrimoniale vxoris ſuae* inſignes in illo Regno poſſeſſiones haberet, & affinem *Humbertum Archi Epiſcopum Arelatenſem.* Ablata ſibi ex bonis aliqua commemorat, & ſpeciatim *palatium, quod ex Ottonis IV. munere & gratia ad ſe rediiſſe per ſententiam Curiae Imperialis* refert Deciſ. 3. Cap. de Equo Gerardi de Cabreriis.

§. 133.

Videtur & Imperator tandem Richardo Regi promiſiſſe, ſe gratiam ſuam Henrico Duci redditurum, & ereptarum Prouinciarum loco, illi *Regionem Transalbinam*, hoc eſt, Stormariam, Holſatiam, Wagriam, omnemque Slauiam, quam Dux Regio olim iure tenuerat, conceſſurum, ſi plene & fideliter ſe ei ſubmitteret. Hac promiſſione inductum credas Henricum Ducem, vt hoc Anno 1193. filium cognominem ad Imperatorem mitteret, promiſſorum complimentum expetiturum. Arnoldus

Germaniae altum ſilentium: niſi quod quidam noſtratium ſiniſtra interpretatione horum actorum vſi, Richardum *Regnum Angliae* Imperio obnoxium feciſſe, ac Imperatori *hominium* praeſtitiſſe tradunt.

rrrr) Equidem qua via, quoue iure ab auunculo Richardo Otto IV. Regnum Arelatenſe hereditario accipere potuerit, non video. Vti enim Richardus id ab Imperio acceperat; ita ab obitu eius ad idem Imperium redire debuit, nulli teſtamento vel fideicommiſſo obnoxium. Id vero extra dubium atque ab optimae notae Scriptore, licet caeteri ſileant, teſtatum eſt, in illa magna inter Ottonem IV. & Philippum Sueuum de Imperio contentione inter caeteros compoſitionis modos hunc quoque propoſitum fuiſſe, vt Otto, accepto Regno Arelatenſi cum aliis quibusdam caſtris, ductaque Philippi filia, Philippo quidem cederet, ſed & ipſe Regis nomen retineret. Ita enim legitur apud Anonymum in Mencken. Script. T. I. p. 33. *Cum vterque Otto & Philippus de Imperio contenderent, & inter ſe bella plurima committerent, tandem ex multis ſumtibus & expenſis Ottone debilitato, ad talem concordiam deuenerunt* (inuitati fuerunt: res enim exitu caruit) *vt Otto cederet electione de ſe facta, & reciperet Regnum Arelatenſe, & quaedam alia caſtra, & Regis nomen, atque Philippi filiam duceret in vxorem.* Quae tradita inueſtituram Richardi Angliae Regis de Regno Arelatenſi aliquo modo confirmant. Inde enim nunc anſa arrepta fuiſſe videtur, Ottoni hoc Regnum offerendi.

Digitized by Google

Arnoldus Lib. IV. c. 20: *Dux autem*, ait, *Henricus adhuc expetens auxilium Regis, filium ſuum aequiuocum de Brunſchwig ad ipſum miſit, vt a ſuo latere non recederet, quouſque per eum omnem terram transalbinam obtinuiſſet. Cui bonam quidem ſpem Rex fecerat; non tamen eam, quae non confundit, Nam eadem de die in diem euaneſcens, nihil firmitatis propter Regis negotia habere viſa eſt.*

§. 134.

Tractabatur eodem tempore de matrimonio inter *Philippum Franciae Regem* & *Agnetem, filiam Conradi Comitis Palatini ad Rhenum*, qui patruus Imperatoris erat. Imperator iam, pater virginis, caeterique parentes in illud conſenſerant. Sola mater & filia id auerſabantur, quod mobilem Regis animum noſſent, Agnesque parem cum Blotilda, Waldemari Regis Daniae filia, ſortem experiri nollet. (ssss) Viderant Henricum iuniorem, & egregiam in eo corporis formam, animum ingentem, moresque cultos ſuſpexerant. Vt itaque Regis Franciae coniugium effugeret Agnes, matris conſenſu, ei praetulit Henricum Principem, ac, ne quis matrimonium cum eo impediret, clam ei thoro iuncta eſt. Henricus, fata ſecutus, credidit vel hac via Imperatori ſe tandem conciliatum iri. Neque haec eum ſpes fefellit. Arnoldus loco citato: *Filius*, inquit, *Ducis* [Henricus] *quaſi deſperatus diſcedens* [ab Imperatore tunc Staleka non procul exiſtente] *alia via vſus eſt, qua ad gratiam Imperatoris veniret. Nam quia erat praeclarus genere, nobilis virtute, ſpecioſus forma, validus corpore, notus opinione, filiam Palatini de Rheno ſortitus eſt vxorem. Qui quoniam patruus Imperatoris erat, Imperator eum pro huiusmodi copula vehementer arguebat: qui praeter ſe haec acta affirmans, Impera-*

ssss) Perperam ex Houedeno Blotilda hic vocatur Philippi Auguſti Franciae Regis vxor, cui nomen *Ingeburgis* fuit. Ita enim Auctarium Aquicinctinum, Sigeberto Gemblacenſi adiectum, ad Annum 1193. de nuptiis & de repudio ſtatim inſecuto: *Philippus Rex ſecundam duxit vxorem,* **Ingelburgem**, *Regis Daciae filiam, in vigilia aſſumtionis Sanctae Mariae, Ambianis:* vbi ei dotalitium conſtituit per literas infra (Prob. N. CII.) exhibendas. *In die autem aſſumtionis eiusdem - - regio diademate coronata eſt - - Octogeſimo autem & ſecundo die poſt has nuptias, quorundam conſilio, apud Compendium Rex cum ſuis colloquium habuit. Ibi quidam conſurgentes, conſanguinitatem inter primam Reginam & ſecundam iurauerunt. Quo iuramento Rex accepto, absque vlla dilatione & conſilio, dimiſit eam,* carcerique incluſit: teſte epiſtola, qua Papae Coeleſtini III. auxilium implorat: (Probat. N. CIII.) cuius Succeſſor in hac cauſa conſultus reſponſum dedit Innocentio III. dignum, rem omnem ad iurisiurandi religionem reducens. (Probat. N. CIV.) Ridicula propemodum eſt eiusdem Regis conuentio, qua Landgrauio Thuringiae, qui filiam admodum deformem habuit, promiſit, ſe eam ducturum, ſi Landgrauius liberare eum apud Papam ab Ingeburge poſſet quoad vinculum. (Probat. N. CV.) Nactus eſt tandem Agneten, Ducis Meraniae filiam, ex qua filium & filiam ſuſcepit: quibus, cum Ingeburgi tandem in integrum reſtituta, quaeſtio ſtatus moueretur, Innocentius PP. III. natales reſtituit. Epiſtolar. T. I. p. 684. ſeq.

Digitized by Google

Imperatoris animum blanda calliditate lenire ſtudebat. Sed quia legitimus contractus diſſolui non poterat, paulatim, mediante ſocero, iuuenis Palatinus gratiae Imperatoris appropiabat. Tunc denique temporis Imperator ſecundam in Apuliam expeditionem ordinauit: & quia in ipſa profectione idem Ducis filius in omnibus ad placitum ei deſeruiuit, non tantum Imperatoris gratiam, ſed & omnem dignitatem ſoceri ſui de manu Imperatoris ſuſcepit iure beneficiario. Lubet & Gerhardum Stederburgenſem audire: *Perdurante,* ait is, *adhuc odio Domini Imperatoris, quanto virtuoſius Dux iunior in cunctis actionibus ſuis patris ſui virtutem eſt ſecutus, eo maior Imperatoris circa ipſum accenditur ira, & initum inter Ducem & filiam Palatini de Reno diſſipare nitebatur matrimonium. At illa, quamuis a multis impetebatur, ab Imperatore ad hoc deſtinatis, in Ducis, quem elegerat, amore immobilis permanebat. Tandem, matre ſua agente, Palatino inſcio, vocatus, per medios fines inimicorum ſuorum & per varias inſidias mirabiliter elapſus, protegente ſe Deo, cum etiam ipſa, quae futura erat ſponſa, quid gereretur neſciret, veſpertino crepuſculo intrauit, & ipſa nocte absque nuptiarum celebratoribus, non tamen ſine benedictione ſacerdotali, in thalamum collocati ſunt, & felix contractum matrimonium. Vocatus poſtera die Palatinus, qui tunc ad latus erat Imperatoris, dum Caſtrum intrauit, quae geſta ſunt, audiuit: & tunc demum cum gaudio & exultatione celebres diuulgatae ſunt nuptiae. Deinde Palatinus Imperatorem adiit, ſe de conſcientia facti iuramento expurgat, & omnibus modis filium, quem ſibi adoptauit per filiam, gratiae Imperatoris elaborat reſtituere.* Breuiter Houedenus indicat, Regem Franciae Blotildam Danicam, a conſanguinitate ſumta occaſione, a ſe ſeparaſſe, *vt acciperet ſibi in coniugem filiam Comitis Palatini de Rheno in Alemannia, auunculi.* [i. e. patrui] *ſupra dicti Henrici Romanorum Imperatoris. Quae,* pergit Houedenus, *cum Regi Franciae a patre & aliis parentibus conceſſa eſſet, refutauit eum & conſilio matris ſuae nupſit Henrico Duci Saxoniae, nepoti Richardi Regis Angliae.* Et hunc etiam conſiliis ſuis nuptias has promouiſſe, non improbabile eſt. Ex Guillielmi Neubrigenſis Rerum Anglic. Lib. IV. c. 32. diſcimus, Fridericum I. Imperatorem iam curaſſe, vt Conradus Comes Palatinus Henrico Leoni Duci iuramento promitteret, ſe filiam ſuam eius filio in coniugem daturum. Sed ipſam Neubrigenſis narrationem de nuptiis Henrici iunioris & Agnetis Palatinae addere operae pretium eſt: *Rex,* inquit, *Francorum Imperatorem Teutonicum, ad cuius fortunam Regis captiui (Richardi I.) pendebat arbitrium, affinitate ſibi cupiens deuincire, conſobrinae eius, vnicae ſcilicet filiae Palatini Comitis, miſſis ad eum nuntiis, connubium expetiuit. Petitionem Imperator*

gratanter amplexus, eius complendae gratia Comitem Palatinum, virum, vt dicitur, in Imperio ſummae poſt Imperatorem amplitudinis, arceſſiuit; Nec latuit ea res matrem puellae; quae vnicam ſobolem ſecreto conueniens: vis, ait, honorabiles nuptias & thorum regium? Rex enim Francorum te comparem poſtulat. Tum illa, audiui, inquit, a multis de Rege hoc, quomodo foedauit atque abiecit puellam nobiliſſimam, ſcilicet Regis Danorum germanam, & vereor exemplum. Ad quam mater. Et quis, ait, in votis tuis eſt potior? Tum illa: Si mea, inquit, vota proſperentur, ab eo certe, cui me didici in annis infantiae deſponſatam, nunquam disiungar, Henrico ſcilicet, Ducis Saxonici filio. Et mater: confide, ait, filia, quia per maternam operam formidato liberata exemplo, optato potieris connubio. Mox eundem Henricum, elegantiſſimum & ſtrenuiſſimum iuuenem, Regis Anglorum ex ſorore nepotem, virago mirabilis ſecretis literis arcerſiuit. Qui feſtinus occurrit, & votis promptiſſime concurrentibus dilectam virginem, tradente matre, accepit, qua nimirum propter euentus ancipites accelerante negotium, illico ritu ſolemni celebratae ſunt nuptiae, vt quos Dominus iam coniunxiſſet, homo ſeparare iam non poſſet. Interea nouae nuptae pater ab Imperatore inductus, vt regiis filiam nuptiis honeſtaret, actae rei repente famam accepit. Imperator quoque rem audiens, credensque, hoc praeter eius conſcientiam fieri minime potuiſſe, acri contra eum motu excanduit, & ad ſe vocatum mordaciter increpauit, tum quia iuuenem oderat, tum quia factum erat aliter, quam volebat. Ille vero ſtomachanti atque obiurganti ſatisfaciens, per ſalutem, inquit, tuam, Imperator, mea hoc neque voluntate, neque conſcientia actum eſt. Sed coniugem meam, conſobrinam tuam, contemplatione iuramenti olim a me & illa felicis memoriae Patri tuo Imperatori pro Duce Saxoniae praeſtiti, abſente me, credo, patraſſe, vnde tua mihi celſitudo ſuccenſet. Tum Imperator: vade, inquit, & nebulone illo expulſo, reſcinde, quod actum eſt. Et ille: noli, ait, ſic loqui, Imperator: nam eo vsque, vt dicitur, res proceſſit, vt absque ſempiterno filiae meae dedecore reſcindi non poſſit. Reuerſus autem idem ad propria, genero blande locutus eſt, adoptansque eum, filiam egregie dotauit. Sic ille, qui paulo ante cum dedecore repudiauerat coniugem, optatis ſperatisque, Dei iudicio, caruit nuptiis. Credibile eſt, tunc quoque Henrico iuniori, Palatinatus heredi conſtituto, conceſſum eſſe, vt ſe *Saxoniae Ducem* ſcriberet. (tttt) Hoc enim axiomate poſt mortem patris, nemine contradicente, vbique vſus eſt.

§. 135.

tttt) Hoc non neceſſe fuit, quia lis de Ducatu Saxoniae nondum deciſa, aut compoſita erat. Bernhardus enim, vt vidimus, in diplomate Gelnhuſano ex Anno 1180. ſupra

§. 135.

Conradus Rheni Palatinus, qui nouum generum tenere diligebat, nunc & patri eius ad recuperandam Imperatoris gratiam adeſſe animum intendit. Quam primum igitur generum Imperatori conciliaſſet, vt Gerhardi Stederburgenſis, qui rebus interfuit, verbis vtar, *Ducem Seniorem in Brunſchwich ipſe adit, eumque ad praeſentiam Imperatoris euocat, pollicendo bona, ſi ad Domini Imperatoris voluntatem ſuum inclinauerit animum, & ſe gratiae ſuae ordinationi ſubmiſerit. Dux itaque, licet non ignoraret, quoniam difficilis ei foret Imperialis irae manſuetudo, tamen, vt Principum ordinationi eſſet conſentaneus, conſilio Palatini acquieſcit, eique Curia in Saluelde praeſcribitur: ad quam cum Imperator accederet, & Dux eſſet in itinere, in arduo nemoris, cum appropinquaret loco, qui Bothuelde dicitur, Dux de equo corruit, & ex contritione tibiae ab itinere, quod coeperat, impeditus eſt. Sequenti die Walkenred deportatus, nuncios ſuos ad Imperatorem ordinat & deſtinat; ipſe vero manſit in eodem loco, graui ex laeſione laborans infirmitate. Imperator, vt audiuit, quamuis artem ſuſpicaretur ſubterfugii, Principes, qui conuenerant, detinuit, aduentumque Ducis exſpectare diſponit. Poſtquam autem intellexit Dominus Imperator, non fictam Ducis infirmitatem, viciniorem loco, & tempore productiorem diem ei conſtituit in Dullethe, certificatus a Praepoſito Stedereburgenſi Gerhardo, qui Legatione Ducis fungebatur. Dux itaque, aliquantum receptis viribus ſuis, ad diem & locum ſibi conſtitutum venit, & in plenam gratiam Imperatoris ibi receptus eſt, & filius ſuus beneficiis Palatini, quae ab Imperatore tenuit, ſolemniter eſt veſtitus, expetente Domino Imperatore, vt ſecum iter arriperet in Apuliam. Dux ad ſua rediit, & filium ſuum ad obſequendum Domino Imperatori modis omnibus adiuuit, ſpe ductus inani: quia aliqua ex his, quae ſibi promiſſa erant, exſpectabat.* Meibomius in notis ad Stederburgenſem Salueldae praeſentes fuiſſe dicit *Conradum Moguntinum, Ludolfum Magdeburgenſem, Archi-Epiſcopos: Bernonem Hildeshemenſem, Gardolfum Halberſtadenſem Epiſcopos: Conradum Praepoſitum Aquenſem: Conradum Palatinum Rheni, Bernhardum Ducem Saxoniae, Conradum Marchionem Landsbergae, Albertum*

ſupra inſerto, & in diplomate Erfordienſi Anno 1181. de Caſtro Homburg dato, non niſi *Weſtphaliae & Angariae* Ducem, adiecto ſimul *Comitis in Aſchersleue* titulo, ſemet appellauit: quod poſtremum quoque factum eſt in diplomate quodam Ouernkirckenſi MS. & apud Becmann. Hiſtor. Anhalt. Part. III. p. 441. Anno 1194. & p. 470. Anno 1195.

Diplomatis Ouernkirckenſis initium hoc eſt: *In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Ego Bernhardus Dei gracia Dux Angarie & Weſtphalie & Comes de Aſchersleue. Ad dilatandum Omnipotentis honorem, omnibus iuſta poſcentibus nos conuenit pium aſſenſum praebere &c.*

bertum Marchionem Miſniae, *Fridericum Burggrauium Noribergenſem*, *Adolſum Comitem Schauuenburgicum*, *Gebhardum Burggrauium Magdeburgenſem*, *& alios*, quod ex diplomatis cuiusdam ibi dati ſubſcriptione hauſerit, neceſſe eſt. Vnde concludo, & hos omnes vna cum Imperatore Duci reconciliatos eſſe; licet conditiones reconciliationis neſciantur. Hoc certum eſt ex Arnoldo & Gerhardo Stederburgenſi Henrici Leonis ditiones ex eo tempore plena pace gauiſas eſſe. Henricus itaque iunior cum Imperatore, Regnum Apuliae poſt mortem Tancredi occupaturo, profectus eſt Anno 1194. in Italiam, (uuuu) & rebus ibi praeclare geſtis ſanus & incolumis ſub finem anni ad patrem qui tamen de caetero, Stederburgenſi referente, *nihil nomine dignum vel honoris vel vtilitatis ab Imperatore conſecutus eſt*, rediit.

§. 136.

Dux interea Henricus ex filiorum abſentia triſtior, & tot hactenus curis fatigatus, ad Deum ſe totus conuertit, & operibus piis vacauit, reliquum tempus rerum geſtarum conſiderationi impendens. Arnoldus Lubecenſis Lib. IV. c. 20. hoc teſtatur: *Dux autem*, ſcribens, *ſenior variis negotiis deditus*, *his videlicet*, *quae ad ornatum domus Dei pertinerent*, *vel etiam aulae propriae in Brunſchwig*, *reſiduum vitae ſuae tempus quietus exegit*. Gerhardus Stederburgenſis: *Videns igitur Senior Dux*, *Imperatorem flecti non poſſe ad beneuolentiam*, *coeleſti Regi placere deſiderans*, *cultum domus Dei ampliare intendit*: *ſpecialiter autem Monaſterium S. Iohannis Baptiſtae & S. Blaſii*, *quod a fundamentis exſtruxerat*, *decorare ſtuduit*. *Vnde imaginem Domini noſtri Ieſu Chriſti crucifixi cum aliis imaginibus miro & decenti opere in medio Monaſterii ſummo ſtudio collocari fecit*: *pauimento & feneſtris ipſum Monaſterium laudabiliter ornauit*: *crucem auream opere fabrili inſtituit*, *cuius pretium in auro & gemmis ad mille quingentas marcas argenti computabatur*. *Ipſe etiam*, *licet robore & viribus corporis deficeret*, *& infirmitas*, *quae quemlibet hominem deiiceret*, *grauiter ipſi accideret*, *animi ſui naturalem virtutem nobiliter regebat*, *& antiqua ſcripta Chronicorum colligi praecepit*, *& conſcribi*, *& coram recitari*, *& in hac occupatione ſaepe totam noctem duxit inſomnem*. *Negotia etiam permaxima ad ipſum quotidie deferebantur*: *quia aſuetus in his animus conſilii prudentiam non amiſerat*. *Veſtes etiam ſacras diuinis aptas miniſte-*

uuuu) Quod probatur diplomate, ab Henrico VI. Anno 1194. Placentiae dato, (Probat. N. CVI.) & inter alios illuſtres ab *Henrico* ſubſcriptum, *filio Henrici Ducis Saxoniae*: *Comitis Palatini* elogio nondum gaudet in his literis, quia tum ſocer Conradus adhuc in viuis verſabatur.

miniſteriis in ſui praeſentia fecit aptari, quas in vſum Eccleſiarum partim diſtribuit; partim in Capellae ſuae vſum reſeruauit. Tunc ergo deſcribi curauit inter alia *hiſtoriam Eggehardi Vragienſis*, quam nos ſub *Annaliſtae Saxonis* nomine edidimus, (xxxx) & qua Chronici Rhythmici & Picturati Auctores vſi ſunt. Eam enim Brunſuici aſſeruatam fuiſſe vel hinc certum eſt. Iam authenticum exemplar in Bibliotheca S. Germani Pariſiis latet. Tunc etiam exciſae ſunt ſtatuae *S. Iohannis Baptiſtae, S. Blaſii, Hermanni Epiſcopi Hildesheimenſis*, qui Eccleſiam S. Blaſii conſecrauerat, & ipſius *Henrici Ducis*; quae, etſi loco motae, in Eccleſia illa adhuc reſtant. Statuam Henrici Ducis inde delineatam ſupra exhibuimus, qua

xxxx) Quanta audacia definientis, quos & quales libros hiſtoricos Henricus Leo tum deſcribi curauerit! Primum enim Gerhardus Stederburgenſis nihil de tranſcriptione veterum Chronicorum per Henricum curata habet; ſed Chronica vetera eum colligi, noua conſcribi, eaque coram ſe recitari iuſſiſſe affirmat. Deinde quis nobis vadem ſe praedemque ſiſtat, hiſtoriam Eggehardi Vragienſis Henrico vel cognitam, vel inter Chronica fuiſſe, quae ille collegerit & coram ſe recitari iuſſerit? Den'que huius Eggehardi hiſtoriam Annaliſtae Saxonis nomine a ſe editam falſo iactitat Dn. Eccardus, in eo non felicior deceſſore ſuo, Leibnitio, qui, cum ſchedulas Epiſcoporum Hildeſienſium mortuarias a Io. Henrico Hoffmanno collectas & contextas, offendiſſet, Chronici Epiſcoporum Hildesheimenſium nomine Scriptorum Brunſuicenſium Tomo I. inſertas, illico ad *Eggehardum Vragienſem* prouocauit, Eggehardumque Vragienſem ambabus ſe manibus tenere exclamauit Praefat. lit. b. licet Eggehardus de Hildeſemenſium rebus ne cogitauerit quidem. Habent enim hoc viri eruditi, vt auctorem nomine quidem ſatis, ſed re nondum cognitum in lucem producendo, remque litterariam nouo Scriptore augendo, non minus de orbe vniuerſo mereri ſe putent, Chriſtophoro Columbo, qui orbem terrarum quarta ſui parte auxit; vel Friderico II. Imperatore, qui diem illum, quo Ottoni Puero iuſtitiam adminiſtrauit, cunctis annalibus inſcribi iuſſit, quod Romanum Imperium auxiſſet nouo Principe creato. Cum autem Leibnitium erraſſe, & in Chronico illo Hildesheimenſi nihil ſimile Eggehardi deprehenderet Dn. Eccardus; ex Leibnitiana ſupellectile autem Chronicon haberet Saxonicum, Magdeburgi olim, vt apparet, ſcriptum, Meibomio auo, Cruſioque, & aliis vetuſtioribus non incognitum, quod *Annaliſtae Saxonis* nomine contra datam Patribus Sancti Germani Pariſienſis fidem typis edidit; ipſe quoque Eggehardum edere ſe perſuaſiſſimus fuit, aliisque in Praefatione perſuadere aggreſſus eſt; ſed pro eo, quo pollebat, iudicii acumine argumentis vſus, quae eius ſententiam euertunt potius, quam adiuuant. Litem tandem deciderunt Reuerendi Patres Martenaeus & Durandus, qui Praefat. Tom. IIII. Collect. ampliſſ. praemiſſa teſtantur, *Eggehardi Vragienſis* Chronicon ſe habere in manibus, ſed ab editione eius abſtinere, quod videant id totum tranſcriptum, atque pridem editum fuiſſe libro illo, qui ſub Conradi a Lichtenau Chronici Vrſpergenſis nomine circumferatur. Vt adeo ei, qui Eggehardum Vragienſem cognoſcendi & legendi auidus eſt, neque Leibnitii Chronicon Hildeſemenſe, neque Dn. Eccardi Annaliſta Saxo, ſed Abbatis Vrſpergenſis Chronicon ſit adeundum. Interim vt ad Ducem Henricum Leonem reuertamur, ad laudem & gloriam rei hiſtoricae pertinet, quod talis ac tantus Princeps legendis vel audiendis rerum ante geſtarum commentariis otium ſuum oblectare, atque huic ſtudio ſeniles annos impendere voluit. Expertus enim fuiſſe videtur, hiſtoriam Principis in magnis rebus verſantis optimam eſſe magiſtram, conſiliariisque omnibus longe praeferendam, quippe ſine patria, ſine parente, ſine amicis & clientelis, & ſpeculum, quod non mentitur. Felix Henricus, qui poſtremo longe faceſſere iuſſis aulicorum ſuggeſtionibus, in hoc ſtudio & ſtadio conſenuit, paremque in poſteros ardorem propagauit. Germania enim per omnia ſaecula non habuit Principes Brunſuicenſibus rei hiſtoricae ſtudioſiores, librorumque amantiores & callentiores.

qua gladium dextra tenens & pretioſo baltheo ſuccinctus ſiſtitur. Crux aurea, cuius meminit Stederburgenſis, quas Reliquias continuerit, enumerant excerpta Membranae S. Blaſii a Madero edita, & a Leibnitio Script. Brunſuic. T. II. p. 59. repetita. Crediderim etiam hoc 1194. Anno, cum *Bernwardus Hildeshemenſis Epiſcopus* inter Sanctos ſolenniter numeratus fuiſſet, Henricum Ducem patenam auream ipſius S. Bernwardi manu confectam, quam nactus erat, Monſtrantiae ex argento deauratae includi feciſſe. Aſſeruatur ea inter Lipſana Hanouerana, ea forma, vt figura aeri inciſa auerſa pagina docet. Scilicet in medio reſidet Chriſtus in gloria ſua; circum vero ſcriptum eſt: HVC. SPECTATE. VIRI. SIC. VOS. MORIENDO. REDEMI. Cinguntur haec verba imaginibus quatuor Euangeliſtarum & quatuor virtutum Cardinalium. In exteriori margine legitur: EST. CORPVS. IN. SE. PANIS. QVI. FRANGITVR. IN. ME. VIVET. IN. ETERNVM. QVI. BENE. SVMIT. EVM. Apici incluſa eſt particula DE LIGNO DOMINI. Vnde & aliquid olim Hildeshemenſibus conceſſiſſe Henricum Ducem vidimus. Auerſa pars gemmis ornata eſt octo. (yyyy) Patenae vero cirtransuerſim inſcriptum eſt. *Iſtam patenam fecit S. Berwardus.* In circuitu autem dicitur, incluſas ſimul eſſe Reliquias has: *Dentes S. Nicolai,* de *S. Auctore*, *S. Silueſtro*, *S. Seruatio*, de *S. Iohanne Chryſoſtomo*, de *S. Allexio*, de *S. Laurentio*, de *S. Godehardo*. Egregium aurifabrum fuiſſe S. Bernwardum, & artem gemmas auro includendi rite calluiſſe, Tancmarus in Vita eius teſtatur, & opera eius reſidua idem demonſtrant: inter quae eminet Calix ex auro puriſſimo, qui in Eccleſia Cathedrali Hildeſiae adhuc reſtat: in quo ipſimet elegantiam gemmarum caelatarum Romani operis mirati ſumus, trium Gratiarum & Cupidinis volitantis cum Symbolo Bacchi hirco & vua.

§. 137.

Anno 1195. in vigilia Paſchae incidit tandem Henricus Dux in morbum, qui ei fatalis fuit. Gerhardi Stederburgenſis verbis vltimum eius vitae tempus & obitum deſcribo. *Expenſa igitur hyeme & tota quadrageſima, dum eleemoſynarum largitionibus inſiſteret, in vigilia Paſchae, nocte media, repentinus eum dolor inuaſit, & ſolito plus inualuit malum. Ipſe tamen operibus bonis, quae coeperat, infatigabiliter inſiſtebat. Ab hoc ipſo tempore vſque ad diem obitus ſui vix aliquod de continuo dolore habebat*


yyyy) Maſſulae illae centro circumpoſitae non ſunt gemmae, ſed officula Sanctorum, quorum vnicuique adſcriptum eſt nomen Sancti, ad quem refertur. Dn. Eccardus, quae deſcribit, non niſi obiter inſpexiſſe videtur. Alias enim toties non erraret.

Digitized by Google



Digitized by Google

Tab. XIII. ad p. 153.



Digitized by Google

Digitized by Google

bat remedium. Sic exacta aeſtate, cum dies caniculares inſtarent, immoderata, ſed naturali ſolutione ventris laborare coepit; ipſe tamen nullius medicinae remedium admiſit. Nec hoc ſilendum, quod XIV. ante obitum ſuum die, quae eſt vigilia Iacobi, (zzzz) *hora diei nona, exorta ſubito nube a partibus Occidentis, in ictu oculi fulgur miri acuminis & velocitatis apparuit, & tonitru terribile ſubito ſubſecutum eſt: & ex ipſa occulta vi ſub tecto plumbeo, inter murum, plumbum & Monaſterii tegillae ligneae incenſae ſunt.* (aaaaa) *Sed omnibus, qui circa Ducem erant, conſternatis, ipſe permanſit interritus. Acclamantibus igitur omnibus ad incendium, & vti Duci ſuccurratur, quia ſuper caput ipſius erat incendium, grandis pluuia ſecuta eſt, & diuina potentia, quae inuiſibiliter hunc ignem accendit, ſine humano molimine mirabiliter eum exſtinxit. Dux itaque, quia vim morbi in ſe timuit, nuncios ſuos poſt filium, qui tunc in partibus Rheni morabatur, miſit, & Epiſcopo Raceburgenſi Isfrido, cui ſpecialiter confiteri ſolebat, nuncium deſtinauit. Qui ſubito veniens, vidit eum morbo acrius laborare, verbum exhortationis ad ipſum habuit, vt ſpiritu fortitudinis in hoc articulo habito, Dominum ſe vocantem hilari corde ſequeretur. At ille his & ſimilibus verbis ſalubriter compunctus, puram coram Deo & Epiſcopo peccatorum ſuorum confeſſionem fecit, & quarto Nonas Auguſti in remiſſionem praeteritorum ſuorum delictorum, ſecundum conſuetudinem eccleſiae, oleo inunctus eſt, participans ſacroſanctis myſteriis Chriſti. In hac itaque morbi moleſtia quatuor adhuc dies ſuperuixit, non querulus, non gemens, vt plerique ſolent infirmi, ſed, ſi quando erupit in vocem: Deus, inquit, propitius eſto mihi peccatori! Erectus namque in virtutis culmine animus paſſionibus corporis non ſuccubuit, cui etiam in diuiſione corporis & animae morti ſuccumbere quaſi videbatur indecorum. - - Eodem tempore famoſus ille Princeps Henricus Dux inter manus Cleri ſui, quem ipſe tenere dilexit, & glorioſae tramite diſciplinae imbutum ad altiora tendere ſemper hortatus eſt, ex hac luce ſubtractus obdormiuit, vt ſperamus, in Domino, anno aetatis ſuae LXVI.* (bbbbb) *De cuius morte ſicut ſui non modicam habuere triſtitiam,*

zzzz) Ex peruerſa horum verborum conſtructione a maioribus noſtris dies obitus Henrici poſitus eſt viceſimus quartus Iulii. Ita enim legitur in antiqua tabula in aede S. Blaſii ſuſpenſa apud Rethmeyer. Hiſtor. Eccleſ. Brunſuic. Part. I. Inſtrum p. 89. *Anno duſent CXCV. is geſtoruen de woldige vnd ſtreitbare Forſte Herthoge Hinrich de Lauwe am Avende Iacobi Apoſtoli* - - Senſus enim eſt, vigiliam Iacobi decimam quartam fuiſſe diem, quae mortem eius praeceſſerit.

aaaaa) En! tot terrarum & Prouinciarum Dominum, aedes inhabitantem, tegulis ligneis contectas!

bbbbb) Mallem, Gerhardus annum aetatis plenis verbis, quam notis numericis, expreſſiſſet. Experientia enim conſtat, librarios cum veteres, tum hodiernos nulla re magis, quam in deſcribendis nominibus propriis & notis numericis errare ſolere. Cum itaque de anno aetatis, quo obiit Henricus, vnicum tantummodo teſtem aetate ſup-

tiam, ita aemuli ſui magnam concepere laetitiam. Audiuimus tamen poſtmodum, eos, qui eum odio habuerunt, commendare gloriam & virtutem Principis, & viuere eum inſtantiſſime optabant. Deportatus itaque inter manus flentium in Monaſterium S. Blaſii, quod ipſe exſtruxerat, in medio pauimento ante crucem, quam erexerat, in dextro latere vxoris ſuae Mathildis Duciſſae, Anglorum Regis filiae, honorifice ſepultus eſt. ʾ *Sicque factum eſt, vt quam habuerat conſortem thalami, haberet etiam ſociam ſepulchri.* Arnoldus Lubecenſis Bernonis Suerinenſis Epiſcopi obitum referens Lib. IV. cap. 24. addit: *Circa ipſos dies mortuus eſt famoſus ille Dux Henricus in Brunſchwig, & cum Salomone de vniuerſo labore ſuo quo laborauit ſub ſole, nihil conſecutus eſt, niſi memorabilem ſatis ſepulturam, vna cum coniuge ſua Mechtilde, in Eccleſia S. Blaſii Epiſcopi & Martyris.* Arnoldus mox hoc eius Elogium ſubiungit:

Princeps laudande, iam laetus ad aethera ſcande.
Cultor pacis eras, nunc diuitias tibi veras
Reddat Rex Regum, qui ſolus regnat in aeuum.
Enituit late virtus tua cum pietate:
Nobilitas morum cum flore decoris eorum.

Ad

ſupparem habeamus Gerhardum; in Gerhardi autem ſcriptura, quam hodie habemus, nota numerica occurrat, in cuius generis figuris pingendis frequentiſſime & turpiſſime ſaepe numero ſcribas labi tralaticium eſt; non niſi praeuio quodam rigoroſo examine in numero LXVI. acquieſcere poſſumus. Aetate maiorem fuiſſe Henricum, cum moreretur, duo potiſſimum momenta inducunt ad credendum. Primum eſt, quod Dux Henricus, iam An. 1175. cum ab Imperatore ad expeditionem Italicam euocaretur, *praetendebat*, ſe multis laboribus & expeditionibus tam Italicis, quam etiam aliis innumeris, vtpote *iam ſenem*, defeciſſe, teſte Arnoldo Lubecenſi Lib. II. c. 15. n. 3. At enim vero cum Henricus ex calculo Gerhardi Anno 1175. non niſi annos ſex & quadraginta habuerit, quomodo ſenum choro iam tum ſine pudore & ſalua conſcientia, immiſcere ſe potuerit non apparet. Alterum eſt, quod iam inde ab Anno 1191. & fortaſſis anno hunc praecedente filiorum natu maximum, Henricum, in republica procuranda coadiutorem aſſumſit, cum annum aetatis ſexageſimum ex calculo Gerhardi vix ſuperaſſet. Filium autem iſto anno in ſocietatem regiminis adſcitum, probat diploma, quod ſubiicimus. (Probat. N. CVII.) Si tamen perpendimus, matrem eius Gertrudim Anno 1115. demum natam, quod ſupra demonſtrauimus, in manum quidem Henrici patris Anno 1126. at per aetatem in torum non conueniſſe, ſed Rauensburgi, dum adoleſceret, dum plenis nubilis fieret annis, cuſtoditam fuiſſe; facile videmus, ante Annum 1129. eam Henricum filium parere vix potuiſſe. Iam vero Annus 1129. abſciſſe is eſt, quo Henricus natus eſt, ſi Anno 1195. quo obiit, annum aetatis ſexageſimum ſextum egit. Ad argumenta in contrarium adlata reſponderi poteſt, Henricum Anno 1175. non aetate quidem, at virium corporis intuitu, quae variis & diuturnis laboribus fractae erant, ſenem fuiſſe; quemadmodum contra pueri, prudentia aliis excellentes, ſenes dici ſolent. Quod autem filium ſexagenarius reipublicae adminiſtrationi admouit, non tam ſenectuti, quam taedio rerum humanarum adſcribendum eſt. Scimus enim, quod redux e ſecundo exilio, cum aliquam quietem nactus eſſet, Brunſuici conſedit, rebus diuinis totus intentus. Neque inde pedem amplius extulit, ſi iter infauſtum ad Imperatorem, quo crus fregit, exceperis. Quibus cunctis rite expenſis, omnino in anno aetatis ſexageſimo ſexto, quem Gerhardus ſignauit, acquieſcendum eſſe exiſtimo.

Digitized by Google

Tab. XIV. ad p. 197.



Digitized by Google

Digitized by Google

Ad cultum Chriſti tu Slauos perdomuiſti,
Qui per Doctores Sathanae ſpreuere furores,
Adque Dei cultum ſatagunt attollere vultum.
Structor multarum ſic crederis Eccleſiarum.
Non eſt gens, quae te non miretur, bona de te
Dum recolit rite. Te nouerat vltima Thyle,
Quae ſua donauit. Te Graecia *magnificauit.*
Ieruſalem tota, *tua conſpiciens pia vota,*
Te colit e contra cum Rege ſuo Patriarcha.
Non aberat triſtis liuor virtutibus iſtis;
Sed pro preſſuris ſeclis potiere futuris.
Coniuge coniuncta maneat merces tibi multa,
Quae Chriſto gratum pia depromſit famulatum.
Excelſi donis durat benedictio prolis,
Et nutu Chriſti regnant modo, quos genuiſti.

In tumulo Henrici Ducis, qui adhuc ſupereſt, cernuntur eius & Mathildis coniugis effigies, ſaxo non ineleganter exciſae. Henricus ſtatura maior in eo apparet, capite nudato, & ſiniſtra gladium ſuſtollit, dextra icunculam Eccleſiae S. Blaſii portat: Mathildis caput circulo Ducali gemmato ornatum habet, manusque precantis in modum eleuat. Circulus ille in capite Mathildis roſis ornatus eſt, quod indicio eſt, eum eſſe *diadema Ducum Normanniae & Aquitaniae.* Nam vbi poſt mortem Richardi Iohannes eius frater ſe Rotomagi a Waltero Archi Epiſcopo huius loci in Ducem Normanniae & Aquitaniae ſolenniter conſtitui faceret, *accinctus eſt*, vt Houedenus ait, *gladio Ducatus Normanniae in matrice Eccleſia, & praedictus Archi Epiſcopus poſuit in capite Ducis circulum aureum, habentem in ſummitate per circuitum* roſas aureas. Henrici & Mathildis oculi in eodem monumento ſepulchrali aperti ſunt, vt ipſis viuentibus idem confectum eſſe indicetur.

§. 138.

Staturam Henrici Ducis melius, quam in ſtatuis fieri potuit, nobis depinxit Morena in fine Rerum Laudenſium, vbi ſcribit: *Henricus Dux Saxoniae erat mediocriter magnus, bene compoſitus, viribus corporis valens, magnus facie, oculis magnis & nigris, capillis quoque quaſi nigris, alti cordis* [ſic MStum Electorale Moguntinenſe rectius ſcribit,] *in diuitiis & potentia pollens; genere nobiliſſimus, & filiae quondam Lotharii Imperatoris filius.* Ingentis animi iconem nobis reliquit Radeuicus (ccccc) Lib. II. cap. 38.

V 3 Wel-

ccccc) Non dubito, quin Radeuicus verum Henrici Ducis imaginem dare potuerit, ſi animum intendere, & per ſe nobis eum deſcribere voluiſſet. Viderat enim eum cum

Welſum Ducem Spoleti cum Henrico comparans his verbis: *Duo viri ſanguine coniunctiſſimi, vtpote vnus eorum alterius fratris filius, diuerſis inter ſe virtutibus certabant. Guelſo dando, ſubleuando, ignoſcendo: Dux Henricus ſeueritate, & malorum pernicie gloriam adeptus eſt. Illius facilitas, huius conſtantia laudabatur. Guelſo negotiis amicorum intentus, ſua negligere, nihil denegare quod dignum eſſet, magnas potentias affectabat, exercitum, nouum bellum exoptabat, vbi virtus eniteſcere poſſet. At Dux Henricus, ſtudium modeſtiae decoris praetendens, non diuitiis cum diuite, neque factione cum factioſo, ſed pro pacis negotiis abſens ſimul praeſensque pugnabat. Ita memoria noſtra ingenti virtute, diuerſis moribus, fuere hi viri duo, Dux Henricus & Dux Guelſo, quos, quoniam res obtulerat, ſilentio praeterire non fuit conſilium, quin vtriusque naturam & mores, quantum ingenio poſſem, aperirem, valdeque iucundum, vt in his duobus clariſſimis viris noſtra tempora ſuum Catonem in vno, in altero ſuum Caeſarem inueniſſent.*

§. 139.

Epitaphium quoque Duci defuncto confectum & aureis litteris ſubſcriptum eſt tabulae ſupra ad p. 70. exhibitae, in qua eius & coniugis deſponſatio veteri manu eleganter depicta in Eccleſia S. Blaſii Brunſuici conſpicitur. Eſt illud hoc:

Hic iacet Henricus, quondam Dux, conditor huius
Eccleſiae, dignus nobilitate, pius.
Moribus ornata ſibi coniux eſt ſociata,
Pauperibus larga, ſimplicitate bona.
Inclyta Mechtildis, Anglorum filia Regis.
Nutriat Angelicis hos Deus ipſe cibis.

Dies

cum in caſtris Cremenſibus, tum in Concilio Papienſi Anno 1159. & 1160. Nunc autem apud me omnem fidem decoquit, qui video, eum plagium hic committere, & ex Salluſtii bello Catilinario propemodum de verbo transſcribere, quae Salluſtius cap. 53. ſeq. Caeſarem & Catonem comparando, acutiſſime dixit. At hoc inſigne ſpecimen eloquentiae & puriſſimae dictionis omnem vim amittit, ſi transfertur ad Principes, illis Duumuiris diſſimillimos. Vti enim Welfus patruus cum Iulio Caeſare collatus magnopere claudicat; ita coecus ſit oportet, qui Henricum ex indole Catonis multa hauſiſſe ſibi perſuadeat. Interim Radeuicus nihil fecit praeter morem Scriptorum mediae aetatis. Cum enim hi media in barbario puros tamen Latinitatis auctores, quos *claſſicos* vocamus, prae aliis libris diurna nocturnaque manu verſarent, ſaepiusque transſcriberent; gemmas ex iis collectas nonnumquam ſuis operibus inſeruerunt. Quod vt facilem excuſationem habet, ita ferendi non ſunt, qui deſcriptiones vitae & morum, quibus heroës Romani enituerunt, in auctoribus claſſicis vbique obuias, nulla veri ratione habita, ad barbari aeui Principes, ſoli ſtilo oſtentando, transferunt, Aethiopesque albis coloribus depingunt. In quibus viam poſterioribus praeiuit celeberrimus ille vitae Caroli Magni Scriptor, qui daturus nobis quamdam animi & corporis morumque Domini ſui, quem optime nouiſſe praeſumi poteſt, effigiem, Caeſaris Augusti, neutiquam autem Caroli Magni, imaginem nobis dedit, penicillo Suetonii depictam. Id quod reuera eſt pro auro carbones dare.

Digitized by Google

Tab. XV. ad p. 159.



Henricus, dictus Leo,
Henrici Superbi filius,
Dux Bavariæ & Saxoniæ.

Digitized by Google

Dies obitus Henrici Ducis ſecundum Gerhardum Stederburgenſem incidit *in diem S. Sixti* (ddddd) quod & Chronicon Rhythmicum, de morte eius agens, affirmat verbis:

Hedde ek tuſend Hende,
Ek en kunde nicht geſcriven
Saſſenlandes Vngefal,
Der up eynen Sundach
An Sanct Sixtus dat geſchach.

Vetus Necrologium Eccleſiae Mindenſis ante quinque Saecula ſcriptum: *Die Sixti & Agapiti Heinricus magnus Dux Saxoniae obiit. Hic contulit curiam in Lothe pro ſe & vxore ſua Mechtilde. Conſolatio.* In Monaſterio Weingartenſi ſupereſt etiam vetus pictura *Henricum Leonem* referens, quam licet ſerius picta ſit, tamen cum aeri eam exſcribi curauerit Summus Leibnitius, heic Lectorum oculis ſubiicimus.

§. 140.

Hermannus Cornerus in Chronico meminit, Henricum Ducem ante obitum filiis ſuis hereditatem diuiſiſſe, *condito teſtamento: HENRICO* Seniori dediſſe *Brunſuic cum attinentiis ſuis; WILHELMO* contuliſſe *Luneburg & Louenburg cum pertinentiis eorum; & OTTONI dediſſe Haldesleue cum ſuis attinentiis.* Sagittarius in diſſertatione de Origine Ducum Brunſuicenſium Lib. IV. c. 24. putat, Cornerum hic fidem non mereri, & veroſimile eſſe, fratres communi imperio Prouincias auitas indiuiſim rexiſſe vsque ad Annum 1203. quo Paderbornae demum diuiſio inter ipſos facta ſit. Sed fallitur Sagittarius, &, quae Cornerus profert, ex ipſo Henrici Leonis teſtamento deprompta ſunt. Accepimus illud ex antiquo Bibliothecae Electoralis Moguntinenſis apographo; ſed ibi mendum *in numeros dati*, neſcio vnde, irrepſit. Neque enim annus, neque Indictio, neque dies in eo recte ſe habent, cum tamen in ipſo textu nihil vitioſum aut erroneum appareat. Accurate enim cum Corneri relatione conuenit. (eeeee) Eſt vero illud huius tenoris: *In nomine*

ddddd) Gerhardus diem obitus non exprimit, nec diem S. Sixti nominat. Calculus tamen ductus ex eo, quod dicit, Henricum quarto Nonas Auguſti ſacro oleo tinctum, quatuor dies adhuc vixiſſe, prodit diem S. Sixti, quae eſt ſexta menſis Auguſti. Idque confirmat Necrologium Mindenſe.

eeeee) Eoque ipſo ſuſpectum ſit, cum Cornerus recentiſſimae aetatis Scriptor ſit; veteres autem ad vnum omnes ſileant: in quibus Gerhardus Stederburgenſis, vltima Henrici per omnia momenta proſecutus, teſtamentum quoque commemorare non omiſiſſet, ſi quod factum eſſet. Tum in re ſeria num Henricum, vel ſcribam eius, ludere voluiſſe, & *die exitus iam appropinquante* ſcripſiſſe putes, *ne extremae ordinationis meae voluntas, vel extremae voluntatis meae ordinatio* habeatur ambigua? Ludentis hominis, non morientis, hae argutiae ſunt. Denique ſi patris teſtamentum exſtitiſſet, noua

Digitized by Google

nomine Sanctae & Indiuiduae Trinitatis. H. Dei gratia Dux. Pietatis opera non ſolum in vita praeſenti promouenda ſunt, ſed etiam poſt mortem, ſi fieri poteſt, extendenda. Ne ergo haereditatis meae teſtimonium inter filios meos non aequa portione diſtrahatur, Ego, praecauens in futurum, filio meo H. Seniori, Brunſwick aſſigno cum Patrimonio attinenti. W. habeat Louenburg & Luneburg cum praediis attinentibus. Otto habeat Haldeslewe & omnia attinentia; Miniſteriales mei, ſecundum quod plus vel minus digniores habentur, inter filios meos ad eorum ſeruitium aſcribantur. Haec conſcripſi Anno Domini MCXCVII. Indict. VI. Kalend. Septemb. die exitus mei iam appropinquante: Ne autem extremae ordinationis meae voluntas, vel extrema voluntatis meae Ordinatio habeatur ambigua, hanc paginam Sigilli mei impreſſione ſignari iuſſi. Cur Ottoni Wilhelmum praepoſuerit, lautioreque hereditatis parte donarit; inde factum eſt, quod illi iam alibi prouiſum, atque a Rege Angliae Ducatus Aquitaniae Comitatusque Pictauiae collatus eſſet.


§. 141.

De *Inſignibus*, quibus vſus ſit Henricus Dux, Leo cognominatus, magna inter recentiores controuerſia eſt. Letznerus, & alii quidam ſacri ordinis nugiuenduli hiſtorici, neſcio quae Ducum Saxoniae Billinganorum inſignia Henrico eiusque Familiae collata ſomniant, & hic nobis Leonem foliis vel cordibus ornatum, equum, columnam marmoream & falces pauonum plumis ornatas coloribus ſuis depingunt; cum tamen ante torneamenta inuenta & exculta, quod ſub Saeculi XI. finem factum eſt, nemo quicquam de gentilitiis inſignibus ſciuerit. (fffff) Leo a Guelfis primum Saxoniae Ducum armis illatus eſt. Columnam & falces a fictitio Bardone Sichelſteinio repetunt. Nos tamen longe aliunde haec eſſe inferius demonſtrabimus. Nec Equus, quem *Luneburgicum* vocamus, ante Saeculum decimum tertium ſcutum ornat. Vt egregie nugetur Henningeſius, quando dilaceratas miſere poſt proſcriptionem Henrici

noua terrarum diuiſione quid opus fuiſſet? Et hanc tamen factam fuiſſe Anno 1203. certo ſcimus, longeque a formula Corneriana diſcedentem.

fffff) Hoc argumentum nugiuendulos hiſtoricos non ferit, quia Henricus Dux non ante Saeculum XI. ſed Saeculo XII. vixit. Praeterea non ſoli *Sacri ordinis* homines in numero nugiuendulorum ſunt. Adſtipulatorem habent, vt caeteros ex ordine oppoſito taceam, Io. Henricum Hoffmannum; quem virum miror Letzneri placita, quam veteres chartas, quarum inſignem vſum habuit, ſaepe numero ſequi maluiſſe. Ad manus eſt eius opus manuſcriptum de inſignibus gentilitiis Domus Auguſtae vernacula conſcriptum, in in quo fabulam *de equo nigro* in inſignibus Saxonicis ante receptum Chriſtianiſmum conſpicuo, poſtea vero *in album* mutato ſuo ſuffragio plus vice ſimplici probat.

rici Leonis terras atque prouincias Guelficas ſub hac equi figurâ & imâgine repraeſentare voluit.



Equus autem, cui vir inſidet armatus, dextra vexillum, ſiniſtra clypeum tenens, qualem Saxoniae ad Viſurgim & Goettingenſi tribuunt;

SAXONIA AD VISVRGIM & GOTTINGENSIS.



communis omnibus Ducibus in Sigillis a Saeculo duodecimo fuit; quo tamen, vt dixi, in clypeo depingi coepere inſignia Familiae. Egregiam itaque pro more laciniam purpurae Letznerianae aſſuit Rehtmeierus Operis ſui pag. 310. vbi Equum a Lothario auo & matre Gertrude Henricum ab initio habuiſſe pro inſigni; deinde vero accepiſſe *ſectiones caeruleas*, Ducatus nempe Bauarici notas, tradit. Sectiones enim illae *arma* ſunt *loquentia*, vt vulgo vocant, & Familiae *Schirenſi* propria. *Scheren* enim & vetus *ſchiren* eſt *diuidere*, *ſecare*, *incidere*; vnde *ſchere*, forfex. *Scheiren* hinc aut *ſchiren* denotant *inciſiones*, *ſectiones*, quas Schirenſes demum, cum poſt Henricum Leonem Bauariae Ducatum nacti eſſent, Scuto Bauarico intulere. (ggggg)

§. 142.

Noſtros Principes *Leonem* in clypeo geſſiſſe & Henricum Magnanimum, vt & fratrem eius Welfum, eo iam vſos eſſe, ſupra demonſtrauimus. (hhhhh) Hoc tamen Scriptores vulgares neſciuere, & Henricum, Magnanimi filium, ob *Leonis* cognomen, leonem primum in ſcuto habuiſſe hactenus dixerunt. Occaſionem accepti Leonis quidam a *leone* e Terra Sancta adducto deriuant. Sed nemo veterum dixit, Henricum ſecum leonem attuliſſe. Et *Leo fuſilis* in aula Brunſuicenſi Anno 1166. iam ab Henrico erectus, oſtendit, cum iam ante iter in Terram Sanctam Leonem in armis habuiſſe. Idem ſole meridiano clarius ob oculos ponunt *Sigilla*, quae vidimus, in quibus Henricus ſe *Ducem Bauariae & Saxoniae* iam ab Anno 1146. vocat. Eo quidem anno, vt Meibomius

ggggg) Egregia eſt haec Dn. Eccardi obſeruatio, ex qua inſcitiae arguuntur, qui Guelforum noſtrorum imaginibus in Monaſterio Weingartenſi Scuta Bauarica teſſulata adpinxere. Suauio has picturas Leibnitius excepit, cum monumenta hiſtoriae noſtrae vndique conquireret. Quas quia excudendas chalcographo dedit, ne pereant, hactenus quidem etiam operi huic inſerendas curauimus; quod tamen in iis fidem prudentis Lectoris ſuperat, non noſtrae leuitati imputari volumus. Exhibuimus enim eas tamquam tot ſtatuas Mercuriales, quae moneant, ne quis temere & illotis manibus ad haec ſacra accedat.

hhhhh) Huiusmodi demonſtratio non ſuccurrit. Leonem in clypeo Henrici Leonis vidimus; ſed annexum diplomati ſuſpecto. Caeteri clypei, in Sigillis eius conſpicui, nudi ſunt & ſine figuris; ad eum modum picti, quo Tacitus veterum Germanorum ſcuta non figuris animalium, ſed *lectiſſimis coloribus diſtincta* fuiſſe docet cap. 9. Henrici Magnanimi Sigillum nullum vidit Dn. Eccardus aeque, ac ego. Vnde quae figura clypeum eius ornauerit, dicere non potuit; nedum demonſtrare. Welfi vltimi clypeum exhibuimus, qui figuram quidem leoniformem habet, ſed roſtro deformatam. Quare demonſtratio, quae data eſſe dicitur, adhuc deſideratur; neque ex iis, quae addit, perficitur. Nam demonſtratio, quam e Sigillis ducit, claudicat, cum e quatuor vnum ſaltem leonem exhibeat; idque ſuſpectum. Numi tamen, fateor, tam ſolidi, quam bracteati, eius fauent ſententiae, ſi non poſteriorum quorumdam Henricorum ſunt: quod nemo temere iurisiurandi fide ſibi affirmandum ſumſerit.

Digitized by Google

bomius ſupra a nobis citatus aſſeuerat, Henricus ſolum armatus cum vexillo in dextra equo inſidet. Anno 1154. ſub diplomate Richenbergenſi itidem armatus eodem fere modo equitat; ſed in ſcuto *Leonem* erectum clare oſtentat. In diplomate vero Riddageshuſano Anni 1160. equus phaleris & vir armis pauliſper a prioribus diuerſis, ſed ſcutum plane nudum, cernitur. In diplomate Obernkirchenſi Anni 1167. Eques iterum vexillum & arma a prioribus differentia geſtat, & lorum a ſella procedens, & collo equi circumdatum, tintinnabulis ornatum apparet. Scutum radiis ad circellum in medio eius conſpicuum productis diſtinctum eſt. In diplomate Monaſterii S. Aegidii Anni 1175. etiam differentia quaedam a prioribus in armis, vexillo & equi ornamentis cernitur. Scutum pluribus ſaltem radiis ad centrum currentibus a prius adducto diuerſum eſt. Numi vero omnes, quos nouimus eſſe Henrici Ducis, *Leonem* praeferunt, etiam eo iuuene cuſi; vt mox videbimus. Fallitur ergo Schurzfleiſchius, dum putat, Henricum dictum a Leone, quem in inſignibus, poſtquam in exilium actus eſſet, vſurparit, & ex Anglia apportarit. Iam tamen antea Niemio, Woltero, Bothoni, Schiphofero & Crantzio eadem ſententia de Leonis inſigni, ab Henrico ex Anglia apportato, ſedit. Sed prius oſtendere debuiſſent, proſcriptis Principibus inſignia adimi morem illius temporis fuiſſe; quod tamen nullibi inuenient. Henricum ab Angliae Rege Richardo leones geminos accepiſſe ferunt; Sed cum in exilium is poſtremum in Angliam pergeret, Richardum non vidit. Ille enim tunc, cum pater eius Henricus Rex obiret, & ad hunc Henricus Dux confugiſſet, in Gallicis Prouinciis commorabatur, Duxque ad ſua rediit, antequam Richardus in Angliam Rex veniſſet. Vt hinc falſiſſimum ſit, quod de hoc dono Richardi Regis in Comitiis Moguntinis Anno 1235. Ottoni Puero, nouo Brunſuicenſium Duci, ab Imperatore confirmatis vulgus Scriptorum noſtrorum garrit. Cum vero Ducatus Saxoniae & Bauariae Henrico Duci ablatus eſſet, & ille communi Principum conſenſu plenarie reſtitui vellet, prudenter non magno Ducali Sigillo, ſed *Secreto*, vt vocant, ſuo vſus eſt, in quo *Leo* ſtans cum verbis: SIGILLVM HENRICI DVCIS; vt videre eſt ſub litteris Riddageshuſanis Anni 1190. Et haec de Sigillis, quae ſupra ad pag. 31. aeri inciſa iam exhibuimus.

§. 143.


Iam ad *Numos* deuenio Henrici Ducis *Solidos* & *Bracteatos*; ex quibus eadem, quae modo de inſignibus protuli, illuſtrantur & confirmantur. Solidos dico vtrimque cuſos; licet bractearum inſtar tenues

plerumque ſint. Rehtmeierus bracteatos διπλεύρους vocat. Plurimos ex his Ampliſſimus Dn. Schmidius Sereniſſimi Ducis Ludouici Rudolfi Conſiliarius Aulicus communicauit nobis: eosdem & Clariſſimo Rehtmeiero conceſſit, qui, vt omnes numos, ita & hos, corrupte admodum legit, & vitioſe in aere exhibuit. Nos diligentia, qua potuimus, priſtinam illis formam, decusque genuinum accuratiſſime dedimus; vſi etiam exemplaribus aliunde ad nos delatis, nec a Dn. Rehtmeiero viſis. In omnibus apparet *Leo*, & in auerſa aut porta turrita, aut Fortalitium muris cinctum cernuntur, Brunſuici vrbis, Henrici Magnanimi & Henrici Leonis cura munitae, indices. Templum, quod in quibusdam alii ſibi viſi ſunt vidiſſe, nullibi inuenio. Solidus numero I. exhibitus circa Leonem verba habet: HEINRICVS PVER; & circa portam turritam in auerſa legitur: BRVNESWICENZI. Hunc Rethmeierus filio Henrici Leonis, Henrico Palatino, tribuit, quia hunc Stederburgenſis alicubi *adoleſcentem de Brunſuic* vocet. Sed poſt obitum patris *Pueri* nomen Palatino tribui non potuiſſe, ipſe ni caecutire malit, videre debet. Vnde coniicit, patre viuente cuſum, cum is patrem in aedificanda Eccleſia S. Blaſii iuuiſſet. Verum enim vero coniecturae hae ſunt omni veriſimilitudine carentes, & reuera otioſae, futiles, immo, ne quid grauius dicam, inanes. Neque enim exemplum ea aetate occurret vnquam, quo filios, viuente patre, numos ſuo nomine inſignitos cudi feciſſe oſtendi poterit. Nec opus eſt ad coniecturas confugere, vbi demonſtrationes ſuppetunt. Profiteor itaque hunc numum non eſſe Henrici Palatini, ſed ipſius Henrici Leonis Ducis, & quidem fabricatum ſtatim poſt obitum Henrici Magnanimi, cum Henricus adhuc ſub tutela matris Gertrudis eſſet. Tunc enim eum Helmoldus expreſſe *puerum adhuc infantulum* vocat. Et Anno 1143. vt ſupra vidimus, diplomati Adalberonis, Hamburgenſis Epiſcopi, teſtis ſubnotatus eſt *Henricus Puer Dux Saxonum.* Pueri nempe vox olim *Principem iuuenem, nec dum armis militaribus ſuccinctum*, deſignauit; quemadmodum & vetuſtiſſimis temporibus Caeſares aut Imperatorum ſucceſſores deſignati, ſi iuuenes adhuc eſſent, *Pueri nobiliſſimi* nominabantur. Et nomen hoc ſaepius in Faſtis Conſularibus & Subſcriptionibus Conſtitutionum Imperialium per litteras N. P. exprimitur, vt Cuiacius ad Legem IV. Cod. de Priuileg. eor. qui in ſacro Palatio militarunt Lib. XII. iamdudum obſeruauit. In S. Hilarii Fragmentis extat Epiſtola Valentis & Vrſacii data *Gratiano nobiliſſimo P. & Dagalaiſo Coſſ.* Et circa Henrici Leonis tempora Guilielmus Brito Lib. XII. p. 255. filium Regis Angliae *Puerum Anglicum* vocat. Philippus, filius Ludouici Craſſi Regis Galliae natu


minor,

Digitized by Google

HEINRICI LEONIS DVCIS BAVARIÆ ET SAXONIÆ
Numi solidi.



Bracteati.



Digitized by Google

Digitized by Google

minor, ſe ipſum in Charta apud Hemeraeum Lib. I. de Acad. Pariſ. cap. 3. *Puerum* ſcribit. Henrici Leonis nepos Otto, cum iuuenis admodum ad Principatum veniſſet, & adhuc ſub tutela patruorum eſſet, ſimiliter *Puer* dictus eſt; quod nomen ei adhuc in recentiorum ſcriptis adhaeret. Vulgo pro *Pueri* voce, vbi de Principe iuuene ſermo erat, etiam illa *Infantis* vſurpabatur, quae nobis eſt *Kind.* Vnde Otto modo dictus vulgo adhuc *Otto das Kind* appellatur. Iacobus Guiſius de iuuene Alexio loquens Gallice eum *Enfant* nominat. Eodem ſenſu Monſtreletius Vol. II. dicit *Enfant de Waruick.* Berrius in Hiſt. Caroli VII. *Enfant de Cleue:* Chronicon Flandr. cap. 21. de filio Regis Siciliae agens *Enfant de Pouille.* Hinc adhuc in Hiſpania liberi Regum Hiſpaniae *Infantes;* & nobiles iuuenes, *qui licet non ſint milites, ius tamen habent accipiendi militiam,* dicuntur *Infançones,* quos nos ſimili modo olim *Knapen,* ſiue *pueros* vocabamus. Sed redimus ad numum noſtrum. In eius auerſa circa portam turritam, vt iam diximus, cernitur: *BRVNESWICENSIS.* Poteſt hoc ad nomen Principis, vel ad numum ipſum referri. Vti enim in Reuerendiſſimi Dn. Abbatis Luccenſis numophylacio numus eſt bracteatus Henrici Leonis aetate cuſus, cui clare circumſcriptum eſt: MINDENSIS SVM; & alius non infrequens bracteatus Friderici Imperatoris: MVLHVSENSIS DENARIVS praefert; ita & hic inſcriptio auerſae illius interpretanda eſt: BRVNSVICENSIS *ſum* vel *eſt* vel *Denarius.* Licet enim Henricus Leo, vt Dux Saxoniae, iam olim *Dux Brunſuicenſis* a quibusdam dicatur, a ſede ſua Principali; numus tamen numero XI. exhibitus, qui vtrimque Crucem habet, & in vna parte HEINRICI *Ducis* nomen, in altera vero . . . . NOGENSI, (quod *Lu*N*eb*O*r*GENSI*s* neceſſario exponendum eſt,) nobis perſuadet, & BRVNSWICENSEM ibi & hic LVNEBVRGENSEM DENARIVM indicari. Neque enim Henricus Leo vllibi *Dux Luneburgenſis* dictus eſt. Communicauit nobiſcum hunc numulum, vt & illum, qui num. XII. ſequitur, Bardeuici effoſos, curioſus harum rerum Vir, Tobingius Salinarum Luneburgenſium Iudex. In hoc poſteriori *Leo* eſt ſub porta turrita & in auerſa *Crux* cum litteris: GOSVOSTATHERE; quarum interpretationem Lectori relinquo. Monetarii tamen nomen in iis latere puto. Numos vero, in quibus ſolum nomen HENRICVS vel HEINRICVS ſine addito *Dux* extat, quales ſunt num. II. III. & XVII. propoſiti, ego cuſos puto ſtatim poſt obitum Henrici Magnanimi, cum filius eius, Henricus puer, nondum Ducatum Saxoniae recepiſſet. Reliqui vero numi poſt Annum 1141. quo Ducatum Saxoniae, aut poſt Annum 1155. quo Ducatum Bauariae recepit, fabri-

cati fuerint. Denarius n. XIII. quando & qua occaſione cuſus eſſe debeat, ſupra iam prodidiſſe meminimus, eumque aliis num. XIV. XV. & XVI. & Bracteatis num. XXIX. XXX. XXXI. extantibus illuſtrauimus. Hoc adhuc notandum, in quibusdam & Solidis & Bracteatis num. V. XIX. XX. XXI. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. in circumſcriptione vltimo loco iuxta cruciculam A. & num. IX. & X. ibidem HA. cerni, quibus monetariorum nomina itidem indicari exiſtimo. Bracteati numi, cum Solidi adeo tenues fierent, vt plerumque auerſa eorum pars obſcura maneret, Saeculo duodecimo ſenſim introducti ſunt, ex quibus ille Conradi Ducis Sueuiae, cuius ſupra mentionem fecimus, hactenus pro omnium antiquiſſimo habitus eſt, iurene an iniuria alii definiant. Manſit tamen ſimul Solidorum vſus. In hiſce bracteatis litterae quandoque miſere traiectae & adeo confuſae ſunt artificum negligentia, vt Oedipo fere indigeant. Clarus eſt, quem Num. XVIII. ex Dn. Rehtmeiero producimus, forte & omnium bracteatorum primus. *Leo* in eo, vt in omnibus aliis, conſpicuus eſt, & circumſcribitur ſolum: HEINRICVS; quod indicio eſt, cuſum eſſe, antequam Ducatum Saxoniae Henricus Anno 1141. recepiſſet, & virilem aetatem attigiſſet. Poſtea enim in caeteris Bracteatis & agnomine *Leonis* & elogio *Ducis* vſus eſt. Oſtendi ſupra, primo *pullum Leonis*, qui *Welf* dicebatur, Ducis noſtri Maioribus, Ducibus Bauariae, pro inſigni placuiſſe, vt ad *Welforum*, a quibus orti erant, nomen eo alluderent. Henricus noſter eodem praecipue delectatus eſt, maxime ab eo tempore, quo Ducatum Bauariae recepit, quod Anno 1155. factum eſt. Tunc, ait Helmoldus Lib. I. c. 84. *creatum eſt ei nomen nouum: Henricus* LEO, *Dux Bauariae & Saxoniae.* Maxime vero Anno 1166. Leonini cognominis amorem publice oſtendit, cum Leonem fuſilem & deauratum Brunſuici erigi curaret. Et ab hac tempeſtate omnes, quos producimus, Bracteatos cuſos eſſe ſuſpicor, in quibus nomen *Leonis* modo ordine ſuo, modo inuerſis litteris, modo duplicatum, imo triplicatum apparet, vt exemplaria num. XIX. XX. XXI. XXII. XXIV. XXV. XXVI. & XXVII. exhibita oſtendunt. Poſt Annum 1141. igitur cuſus eſt, & agmen reliquorum ducit inſignis bracteatus num. XIX. quem Meibomius primum in Notis ad Bullam Andronici pag. 211. edidit. In eo Leoni circumſcriptum eſt: DVX HEINRICVS LEO. Inter pedes Leonis cernuntur folia tria eiusdem generis, cum illis, quae in Henrici Ducis noſtri monumento ſepulchrali Brunſuici ſub pedibus eius & vxoris Mechtildis extant; & miror Meibomium in eodem hoc exemplari, quod eius liberalitate ad Dn. Abbatem Luccenſem deuenit, ea non obſeruaſſe. Bra-

Digitized by Google

ctеatus num. XXIV. omnium corruptiſſimus eſt, in eo tamen litteris mire traiectis legere mihi videor: H. DX. *DVX HINRICVS SSA*; ſiue: DVX HINRICVS SAXONIAE. Poſt corrupte expreſſum H. DX. ſiue *Henricus Dux* cernitur *MOSI*. Tentzelius Colloquiorum Menſtruorum Anno 1691. menſi Auguſto inſeruit Bracteatum, circa quem ſimiliter legitur BERNHARDVS DVX SAXONIE MOSI. Vnde coniicio, hoc nomen eſſe monetarii. Num. XXIV. ab initio D vetus inuerſum eſt, & legendum: D. HĒRICVS LEO. DVX HEINRICVS LEO; & nomina duplicata ſunt, vt ſpacium circuitus numi impleretur. Sed de numis Henrici Leonis Ducis ſatis. Quibus ſi quis, certiora argumenta nactus, vnum aut alterum eorum addere voluerit, quos infra Henrico Palatino, iconiorum ſimilitudine inducti, tribuimus, non equidem magnopere refragamur.

CAPVT II.

De *Clementia* Zaeringenſi, & *Mathilde* Anglica, vxoribus Henrici Leonis, eiusque amica *Ida* Comitiſſa, harumque omnium liberis.

§. 1. Henricus Leo duas vxores habuit *Clementiam* Zaeringenſem & *Mathildem* Anglicam.

§. 2. Clementia peperit ei *filiam*, Canuto, tunc Regis Daniae filio, deſponſatam, ſed in tenera aetate defunctam.

§. 3. Altera eius filia erat *Gertrudis*, primum *Friderico* Duci Sueuiae, poſtea eidem *Canuto*, iam Regi Daniae, nupta.

§. 4. An Henricus Dux praeter has filias ex Clementia filium quoque ſuſceperit *Ottonem* flebili caſu in pueritia extinctum?

§. 5. Poſt repudiatam Clementiam *Mathildis* Anglica in thorum Henrici Ducis aſcita.

§. 6. Haec eum patrem fecit filiae *Richenzae* coniugis Waldemari II. Daniae Regis.

§. 7. Et *Mathildis*, quae primum *Gaufrido Comiti Pertici*, poſtea *Engelranno de Couciaco* nupſit.

§. 8. An etiam *Alienorae?*

§. 9. Praeter has *filias legitimas* (de filiis enim ſequentibus capitibus agetur) Henricus Leo etiam *filiam naturalem* habuit *Mathildim*, Principi Obotritorum *Borwino* in matrimonium elocatam.

§. 1.

HENRICVM Leonem, Ducem Bauariae & Saxoniae, duas habuiſſe vxores, CLEMENTIAM *Zaeringenſem*, & hac repudiata MATHILDEM *Anglicam*, capite praecedenti oſtendimus. Ex vtraque liberos ſuſcepit.

§. 2.

CLEMENTIAM Anno, vt vidimus, 1147. duxit, & Anno 1162. dimiſit. Ex ea habuit FILIAM, quae in cunis deſponſata fuit CANV-

CANVTO, filio Waldemari Daniae Regis. Memoriam eius conſeruauit nobis Saxo Grammaticus Lib. XIV. *Waldemarus Rex* inquiens, *Orientalium Slauorum, ſibi virium virtute rebellantium, defectionem expertus, cum Henrico Saxoniae Satrapa belli ſocietate condita, quo firmius amicitiae necterentur, Filiam eius ex coniuge poſtmodum repudiata ſuſceptam, adhuc incunabulis vtentem, filio Kanuto, primum aetatis annum agenti, ſponſam aſciuit.* Ex Helmoldi Lib. I. Cap. 84. ſcimus, Waldemarum Regem accepiſſe in coniugem *Sophiam* Ruſſicam, *Canuti Regis ſororem vterinam,* & quidem eo tempore, quo Henricus Leo Dux Ducatum Bauaricum recipiebat, quod Anno 1156. factum eſt. Sponſalia ergo Canuti, Waldemaro & Sophia nati, cum filia Henrici Ducis ante Annum 1157. celebrata non ſunt. Sponſa infans adhuc erat; & cum nemo de ea aliquid memoriae prodiderit, credibile eſt, eam non diu ſuperuixiſſe. Nomen eius nemo annotauit. Cum tamen Pontanus in Tabula Genealogica Lib. VI. Hiſt. Dan. & ante eum Henningeſius, aliique recentiores, vxorem Canuti, Henrici Leonis etiam filiam, poſtea ductam, REGISSAM vel RICHENZAM vocent; non improbabile eſt, eos poſteriorem filiam Ducis cum priore, Canuto infanti deſponſata, confudiſſe, & huic nomen indidiſſe, quod prioris natu fuerat. Et inditum hoc illi fuit ſine dubio a Richenza Imperatrice proauia eius.

§. 3.

Altera filia Henrici Ducis ex *Clementia* fuit GERTRVDIS, quae vxor facta eſt FRIDERICI *Ducis Sueuiae*, vulgo *de Rotenburg* dicti, & Conrado Rege nati. Helmoldus Lib. II. cap. 10. eius hanc mentionem facit. *Separatus fuit* [Henricus Dux] *a priore coniuge Domina Clementia propter cognationis titulum. Habuit autem ex ea filiam, quam filio Conradi Regis* [Friderico] *dedit in matrimonium, qui etiam modico ſuperuixit tempore, praeuentus immatura morte in expeditione Italica.* Chronicon Montis Sereni matrimonium cum filia Ducis noſtri in Annum 1167. refert; ſed oportet illud Anno 1166. initum eſſe. Fridericus enim iam initio Anni 1167. apud Fridericum Imperatorem in Italia egit. Expeditio illa Italica atque ita & mors Friderici Ducis Sueuiae Anno 1167. contigit. Helmoldus l. c. paulo ante verba modo allata: *Tanta,* inquit, *peſtilentia ſubito Romam inuaſit, vt infra paucos dies vniuerſi pene interirent. Menſe enim Auguſto peſtiferae nebulae in partibus illis conſurgere dicuntur. Mortui ſunt ea peſtilentia Reinoldus Colonienſis, Hermannus Verdenſis, qui erant duces conſilii. Praeterea nobiliſſimus adoleſcens, filius Conradi Regis, qui duxerat vnicam filiam Henrici*

Digitized by Google

rici Ducis noſtri, inſuper multi Epiſcopi, Principes & nobiles ipſo tempore interierunt. Corporis animique Friderici Ducis formam hiſce deſcripſit Morena ex MSto Electoris Moguntini a me emendatus: *Dux Fridericus, Regis quondam Conradi filius, homo pulcher, multum fortis, ſapiens & ingenioſus.* Et Continuator eius diſtinctius de eo: *Fredericus,* inquit, *Dux de Rotoburgo, qui Regis Conradi, patrui Imperatoris Frederici, fuit filius, erat magnus pro aetate, fortis, iuſtitiae cupidus, bene compoſitus, groſſus & ſpiſſus, albus, pulcher atque formoſus, hilaris, iucundus, capillis quaſi albis & nigris.* Corpus defuncti Sueuiae Ducis ex Italia in Germaniam delatum, & *Ebraci* ſepultum eſt. Eſt id opulentiſſimum Ciſtertienſium Monachorum Coenobium, Herbipolenſis dioeceſeos, quatuor milliaribus Suinfurto diſtans. Caſpar Bruſchius de Monaſteriis Germ. pag. 144. ex monumentis Monaſterii huius haec profert: *Hic iacet Regina Gertrudis, vxor quondam Conradi Regis Romanorum, huius Coenobii fundatoris, translata in hanc tumbam a venerabili Abbate Nicolao Anno* 1169. *quinto Calend. Maii. Cubant in eodem hoc Monaſterio, Fridericus Sueuorum Dux, filius Conradi III. Regis, Rotenburgius cognominatus, cuius tumulo addita eſt haec ſequens metrica epigraphe:*

Hic Dux Sueuorum Friderich, fotor Monachorum,
Et Romanorum Regis natus, iacet, horum
Author fundorum; Deus huic da regna bonorum.
14. *Kal. Septembrium Romae obiit.*

Cur Clariſſimus Pfeffingerus putauerit, eum non *Sueuiae;* ſed potius *Franconiae Ducem* fuiſſe, equidem non video. Gertrudis, Friderici huius vidua, poſt mortem mariti ad patrem Henricum Ducem in Saxoniam rediit. Cum pater eius Anno 1168. Mindae ſibi altero matrimonio iungeret Mathildem Anglicam, & Eccleſiae Mindenſi tunc curiam Lothe donaret, in diplomate, Capite antecedenti adducto, dicit, ſe hoc feciſſe *conſenſu haeredis ſui, GERTRVDIS videlicet filiae ſuae.* Anno 1170. Henricus Dux concambium iniit, ſupra etiam relatum, cum Wicelino Abbate S. Blaſii Northemenſis, & in fine diplomatis additum eſt, *acta haec eſſe ex pio aſſenſu Domnae GERTRVDIS filiae Ducis.* Iam vero, vt ex Helmoldi Lib. II. c. 14. patet, Anno 1169. Gertrudis in Natiuitate S. Iohannis Baptiſtae, dum colloquium ad Egidoram inter Waldemarum Regem & Henricum Ducem haberetur, deſponſata erat filio Regis Waldemari CANVTO. Helmoldus de colloquio hoc agens addit: *Et rogauit Rex Danorum Ducem, vt filiam ſuam, viduam Fretherici nobiliſſimi Principis de Radenburg, daret filio ſuo, qui iam deſignatus erat Rex,*

in vxorem. Saxo Grammaticus Lib. XIV. de matrimonio hoc conuenit; ſed in circumſtantiis, ſuae gentis amore, errat, dum non Regem, ſed Ducem illud expetiiſſe refert. Verba eius ſunt: *Henricus, vt repudiatam Regis amicitiam recuperaret, ſine qua Slauos arcere non poſſet, Henricum Razeburgenſem Epiſcopum & Antiſtitem Lubecenſem legatione onerat, filiam ſuam minorem* [ex Clementia] *filio eius in matrimonium offerens; nam maior natu, quae prius ei deſponſata fuerat, morbo occiderat.* Contrarium certe huius relationis clare ex Helmoldo elucet. Deceſſit deinde Gertrudis Daniae Regina Anno 1196. Ad hunc enim annum Ericus Rex in Chronico Regum Danorum ſcribit: *Obiit Gertbrud Regina.* Pontanus igitur Rer. Dan. Lib. VI. p. 290. errat, dum Gertrudem anno demum 1197. deceſſiſſe dicit. De ſepulchro tamen eius quae affert, notabilia ſunt: *Expeditione*, ait, *Liuonica peracta, ſub annum, qui eſt ſecutus* 1197. *Regina Gertruda, Canuti Regis coniux, filia Henrici Leonis, Webae apud Cimbros fatis conceſſit, ſepultaque eſt ibidem in aede cathedrali, ac noſtro tempore repertum memoratur eiusdem mauſoleum, quod erat tumbae impoſitum, e ſilice vulgari ac rubeo, leuique brachio ſuperne exciſum. Ipſa ante obitum ſuum extra vrbis pomoeria exaedificari ſacellum fecerat, quod in ipſius memoriam Diuae Gertbrudae Capellam, prout fuerat ſingulari pietate ac ſanctimonia praedita, tum vulgo vocitatum, bodieque adhuc nominant.* Bothonis Chronicon Picturatum, Henningeſius, Meibomius & alii recentiores *Gertrudem* erronee *Rixam* vel *Richenzam* vocarunt.

§. 4.

Letznerus & Henningeſius, Meibomiusque eum ſecuti, Henrico Duci ex Clementia tribuunt etiam filium OTTONEM, qui, nutricis negligentia, fractis caſu ceruicibus, infans exſpirauerit. Veteres de eo nihil habent. Interim certum eſt, aperto Henrici Ducis ſepulchro in S. Blaſii Eccleſia Brunſuicenſi, inuentos in eo eſſe duos ſarcophagos lapideos, conſeruantes corpora Henrici & Mathildis eius coniugis. Iuxta hos adhuc paruulus ſtetit ſarcophagus etiam lapideus, pueruli corpus continens, quod etiam Rehtmeierus in Additionibus ad Letznerum pag. 406. teſtatur. Et hoc poterit conditus eſſe OTTO puerulus, de quo agimus.

§. 5.

Quos liberos Henrico Duci pepererit MATHILDIS *Anglica* poſt repudiatam, vt diximus, CLEMENTIAM ducta, ex Arnoldi Lib. III. cap. 2. intelligimus. Ibi enim de Henrici Ducis itinere

in

in Terram Sanctam agens, dicit: *Manebat autem* [Mathildis] *in Brunſchwich omni tempore, quo Dux peregrinatus eſt, quia tunc praegnans erat, ediditque filiam nomine RIKEZEN: filios etiam ex eo poſt reditum ſuſcepit HENRICVM, LVDERVM, OTTONEM, WILHELMVM, quos ſicut de S. Tobia legitur, ab infantia Deum timere docuit.*

§. 6.

RICHENZA quo deuenerit, veteres non indicant; recentiores, a Bothone ſeducti, eam cum Canuti Regis, Waldemaro I. Rege nati, vxore Gertrude confundunt. Meibomius eiusdem eſt ſententiae in Relectione Apologiae pro Ottone IV. p. 265. eamque Anno 1221. deceſſiſſe putat, quia in Erici Regis Chronico legerat: *Anno Domini MCCXXI. obiit Berengaria mater Regum Erici, Abel & Chriſtophori. Obiit Rikeze Regina.* Sed haec Richeza non eſt noſtra; ſed filia Waldemari I. Regis Daniae, vxorque fuit Erici Canuto Rege Sueciae nati. Hoc clare ex veteribus monumentis prodit Ericus Vpſalienſis Lib. III. p. 56. quanquam ibi in anno vitium lateat: *Anno*, inquiens, *Domini MCCX. obiit Rechiſſa Regina Sueciae & ſequenti anno Berengaria Regina Daniae.* Et paulo poſt: *Hic denique Ericus Rex, filius Canuti, habuit Rechiſſam, filiam Regis Waldemari, & genuit ex ea filium Ericum ſcilicet Laeſpe, & Ingeburgem vxorem Ducis Birgeri.* Fama interim de *Richenza* noſtra, Daniae Regina, non plane falſa eſſe videtur. Pontanus enim l. c. p. 295. nobis ex vetuſtioribus, vt ſuſpicor, monumentis refert, Waldemarum II. Regem, Canuti Regis fratrem & ſucceſſorem, filiumque Waldemari I. in matrimonio habuiſſe ſororem Henrici Palatini, Ottonis IV. Imperatoris & Wilhelmi Luneburgici, annumque nuptiarum eius, & emortualem nobis indicat. Verba eius ſunt: *Hinc proxima aeſtate, Anno ſcilicet MCCII. Dux Waldemarus, qui iam nomine Regis Canuti Holſatiam, Stormariam, Lubecam, Hamburgum, totamque Nordalbingiam Regno fraterno adiecerat, de nuptiis coepit circumſpicere, vt ſibi hoc pacto amicos atque affines aſſociaret. Quocirca recepit in Coniugem INGEBVRGAM Ducis Brunſuicenſium Ottonis ſororem germanam. Erat is Otto Henrici Leonis, de quo memorauimus, filius, qui & mox, defuncto Philippo, ad Imperatoriam dignitatem euectus fuit. Nuptiarum ſolennia Hamburgi regium in morem celebrata, praeſentibus, praeter Canutum, perplurimis Germaniae Principibus. Aderat & Dux Luneburgenſis Guilielmus, Ottonis frater, qui eodem tempore Canuti & Waldemari viciſſim ſororem Adelheidam,* (Abbas Lubecenſis, quem Crantzius ſequitur, *Helenam* appellat,) *ſibi matrimonio coniunxit. Aderat & vtriusque Ottonis*

inquam & Guilielmi frater, Heinricus Rheni Palatinus. Dein pag. 297. idem Potanus adiungit: *Sub exitum Anni MCCIV. obiit Regina Ingeburga, poſtquam biennium circiter Regi nupta fuiſſet. Liberos ex ea nullos Waldemarus ſuſtulerat: qua occaſione affinitas, quae erat inſtituta cum Ottone, caeteriſque Henrici Leonis poſteris, paulatim elanguit.* Albertus quidem Stadenſis ad Annum 1202. dicit: *Rex Otto Duci Danorum* [Waldemaro] *filiam fratris ſui Heinrici in Hamburg deſponſauit, & ſororem Ducis, Helenam, fratri ſuo Wilhelmo.* Sed filia Henrici Palatini tunc vix quinque annorum eſſe poterat, & non conuenit, eam duci potuiſſe a Waldemaro, viro iam iuſtae aetatis. Vnde memoria lapſum credo Stadenſem, & non neptem Ottonis Regis ex fratre Henrico, ſed vtrorumque ſororem tunc Waldemaro deſponſatam cum Pontano puto. Si in Alberti Stadenſis contextu pro voce *fratris* illam *patris* ſubſtituas, omnia ſe bene habent. (a) Vnicum eſt, quod pauliſper turbat. INGEBVRGAM enim vocat Pontanus, quae Arnoldo RICHEZA audit. Sed forte Dani illi hoc nomen, apud ipſos conſuetius, indidere. Et habemus alia adhuc exempla, quae probant feminas illuſtres ad alias nationes per coniugia translatas aliud nomen recepiſſe: vti vel ex iis patet, quae Stemmatis Deſideriani §. 2. protulimus. Credimus igitur *Richenzam*, Henrici Leonis filiam, coniugem fuiſſe Waldemari II. Daniae Regis,

a) Sed hoc ſenſus communis non patitur, vt eam, quae ex patre & matre mea ſoror eſt, *patris mei filiam* adpellitem. Cui bono enim inter omnes gentes diuerſa & ſeparata, patrem, matrem, fratrem, ſororem, filium, filiamque ſignificantia vocabula inuenta & in vſum traducta eſſent, ſi huiusmodi circumlocutionibus etiam poſt ea inuenta opus vel vſus eſſet? Neutiquam ſane dubito, quin pro homine inepto habendus eſſet, qui ſororem ſuam nominaturus, *patris ſui filiam* nominaret, niſi compriuigna ſit. Ineptus autem Albertus Stadenſis minime fuit, ſed Scriptor optimus, in quo boni Hiſtorici nihil, nedum ſenſus communis quidquam temere deſideres. Cum itaque Albertus hanc virginem, de qua agimus, non ſolum *fratris filiam* vocet, ſed etiam nomen fratris, *Henrici* ſcilicet, addat; certo certius eſt, de filia Henrici Palatini, fratris Ottonis Regis, eum ſenſiſſe, ſcripſiſſe atque intelligendum eſſe. Neque id tam inconcinnum atque a Saeculi vſu abhorrens fuit, vt Waldemaro Duci, iuueni annorum viginti, deſponſaretur virgo ſeptem annorum, quae poſt ſeptem alios annos nubilis fieret. Et talis Henrici Palatini maxima natu filia tum fuit, nata poſt fratrem Anno 1195. Mariam eam vocat cum Meibomio Tolnerus Hiſtor. Palatin. p. 362. ſed poſt biennium defunctam. Equidem ſi Pontanus aetate par Alberto Stadenſi foret, manibus pedibusque eius in ſententiam irem. Nunc cum nuperus Scriptor ſit, & nullo in his antiquo teſte nitatur, ſuae ſorti relinquendus, contraque Albertus Stadenſis dux viae eligendus eſt, tacente praeſertim Arnoldo Lubecenſi, qui Lib. VI. c. 15. ſolas Wilhelmi cum Helena nuptias commemorat; de alteris autem ſilet, fortaſſis quia in rem non abierunt. Quodſi quemquam auctoritas Tolneri parum moueat, ſponſam Waldemari II. Mariam vocantis; huic liberum eſto per me, praeeunte Alberto Stadenſi, ſtatuere, Anno 1202. Hamburgi Ottonem IV. Imperatorem fratri ſuo Wilhelmo nuptias quaeſiuiſſe Helenae, Canuti VI. Regis Daniae filiae, & viciſſim Regis fratri, Waldemaro II. deſponſaſſe fratris ſui Henrici Ducis Saxoniae & Comitis Palatini ad Rhenum filiam natu maximam; biennio poſt defunctam: cuius *verum* nomen ad nos non peruenit.

Digitized by Google

Regis, donec contrarium probetur. Ericus Rex in Chronico eius non meminit, quia nullam prolem reliquit, & coniugium ipſius cum Waldemaro II. breue fuit.

§. 7.

Arnoldus Lubecenſis in recenſione liberorum Henrici & Mathildis oblitus eſt filiae MATHILDIS; quod illa in prima iuuentute in Angliam delata, ibi apud auum maternum, Henricum II. Angliae Regem, viueret, & ab eo ideo non cognoſceretur. Certum nihilominus eſt, eam Anno 1189. ab auunculo Richardo Angliae Rege datam eſſe in vxorem GAVFRIDO *Comiti Perticenſi.* Rogerius Houedenus: *Eodem fere*, inquit, *tempore* [Anno 1189.] *quo praedictus Rex Angliae* [Henricus II.] *obiit*, *Mathildis Ducìſſa Saxoniae filia eius ſimiliter obiit. Deinde* . . . . *Comes* [Pictauienſis] *Richardus* [filius primogenitus Regis & Succeſſor] *dedit Gaufrido, filio Rotrodi Comitis de Pertico, Mathildem, filiam Ducis Saxoniae, neptem ſuam, in vxorem.* Mathildem quidem hanc non nominat: eius tamen matrimonium cum Gaufrido confirmat Albericus in Chronico ad An. 1217. *Thomam Comitem Pertici, filium Comitis Gaufridi, natum de ſorore Imperatoris Ottonis* nominans. (b) Anno 1191. in Conuentione inter Philippum Regem Franciae & Richardum Regem Angliae, Meſſanae inita, (Probat. N. CVIII.) inter alios pro Rege Franciae fidem ſuam interpoſuit (c) *Comes Partici vel haeres eius cum toto feode ſuo.* Vid. Rymeri Acta Anglic. T. I. p. 79. Houedenus p. 781. prodit, Anno 1188. *Ducem de Luuain, & Comitem de Brene, & Balduwinum Comitem Flandriae, & Comitem de Gynes, & Comitem Boloniae, & Gaufridum Comitem de Pertico, & Comitem de Blais, & Arturum Comitem Britanniae, & multos alios, relicto Rege Franciae, adhaeſiſſe Richardo Regi Angliae, iurantes ei, & ipſe illis, quod nullam pacem cum Rege Franciae facerent, niſi de communi eorum conſilio.* Eodem Anno Otto Dux Aquitaniae, qui poſtea Imperator ſui nominis Quartus fuit, Olcronis inſulae incolis priuilegia conceſſit, teſtibus *Domino Gaufrido*

b) Ipſa Mathildis huius filii ſui mentionem facit in Charta mox excitanda ex Anno 1203. his verbis: *Ego vero & Thomas filius meus hoc teſtamur.*

c) Eodem Anno Rex Richardus in inſula *Cypro deſponſauit Reginam ſuam*, Berengariam, *filiam Regis Nauarrae, quam Regina Alienora adduxerat ad filium ſuum, in Sicilia commorantem;* vti ſcribit Radulfus Coggeshale in Chronico Anglicano deſinente in Anno 1200. apud Marten. Collect. ampliſſ. T. V. p. 817. Ibi apud Liumazon cum Richardus Coniugi dotalitium conſtitueret, tabulas, quas Marten. eiusdem operis Tom, I. p. 995. habet, inter caeteros ſubſcripſit *Gaufridus de Pertico.* (Probat. N. CIX.)

Gauſrido Comite Perticenſi & aliis, apud Rymerum l. c. p. 105. Diploma exhibebitur infra ſub Ottone IV. Imperatore. Anno 1193. Pariſiis conuentio facta eſt, in qua Comiti Pertici quoque proſpectum (Probat. N. CX.) Mors Richardi Regis Angliae Anno 1199. Gaufridum turbabat. Vnde in ſpeciem quidem Philippo Franciae Regi conciliatus eſt cum confoederatis; taedio tamen ei inſeruiendi captus, crucem aſſumere conſtituit, vltra mare profecturus. Albericus ad An. 1199. [Magiſter Fulco crucem praedicans] *habebat etiam diſcipulos Praedicatores, & tam per eum, quam per diſcipulos eius cruce ſignati ſunt Principes, qui dudum, Rege Richardo viuente, a Rege Philippo defecerant: Balduinus ſcilicet Comes Flandrenſis, Ludouicus Comes Bleſenſis, Gaufridus de Pertico & Hugo de S. Paulo Comites, & quidam alii: & ab iſtis Hiſtoria Conſtantinopolitana coepit.* Anno tamen 1200. in pace apud Guleton facta inter Iohannem Angliae & Philippum Franciae Reges pro hoc inter caeteros ſecuritatem dedit *Gaufridus Comes Pertici*, vt apud Rymerum l. c. pag. 119. cerni poteſt. (Probat. N. CXI.) Et eodem anno, Godefrido Villeharduino teſte, ad expeditionem Conſtantinopolitanam ſe accinxit *Gaufridus*, atque in Quadrageſima crucem aſſumſit. Sequentis tamen anni initio, antequam abire poſſet, deceſſit. Villeharduinus p. 18. eum hoc elogio mactat: *Enſi ſina li Cuens, & morut: dont gran domages fu. Et bien fu droiz; Car mult ére halt ber & honorez & bons Cheualiers: mult fu grant dielx par tote ſa terre.* i. e. *Sic deceſſit magno omnium dolore Comes, nec ſine cauſa, potens enim princeps & diues terrarum milesque bonus erat. Planxit eum valde vniuerſa eius terra.* Andreas Quercetanus Hiſt. Geneal. Famil. Couciacae Probation. Lib. VI. p. 356. Chartam adducit, qua Anno 1202. menſe Iulio *Matildis Comitiſſa Pertici* notum facit, quod domicella ſua Oſana a Geruaſio de Mauchenai terram du Meslier emerit. *Actum apud Mannuas.* (Probat. N. CXII.) Paulo poſt Mathildis ad ſecunda vota ſeceſſit, & nupſit ENGELRANNO DE COVCIACO, qui antea Beatricem de Rouciaco vxorem habuerat, eique *Comitatus Perticenſis* honorem attulit. Apud Quercetanum loco citato extat huius Charta Anni 1205, in qua ſe *Engelrannum de Couciaco Comitem Perticenſem* vocat, (d) (Probat. N. CXIII.) & Eccleſiae Thenolienſi terram arabilem, quam in ſarto de Chans habuerat, donat *aſſenſu vxoris*

d) Quo iure id fecerit, neſcio. Comitatum certe Perticenſem poſſidere non potuit, quia Mathildis, vt vidimus, ex Gaufrido filium habuit *Thomam*, Perticenſem Comitem. Neque is tempore ſecundarum matris nuptiarum obierat. Anno enim 1214. adhuc vixit, & inſtrumentum de talliis ſuorum militum dedit, quod infra exhibemus. (Probat. N. CXIV.)

Digitized by Google

vxoris ſuae Comitiſſae de Pertico. Idem *Ingelrannus de Couciaco Dominus de Fara* Anno 1207. teſte Charta apud Quercetanum p. 359. (Probat. N. CXV.) *aſſenſu vxoris ſuae Matildis* pacem hominibus de Fara indulget. Sed Mathildis Anno 1208. aut 1209. deceſſiſſe debuit. (e) Chronicon enim vetus Laudunenſe a Quercetano l. c. adductum, refert, Fernando filio Regis Portugalenſis Anno 1210. in vxorem datam Ioannam, heredem Flandriae, quae a Philippo Rege Franciae *prius conceſſa fuerit Ingelranno de Cuceio* ſiue Couciaco. Et veram eſſe huius Chronici relationem patet ex Conuentione ea de re inter Regem & Ingelrannum (f) Anno 1211. facta, (Probat. N. CXVII.) quam idem Quercetans pag. 360. ſq. edidit.

§. 8.

Tertiam Henrico Leoni ex Mathilde filiam addere poſſemus cum Meibomio & Pfeffingero ALIENORAM, ſi tuto fidere poſſemus Geruaſio Tilberienſi. Dicit is Otior. Imperial. apud Leibnitium Script. Brunſu. Tom. I. p. 947. *Ex eodem Rege Henrico prodiit hinc Duciſſa Saxoniae, cuius flos, tu, Sereniſſime Princeps, vt bonae arboris dulciſſimum pomum proceſſiſti, cum illuſtri Comite Palatino Henrico, & Guillelmo Longa ſpata fratribus tuis, vtroque parente coniunctis, nec non nobiliſſima Comitiſſa Alienora, germana tua.* Sed, vti in cognomine *Longaſpatha*, quod *Wilhelmo Luneburgico* tribuit, errauit, vt inferius videbimus; ita & in nomine filiae Henrici Ducis lapſus eſt, homo Anglus quidem ortu, ſed diu variis fatis circumactus, & rerum ibi, aut in Gallia, mari Britannico vicina, nuper geſtarum non adeo peritus. Ea enim Henrici & Mathildis filia, quae *Comitiſſa* facta eſt, non *Alienora*, ſed *Mathildis* dicta eſt; niſi & nomen hoc forte in Confirmatione ab auia inditum receperit. Hoc certe, donec certiora opponantur, ſtatuimus, *Alienoram* Geruaſii Tilberienſis a *Mathilde Comitiſſa Perticenſi* non eſſe diuerſam. (f)

§. 9.

e) Haec matris pietatem imitata, de ſalute animae ſuae ſollicita fuit, cum in toro prioris mariti & in omnibus ſaeculi deliciis verſaretur. Anno enim 1197. ab Adamo, Perſenniae Abbate, regulam morum & vitae flagitauit, quam ille in litteras coniecit. E quibus apparet, Mathildim Comitem Perticenſem, luxum in veſtibus & maritum vltra modum adamaſſe. Cui amori fraenum iniicere nititur Pater Adamus, adiniſtis pluribus aliis pro captu aeui ſalubrioribus praeceptis. Litteras infra damus. (N. CXVI.)

f) Etiam alia matrimonia huius Ingelrammi, qui diuitum filiarum nuptiis vel patrimoniis potius inhiabat, Philippum Regem Franciae omnibus modis impediuiſſe, probat Charta apud Marten. Collect. ampliſſ. T. I. p. 1127. qua Herueus, Niuerniae Comes, Philippo Regi promittit, ſe filiam ſuam inter caeteros *Inguerrammo de Cuciaco* non eſſe in matrimonium daturum. (Prob. N. CXVIII.)

g) In cimeliarchio Palatino Dn. Eccardus, quouis Vertumno verſatilior, hanc Alienoram ſuis reſtituere natalibus nititur. Nam p. 35. ait, ſe vidiſſe Hanouerae veterem laceram membranam, qua Henricus Dux Saxoniae & Comes Palatinus ad Rhenum mentionem faciat *ſororis ſuae Allenae*, eiusque

Digitized by Google

§. 9.

Agendum nunc nobis etiam eſt de *MATHILDE, filia naturali* Ducis Henrici Leonis, quae *BORVINO, Principi Obotritorum*, vnde Meclenburgici orti ſunt, in matrimonium conceſſa eſt. Habuerant a longo retro tempore Obotriti Regulos ſiue Principes ſuos, a Bangerto ad Helmoldum pag. 35. ſqq. recenſitos. Iuſta tamen generationis ſerie connecti non poſſunt, niſi a temporibus Henrici Aucupis, Regumque & Imperatorum eum inſecutorum. Hermannus Cornerus ex Helmoldo citat (quanquam id in editis eius exemplaribus non habeatur) Anno 932. *Henricum Regem Obotritos cum MICISLA Rege eorum ad fidem Catholicam conuertiſſe.* Huius ergo filius aut nepos eſſe potuit MISTAVVS vel MISTVI, cuius Ditmarus Lib. III. & Annaliſta Saxo ad An. 983. meminere. Hoc natus eſt BILLVGVS ab Helmoldo Lib. I. c. 13. nominatus, quem ex ſorore Wagonis Epiſcopi Aldenburgenſis MISSIZLAM filium & HODICAM filiam procreaſſe prodit. *Hodica* a patre Virginibus ſacris Meclenburgi Abbatiſſa praefecta, ſed deinde a fratre Boleslao Principi Pomerano in vxorem data eſt, teſte Helmoldo Lib. I. c. 15. Miſſizlae filius eſſe debuit MISTIWOVS, qui Ducis Bernhardi neptem ſibi petiit vxorem, & cum denegata ei eſſet a Theoderico Marchione, Slauos in Saxones animauit; poſtea tamen facti poenitentia ductus ad Chriſtum reuerſus Bardewici conſenuit, vt Helmoldus Lib. I. c. 16. habet. Non improbabile eſt, hoc natum eſſe VDONEM, quem Helmoldus l. c. cap. 19. *male Chriſtianum* vocat, & propter crudelitatem a Saxone quodam transfuga improuiſe confoſſum refert. Filius eius, vt idem auctor eſt, GODESCHALCVS fuit, qui poſt eum Obotri-

eiusque mariti Ludouici de Dempenow, dicatque, ſe expedire ea, quae tum expediebat, ex auctoritate Caeſarea, Goslariae pro tribunali ſedentem; Hancque Allenam, Ludouici Dempenouienſis vxorem, eſſe *Alienoram* illam Comitiſſam, Henrici Leonis filiam, a Geruaſio Tilberienſi celebratam, audacter aſſerit. Sed hic memoria nimium quantum fefellit Dn. Eccardum noſtrum. In membrana illa non lacera quidem, ſed mucilaginea, cuius pleraque tamen diſtincte legi poſſunt, Henricus Palatinus, non Goslariae pro tribunali ſedens, ſed *Brunſuici in Eccleſia S. Blaſii, vi iurisdictionis ſibi a Friderico II. Rege conceſſae* profitetur, ſe confirmare conuentionem, qua Henrici, vltimi Dynaſtae Weſtenenſis, filiae, *Algiſa & ſoror eius Allena*, conſentientibus matre *Oda*, & maritis *Wernero de Indagine & Theoderico de Depenow*, patriam hereditatem vendiderunt, quae eſt hodierna praefectura Weſtenenſis, Hoyenſi Comitatui adſita. Acta ſunt haec Anno 1219. ſub quo Chartam integram producemus. Interim ex appoſito ſchemate genealogico, ex illa membrana formato,

Henricus de Weſten iunior
Vxor Oda

Algiſa.	Alena.
C. Wernerus	C. Theodericus
de Indagine,	de Depenowe.

ad oculum patet, *Alenam* illam neutiquam Henrici Leonis filiam, aut Henrici Ducis Saxoniae & Comitis Palatini ſororem, ſed Henrici, Dynaſtae Weſtenenſis vltimi, filiam natu minorem fuiſſe. Vocatur enim *Alena* ibi non Henrici Ducis, ſed *Algiſae ſoror*.

Digitized by Google

Obotritos rexit. Is *Luneburgi ſcholaribus diſciplinis* imbutus eſt. Inde profugiens Nortalbingiam vaſtat, vbi captus a Duce Bernhardo, ſed mox honorifice dimiſſus, ad Canutum Regem Danorum ſe contulit, eique in Dania & Anglia militauit, virtute ſua *filiam Regis* vxorem promeritus, teſte Helmoldo c. 19. Reuerſus ſua in Slauia recuperauit, & doctrinam in ea Chriſtianam propagauit, ceu idem Helmoldus c. 20. tradit, Redarios quoque & Tolenzos aduerſus Kycinos & Circipanos iuuit, vt apud eundem c. 21. diſcimus; ſed tandem ſub Ordulfi Ducis Saxoniae regimine Anno 1066. a Slauis rebellantibus interfectus eſt; quod iterum Helmoldus cap. 22. indicat; qui etiam cap. 24. refert, eum duas vxores habuiſſe: vnam, ex qua natus eſt illi BVTVE, alteram filiam Regis Danorum, de qua editus eſt HENRICVS. *Buthue* praeterito, tunc Obotriti ſibi *Cruconem*, filium *Grini*, e Rugia oriundum, Principem conſtituerunt, vnde natus eſt *Races*. *Buthue* fruſtra aduerſus Cruconem Duces Ordulfus, eiusque filius Magnus auxilium tulere. In arce is Ploenenſi tandem obſeſſus, hoſtibus proditus & occiſus eſt a Crucone, vt memorat ſaepe laudatus Helmoldus c. 25. & 26. *Henricus*, Buthue frater, filios habuit *Miſtue*, *Suentepolchum* & *Canutum*; & medius horum Suentepolchus *Zuinikum*, ſuae ſtirpis vltimum. *Buthue* ipſe Pater fuit, plerisque Scriptoribus Meclenburgicis teſtibus, PRIBISLAI & NICLOTI (h) ſiue NICOLAI, cuius Sancti venerationem, atque ita & nomen, B. Vicelinus, poſtea Aldenburgenſis Epiſcopus factus, in Slauiam introduxit. PRIBISLAVM certe ex Familia *Henrici* fuiſſe Helmoldus, qui in rebus Slauicis inſtar omnium eſt, Lib. I. cap. 55. aſſerit, nec tempora patiuntur, cum alius, quam Buthue filium fuiſſe, Helmoldusque idem cap. 49. eum expreſſe *Henrici fratruelem*, ſiue ex fratre illius natum aſſeuerat. Canuto Dano, qui ſe ope Lotharii Imperatoris in Regem Obotritorum erexerat, occiſo, Helmoldo Lib. I. c. 52. teſte, *ſucceſſerunt in locum eius Pribizlaus atque Niclotus, bipartito Principatu, vno ſcilicet Wagirenſium atque Polaborum, altero Obotritorum Prouinciam gubernante.* Concertauit inde acriter *Pribislaus* cum Race, Cruconis filio, ditiones ipſius inuadente. Saxonum iugum inuitus admodum tulit, vt patet ex iis, quae Helmoldus Lib. I. c. 83. profert. Heredes eius nemo nominat. Frater NICLOTVS (i) cum Adolfo Holſatiae Comite

h) Scriptores Meclenburgici, quos vocamus, de hac re idoneum ferre teſtimonium nequeunt, quippe a rebus Saeculi XII. nimis remoti. Praeterea in recentioribus, qui antiqua monumenta euoluerunt & ſollicite expenderunt, ſunt, qui de Nicloto dubitant. Ea enim, quae ſequuntur, probant quidem, Pribislaum, qui ſine liberis deceſſit, Buthue filium; ſed Nicloto pares natales non euincunt.

i) At hoc probandum erat, Niclotum Pribislai fratrem fuiſſe. Hoc certum eſt, Niclotum apud veteres nusquam neque filium

Comite amicitiam coluit aliquantiſper, vt Helmoldus cap. 57. indicat. Sed mox, vbi expeditio cruciata in Slauos, Henrico Leone Duce, decreta eſſet, ab eo abalienatus eſt, teſte Helmoldo c. 62. Kycinis tamen & Circipanis ei rebellantibus, ad Clementiam Duciſſam, quae tunc, viro in Bauaria commorante, Luneburgi res Ducatus adminiſtrabat, vt Helmoldus c. 71. refert, venit, & impetrauit, vt Adolfus Comes ei auxilium praeberet. Mox tamen iterum reſiliit a Ducis noſtri obedientia, & anno circiter 1161. periit in concertatione aduerſus ipſum, vt iterum ex Helmoldi c. 87. diſcimus. Filii Nicloti ab eodem Helmoldo cap. eodem & cap. 92. PRIBIZLAVS & WERTIZLAVS vocantur, quorum hic captus, per aliquod tempus Brunſuici aſſeruatus, ac tandem Malchouiae, Henrici Leonis Ducis iuſſu, ſuſpenſus eſt. Filium eius NICOLAVM nobis Arnoldus Lubec. Lib. III. cap. 4. & Lib. VII. c. 13. notum fecit. Frater vero Wertiſlai, & quidem aetate ſenior, varias quoque cum Henrico Duce controuerſias & concertationes habuit; ſed Anno circiter 1166. eidem pleniter conciliatus eſt. Helmoldus Lib. II. c. 7. *Pribizlaum*, inquit, *Principem Slauorum, quem multis, vt ſupra dictum eſt, praeliis expulerat Prouincia, admiſit in gratiam, & reddidit ei omnem haereditatem patris ſui, terram ſcilicet Obotritorum, praeter Zuerim & attinentia eius. Et fecit Pribizlaus Duci & amicis eius ſecuritatem fidelitatis, nulla deinceps bellorum tempeſtate corrumpendam: ſtare ſcilicet ad mandatum ipſius, & obſeruare oculos amicorum eius absque omni offenſione.* Idem poſthaec cap. 14. addit: *Pribizlaus quoque depoſita diuturnae rebellionis obſtinatia, ſciens quia non expedit ſibi, calcitrare aduerſus ſtimulum, ſedit quietus & contentus funiculo portionis ſibi permiſſae, & aedificauit vrbes Mekelenburg,*

um Buthue, neque fratrem Pribislai appellari. Quin apud Helmoldum Lib. I. c. 49. n. 8. vbi Pribislaus & Niclotus coniunguntur, Pribislaus quidem *fratruelis* vocatur *Henrici* illius, qui Buthue frater fuit; at Niclotus audit *maior terrae Obotritorum*, ad eum modum, quo ſupra vidimus Henricum de Bodenburg, virum nobilem, vocari *maiorem terrae* in diocoeſi Hildeſienſi. Vt adeo Niclotus ex alia Familia, primumque caput ſeparatum *Obotritorum* h. e. Meclenburgicorum, quemadmodum Pribislaus *Polaborum* factus fuiſſe videatur. Vid. idem Helmoldus Lib. I. c. 52. n. 1. Neque eſt, quod in contrariam ſententiam eo mouearis, quod Arnoldus Lib. III. c. 4. n. 10. Boruinum a Caſtro Roſtock diſceſſiſſe, idque nepoti Nicloto tradidiſſe ait; itemque Lib. VI. c. 13. n. 1. Nicolaus ſeu Niclotus Boruini nepos vocatur: ex quo inferri poſſe videtur, Niclotum Boruini fratris filium fuiſſe. Hic enim Niclotus, qui Anno 1200. occiſus eſt, non vetulus ille Niclotus, cuius origines quaeruntur, ſed eius nepos; quemadmodum Boruinus Pribislai II. filius eſt, hoc ſchemate.

Buthue

Pribislaus I. Polaborum Regulus † 1142. ſine liberis.	* Niclotus maior terrae Regulus Obotritorum † 1159.

Pribislaus II. † 1178.	Wertislaus † 1164.
Henricus Boruinus gener Henrici Leonis, Princeps Venedorum ſeu Mecklenburgicus.	Niclotus nepos Boruini † 1200. ſine liberis.

Digitized by Google

Mekelenburg, *Ilowe & Rozſtock*, *& collocauit in terminis eorum Slauorum populos.* Pribizlaus deinde Henricum quoque Ducem, in Terram Sanctam peregrinantem, ſecutus eſt, vt prodit Arnoldus Lib. II. c. 2. ſemperque Domino ſe ſuo exhibuit fidelem. *Filius Pribislai* ab Arnoldo, auctore contemporaneo, Lib. III. c. 4. & Lib. VI. c. 13. BORVINVS, & alio nomine etiam HENRICVS, vocatur. Et hic eſt, qui MATHILDEM, Henrici Leonis Ducis filiam, coniugem nactus eſt, eo credo tempore, quo Dux cum patre eius in gratiam integram rediit. Verba Arnoldi Lib. III. cap. 4. haec ſunt: *Boruinus vero filius Pribislai, qui filiam Henrici Ducis habebat, Mechtildem dictam, obtinuit Caſtra Roſtock & Meckelenburg.* Et Lib. IV. c. 7. de Adolfi Comitis reditu e Terra Sancta, cui iter in Holſatiam Henricus Leo Dux praecludere conabatur, agens: *Nec*, ait, *per Slauiam intrare poterat, quia Boruinus, gener Ducis, ei inſidias tetenderat.* Albertus Stadenſis ad Annum 1164. errat, dum Boruinum hunc *filium Wertislai* ſuſpenſi fuiſſe tradit. Arnoldo enim, qui Boruini tempore Lubecae, quae terris illius vicina erat, vixit, maior fides habenda eſt. Sed recte Stadenſis addit, Mathildem, Boruini coniugem, Henrici Leonis Ducis *filiam naturalem fuiſſe*; id quod & Albericus ad An. 1193. affirmat: *Henricus*, inquiens, *de Mathilde ſorore Regis Angliae Richardi tres filios habuit*, *Henricum Rheni Palatinum*, *Guilielmum & Ottonem*, *& de quadam concubina nobili filiam habuit*, *quae in Slauia haereditauit.* Recentiores hanc Mathildem cum *Mathilde* Henrici Ducis filia ex Mathilde Anglica perperam commiſcent, cum haec Comitis Perticenſis, vt vidimus, vxor facta ſit. Quando vero Mathildis Boruini coniux obierit, nemo annotauit. Filios Boruino peperit *Henricum* & *Nicolaum*, (k) Alberto Stadenſi teſte. Idem Auctor de

k) Hos pater in Charta fundationis vrbis Roſtochienſis ex Anno 1218. ſimplici *Boruini* nomine & titulo contentus, nominat, (Probat. N. CXIX.) eorumque ſtirps, ex natu maiori Henrico ducta, hodienum durat & floret in Sereniſſimis Ducibus Mecklenburgicis. Vt adeo Mathildis, Henrici Leonis noſtri filia naturalis, mater ſit & progenetrix Principum omnium Venedorum, qui inde a Saeculo XII. floruerunt. Neque habent Sereniſſimi Principes Mecklenburgici, quod eos natalium magnae matris pudeat; praeſertim ſi in Aulam Gallicanam, vicinasque alias regiones oculos coniiciant. Mater enim eius non fuit filia *de vulgo*, ſed femina Nobilis. Albericus certe ad Annum 1193. vt vidimus, diſerte ait, Henricum Leonem de quadam concubina *Nobili* hanc filiam habuiſſe. Nobiles autem hoc aeuo non niſi Principum, Comitum & magnorum Dynaſtarum Familias appellatas fuiſſe, tralatitium eſt. Quo magis mirandum, Dn. Eccardum noſtrum, quem in illuſtrium Familiarum ſtemmatibus texendis prae aliis excellere voluiſſe conſtat, circa matrem Mathildis Mecklenburgicae nihil conatum, & genus eius, tamquam rem deſperatam, ne attingere quidem auſum eſſe. Quare non ingratum fore putamus, ſi ipſimet hic aliquid tentabimus, & nobile argumentum, ab omnibus, qui ante nos ſcripſere, abiectum & veluti pro derelicto habitum, paulliſper excutiemus. Dum Albericus Monachus matrem *Mathildis, quae in Slauia haereditauit,*

de Boruino ad Annum 1226. ſcribit: *Borewinus Princeps Slauorum moritur, & Doboran ſepelitur, relictis poſt ſe quatuor filii ſui Henrici filiis, Iohan-*

uit, *Nobilem* feminam vocat, eo ipſo genus eius ſibi non ignotum fuiſſe indicat. Cumque Chronicon eius genealogiarum illuſtrium refertiſſimum ſit; facile iudicatu eſt, eum & hanc quodam loco tradidiſſe. Et ſane ita res ſe habet. Ad Annum enim 1168. poſtquam enarraſſet, quemadmodum Moguntia extruſus Rudolfus, Zaeringiae Dux, filius Conradi & frater Bertoldi IV. per auunculum ſuum, matris Clementiae fratrem, Henricum, Comitem Namurcenſem, ad infulam Leodienſem promotus eſſet; Comitum Namurcenſium proſapiam deſcribere aggreditur: cui deſcriptioni p. 350. haec aliunde deſumta inſerit: *Alibi ſcriptum reperitur. Quaedam Nobilis Comitiſſa de Longuy, Ermeſendis nomine, peperit Comitem Guillelmum de Lucenburc, patrem Conradi, & Ermenſendam Comitiſſam Namurcenſem, vxorem Comitis Godefridi, & Mathildam Comitiſſam de Longuy & de Homberc & de Caſtris. Haec autem Mathildis Comiti de Caſtris peperit Comitem Folmerum & ſorores eius: Heluidem, quam habuit Gerardus de Reneke, dioeceſis Herbipolenſis, & illam, de qua* Reneke de Brunſuick *genuit filiam, quae in Slauia haereditauit.* Et ita quidem Leibnitius, vel potius Amanuenſes eius, verba typis exarari curarunt: in quibus omnia plana & dilucida ſunt, ſi vltima excipias: quibus ſuo ſibi iumento ingens malum arceſſiuerunt, foeda interpolatione amicam Henrici Leonis ſibimet ipſis primum, cum & lectorum oculis ſubductam, nubi quaſi inuoluentes. Quis enim ſub *Reneke de Brunſuik* Henricum Leonem latere facile ſibi perſuadeat? Locum ergo Dn. Eccardus pro more ſuo corruptum iudicauit, quia circa eum nihil tentauit: quod tamen hic quam maxime fieri oportebat. Vt autem res omnis in apricum producatur, ſciendum eſt, Chronici Alberici editores vocabulum *Reneke*, quod paullo ante Gerhardo, Heluidis marito, tributum erat, ſequenti verſu, vbi *de Brunſuik* ſermo eſt, repetiiſſe praeter neceſſitatem & contra fidem Codicis membranacei praeſtantiſſimi. Vti autem Dn. Leibnitio ſolenne fuit, operum ſuorum hiſtoricorum editiones per Amanuenſes ſuos curare, ac demum, poſt editionem abſolutam ſcripta perlegere, & in calce potiora errata eorum indicare; ita Alberico quoque correctiones quaedam adiectae fuerunt; diſſimulato tamen huius interpolationis errore. In dicto enim Codice membranaceo, quem in Regia Bibliotheca cuſtodimus, nitidiſſime ſcripto, aeque ac in alio, cuius Clariſſimus Dn. Menckenius Scriptor. German. T. I. p. 69. variantes lectiones ſtudioſe conſignauit, vox *Reneke* ante verba *de Brunſuik* omittitur. In tertio huius Chronici Codice MS. quem Andreas Ducheſnius in manibus habuit, & ex quo hunc ipſum locum in probationes Hiſtoriae genealogicae Lucelemburgenſis ad Annum 1167. p. 33. transtulit, verba, quae examinamus, ita ſcripta ſunt, vt nomen viri exciderit, eique reſcribendo ſpatium relictum ſit, hoc modo: *& illam, de qua - - - de Brunſuik genuit filiam, quae in Slauia haereditauit.* Cum autem ea aetate in Domo Brunſuicenſi totis annis quadraginta vnus Dux Henricus Leo floruerit, neque facile quiſquam huius nominis alius vir de Brunſuik ita fortunis abundaſſe deprehendatur, vt virgo tam illuſtris generis ei tamquam vxor ſecundaria ſeruierit; neminem fore exiſtimo, qui dubitet, ſub iſto verborum inuolucro Leonem latere, praeſertim cum aliunde conſtet, filiam eius naturalem nuptui datam fuiſſe Boreuino Slauorum ſeu Obotritorum Principi, eique liberos peperiſſe. Id quod Albericus eo innuit, quod filiam Henrici, e concubina natam, *in Slauia haereditaſſe* ait. Inſtas fortaſſis, qui factum ſit, vt in Codicibus Alberici nomen Henrici exciderit; quod tamen per Galliam, Lotharingiam & Brabantiam aeque notum fuit, ac per Germaniam? Vbi ſuccurrit, Albericum hunc locum non edolaſſe, ſed ex aliena ſcriptura transtuliſſe in ſuam. Praemiſſa enim verba: *alibi ſcriptum reperitur;* ſatis indicant, ex alieno quodam ſcripto, Belgico fortaſſis vel Germanico, deſumta eſſe, quae de hac Familia traduntur, & in quo nomen Henrici aliter formatum erat. Suſpicor itaque, Albericum, praeeunte extero illo auctore, ſcripſiſſe *Heneke* de Brunſuik; librarios autem Gallos, quid hoc eſſet nominis, ignorantes, ſubſtitiſſe, &, cum vim vocis non comprehenderent, inſerendo vero nomini ſpatium relinquere, quam ſcripturae elegantiam oſco maculare vocabulo maluiſſe. Eſt autem *Heneke* illud vocabulum diminutiuum, vt ſcholae loquuntur, vocis *Henrik*, quod in Saxonia inferiori, e qua Leo oriundus

Iohanne, Nicolao, Borewino & Pribizlao. Bernhardus Latomus in Chronico Meclenburgico MSto plura Principis huius priuilegia ciuitatibus Meclen-

dus erat, pueris & iuuenibus datur, qui grandiores *Henrik* vel *Henricus* appellantur. Id quidem vulgari ſermone magis, quam ſcriptis teritur. Sed nec inſtrumenta deſunt, quibus interdum vſurpatur. Sic Guillielmus Budaeus in vita Alberti II. Halberſtadenſis Epiſcopi, Ducis Brunſuicenſis, p. 159. documentum exhibet, cui inter caeteros teſtes ſubſcriptus: *Heneke de Hoym.* Eorumdem librariorum timiditate factum exiſtimo, quod pro vero Nobilis feminae nomine hodie legimus *illa.* Cum enim Albericus in omnibus ſtemmatibus ſuis exquiſito ſtudio virorum & mulierum nomina luſtrica exprimere ſoleat, nec facile quodquam ſupprimat, aut lectori per aſteriſcos diuinandum relinquat; nulla ratio apparet, cur Comitiſſae Longuicenſis nomen luſtricum nobis inuidere voluerit. Iam vero inter nomina feminina nullum eſt, quod in ſcribendo ad vocem *Illa* propius accedat, quam *Ida*, quod nominis in ipſomet Alberico vel ſexcenties occurrit. Vnde reſcribendum puto: *& Idam, de qua Heneke de Brunſuik genuit filium, quae in Slauia haereditauit.* Equidem audacior videri queam, qui ſine Codicis MS. ope ſolo ingenio fretus, Alberici verba mutare ac emendare ſuſtineo. Vnius tamen vocabuli vel potius litterulae leuiſſima mutatio, & veri nominis in vacuum ſpatium inſertio aliquid excuſationis habere videtur. Quodſi reiicias vtramque correctionem meam; hoc tamen iure quodam meo me poſtulare poſſe videor, vt veniam des appellanti hanc feminam *Idam*, quo in caeteris, quae dicturus ſum, circumlocutionibus ſuperſedere poſſim. Interim in eo praeclare mecum agitur, quod ſiue admittas, ſiue reiicias correctiones meas, ex hoc loco ſole meridiano clarius fit, Henricum de Brunſuik, filiam Comitis de Longuy, de Homburg & de Caſtris, concubinam habuiſſe, ex eaque filiam Mathildim ſuſcepiſſe, quae Principi in Slauia viro nupta fuerit. Sed nunc de natalibus & de maioribus Idae Comitiſſae diſpiciendum eſt, vt appareat, genere eam fuiſſe nobiliſſimam. Albericus patrem eius Comitem de Caſtris vocat, de Familia Comitum Longuicenſium & Homburgenſium; matrem autem Mathildim, filiam Conradi Comitis Lucemburgenſis, & Ermenſendis Comitiſſae Longuicenſis. Comitatus Longuicenſis nomen accepit a metropoli Longuico, in extremo Lotharingiae angulo, ſexto a Lucemburgo lapide, ſita, quae hodie Gallis paret vrbs munitiſſima. Comitatus Caſtricenſis, hodie *le Caſtrois*, hinc non procul diſſitus, per Moſam fluuium a Longuicenſi dirimitur, & a riuo Bario, ex Prouincia Retelenſi decurrente, perluitur, qui paullo infra Sedanum Moſae miſcetur, vbi Doncherium, hodie *Donzery*, ſitum eſt. Vid. Marloti Hiſtor. Remenſ. T. II. Lib. II. c. 7. p. 187. Horum autem Comitum, qui partim a Lucemburgo, partim a Longouico denominati, ſtirps eſt antiquiſſima. Alberico enim noſtro iam ad Annum 1024. memoratur *Comes Letardus de Longwy*, cuius filius *Menegaudus & Giſelbertus Comes de Lucelburg, nepotes Conradi* Salici Imperatoris fuere p. 56. ſeq. de quo Giſelberto prolixe agit Andreas Duchesnius Hiſtor. Lucemburg. p. 23. Giſelberti filius fuit Conradus I. qui ex Ermenſinda, Comite & herede Longuicenſi, ſuſtulit, praeter Wilhelmum in Comitatu Lucemburgenſi ſucceſſorem, Ermenſindam, Godefrido Comiti Namurcenſi nuptam, & Mathildim, quae conuenit in manum Godefridi Comitis Caſtricenſis, caſtraque Longuicum & Homburg ei in dotem attulit. Nomen Comitis Caſtricenſis Godefridi Albericus non habet; Duchesnius autem l. c. p. 33. Chartam habet Stephani Metenſis Epiſcopi ex Anno 1126. cui ſubſcripti:

Folmarus Comes noſtrae ciuitatis (Metenſis ſcilicet.)
Fridericus Comes de Sarebruche.
Godefridus Comes de Caſtra.
Folmarus de Wilriſe &c.

Actum Metis publice Anno Dominicae Incarnationis MCXXVI. Indictione XIV. regnante Lothario, I. Anno Regni eius, ordinationis noſtrae Anno V. feliciter.

Godefridi & Mathildis Caſtricenſis liberi fuere 1.) *Folmarus*, Comes Caſtricenſis, qui, ducta Clementia, Folmari Comitis Metenſis, quem mox citata Charta exhibuit, filia, genus propagauit. 2.) *Heluidis*, in matrimonio collocata apud Gerhardum, Comitem Rineccenſem in Dioeceſi Wirzeburgica. 3.) *Ida*, ſeu ſi mauis *Illa*, *ex qua Dux de Brunſuik filiam genuit, quae in Slauia haereditauit.* Ex his Alberici dictis procedit hoc ſchema genealogicum:

 Giſel-

Meclenburgicis data adducit, refertque Sigillo eius circumſcriptum fuiſſe: SIGILLVM HENRICI DOMINI DE ROSTOCH. Idem paulo

Giſelbertus Lucemburgi Comes. † poſt Annum 1056.

- Conradus I. Lucemburgi Comes. † 1086. Vx. Ermenſendis Comitiſſa & heres Longuicenſis.
- Hermannus Comes de Salmis, Anti-Caeſar Henrici IV. 1081. † 1088.

Children of Conradus I.:

- Wilhelmus Lucemburgi Comes † 1131.
  - Conradus II. Lucemburgi Comes † 1135. ſine liberis.
- Ermenſendis Vx. Godefridi Comitis Namurcenſis.
  - Henricus, heres Conradi II. Lucemburgici.
- Mathildis Vx. Godefridi Comitis de Caſtris, de Homborg & de Longuy.
  - Folmarus Comes.
  - Heluidis Vx. Gerhardi Comitis Reinecenſis.
  - IDA.

Sed & Ermenſendis Namurcenſis ſtemma pertexendum eſt: quo facto apparebit conſanguinitas, quae inter *Idam*, Comitem Caſtricenſem, & Clementias Zaeringenſes, quarum altera Henrici Leonis ſocrus, altera vxor fuit, interceſſerat. Ex Ermenſende enim & Godefrido Namurcenſi quinque liberi geniti ſunt, qui recenſentur in donatione Floreffienſis Eccleſiae, quam hi Coniuges Anno 1121. Norberto, Praemonſtratenſis Ordinis fundatori, tradiderunt, quaeue prima Monaſterii Praemonſtratenſis filia facta eſt. Inſtrumenti ſumma capita recitat Io. Baptiſta Gramaye in Namurco p. 7. in hunc modum: *Godefridus Comes Namurcenſis & Ermenſendis Comitiſſa ad honorem Sanctae Dei genetricis Mariae, annuentibus filiis & filiabus, Dominis Adelberto, Henrico,* Clementia, *Beatrice & Adelheide, tradiderunt Domino Norberto & Fratribus ipſi ſubditis in Floreffia & eorum ſucceſſoribus perpetuo poſſidendam Eccleſiam de Floreffia* &c. *Datum V. Kal. Decembris MCXXI. Indictione XIV.* Ex liberis nos hoc loco tantummodo *Clementiam* notamus, vxorem Conradi Ducis Zaeringenſis, Anno 1152. defuncti. Quod praeter Albericum probat Balduini de Auennis genealogia Hannoniae a Luca Dacherio primum Spicileg. T. VII. p. 597. dein a Iacobo le Roy ſeparatim cum notis edita p. 23. quae etiam Alberico noſtro MS. adiuncta eſt. Horum Coniugum, Conradi ſcilicet Ducis Zaeringenſis & Clementiae, natae Comitis Namurcenſis, filia fuit *Clementia*, Henrico Leoni nupta. Praeterea Conradi frater Dux Bertoldus in matrimonio habuerat Sophiam, Henrici Superbi ſororem, quae amita fuit Henrici Leonis. E quibus coniunctis denique oritur hoc ſchema:

Giſelbertus Lucemburgi Comes † 1056.

Conradus I. Lucemburgi Comes † 1086. Vx. Ermenſendis, Comes Longuicenſis.

- Ermenſendis, Vx. Godefridi Comitis Namurcenſis.
  - Clementia (= Conradus)
  - Henricus Comes Namurci & Lucemburgi.
- Wilhelmus, Lucemburgicus.
  - Conradus † 1135. ſine liberis.
- Mathildis, Vx. Godefridi Comitis Caſtricenſis, Homborgenſis & Longuicenſis.
  - IDA, Henrici Leonis amica.

* Henricus Niger Dux Bauariae.

- Iuditha Vx. Friderici Ducis Sueuiae.
  - Fridericus I. Imperator.
- Henricus Superbus Dux Bauariae & Saxoniae.
  - Henricus Leo Dux
- Sophia = Bertoldus III.

* Bertoldus II. Dux de Zaeringen.

- Bertoldus III. (= Sophia)
- Conradus = Clementia.
  - Clementia Zaeringenſis. Vx. Henrici Leonis.

Henricus Leo Dux = Clementia Zaeringenſis.

Ex

paulo inferius adiungit, ſe vidiſſe eiusdem priuilegium Gadebuſcenſibus conceſſum, & tribus ſigillis munitum, in quorum vno apparuerit Caput bouinum nudum, in altero gryps, & in tertio caput bouinum coronatum. Fides ſit penes auctorem; alias tamen ſatis grauem. Quod ſi non erret idem Latomus, Mathildis ante Boruinum obiit, & ille alteris nuptiis duxit Adelheidem, filiam Poloniae Ducis.

CAPVT III.

De *Henrico* Duce Saxoniae & Comite Palatino Rheni, primogenito Henrici Leonis ex Mathilde Anglica filio.

§. 1. *Henricus*, Ducis Henrici Leonis filius primogenitus, per nuptias cum *Agnete Palatina* ampliſſimas Palatinatus ad Rhenum terras acquiſiuit.

§. 2. Prima eius acta poſt ſuſceptum Ducatus regimen recenſentur.

§. 3. Henricus VI. Imperator Fridericum filium ſuum impuberem Principum Germaniae ſuffragio ſibi ſucceſſorem in Imperio conſtituit.

§. 4. Tertia in Terram Sanctam expeditio, cui etiam intereſſe voluit Henricus Palatinus, decreta.

§. 5. Ad hoc iter accinctus Wilhelmo fratri ſe abſente Prouinciarum regimen commendat, & cum Adolfo Comite Holſatiae pacem init.

§. 6. Denique varia iura & praedia oppignorat, vt pecuniam tanto itineri neceſſariam colligeret.

§. 7. Quid in hac expeditione actum ſit ſtrictim enarratur.

§. 8.

Ex quo ſchemate patet, matrem Idae, Comitis Caſtricenſis & Longuicenſis, & auiam Clementiae Zaeringenſis, Coniugis Henrici Leonis, ſorores; &, quod ex eo conſequitur, has Dominas in gradu licet inaequali conſobrinas fuiſſe, quales *Couſines germaines à la mode de Bretagne* appellare ſolemus. Ex tam arcta neceſſitudine inferri poſſet, Idam fortaſſis in gynecaeo Clementiae Duciſſae degiſſe, eaque occaſione in notitiam veniſſe Ducis, qui eam plus Coniuge dilexerit, & vſque ad alteras nuptias in deliciis habuerit. Sed multa ſunt, quae me ad credendum inducunt, Henricum Idam amaſſe ante, quam Clementiam duxerat. Primum enim eo tempore, quo Idam habuit, *Heneke* vocatur Dux noſter, quod nominis pueris, aut valde iuuenibus per Saxoniam dari ſolere vidimus. Deinde filia ex hoc contubernio nata iam Anno 1164. vel 1166. Pribislai Venedorum Reguli filio nuptui data eſt: quibus annis nondum nubilis eſſe poterat, ſi poſt repudium Clementiae nata fuiſſet. Denique amores Idae & Henrici vel propterea nuptias cum Clementia praeceſſiſſe ſtatuendum eſt, quod coniugium cum Clementia poſtea ob conſanguinitatem diſſolutum fuit. Fieri enim potuit, vt Henricus Leo, cum Clementiam in torum adſciſceret, ignoraret, eam amicae ſuae, in terris Lotharingicis natae, conſobrinam eſſe. Quo comperto, conſcientia vrgente ſeparationem a Clementia flagitauit, vtpote ex cuius conſobrina filiam ante genuiſſet. Vt adeo ſi minus ſtringentiſſimam, aliquam tamen inter Henricum Leonem & Clementiam diuortii cauſam habeamus. Neque vero eſt, quod dicas, hoc rerum habitu amicam dimittendam, & vxorem retinendam fuiſſe. Hoc enim conſilium ſupponit, Idam Henrici pellicem fuiſſe: quod probari nequit. Deinde cum ante nuptias cum Clementia vna caro factus eſſet cum conſobrina eius Ida, & vero factum infectum fieri non poſſet; ne Clementiam quidem in toro retinere poterat, indeque prius Ida, tum & Clementia dimiſſa, ad nouas nuptias merito animum adpulit Henricus. Graduum enim prohibitorum philoſophia illegitimas copulas aeque ſtringit ac legitimas, & *a conſanguineis eius, quae vna mecum caro facta eſt, abſtinendum eſt, vt propriis.* c. 1. X. de conſanguin. & affinit.

§. 8. In reditu ex Terra Sancta Henricus auita ſua & paterna bona in Italia inuiſit.

§. 9. Eo abſente frater Otto in Imperatorem eligitur, quem patriae redditus contra aemulum Philippum omnibus viribus adiuuit.

§. 10. Philippus Henrico offenſus Comitatum Stadenſem in Archi Epiſcopum Bremenſem transfert.

§. 11. Henricus cum fratre Wilhelmo hereditatis Richardi Regis repetendae cauſſa in Angliam proficiſcitur.

§. 12. Papa per Legatos Henricum inſtigat, vt ſtrenue fratris Ottonis Imperatoris cauſſam iuuare pergat.

§. 13. Stadium receptum.

§. 14. Otto Imperator, Henricus & Wilhelmus fratres terras ſuas patrimoniales diuidunt.

§. 15. Henricus fratri ſuo Ottoni Imperatori hactenus fidelis partes eius iam deſerit, & Philippo Imperatori opem fert.

§. 16. Agnes, Henrici coniux Stadae A. 1204. moritur.

§. 17. Henricus Coloniae coronationi Philippi intereſt.

§. 18. Papa Innocentius III. Henrici a fratre Ottone defectionem & arctam cum Philippo amicitiam aegre fert.

§. 19. Henricus diſſenſionum ſibi ſuaeque Familiae fatalium pertaeſus cum fratre Ottone Imperatore in gratiam redit.

§. 20. An Comitiis a fratre A. 1208. Halberſtadii celebratis interfuerit?

§. 21. Pro fratre Imperatore legationem in Angliam ſuſcipit.

§. 22. Secundae Henrici nuptiae cum *Agnete* Conradi Marchionis de Landsberg filia.

§. 23. Ottonem fratrem comitatur, cum is Beatricem, Philippi Imperatoris filiam, vxorem duceret.

§. 24. Otto de itinere Romano ad ſuſcipiendam coronam imperialem cogitans fratrem Henricum vicarium conſtituit in Regno Lotharingiae.

§. 25. Ottonis Imperatoris cum Papa poſt coronationem diſſenſio cauſam nouis in Imperio turbis dedit.

§. 26. A. 1213. in Angliam profectus, vnde tamen hoc eodem anno reuerſus eſt.

§. 27. Henricus Iunior moritur.

§. 28. An fratri in praelio ad Bouinas adfuerit, ibique captus ſit Henricus Palatinus?

§. 29. Henricus Palatinus a Friderico ob fidem erga fratrem Ottonem IV. Imperatorem proſcribitur.

§. 30. Bellum cum Waldemaro Daniae Rege geſtum.

§. 31. Poſt obitum Ottonis Imperatoris & Wilhelmi fratrum, nepotis ſui ex fratre Wilhelmo, Ottonis Pueri, tutelam gerit Henricus noſter.

§. 32. Et vltimae voluntati Ottonis Imperatoris in omnibus ſatisfacit.

§. 33. Inſignia Imperii Friderico Imperatori reddidit.

§. 34. Archi Epiſcopo Bremenſi Comitatum Stadenſem dimittit.

§. 35. Intereſt Comitiis Goslarienſibus A. 1219. ab Imperatore Friderico II. celebratis.

§. 36. Vltima eius geſta, & inſignis cumprimis in Eccleſias & Monaſteria liberalitas.

§. 37. Obitus eius.

§. 38. Sigilla.

§. 39. Et Numi.

§. 40. Henrici Palatini vxores fuere *Agnes Palatina*, & *Agnes Landsbergica*.

§. 41. Ex *Agneta Palatina* filium habuit *Henricum* in iuuentute mortuum & filias duas *Irmengardim* Hermanno Badenſi nuptam,

§. 42. atque *Agnetem* Ottonis Bauari vxorem.

§. 43. *Agnes Landsbergica* prole deſtituta Monaſterium Winhuſenſe fundauit.

§. 44. Eadem etiam Wiſenhagenſe Monaſterium exſtruxit, cuius fata ſtrictim recenſentur.

§. 45. Obiit A. 1266.

§. 1.

SED tandem ad filios Henrici Leonis Ducis ex Mathilde Anglica veniendum eſt. Inter eos vero maior natu fuit HENRICVS DVX SAXONIAE ET COMES PALATINVS RHENI. Fata eius capite primo, vbi de patre egimus, diſtincte ſimul recen-

Digitized by Google

recenſuimus, (a) vsque ad Annum 1195. quo iſte deceſſit. Iam pergimus reliqua exſequi. Per matrimonium AGNETIS, Friderici I. Impe-

a) Ita tamen, vt nihil de anno natali eius, nihil de Familia primae Coniugis, de ſocero & ſocru dictum ſit: quae tamen in omni hiſtoria gentilitia caeteris potiora & ſcitu digniora habentur. Facit enim ad familiae ſplendorem, ſi coniugis quoque parentes & maiores ita in lucem proferuntur, vt natales eorum nihil obſcuri habuiſſe deprehendatur. Henricus ſine dubio Henrici Leonis & Mathildis Anglicanae filiorum natu maximus fuit. Quo anno autem in lucem ſit editus, aut quot annos habuerit, cum ab hac luce diſcederet, neque veteribus annotatum, neque recentioribus indagatum reperio. Si Arnoldum Lubecenſem Lib. II. c. 2. n. 5. audimus, ante Annum 1173. Henricus naſci non potuit. Ait enim, patrem poſt reditum e Terra Sancta eum ſuſcepiſſe. Pater autem Anno 1172. cum in Terram Sanctam abiret, Coniugem Mathildim praegnantem reliquit; at eam non Henricum, ſed filiam Richenzam eo anno peperiſſe, idem auctor ait. *Reuoluto anno*, id eſt, circa Epiphaniam Anni 1173. pater rediit, & in Coniugis amplexus ruit. Vnde ante Annum eumdem 1173. exeuntem Henricus vtique in lucem editus non eſt. Vlterius natalem eius differre geſta eius non patiuntur. Occurritur enim nobis a doctis, qui nodum in ſcirpo quaerunt, interrogantes, cui bono Anno 1185. quo pater cum familia ex primo exilio in patriam rediit, filius primogenitus praemiſſus ſit, annos habens non niſi duodecim, ſi exeunte Anno 1173. demum natus eſt? Sed hi fere ſunt, qui duo diuerſa Henrici exilia confundunt in vnum, & priori tribuunt, quae poſteriori tribuenda erant. Poſterius exilium incidit in Annum 1189. quo non ſolum Brunſuici vxor Mathildis, ſed in Anglia etiam Rex Henricus obiit, cui Richardus filiorum natu maximus ſucceſſit. Ex hoc ſecundo exilio cum reditum meditaretur Dux Henricus, Henricum filium natu maximum, auctore Gerhardo Stederburgenſi, inopinate praemiſit, qui, dum pater Lauenburgum obſidet, Brunſuicum ſe recepit, acceptoque nuntio de aduentu Regis, ad ſupplementa cibariorum, ea, quae in villis erant, intra muros intulit, ciuitatemque contra validam & ſatis diuturnam obſidionem viriliter defendit. Hoc tempore Henricus Iunior annum decimum ſextum agebat. Quae aetas aliis tenera videri poteſt; Guelfis autem armis capeſſendis & vibrandis haud inſueta.

Fortes creantur fortibus & bonis.
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

Socer Henrici Conradus Friderici I. Imperatoris frater conſanguineus fuit, eiusque beneficio vacantem ex obitu Hermanni de Staleke Palatinatum ad Rhenum adeptus eſt Anno 1156. Id quod e vetuſtis Scriptoribus vnus propemodum memoriae prodidit Dodechinus, ad hunc annum ita ſcribens: *Hermannus Palatinus Comes obiit: cui ſucceſſit Conradus, frater Imperatoris ex patre.* Talis autem vocatur in Friderici I. Imperatoris diplomatibus. Sic in Codice Gudeniano p. 247. inter teſtes Chartae Friderici Anno 1163. datae eſt.

Conradus Palatinus Comes Reni, frater Domini Imperatoris.

Et in alia ex Anno 1167. p. 257.

Frater noſter Cunradus Comes Palatinus de Reno.

Quae Scriptores Palatini plerique de Comitiis Goslarienſibus, in quibus publice inueſtitus ſit Conradus, addunt, apocrypha ſunt, & ad explendas rerum geſtarum Conradi, quarum oppido tenuis memoria ſupereſt, lacunas excogitata. Plurium inſignium Monaſteriorum Aduocatus fuit, quae eius memoriam conſeruarunt. Anno 1165. Abbas Lauriſheimenſis rogatu eius Schonaugienſibus Monachis loca inculta ad villam Virnheim excolenda dimiſit. (Probat. N. CXX.) Anno 1184. Conradus iisdem Monachis confirmauit, quae a Comitibus Lauffenſibus comparauerant. (Probat. N. CXXI.) Anno 1187. iisdem confirmat grangias in Scharra, Marpach & Nuenheim, (Probat. N. CXXII.) & Anno 1191. curtem Nuenheim liberam eſſe profitetur. (Probat. N. CXXIII.) Coniugem is habuit *Irmengardim: quae cuius familiae fuerit? quando & vbi locorum Conrado nupſerit? vbi, quando & quomodo defuncta ſit?* ſe non indagare potuiſſe ingenue fatetur Tolnerus, qui de Comitibus Palatinis dedita opera ſcripſit. Sed is eo tempore, quo haec ſcripſit, Chronicon Hennebergicum Cyriaci Spangenbergii nondum viderat; quod tamen nouem annis

Imperatoris ex fratre Conrado neptis, is non ſolum Palatinam ad Rhenum dignitatem & quietem domi nactus eſt; ſed etiam Imperatori ipſi gratiſſi-

annis poſt vidiſſe teſtantur additiones ad Hiſtoriam Palatinam, in quibus p. 23. Irmingardis genus & patriam indicat. Id quod Dn. Eccardus Hiſtor. Genealog. Saxon. p. 509. male eo detorquet, ac ſi Tolnerus traderet, Irmingardim vxorem fuiſſe Wilhelmi Comitis Palatini. In Chronico igitur Hennebergico p. 92. habentur litterae Popponis Comitis Hennebergici ex Anno 1159. quibus fatetur, quod *cariſſima genetrix noſtra Bertha tres manſos Monaſterio Veſſerenſi dedit. Itaque*, pergit, *& nos & germanae noſtrae, ſcilicet* **Irmengardis** *Palatina Rheni, &* **Liutgardis** *Palatina de Saxonia* factum confirmamus. Hennebergica Irmengardis fuit ſocrus Henrici noſtri, qui in diplomate mox producendo non ſocrum ſolum *Irmengardim*, ſed & ſororem eius *Liutgardin* nominat, quae nupta erit ei, de quo ſupra commentati ſumus, *Adelberto*, Palatinorum Saxoniae & Sommerſeburgenſium Comitum vltimo. Quod probat Henricus Meibomius Chronico Marienthal. p. 252. vbi addit, Liutgardin diu poſt mortem mariti vixiſſe, ſiquidem fratri Popponi Anno 1220. omne ſuum patrimonium dimiſerit. Meibomius aeque ac Spangenbergius eam in Monaſterio ſe occluſiſſe coniecturantur. Sed Henrici noſtri litterae demum produnt, eam ad ſororem *Irmengardim* ſe contuliſſe, & viduam cum vidua Heidelbergae vixiſſe & obiiſſe. Oſſa tamen eius in patriam relata ſunt. Tenzelius enim column. Memorial. Romhild. p. 11. narrat, in Draſtadenſis Monaſterii ruderibus ſe lapidem ſepulcralem vidiſſe, ita inſcriptum: *Decimo Kalendas Decembris obiit Liukart Palatina de Sumerſchenburg.* Ex connubio Conradi & Irmengardis nati ſunt non niſi liberi duo: filius videlicet & filia. Illi *Fridericus*; huic *Agnes* nomen fuit. Non ignoro, filium *Conradum* tribui Conrado Comiti Palatino a Scriptoribus Palatinis omnibus; ſed ſine vllo veteris cuiusdam auctoris, aut monumenti ſepulcralis teſtimonio. Quare hos in nomine erraſſe puto, & pro Friderico Conradum arripuiſſe. In Necrologio enim Laurishem. apud Schannat. Vindem. litter. I. p. 36. dies depoſitionis eius ita annotatus reperitur: *III. Non. Septemb. Friderici, illuſtris pueri. Hic filius Conradi Palatini Comitis de Reno.* Agneti quoque ſororem dant *Cunigundim*, monialium Nuenburgenſium Antiſtitem; ſed hanc quoque ſine auctore. Trithemium enim idoneis teſtibus cur accenſere recuſem, idôneas mihi cauſas habere videor. Interim plures Conrado & Irmingardi liberos natos praefracte non negauerim; ſed plurium, quam duorum notitia tuta via ad nos non peruenit. Defuncto Anno 1186. filio vnico, Conradus pater de eo ſollicitus fuit, vt feuda maſculina feminina redderentur, vxorque & filia in iis ſuccedere poſſent. Vnum huiusmodi mutationis monumentum ſupereſt, ex quo conſtat, Conradum Anno 1189. Philippo Colonienſi Archi Epiſcopo caſtrum *Staleke* & Aduocatiam in *Bacharach* reſignaſſe, quam is eodem momento cum Conrado, tum eius *Iugali*, **Dominae Irmengardi, eiusque filiae Agneti** iure feodali conceſſerit. (Probat. N. CXXIV.) Anno ſequenti 1190. Conradus, dum Rauengesburgenſe Monaſterium in tutelam ſuſcipit, factum id eſſe ait *vna cum ſpectabili Comitiſſa Palatina Irmentrude, noſtra coniuge legitima.* (Probat. N. CXXV.) Denique eodem, quo Henricus Leo, anno ſcilicet milleſimo centeſimo nonageſimo quinto, VI. Idus Nouembris Conradus Palatinus ex hac vita deceſſit, generoque ſucceſſionem ampliſſimae hereditatis reliquit; ſepultus in Monaſterio Schonaugienſi prope Heidelbergam. Caue tamen inſcriptioni ſepulcri credas, quam Freherus Orig. Palat. T. I. p. 97. & ex eo Tolnerus p. 329. producit, quia recentioris temporis partus eſt, pluribus indiciis ſe prodens, vtpote titulorum multitudine laborans, & Fridericum I. Imperatorem vocans *Barbaroſſam*. Potior Godefridi Colon. eſt auctoritas ad Annum 1195. ſcribentis: *Cunradus Palatinus Comes de Rheno obiit: cuius dignitates & beneficia Heinrico, filio Heinrici quondam Saxoniae Ducis, ceſſerunt. Is enim filiam eius* **vnicam** *duxerat.* Imaginem Conradi talem pinxit nobis Morena Script. Brunſuic. T. I. p. 848. *Statura erat mediocri, corpore firmo beneque compacto, capillis candidis, multa caeteroquin praeditus virtute, modeſtus parcique ſermonis.* Irmengardis quando obierit, nondum conſtat. Spangenbergius, Tolnerus & Tenzelius in patriam rediiſſe & Veſſerae ſepultam tradunt. Nobis potior fides diplomatis mox producendi, quo gener ait, eam


Digitized by Google

Tab. XVII. ad p. 187

Ciſtellæ pars anterior.




Poſtica pars.



Operculum.



Latera.



Digitized by Google

Digitized by Google

gratiſſimus factus eſt. Per teſtamentum parentis *Brunſuicum* acceperat, eiusque dominationem ſtatim ab obitu illius ſuſcepit.

§. 2.

Duobus poſt obitum patris menſibus, quinto nempe Kal. Nouembris Anni 1195. Palatinus noſter in Curia Imperatoris *Geilenhuſae* fuit. Ibi enim donationi (Probat. N. CXXVI.) per Albertum & Ottonem Marchiones Brandenburgenſes factae Eccleſiae Magdeburgenſi de Mokernic & Scolone teſtes inter caeteros ſe diplomati Imperatorio ſubnotarunt *Bernardus Dux Saxoniae*, *Heinricus Dux de Brunſwick*, *Hermannus Lantgrauius Thuringiae*, & alii plures. Vnde clarum *Ducem de Brunſwick* idem eſſe ac *Dux Saxoniae*. Sic enim in pluribus inferius commemorandis Chartis ſe nominauit. (b) Extat in Archiuio Canonicorum

eam aeque ac ſocerum Conradum *in Schonaugienſi Monaſterio locum ſepulturae viuentem ſibi elegiſſe.* Vnde in eodem Schonaugienſi Monaſterio ad latus mariti, tamquam indiuiduam in morte & vita ſociam, tumulatam infero. Atque ſic quidem memoria Conradi Palatini & Irmengardis Hennebergicae, parentum Agnetis, ditiſſimae & vnicae Palatinarum terrarum heredis, quae in manum Henrici Iunioris Ducis noſtri conuenit, reſtituta videtur. De ſponſalibus & nuptiis Henrici & Agnetis Palatinae ſupra actum eſt, quantum ſatis. Nunc addendum, de his interpretatum eſſe Dn. Eccardum figuras quasdam, quae conſpiciuntur in lignea ciſtula, aſſeruata Noribergae in pinacotheca Ebneriana, & quas ſcripto Anno 1725. libello germanico, quem *cimeliarchium* vocat, explicare aggreſſus eſt; magnam quidem antiquitatum Germanicarum notitiam praeferente; nihil tamen amplius ad argumenti noſtri illuſtrationem conferente. Vnde praeter figurarum illarum ectypon nihil in praeſenti repetimus.

b) In membranis Palatinis ſeu ad Palatinatum Rheni ſpectantibus, *Ducis Saxoniae* titulo penitus omiſſo, primis annis tantummodo *Palatinum Comitem Rheni*, nonnunquam addito *Duce*, ſemet appellauit. Teſtis eſt egregia Charta, ſtatim ab obitu ſoceri ineunte Anno 1196. ſcripta, (Probat. N. CXXVII.) qua fatetur, *ſocerum* ſuum, *Dominum Conradum*, *illuſtrem Comitem Palatinum Rheni dignae & recolendae memoriae*, *vna cum illuſtri Coniuge ſua*, *& dilecta ſocru ipſius Henrici Domna Irmengarde Eccleſiae in Schonaugia, in qua ambo Coniuges ſepulturae locum petierint & elegerint*, *praedium ſuum in Opphowe* tradidiſſe: cui *poſt mortem Conradi Irmengardis inſulas Rheni*, *dicto praedio adiacentes*, *pro remedio animae viri ſui*; *ſoror* autem *eius*, *Domna Liutgardis vineam* addiderit, *ex qua vinum conſecrationis Miſſarum perpetuo haberi poſſit.* Has donationes ſuo & *dilectae Coniugis Agnetis* nomine ratas habet, *ſuoque & ſocrus & ipſius germanae ſigillo* inſtrumentum communiri iubet Henricus. Vbi tria annotanda eſſe cenſeo. Primo, villam Ophowa, hodie Oppaw, teſte Frehero Orig. Palat. T. I. p. 75. in pago Lobetengowe, qui circa Ladenburgum ad Nicrum eſt, ſitam, in opere Gottwicenſi in recenſione villarum huius pagi pariter deprehendi. Deinde verum viduae Conradi nomen *Irmengardis* eſſe, vti Henricus ipſe in ſuo diplomate id ſcripſerat. Quod autem in diplomate *Conradi* mariti pro *Irmengarde* poſitum eſt *Irmentrudis*, inde factum exiſtimo, quod nomina virorum & mulierum ſola littera initiali in antiquis exemplis indicari ſolent. Vnde nomen aliud pro alio facile accipi potuit. Accedit & hoc, quod, cum filiarum Henrici Palatini nomina ſine dubio a matris & auiae nominibus ducta ſint, maior aetate, auiam nomine referens, nullibi *Irmentrudis* ſed ſemper *Irmengardis* appellatur: vt infra probabimus. Denique quod *Liutgardis* illa,

corum S. Blaſii eius Charta, (Probat. N. CXXVIII.) qua *Heinricus Dei gratia Dux & Palatinus Comes Reni* conſenſit in venditionem trium manſorum, in Bruneſwich in Veteri vico a Friderico de Veltheim Canonico, Canonicis S. Blaſii factam, quos is a Praepoſitura in beneficio tenuerat; & fecit hoc eo libentius Palatinus, quod hi manſi *ex antiqua conſuetudine alicuius Canonici beneficium fuerint*, & *Praepoſitura ipſa ſuae poteſtati ſit ſubdita.* In fine additur: (c) *Acta ſunt haec in ciuitate noſtra Bruneſwich Anno Domini MCLXXXXVI. Indictione XIII.* Ibidem eodem anno Diplomate, (Probat. N. CXXIX.) quod Riddageshuſae ſupereſt, *Baldewinum & Ludolfum Miniſteriales ſuos*, *Aduocatos de Bruneſwic*, ex ſuo conſenſu *quinque manſos in Offeleue Fratribus in Redageshuſen* vendidiſſe teſtatur. Eodem Anno VI. Idus Septembris (Probat. N. CXXX.) *Heinricus Dei gratia Dux Saxoniae* [quae vox in antecedentibus Chartis non extitit] *& Palatinus Comes Rheni* cum conſenſu *fratrum ſuorum*, *Willehelmi & Ottonis*, approbauit, quod *Heinricus de Twiſtinge* molendinum quoddam *de praedio ſuo in Sheeninge* ſitum, Eccleſiae S. Laurentii contulerit. Chartam inde confectam in Archiuio Monaſterii S. Laurentii Schoeningae reperimus. Eodem tempore exiſtimo etiam bona Eccleſiae & Praepoſiturae S. Crucis Sanctique Cyriaci Martyris in Bruneſwic ab Henrico Palatino confirmata eſſe. Longus eorum Catalogus in Archiuio Canonicorum reſtat, Sigillo Principis munitus, ſed ſitu fere conſumtus. Nos eum, quantum legi potuit, inter Probationes (N. CXXXI.) exhibemus. Forte quoque nunc Concambium iniit cum *glorioſo Domino H. Duce Saxoniae Rhenique Palatino* Ratmannus, Abbas in Luka, quo illi contulit domum Monaſterii *in Watlage*, & a Palatino recepit duos manſos *in Vriledhe & in Lodhe.* (Probat. N. CXXXII.) Charta ſine Dato in Archiuio Ducum communi Brunſuici reſtat. (d)

§. 3. Hen-

illa, cuius in hac Charta mentio fit, non *Conradi* Comitis Palatini, quod in margine Perilluſtris Editor vult, ſoror fuit; ſed *germana*, vt in fine dicitur, *ſocrus noſtrae*, *Irmengardis* ſcilicet, *vidua*, vt ſupra diximus, *vltimi Comitis Palatini* Saxoniae Adelberti, Comes Hennebergica.

c) Sed neque hoc obliuioni dandum erat, primo huic a patris obitu diplomati Sigillum equeſtre priſtinae pompae appenſum eſſe.

d) Contra in ſcriniis Monaſterii Luccenſis habetur Charta Henrici noſtri reciproca ſuper eodem, quod dicitur concambio, ſcripta Anno 1222. (Probat. N. CXXXIII.) quae ſimul figit aetatem Radmari Abbatis, quem vulgares catalogi antiquiorem faciunt. Ad hunc autem annum ſpectat alia Henrici Palatini Charta, (Probat. N. CXXXIV.) qua hic Princeps Luccenſibus confirmat donationem praedii cuiusdam, quod Vlricus de Bothmare, Miniſterialis ſuus, & eius vxor Hedeuigis, Monaſterio dederant.

Digitized by Google

§. 3.

Henricus Imperator hoc anno Principibus Imperii perſuaſit, vt filium ſuum Fridericum vix triennem in Succeſſorem ei & Regem eligerent, (e) Godefrido Colonienſi, Abbate Vrſpergenſi & Ottone de S. Blaſio

e) De propoſito Imperatoris, vt Germaniae Regnum ſuae Familiae proprium & hereditarium redderet, ſilent plerique Scriptores. Interim vera hic retuliſſe Dn. Eccardum ex quibusdam Codicibus Manuſcriptis colligere licet. Sic enim Chronicon Reinhartsbornenſe MS. quod Chronico Magdeburgico, quale Meibomius vitioſiſſime edidit, itidem MSCto intexuit Monachus quidam, vt apparet Ierichouienſis, narrata caede Alberti Leodienſis Epiſcopi, de qua ſupra Cap. 1. actum, ait: *inde aduerſus Imperatorem coniuratio fit Principum & clamor populorum;* & in conſpiratoribus nominat Moguntinum, Landgrauium Hermannum & Regem Bohemiae. Narrat porro, quomodo Coeleſtinus PP. III. eodem tempore ad conuentum Gelnhuſanum Iohannem Presbyterum Cardinalem tituli Sancti Stephani de monte Coelio cum litteris apoſtolicis miſerit, Crucis praedicandae gratia, & quam Imperator huius negotii promouendi viam inierit, demonſtrat his verbis: Cum *Hinricus illuſtris Imperator videret Archi Epiſcopos, Epiſcopos, Duces, Marchiones & ipſum Hermannum Landgrauium cum reliquis liberis & Miniſterialibus ad Signum Crucis anhelantibus animis tam ſolempniter properare; deſideriis eorum ſatisfacere cupiens, ſub generali edicto in ciuitate Moguntia Curiam celebrandam Principibus innotuit, priuilegiatam peregrinis ituris de hereditandis poſſeſſionibus ſuis in conſiſtorio Imperiali volens condere licentiam, vt, quicumque filium de libera non haberet, filiae habitae, vel cuicumque in genealogia proximo ipſam delegaret hereditatem, quatenus de promptis promptiores ac deuotis videretur efficere deuotiores. Ad quam tamen Curiam pauci conuenientes, ea ſe Imperatori obligauere promiſſione, vt de hereditando poſteritati ſuae Regno fidem indubitatam cum voluntario conſenſu facerent, aut certe, ſi hoc agere noluiſſent, tunc tamquam captiuos Imperii in cuſtodia publica ſe detineri non ambigerent. Proinde hii, qui aderant, timentes ſuis poſſeſſionibus emancipari, interlocutoriam quaeſiuere dilationem, ei ſe promiſſioni dedentes, vt in Curia apud Herbipolim proxime celebranda vniuerſitati Principum eamdem Imperatoris voluntatem deberent ſuggerere, & ad conſenſum hereditandi Regni etiam inuoluntarios, quoad poſſent, deflectere: atque ſi eorum conſiliis ceteri Principes accederent, bono res habita proceſſu conualeſceret, &, ſi quod dictum eſt ſecus accideret, ipſi proinde Imperatoriam animaduerſionem non mererentur. Denique ad Herbipolenſem Curiam properantes Imperatori ſegnem in dictis praebuere conſenſum. Quidam Principes, conſternati timore, ſua Imperatore dedere ſigilla; alii verbis inuoluntariis ad aſſenſum vtcumque illecti ſunt. Alii peremtorio penitus ſubducti conſilio, pigram ſe ad hoc negotium voluntatem habuiſſe proteſtati ſunt. Sicque factum eſt, vt ex dictis Principum Imperator facile aduerteret ipſos eorum motus voluntatum.* Poſt pauca interiecta narrat denique, quomodo filius Imperatoris in Regem electus ſit. *Imperator videns Teutoniae Principes de Regno poſteris ſuis hereditando difficulter ſibi annuere, continuo alia vſus via reuocauit prius habitam ſub acuta ſimulatione voluntatem, & quia non potuit efficere, quae volebat, ſuae auctoritatis imperio, ad auidae calliditatis arma confugit: quod liquido conſtabat ab eo, quia non fuerat eius mutata voluntas, quando ſe ad obtinendum, quae voluit, efferre viſa eſt proſperata facultas. Nam oblato Principibus retractationis eius rei priuilegio, tam ſubito eorum permutauit animos, vt, qui paulo ante altum ſpirantes, tumidumque minantes, huius rei cauſa proſcribi & extorres fieri optabant, ad indictam ſibi in Francford conuenientes Curiam, Conſtantinum, eiusdem Imperatoris filium, nondum doli capacem, quaſi hereditariae ſucceſſionis Regem, captu facilis conſilii cum Imperialibus praeconiis & magnis vocibus declamarent. Sicque impacati prius Imperatoris & Principum animi ad pacem redacti ſunt.* Fallitur itaque Geruaſius Tilber. Scriptor. Brunſuic. T. I. p. 943. de Henrico VI. Imperatore ita ſcribens: *Hic Legem inſtituit, vt militiae more Gallorum & Anglorum ſucceſſionis iure deuoluerentur ad proximiores cognationis gradus; cum antea magis penderent ex Principis gratia.*

S. Blaſio teſtibus. Diu iam, ſed fruſtra tentauerat, vt Regnum ſuae Familiae proprium & hereditarium redderet; ſed qui huic propoſito reſtitere, idque irritum effecere, Principes Saxoniae & in his noſtri erant Guelfi, libertatis Germaniae acerrimi propugnatores. Laetus hinc de negotio electionis filii ſui feliciter peracto per Italiam in Apuliam Siciliamque profectus eſt, ibique animum ad obtinendam Graeciam Imperiumque Conſtantinopolitanum intendit, quod inteſtinis turbis laborabat.

§. 4.

Interea tertia in Terram Sanctam expeditio in Germania ſuſcepta eſt, cui nomina dederunt, crucemque aſſumſerunt *Conradus Archi Epiſcopus*

Talem enim legem ignorat Germania, & quae ab Henrico VI. Principibus oblata erant, pendebant ex conditione, ſi Principes ſcilicet Imperium ei in poſteros hereditario deuoluendum deferrent, cui *Imperio Apuliam & Siciliam, quas vxorio nomine ſibi vindicabat, coniuncturum ſe profitebatur, ſi ſuis heredibus hereditarium fieret*, vt habet Chron. Comit de Marka ad Annum 1194. Henricus autem viſa rei difficultate, & apertam in ſe coniurationem veritus, ſponte ſua a diro propoſito abſtinuit, diplomataque a Principibus accepta reddidit, nouoque inſtrumento dato, quae ante acta erant, retractauit ſeu in irritum reuocauit. Hoc quoque Gobelinus Perſona confirmat p. 275. *Hic Henricus Imperator concordauit cum Principibus Regni, quod liberi ſui poſt eum hereditario iure Regnum obtinerent; ſed contradictum eſt ei a Principibus Saxoniae. Quare ipſe Imperator Principes illos a promiſſo abſoluit, & iuramenta ea occaſione praeſtita relaxauit.* Cum itaque feudorum hereditaria qualitas ab Imperatore ſuſpenſa fuerit ab hereditaria Regni qualitate admittenda & agnoſcenda; haec autem non a Principibus tantummodo impugnata & reiecta, ſed etiam ab ipſo Imperatore ad ſaniorem mentem reducto repudiata ſit: eo ipſo quoque hereditaria feudorum qualitas, quae pactioni de Regno in Familia Hohenſtaufica hereditario reddendo initae, ſed ab ipſomet Imperatore in irritum reuocatae innitebatur, conciderit neceſſe eſt. Vt adeo Tilberienſis de propoſito aliquid inaudiiſſe; exitum autem negotii ignoraſſe videatur. Quare ad eius fallax teſtimonium fruſtra prouocatur; praeſertim cum ipſemet Geruaſius eodem loco Scriptor. Brunſuic. T. I. p. 973. ſibi parum conſtans, aſſerat, *conuentionem iſtam ab* Innocentio *Papa fuiſſe caſſatam: tum quia ius eligendi Principibus per hanc ademtum eſſet, tum quia permutatio beneficorum damnoſa fieri poſſet Imperio; tum quia, ſi filius paruulus aut minus diſcretus iure ſucceſſionis Imperium vindicaret, pendente aetatis imperfectae conſilio, totius Imperii ruina immineret; tum quia ius Romanae Eccleſiae circa confirmationem Imperatoris, ac conſeruationem aut reprobationem pateretur diminutionem.* Et ſane Innocentius III. Ep. 33. p. 703. Tom. I. Epiſtolarum ad Germaniae Principes reſcripſit, ſe Philippum Regem agnoſcere non poſſe, ne libertas Principum in Imperatoris electione vileſcat, ſi non per electionem, ſed *per ſucceſſionem transferri a patribus in filios, & in fratres a fratribus Imperium videatur.* Principibus ergo Saxonicis Germania ante alios debet primigeniam libertatem ſuam, & Regum ſuorum liberam vſque ad hanc diem electionem. Admiſerunt quidem in Henricis filiorum ſucceſſiones, quae quamdam iuris hereditarii ſpeciem habuere; ſed tyrannidi eorum acriter reſtitere. Nunc cum Hohenſtaufii pinguiſſimis oblatis conditionibus nihil praeter ius hereditarium in Regno poſtularent, ne hoc quidem admittendum eſſe cenſuerunt, Henricorum exemplis edocti, quam facilis ab hereditario iure ad imperium abſolutum tranſitus ſit. Quae res procul dubio ſaniorem Principum partem mouit, vt defuncto Henrico VI. Ottonem Guelfum ſubſtituerent, ne filio ſubſtituto Hohenſtaufii haberent, quod de Regno hereditario gloriarentur. Et licet in fatis fuerit, vt Hohenſtaufii de Ottone triumpharent; in altum tamen ſublati videbantur, vt lapſu grauiori ruerent; breui tempore poſt funditus interituri.

Digitized by Google

ſcopus Moguntinus; Conradus Cancellarius Epiſcopus Herbipolenſis; Fridericus Dux Orientalis, filius Leopoldi; Henricus Palatinus Rheni; Henricus Dux Brabantiae de Louanio, Adolfus Comes de Schauenburg, & alii plures, vt ex Ottone de S. Blaſio cap. 42. Rogerio Houedeno & Arnoldo Lubec. Lib. 5. c. 1. ſcimus. Meibomius in Chronico Marienthalenſi pag. 258. dicit *Anno MCXCVII. Henricum Ducem Saxoniae & Comitem Palatinum Rheni in Vallem Mariae veniſſe, eique ſe oppido liberalem & munificum exhibuiſſe.* Sed, vt alibi plerumque diplomata a Meibomiis citata non inueni, ita & hoc in loco illo fruſtra quaeſiui. (f) Auorum noſtrorum tempore eiusmodi antiquitates non curabantur, atque, vbi ab eruditis deſiderabantur, iis communicatae & non repetitae fuerunt. Hoc quoque Anno 1197. iura Aduocati Eccleſiae S. Blaſii in ordinem redegit Charta, quam Rhetmeierus Antiquitat. Eccleſ. Brunſuic. Tom. I. Probat. p. 57. edidit. (Probat. N. CXXXVI.) Hoc tempore pariter *Henricus Dei gratia Dux, Eccleſiam B. Pauli in Halberſtad, ſicut Eccleſiam ſuae ciuitatis*, in ſuam protectionem ſuſcepit, (Probat. N. CXXXVII.) ita vt nulli liceret in bonis ſuis, praecipue, quae in Halberſtad ſitae ſint, Aduocatiam vel aliquid iuris ſibi addicere.

§. 5.

Ne autem quis *tempore peregrinationis ſuae* abſentia eius abutatur, protectionis ſuae vicem Wilhelmo fratri ſuo & F. Marſcalco commiſit, ceu ex Diplomate modo citato patet, quod in veteri Bibliothecae Cathedralis Moguntinae Codice repertum eſt. Vtque abſens domi pacem haberet, ſumtusque itineris longinqui graues ſibi procuraret, cum Adolfo Comite Holſatiae, qui *Lauenburgum*, adiutus ab Adolfo de Dasle, acriter obſederat, in amicitiam rediit, ne in manus Canuti Daniae Regis idem Caſtrum veniret. *Mediantibus*, inquit Arnoldus Lib. VI. c. 12. *amicis, Comes Adolfus ad gratiam Palatini venit, & facti ſunt amiciſſimi, ita vt Dux patrimonio ſuo, quod prope Albiam habebat, dictum Gamme, eum inbeneficiaret, & Comes ſeptingentas marcas Lubicenſes ei perſolueret.* Ibi tunc & Lauenburgum Adolfo Comiti traditum eſſe videtur. Ab hoc enim tempore in poteſtate huius Comitis fuit. (g)

f) Forte rumor de aduentu hominum, qui ex mandato veteres Chartas pro iure ſuo inſpiciendi facultatem poſtulabant, inuidiam mouit, vt plerasque abſconderet, ſciens, ſe impune non parere poſſe. Quodſi Henricus Palatinus hoc Anno 1197. in Vallem Mariae venit, conficiendi certi negotii cauſa eo venit, quod Brunſuici denique perfectum & in litteras relatum eſt: ex quibus diſcimus, eum Fratribus Vallis Mariae in ſubſidium peregrinationis ſuae, conſentientibus fratribus *Ottone & Wilhelmo*, pro LXXX. marcis villam Conſtorp dimiſiſſe. (Probat. N. CXXXV.)

g) Quae hic narrantur, aliquanto poſt hoc tempus facta fuiſſe videntur. Comes

§. 6.

Eodem Anno 1197. 6. Kal. Iunii idem Palatinus *a Comitibus de Spanheim Heinrico, Alberto & Gotfrido* 650. marcas mutuo accepit & *pro hac pecunia Comitiam in Meineuelde* in pignore dedit. Iisdem quoque Comitibus *villas Engelſtat & Hedenesheim cum Comitia* pro 550. marcis, & *villam Sickenbach* pro 100. marcis oppignorauit, teſte Charta, (Probat. N. CXXXVIII.) quam Freherus Orig. Palatin. P. I. c. 11. & Tolnerus in Codice Diplomatico Palatino Cap. LXVIII. publicarunt. Tanti pietas illo aeuo conſtabat. Eodem anno (h) ipſo Paſchae die Eccleſiae Treuirenſi eiusque ArchiEpiſcopo Iohanni reſignauit *Aduocatiam* eiusdem *cum omnibus appenditiis tam feudatis, quam non feudatis, nec non omnia annualia ſeruitia, quae praedeceſſor ſuus habuerat in villis Archi Epiſcopi, ſitis in pago, qui Trechere dicitur, & in omnibus villis aliis Archi Epiſcopi, ſitis ſupra Moſellam. Idem Comes Palatinus iurauit ſuper clauum Domini, & ſuper omnes reliquias in eadem capſide contentas, quod nec ipſe, nec aliquis haeredum ſuorum eandem Aduocatiam & eadem feuda vnquam repeteret.* Videatur Diploma eius apud Tolnerum in Codice diplomat. cap. 67. ex quo id infra (Probat. N. CXXXIX.) repetiimus.

§. 7.

Imperator quo minus ſe Cruce ſignatis adderet, turbis in Apulia enatis impeditus eſt. Cruce vero ſignati Anno 1197. ipſo S. Aegidii feſto die Meſſana ſoluerunt, & Acconem in feſto B. Mauritii appulerunt. Henricus de Campania tunc Terrae Sanctae praeerat, Regis inſtar; ſed infelici lapſu fracta ceruice periit, cum in eo eſſet, vt Ioppae ciuitati a Saracenis obſeſſae ſuccurreret. Ioppe itaque a Saracenis capta eſt. Henricus noſter Palatinus, teſte Rogerio Houedeno, in ciuitatem Accon tunc ſe recepit. At cum Saraceni e Caſtro Chorut eruptionibus Chriſtianos apud Tyrum reſidentes vexarent, vna cum Henrico Duce Brabantiae ad huius loci obſidionem ſe contulit. Firmiſſimus is erat, & ſolido

Adolfus Lauenburgum tenuit vſque ad Annum 1203. quo a Rege Danorum Waldemaro II. non ſolum tota Holſatia, ſed etiam Lauenburgo eiectus, Schauenburgum in patriam rediit Arnold. Lubec. Lib. VI. c. 17. fin. & Danorum Rex totius Nordalbingiae Dominus factus eſt, cui Albertum Comitem Orlamundanum, ſororis ſuae filium natu minorem, praefecit. Qui rerum habitus durauit vſque ad Annum 1227. quo Dani poſt praelium Bornhouedenſe viciſſim e terris Transalbinis expulſi ſunt.

h) Ita quidem Tolnerus. Sed Browerus & Maſſenius hoc negotium referunt ad annum ſequentem, factumque id eſſe contendunt ad captandam Treuirenſis ArchiEpiſcopi beneuolentiam pro fratre Ottone, qui tum Rex electus erat. Quibus propterea adſtipulandum eſſe cenſeo, quia in hoc documento nulla ſubſidii pro *peregrinatione* in Terram Sanctam mentio eſt, quae in caeteris, vbi de pecunia ad illam peregrinationem comparanda agitur, non omitti ſolet.

Digitized by Google

ſolido lapidi ſuperſtructus. Nouo igitur ad illum recipiendum genere vſus eſt Henricus Palatinus, patri iam in Daſenbergae expugnatione probato. Arnoldus Lubecenſis Lib. V. cap. 4. de eo nos certiores reddidit, his verbis: *quia locus ille praeruptus erat nimis & quaſi inacceſſibilis, nouum genus expugnandi, hoſtibus vero omnino incognitum, ſunt aggreſſi. Fuerunt ſane ibi nonnulli de Saxonia, quibus erat notum, qua arte excauatur mons argentarius, dictus Rammesberg, qui apud Goslariam multis eſt cognitus. Multo igitur labore expenſaque plurima opus illud aggreſſum eſt, praefectis quidem operis vigilantius inſiſtentibus, cooperatoribus vero caſtrorum in gyrum reciproca vice ſeſe alternantibus. Cumque tali arte montem cauarent, appoſitoque igne, prout libuit, muros cadere facerent, hoſtes exterriti, neſciebant, quid agerent, dum caſtrum ſubrui quaſi ſine tormento murorum viderent. Ipſi tamen ſimili arte fodere coeperunt, ſed laborantes nihil profecerunt.* Neſciebant enim modum, quo metallorum foſſores Goslariae adhuc vtuntur, firmumque lapidem lignis ſuppoſitis & incenſis in calcem redigendo domant; quod vulgo *Setzen* illi appellant: Videtur fere his exemplis arti cuniculis ſubterraneis caſtra obſeſſa recipiendi via aperta, quae inuento puluere pyrio eidemque applicato perfectior ſenſim reddita eſt, & noſtro ſaeculo ad ſummum faſtigium peruenit. *Chorutum*, iam fere ſuccubuerat; Sed cum de deditione eius ageretur, de deditionis conditionibus conueniri non poterat. Qui enim in caſtro erant, rogabant aliquando hos, qui excubias ſeruabant, vt eis dicerent, *quisnam Dominus eorum; & cuius caſtra eſſent ipſis oppoſita?* Qui reſponderunt: *Caſtra, quae videtis, ſunt Henrici Palatini de Rheno, filii Henrici Ducis, nominatiſſimi Principis, & nos ſumus ſerui illius.* Ad haec illi: *Vellemus, ſi fieri poſſet, loqui Domino veſtro de pacis vnione.* Ad petitionem illorum *Palatinus* venit; dextras dedit & accepit, Brabantiaeque Duci voluntatem eorum aperuit. Decretum fuit, vt ſeptem viri ex arce in caſtra deſcenderent, ſimul pacis obſides futuri. Cum his conuentum, vt Saraceni, relictis theſauris ſuis, e caſtro inermes diſcederent. Id quod ratum habere nolentes, qui in caſtro erant, de obſidibus parum ſolliciti arma corripiunt, ac tanta vi ſe defendunt, vt Chriſtiani denique obſidionem ſoluere cogerentur; ceu iterum ex Arnoldo l. c. diſcimus. Omnis vero expeditio haec ſucceſſu tandem caruit, cum comperta morte Imperatoris, Principes plerique, atque inter eos & noſter Henricus, ad ſua redirent. Deceſſerat enim Imperator in Sicilia apud Meſſanam eodem Anno 1197. in Vigilia S. Michaëlis.

§. 8.

In reditu e Terra Sancta Henricus Palatinus Venetiis applicuiſſe, ibique hereditaria ſua bona in Italia inuiſiſſe, eaque ordinaſſe videtur. Clariſſimus enim Muratorius Antiquitat. Eſtenſ. P. I. p. 373. ſeq. Chartas geminas edidit, ex quibus hoc clare apparet. Diſcimus inde controuerſiam quandam fuiſſe *de bonis in Baone* ſitis inter Mezomarcheſium quendam ex vna parte, & Henricum, Martinum & Zetum de Baone, fratres, ex altera. Mezomarcheſius dicebat, iis ſe inueſtitum ab Henrico Palatino. Inquiſitum igitur eſt in ius Principis noſtri in bona illa & teſtes auditi. Inſtrumentum inde confectum hoc eſt: *Anno Domini Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Octauo, Indicione Prima, XIII. die exeunte Iunio Credunt Henricus, Zetus & Martinus, fratres, quod habent & tenent peciam de terra cum vineis & ſine vineis, & cum nemore, quam Mezomarchexius ab eis petit. Sed dicunt, quod habent & tenent eam ad libellum perpetualem a Monaſterio Sancti Stephani de Cararia. Item credunt, quod Baonum & eius fines, & terra litis fuit aloidum Epiſcopatus Padue. Item credunt, quod terra litis eſt in conſſinio Baonis, loco vbi dicitur Braida, ſeu Caſtelbaratero. Item credunt, quod Vgo Maior de Baone habuit & tenuit Baonum cum eius finibus, & terram litis ad feudum a Marchione Azone Eſtenſe. Item credunt, quod dictus Marchio Azo habuit & tenuit Baonum cum ſua Curia, & terram litis ad feudum ab Epiſcopatu Padue. Item credunt quod Albertus de Baone viuens modo exiuit per maſculinum ſexum de dicto Vgone de Baone maiori, qui fuit Alberti quondam de Baone. Item credunt, quod Baonum & eius Curia, & terra litis venit in partem dicto Vgoni del Manſo. Item credunt, quod dictus Marchio Azo habuit tres filios, ſcilicet Ducem Welfum, & Vgonem del Manſo, & Fulcum. Item credunt, quod omnes maſculi, qui exiuerint de dicto Vgone del Manſo, mortui ſunt. Item credunt, quod Dux Henricus, qui nuper venit de vltra mare, exiuit de dicto Duce Welfo, qui fuit filius dicti quondam Marchionis Azonis per maſculinum ſexum. Item credunt, quod Marchio Obizo fuit filius dicti quondam Marchionis Fulchi, quondam filii praedicti Marchionis Azonis. Item credunt, quod Dominus Albertus de Baone viuens tunc refutauit terram litis Marchioni Obizoni praefacto. Et ipſe refutauit Dompno Symeoni Abbati dicti Monaſterii de Cararia recipienti pro Domino Epiſcopo Padue, & pro eius parabola. Item credunt, quod iſte Dux Henricus prefactus, qui nuper venit de vltra mare, fuit Nepos ex maſculino ſexu vnius germani Cuſini, dicti Marchionis Opizonis. Item credunt, quod talis conſuetudo eſt vltra montes, quod filius maior alicuius habet totum feudum, vbicumque ſit, & in toto ſuccedit. Et minores non habent quicquam, nec ſuccedunt,*

ſuccedunt, donec Maior ſupereſt, & eius diſcendentes maſculi. Item credunt, quod dictus Dux Henricus, qui nuper venit de vltra mare, fuit maior filius patris ſui, Ducis Henrici. Item interrogati predicti fratres, ſi dictus Dux Henricus, qui nuper venit de vltra mare, inueſtiuit dictum Mezomarchexium ad feudum de terra litis, & ſi dederit ei racionem, & actionem iure feudi. Reſponderunt, quod non credunt, niſi aliud ſibi oſtendetur. Item negant predicti fratres, quod dictus Dux Henricus, qui nuper venit de vltra mare, non fecit Mezomarchexium ſuum nuncium ad petendam inueſtituram Epiſcopo Padue de terra litis, niſi aliud oſtendetur, & quod non peciit. Sententia mox in eadem controuerſia pronunciata haec eſt: *Anno Domini Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Octauo, Indicione prima, die Octaua intrante Iullio. In preſentia Presbiteri Salomonis de Baone, Belliti Diaconi, Domini Hengeuolfi Iudicis, Vandi de Piloto, Batiſegale & Molinarii eius filii, & aliorum. Dominus Marcus Iudex talem infra ſcriptis tulit ſententiam. In nomine Domini. Ego Marcus Iudex cognoſcens ex delegatione Domini Alberti de Baone de lite, que vertebatur inter Mezomarchexe ex vna parte, & inter Henricum, & Martinum, ſeu Zetum de Baone fratres ex alia, ſuper petitione vnius pecie terrae cum vineis & ſine vineis, & cum nemore, poſite in confinibus de Baone vbi dicitur Braida, ſeu Caſtelbaratero, quam dictus Mezomarchexe petebat ab eis, dicens ſe inueſtitum fore ab Henrico Duce, filio quondam Henrici Ducis de Sanſonia iure feudi de omnibus terris & poſſeſſionibus, que detinebantur in Curia Baonis per Monaſterium Cararie, ſiue laborabantur per ipſum Monaſterium ad ſuum donicatum, ſiue alii per ipſum Monaſterium detinebant, quocumque iure detinebant. Inſuper aſſerebat, ipſum Henricum Ducem ſibi dediſſe & ceſſiſſe omne ius, & omnes actiones reales & perſonales, quot & quas in predictis terris & poſſeſſionibus habebat in ſe & ſuis heredibus iure feudi, & ſe procuratorem tamquam in rem ſuam iure feudi conſtituiſſe, vt poſſet agere, conuenire & defendere, quemadmodum ipſe poſſet. Et de hoc quoddam Inſtrumentum publicum per Mayfredinum Notarium ſcriptum hoſtendebat. Et inſuper dicebat, dictum Henricum Ducem, filium quondam dicti Henrici Ducis de Sanſonia, eum ſuum nuncium conſtituiſſe in prendenda Inueſtitura ſui feudi de Baone, de omnibus terris, vineis, & poſſeſſionibus, quae ſunt in Curia Baonis, a Domino G. Epiſcopo Padue, que non detinentur, nec habentur per Marchionem Azonem. Et de hoc aliud Inſtrumentum publicum per dictum Mayfredinum Notarium ſcriptum hoſtendebat. Et quoddam aliud Inſtrumentum hoſtendebat per Arimanetum Notarium ſcriptum, ſe dictam Inueſtituram a prefacto Domino G. Paduano Epiſcopo petiiſſe. Dicebat namque predictus Mezomarchexius, Dominum Albertinum*

de Baone dictas terras, vineas & poſſeſſiones de Curia Baonis refutaſſe in manu quondam Marchionis Opizonis; & ipſum Marchionem Opizonem refutaſſe in manu quondam Dompni Symeonis Abbatis dicti Monaſterii recipientis pro dicto Domino G. Padue Epiſcopo, & pro eius parabola. Vnde aſſerebat, dictas terras, vineas & poſſeſſiones in predicto Duce Henrico apertas fore, eo quod dicebat, dicti feudi Coheredes eſſe, & ad ipſum iure feudi hereditarii pertinere; & has & alias allegationes allegabat. Et occaſione dicti fratres dicebant, ſe habere & tenere dictam peciam terre cum vineis & ſine vineis, & cum nemore ad libellum perpetualem a dicto Monaſterio de Cararia. Data eis deliberatione denun . . . . . . de dicto Monaſterio, ſeu Abbati, vel Monacis, & viſis, & auditis rationibus, & lectis confeſſionibus vtriusque partis, & deligenter inſpectis & lectis dictis Inſtrumentis, a ſupraſcripto Mezomarchexe introductis, & termino perhemtorio vtrique parti ſtatuto, & habito quorumdam Sapientum conſilio, & data licencia vtriusque Iudicandi, non obſtante tempore meſſium: Condempno dictum Henricum & Martinum, ſeu Zetum in reſtitutionem dicte pecie terre cum vineis, & ſine vineis, & cum nemore dicto Mezomarchexio. Et ſic dedi ei Gerardum, Caſtaldum dicti Domini Alberti, quod daret ſibi tenutam. Datum in Baono ante Eccleſiam ſuper petram latam ſub Vlmo, teſtibus, vt ſupra. Hinc vero cernimus, reſtitiſſe omnino Henrici Leonis poſteris ius in auita bona Italica, idque in Paduano tractu vindicatum nunc ab Henrico Palatino; ſed deinde ab Agnatis eius Eſtenſibus Marchionibus ſenſim vſurpatum, & tandem in Germania penitus oblitum eſſe. Neque enim ex hoc tempore vllibi inuenimus, Principes noſtros Italicarum terrarum curam vel minimam habuiſſe.

§. 9.

Si domi fuiſſet Henricus, dubio procul a Richardo Rege auunculo Principibus Germaniae, vt Rex Romanorum eligeretur, commendatus fuiſſet. Eo vero abſente, eius loco adiutus ab eo eſt frater eius Otto. Rogerius Houedenus nobis hoc indicauit pag. 776. *Ipſe*, inquiens, *Rex Angliae modis omnibus nitebatur efficere, quod Henricus Dux Saxoniae, nepos eius, fieret Imperator. Sed quia ipſe nondum de peregrinatione ſua redierat, & mora ad ſe periculum trahebat, praefatus Rex Angliae effecit aduerſus Archi Epiſcopos, Colonienſem & Moguntinum, & aduerſus quosdam aliorum magnatum Alemanniae, quod ipſi elegerunt Othonem nepotem ſuum, fratrem praedicti Henrici Ducis Saxoniae, in Imperatorem.* Patriae redditus Henricus noſter (i) fratri in Regem electo fideliter adhaeſit, vti

i) Fratribus Riddageshuſenſibus molendinum in Offeleue confert pro duobus manſis & dimidio in Algolteſtorp 1199. Indictione II. (Probat. N. CXL.) Dn. Eccardus hoc

Digitized by Google

vti Geſta Innocentii Papae Num. XXII. probant. Et Rogerius Houedenus pag. 776. *Henricus*, inquit, *Dux Saxoniae, Comes etiam Palatinus de Rheno, frater praedicti Ottonis, poſt reditum ſuum de Terra Suliae* [Syriae] *ratum & gratum habens, quod de fratre ſuo factum erat, electionem ſuam confirmauit.* Non itaque electioni, vt Arnoldus Lubecenſis Lib. VI. c. 1. & Ottonis de S. Blaſio Appendix cap. 46. putarunt, ſed approbationi Ottonis Regis interfuit. Appendix Ottonis de S. Blaſio cap. 46: *Otto auxilio fretus Henrici Palatini fratris ſui & Colonienſium impetus Philippi conſtanter ſuſtinuit.* Aquisgrano mox cum fratre aduerſus Philippum ad Rhenum ſuperiorem Spiram verſus, mouit. Ibi enim, vt ex Kyriandri Annal. Treuirenſ. pag. 164. diſcimus, Iohannes Archi-Epiſcopus *conquiſiuit a Conrado Comite de Calowe Caſtrum, quod dicitur Entzenberg, quod ſitum eſt in pago, qui dicitur Krechgow, Epiſcopatu Spirenſi, iuxta villam quae dicitur Pſortzheim: quam Eccleſiae Treuirenſi contulit & ab Archi Epiſcopo in beneficium recepit. Acta ſunt haec coram bonae memoriae Imp. Henrico & Palatino Comite in Caſtro iuxta Spiram Germersheim.* Vbi in poſterioribus verbis mendum eſt, & forte legendum: *coram bonae memoriae Duce Henrico & Palatino Comite* &c. Henricus enim Imperator iam obierat. (k) Philippo vero praeualente ſeque Saxoniae

hoc negotium refert ad 1220. Sed Indictio II. anno appoſita clare oſtendit, Chartam hoc anno ſcriptam fuiſſe.

k) Sed haec emendatio naturae rei aduerſatur. Nam vel propterea quod Henricus Imperator tum obierat, Henricus autem Palatinus in viuis erat, illud *bonae memoriae* ad Imperatorem potius, quam ad Palatinum erit referendum. Equidem non ignoro, illud *bonae memoriae* viuentibus quoque, praeſertim hominibus ſacris adſcribi. Sed hoc fit rariſſime. Rara autem non praeſumuntur. In vniuerſum locus hic e Kyriandro adductus non probat, Henricum Palatinum & Ioannem Archi Epiſcopum Treuirenſem hoc Anno 1198. cum Ottone Rege ad Rhenum ſuperiorem Spiram verſus mouiſſe, & negotium, de quo Kyriander agit, hoc anno Germersheimii coram Henrico Palatino confectum eſſe, quia annus, quo haec geſta ſunt, fragmento diplomatis non adſcriptus, nec in eo Henricus Palatinus nominatus eſt, & Caſtrum Enzenberg Eccleſiae Treuirenſi ab Iohanne Archi Epiſcopo, qui iam Anno 1190. in Sedem Treuirenſem promotus erat, acquiri potuit ſub Conrado Palatino & Henrico VI. Imperatore, quorum vterque, cum haec ſcribebantur, *bonae memoriae* h. e. defunctus erat: id quod de Henrico Palatino dici non potuit, quippe qui Iohannem Archi Epiſcopum Anno 1223. mortuum ſuperuixit. Quod vt penitus capiatur, ſciendum eſt, inde ab antiquiſſimis temporibus apud Eccleſias Cathedrales vſum inualuiſſe, vt in funere cuiusque Epiſcopi res geſtae eius in litteras referrentur, quas *Schedas emortuales* vocamus: e quibus coagmentatis poſt decurſum plurium ſaeculorum facile fuit Chronica optimae notae contexere, quale eſt Leibnitii Hildenſemenſe, de quo ſupra diximus. Ex huiusmodi ſchedis emortualibus conſarcinata ſunt *Geſta Archi Epiſcoporum Treuirenſium*, quae varia forma circumferuntur, edita primum a Dacherio, tum a Leibnitio, plenius ab Eccardo, omnium autem pleniſſime ab helluone illo & optimo veterum monumentorum promocondo Martenaeo in collectionis ampliſſimae Tomo IV. Vbi animaduertendum eſſe cenſeo, fruſtra de auctore horum Geſtorum diſquiri, Eccardique *Golſcherum* ad laruas amandandum eſſe, quia tot eorum auctores fuere, quot Epiſcopi. Wilhelmus tamen Kyriander codice vſus eſt omnibus editis pleniore. Vt enim ea, quae de

Saxoniae inſundente, Henricus Palatinus cum fratre Rege Saxoniam quoque repetit, ibique Anno 1199. vltionem de aſſeclis Philippi, Archi-Epiſcopo Magdeburgenſi (cui tunc *Somerſeburgum* ademit) & Hildeshemenſibus ſumſit. Anno quoque 1200. *Brunſuicum* ſtrenue aduerſus incurſum Philippi defendit, vt fuſius Arnoldus Lib. VI. c. 4. refert. Chronicon quidem Riddageshuſanum, & Compilatio Chronologica a Madero primum edita obſeſſionem hanc Brunſuici in Annum 1199. referunt; ſed accuratius Chronicon Rhythmicum & Albertus Stadenſis illam anno, quo diximus, contigiſſe oſtendunt.

§. 10.

Philippus Rex mox vicem Palatino retulit, atque, vt aegre ipſi faceret, *Stadium*, patrimonium ipſius, Anno 1200. *Hildeshemi* exiſtens Hartwico Archi Epiſcopo Bremenſi adiudicauit. (Probat. N. CXLI.) Diploma in Iohannis Rhode Chronico Bremenſi extat & T. II. Script. Brunſuic. pag. 271. editum eſt. In eo Rex dicit: (1) *Notum facimus Imperii fidelibus tam praeſentibus quam futuris, quod nos attendentes deuotionem dilectorum ac fidelium noſtrorum Hartwici ſecundi Bremenſis Archi Epiſcopi, Cleri & totius Familiae Bremenſis Eccleſiae, caſtrum Stadii cum Comitatu & vniuerſis pertinentiis ſuis, Patrimoniumque Rodulphi Marchionis, & fratris ſui Hartwici Bremenſis Archi Epiſcopi, Patrimonium Henrici Marchionis, nec non haereditatem nobilis foeminae Idae, Patrimonium Comitis Frederici de Stadio, quod quondam Dux Henricus per violentiam occupauerat, ſed Sereniſſimus pater noſter Fridericus diuae memoriae Romanorum Imperator Auguſtus poſtmodum in ſolenni Curia apud Erfordiam celebrata per*

de geſtis Ioannis Archi Epiſcopi profert, per omnia fere conueniunt cum Eccardianis; ita hoc ſingulare habet, quod conſignata quoque exhibeat, quae Iohannes Treuirenſi Eccleſiae acquiſiuerat, quaeue ab editis abeſſe ſolent. Cum autem haec, vt diximus, in funere Archi Epiſcopi, quod in Annum 1223. incidit, demum in litteras relata ſint, quo Henricus Palatinus adhuc vixit; ſatis euidens eſſe exiſtimo per *bonae memoriae Henricum Imperatorem, & Comitem Palatinum Rheni* non Henricum noſtrum Guelfum, ſed *Henricum VI.* Imperatorem & *Conradum* Palatinum, ſocerum Henrici noſtri, intelligendum eſſe, totumque hoc negotium ante Annum 1195. quo *Conradus* e viuis exceſſit, celebratum fuiſſe.

1) Aliud Philippi diploma de Comitatu Stadenſi habet Hammelmannus in prooemio ad Chronicon Oldenburgicum neſcio vnde deſcriptum; hoc tamen ſingulare habens, quod in eo *inſularum & territoriorum, terrae antiquae, Hadeleriae, Wurtſatorum, Keddingorum, & vltra Albiam Tietmarsgouorum* mentio fit. Quod ſi genuinum eſſet, ad Henricum VI. tamen potius, quam ad Philippum referendum foret, quia probabile eſt, hunc quoque paternis inſiſtentem veſtigiis Comitatum Stadenſem Guelfis ereptum iuiſſe; ad quos tamen ſubinde rediit. At ſi dicendum, quod res eſt, turpem ſe hic impoſtorem, aut ſaltem diplomatum interpolatorem praeſtitit Hamelmannus, teſtibus Philippi Regis interſerens *Elimerum* quemdam *Ambriae & Ruſtringiae Comitem*, iam olim in diploma aui Friderici I. inuita Minerua intruſum; *Ottonem Thuringiae Landgrauium; Theodoricum Marchionem Brandenburgenſem*, ſimilesque laruas alias, quarum nomina vera ignorat hiſtoria.

Digitized by Google

per ſententiam Principum & totius Curiae ſuae eidem Duci abiudicatum Eccleſiae Bremenſi reſtituit, donauit & confirmauit; Nos igitur feliciter ac iuſte paternam imitari cupientes aequitatem, praedictum Caſtrum Stadii cum Comitatu & omnibus pertinentiis ſuis, ſimiliter & ſupra dicta patrimonia Rodolphi Marchionis, H. Marchionis, Comitis F. de Stadio atque haereditatem nobilis matronae Idae, cum omni iure & integritate omnique vtilitate & honore Eccleſiae Bremenſi perpetuo iure poſſidenda confirmamus. Cometiam Stadii Henricus Imperator gubernandam commiſerat antea Adolfo Comiti, & tandem, acceptis ab eo DC. marcis, eidem plane in beneficium dederat cum tertia redituum parte, vt Arnoldus Lib. IV. cap. 22. indicat.

§. 11.

Eodem Anno 1200. Henricus Palatinus cum fratre Wilhelmo Luneburgico in Angliam miſſus eſt ab Ottone Rege, vt hereditatem Richardi Regis repeteret a fratre eius, Rege Iohanne; ſed nihil obtinuit, vt Houedenus pag. 802. indicat. Tandem huic poſtulationi Anno 1202. renuntiatum eſſe videtur, cum Iohannes Rex cum Rege Ottone foedus iniret, eumque totis viribus defendere promitteret; vti infra videbimus in vita Ottonis. Quod quomodo praeſtiterit, nemini obſcurum eſſe poteſt. Interim Henricus noſter Palatinus eodem hoc Anno 1200. (Probat. N. CXLII.) confirmauit commutationem quorumdam manſorum, quam Miniſterialis ſuus Herwicus de Scowen cum Walkenredenſibus Fratribus fecerat, nec non emtionem quatuor aliorum manſorum in Schowen, quos iidem Fratres ſua pecunia comparauerant.

§. 12.

Anno 1201. Ottonem Regem auxilio Archi Epiſcopi Colonienſis & *Henrici Palatini* Herbipolim vsque cum exercitu proceſſiſſe, auctor eſt Godefridus Colonienſis. An ipſe Henricus fratrem in expeditionem comitatus ſit, non liquet. Hoc certe anno *Brunſuici* approbauit commutationem, quam de bonis quibusdam cum Fratribus Ridageshuſanis inierant *Baldewinus & Ludolfus Aduocati Brunſuicenſes.* Autographum Chartae in ſcriniis Ridageshuſanis ſupereſt. Vnde id repetimus (Probat. N. CXLIII.) Hoc etiam anno, teſte Godefrido Colonienſi, in Germaniam venit Guido Cardinalis, Epiſcopus Praeneſtinus, Papae Legatus, vt Proceres in Ottonis Regis obſequium adduceret, Philippumque & aſſeclas excommunicaret. Hic, vt pleriſque Proceribus, ita & Henrico Palatino has litteras a Baluzio Epiſtolar. Innocentii III. Tom. I. p. 706. editas attulit: *Gaudere debes in Domino & in actionibus nobis aſſurgere gratiarum, quod is, cuius Imperii non eſt finis, per nos, licet indignos, vicarios ſuos*

ſuos genus tuum exaltare diſpoſuit, & de fructu ventris illuſtris memoriae Henrici Ducis Saxoniae, patris tui, ſuper ſedem Imperii ſtabilire. Quantum autem id ad gloriam tui nominis ſpectet, & ad honoris tui pertineat incrementum, ſatis intelligit tua nobilitas per ſe ipſam, cum excepto nomine imperatoriae dignitatis, cetera tibi & cariſſimo in Chriſto filio noſtro illuſtri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo, quem nos in Regem recepimus, & regalem ei praecipimus honorificentiam exhiberi, communia ſint futura. Cum igitur negotium eius proprie proprium debeas reputare; nobilitatem tuam monemus & exhortamur in Domino, & per Apoſtolica tibi ſcripta mandamus, quatenus ad honorem & exaltationem eius, immo tuam, in eo, viriliter & potenter intendas, & ita promotionem eius ſtudeas procurare, quod idem Rex expertus in te fraternae deuotionis affectum, fratrem ſe tibi debeat in omnibus, in quibus cum eo Dominus miſericordiam fecit exhibere. Sane cum hactenus, dum adhuc negotii eius eſſet finis incertus, viriliter pro eo ſteteris & cum eo, tanto de cetero ei fortius aſſiſtere ac fauere teneris, quanto de incremento eius certior es effectus. Sic igitur nos in eo & ipſum in nobis ſtudeas deuote ac efficaciter honorare, ſicut a nobis & ipſo in tuis deſideras deſiderabilius exaudiri. Datum &c.

§. 13.

Adolfus, qui hactenus *Stadium* poſſederat, Arnoldo Lib. VI. cap. 14. teſte, a Rege Canuto Anno 1201. Hamburgo eiectus erat, & captus in Dania detinebatur, nec prius dimiſſus eſt, quam *Lauenburgum* Anno 1202. Waldemaro traditum eſſet, qui, *Lubeca* quoque occupata, ſe deinde *Regem Danorum & Slauorum & Nortalbingiae dominum* vocauit. Interim notabile eſt, Adolfum in litteris Anno 1201. ſcriptis a Papa Innocentio *Comitem de Louenburch* vocari apud Baluzium Epiſt. Innocentii PP. T. I. p. 706. Adolfo vero in captiuitatem abrepto Hartwicus Archi Epiſcopus Bremenſis rurſus *Stadium* occuparat. Hoc igitur nunc repetendum duxere fratres, in eumque ipſo hyemali tempore exercitum duxere, cui Simon Comes Teclenburgicus intererat. Chronicon Rhythmicum Cap. LIII. de hoc nos certiores facit, refertque, *Stadium* receptum, in eoque Hartwicum Archi Epiſcopum captum *ante Natalem Domini;* hinc & *Bremam* ſubactam, ibique Archi Epiſcopum Henrico Palatino *Comitatum Stadenſem* in feudum dediſſe; id quod feſtis Natalium Chriſti diebus peractis, atque ita Anni 1202. initio factum eſt, indice Chronico Rhytmico; quod poſt haec, Menſe Maio, diuiſionem patrimonii a fratribus, Ottone Rege, Henrico Palatino & Wilhelmo ſuſceptam eſſe aſſeuerat. Sed Chronici verba addere placet,

M. unde

Digitized by Google

M. unde twe hundert unde twe Iar,
Bot der hoghe Forſte klar,
Koning Otte, ſine Hervart,
De ein Deil na willen geleiſtet wart.
Ome quam mit vil groter Hermacht
Sin Broder Henrich, ok hadde ōme bracht
Van Tekelenborg Greve Symon
Vil mangen Ridder unde Ritters Son,
De he toſamen kunde laden.
Darmede vor he vor Staden,
Dat beſat he kreſſtichliche.
He gewan et, unde ſenk Biſchop Hartwiche
Da inne van Bremen,
Er de twelfften quemen.
Van dar vor he vil herlich,
Mit manchen werden Ritter rich
To Bremen vor de Feſten,
Dar was inne do van Geſten
Greve Bernhart van der Welpe.
De Borgere neyne helpe
En wiſten, noch to vorlat;
Des openden ſe de Stat
Deme Koninge Otten, hore ek gein;
Dar de Biſchop alda lein
Leich deme Palentz-Greven Henriche,
De ſin Vader algeliche
Van nu hadde gehalden.

Bremae Aduocatiam Anno 1089. Liemarus Archi Epiſcopus Lothario, adhuc Saxoniae Duci, reſignarat, eaque in heredes eius ex filia Gertrude delata, tandem ad Henricum Palatinum deuenerat.

§. 14.

Eo certe anno Otto cum fratribus, Henrico & Wilhelmo, Paderbornae Procerum conuentui interſuere, &, rerum ſtatu ita exigente, aliam, quam pater eis in teſtamento ſuo praeſcripſerat, terrarum diuiſionem iniere. Extant Brunſuici in Archiuio Ducum communi ea de re & Ottonis Regis & Henrici Ducis Saxoniae atque Comitis Palatini Rheni diplomata autographa Vtraque data ſunt *Anno Dominicae Incarnationis* 1203. *Indictione V. Anno Regni Ottonis Romanorum Regis IV.* Annales quoque Corbeienſes diui-

 ſionem

ſionem bonorum inter fratres in Annum 1203. reiiciunt. Sed Otto coronatus eſt Aquisgrani *Anno* 1198. *IV. Nonas Iulii.* Pars igitur Anni IV. Regni Ottonis incidit in Annum 1202. & eodem Anno Indictio IV. currebat. (m) Neceſſario igitur errore Notarii in iis Annus 1203. pro 1202. poſitus, & hoc anno diuiſio illa menſe Maio peracta eſt. Diplomata illa alias nullam ſuppoſitionis notam habent, & ſigillis ſuis munita ſunt, vt ipſi vidimus. Otto Rex in ſuo diplomate. (Probat. N. CXLIV.) *Notum*, inquit, *ſit, quod nos vna cum dilectis fratribus noſtris, Henrico praeinclyto Saxoniae Duce, eodem Rheni Palatino Comite, & Gwillehelmo, Patrimonii noſtri diuiſione, fraterno & vnanimi conſenſu, in Padilburnin celebrata, portionem ſupra dicto fratri noſtro Henrico Duci a noſtris ſegregatam, & ſibi prouenientem, iſtis terminorum certis interſtitiis diſtinximus. Incipit itaque loco, in quo fluuius Seuine influit Albiam; in Albiam rurſum in mare, & Seuinam ſuſum vsque ad locum, vbi ipſa eſt vicinior Danlo, a Danlo vsque Nortburg, a Nortburg vsque in Flotwide, a Flotwide vsque Honouir oppidum, quod Ducis eſt cum omnibus ſibi attinentibus. Ab Honouir Leinam ſuſum vsque Northeim, quod & ſibi ſpectat, cum omnibus ſuis pertinentiis. A Northeim vsque in montem Pleſſe; inde vsque Gudingin; & Gudingin ſuum eſt, cum omnibus, quae ſibi attinent. Inde vsque Haninſtein, quod & ſuum eſt cum omnibus ſibi pertinentibus. Ab Haninſtein recta via, & regia ſtrata vsque Mogunciam. Inde per deſcenſum Rheni vsque in mare. Quicquid itaque eſt infra terminum iſtum, quod Patris noſtri piae recordationis fuit in praediis, ceſſit in partem fratris Heinrici Ducis ſaepe numerati. Praeter haec prouenit ſibi Stadium oppidum, & omne praedium noſtrum, quod eſt infra Comitiam Stadii, vsque in Seuinam; & praedium, quod eſt in territorio Bremenſi; & praedium quod eſt circa Verden. Inſuper Chelle & Northberg, cum omnibus attinentiis, & curtis Vrilede cum ſuis pertinentiis, curia Moerſe & ſibi attinentia, caſtrum Honberg cum ſuis pertinentiis, Einbeke, & quae ſibi attinent; Deſinberg cum ſuis appenditiis; Aldinuels & illi attinentia. Praenumerata ceſſerunt parti ſuae in Wesfalia; & praedia quae communia habuimus in Ditmarſia & in Hadele. Comitia quoque Stadii ſucceſſit ei, ſed haec iure feodali, reſpectu aliorum feodorum. Praeter haec praedium in Wortſacia, & omnes Mini-*

m) Hoc falſum. Anno enim 1202. Indictio V. currebat, quae in diplomatibus annotata eſt, adeoque Domino Eccardo fauet, ſtatuenti, diplomata Anno 1202. eſſe data. Quae ſi Anno 1203. data eſſent, Indictionem VI. adſcriptam haberent. Omni dubio occurrere potuiſſet Notarius, ſi menſem, quo haec geſta ſunt, expreſſiſſet. Sed iam inde ab aliquot annis vſus inualuit, vt ſolus annus rei geſtae in diplomatibus indicaretur, menſe & die omiſſo. Interim non video, quid periculi lateat ſub admiſſione anni, quem diplomata noſtra prae ſe ferunt.

Digitized by Google

Miniſteriales, qui ſunt infra terminos iſtos. Henricus Palatinus vice verſa Ottoni Regi *Brunſuicum* & alia ceſſit, quae ex diplomate (Probat. N. CXLV.) ipſis eius verbis recenſere lubet: (n) *Notum ſit*, ait, *quod nos vna cum dilectis fratribus noſtris, Sereniſſimo Domino noſtro Ottone, Romanorum Rege & ſemper Auguſto, & Wilhelmo, patrimonii noſtri diuiſione fraterno & vnanimi conſenſu apud Padelburnam celebrata, portionem iam dicto fratri, Domino noſtro Ottoni Romanorum Regi, a noſtris ſegregatam, & ſibi prouenientem, iſtis terminorum interſtitiis certiſſimis diſtinximus. Incipit itaque in hoc loco: Bruneſwik ſuum eſt, & omnia inibi attinentia: & terra vsque Nortburg ſua eſt: Nortburg vsque Danlo: a Danlo vsque Hunekesbotle; a Hunekesbotle vsque Scwibeke; a Scwibeke vsque Varesuelde; & Varesuelde ſuum eſt. De hoc loco terra ſua eſt vsque Wadenberge. A Wadenberge vsque ad nauigium Wagersleue; a Wagersleue vsque in montem, qui dicitur Hart ad villam Reinibeke: & ab illo totus mons Hart ſuus eſt. Caſtrum Sommerſcenburch, & omnia attinentia, ſua ſunt. Quicquid, inquam, eſt in circuitu illo vsque Bruneſwic, quod Patris noſtri Henrici Ducis, piae recordationis, fuit in praediis, ceſſit in parte fratris & Domini noſtri Ottonis Romanorum Regis. In alio latere a Bruneſwic vsque Vlotwe terra ſua eſt, & ipſum Vlotwede dimidium; & a Vlotwede vsque Honouere terra ſua eſt. A Honouere fluuius Leina ſuperius vsque Northeim, & iuxta Northeim vsque ad montem Pleſſe ſuum eſt, a monte Pleſſe vsque Gotinge, a Gotinge vsque Hanenſtein; a Hanenſtein Regia ſtrata vsque Moguntiam. Quicquid eſt infra terminum iſtum verſus Brunſwic, tam in Miniſterialibus, quam in praediis & caſtris, totum ſuum eſt. Haec ſunt caſtra, quae ceſſerunt proprietati ſaepe dicti Domini noſtri Regis: Lichtenberge, Asle, Sciltberge, Stouffenburch, Oſterode, Hertesberge, Scartfeldt, Lutterberge, Honiſtein, Rodenburch, Monaſterium Honburg, & totum patrimonium in Thuringia, quod erat patris noſtri, ſuae ceſſit parti.* Chronicon Rhythmicum diuiſionem terrarum inter fratres nobiſcum etiam in Annum 1202. refert, eamque vt iam diximus, *menſe Maio* peractam prodit his verbis:

Darnach an deme Mydage
Quamen toſamen, horde ek ſagen,
Hertogen Henriches Sone dre
Des alden, den ek nante er,

Koning

n) Haec, ni valde fallor, ad caput ſequens, vbi de Ottone Rege agetur, reiiciendi fuerant. Nobis ſane commodius videtur, portionem Wilhelmi, tertii fratris, ſub ipſo Wilhelmo exhibere, cui vterque frater ſuum quisque inſtrumentum peculiare dedit.

Koning Otte, Willehelm, unde Henrich
To deilende or Erue vaderlich.
Henrich. gaf dat geſelle
De Herſchap Staden unde Zelle;
Koning Otten wart Brunſchwich,
Unde ok darna dat Keyſerich;
Willehelme dat geſelle gaf
Lunebork unde de Herſchap.

Hinc, dicit auctor Chronici Rhytmici, Ottonem in feſto Pentecoſtes conuentum Principum *Verdae* habuiſſe, decretamque eſſe *Goslariae* obſidionem; ſed Bernhardum Ducem, mature praemonitum, vrbem armis & commeatu muniuiſſe, atque ita conſilia Ottonis Regis irrita reddidiſſe. Tunc ergo, quod Albertus Stadenſis prodit, & Arnoldus lib. VI. cap. 15. affirmat, fratres Otto Rex & Henricus Palatinus *Hamburgum* petierunt, ibique ſororem ſuam *Richenzam* Duci Waldemaro Regis Daniae Canuti fratri, vt ſupra demonſtrauimus, deſponſarunt, ac viciſſim vt Regis Canuti & Ducis Waldemari ſoror *Helena* fratri ſuo Wilhelmo coniux detur pacti ſunt.

§. 15.

Anno 1203. *Henricus Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni conſentit*, vt *Witkindus & Henricus praedium in Ierkisheim, eis a ſe in beneficio collatum, Eccleſiae S. Mariae in Helmſtet vendant.* Tabulae in Monaſterio Marienbergenſi prope Helmſtadium ſuperſunt, vnde nos eas infra exhibemus. (Probat. N. CXLVI.) Eodem anno eundem Henricum Regi fratri in Thuringia ſtrenue adſuiſſe Chronicon Rhythmicum prolixe prodit. Idem tamen addit, durantibus induciis octo dierum, *clam litteras a Philippo Rege ad Palatinum miſſas fuiſſe.* Quid illae continuerint, non diu poſt patuit. *Anno* 1204. *anno vero Sereniſſimi Domini Regis Ottonis VII.* Henricus Charta, (Probat. N. CXLVII.) quam in Archiuio Ducum communi Brunſuici reperimus, notum facit, *quod Iordanem, filium Iordanis Dapiferi ſui, fratri ſuo Regi Ottoni ex conſenſu iam dicti patris ſui, nec non & haeredum ſuorum cum bona voluntate ſua, libere in Miniſterialem donauerit.* Sed non diu poſt a Regis fratris amicitia reſiluit. Cum enim Anno 1204. Philippus, Goslariae conſiſtens, iterum Ottoni Regi cum exercitu immineret, Otto Rex cum Brunſuicenſibus ciuibus laetus ei obuiam ibat. *In Comitatu eius*, vt verbis Arnoldi Lib. VI. c. 6. vtar, *erat frater eius Palatinus cum copiis non paruis, quas de Aldenburg, Brema, & de Stadio & miniſterialium ſuorum numero contraxerat. Cumque fratres, vallati tantis exercitibus, prope villam, quae Borchtorp dicitur,*

tur, conſiſterent, repente quaedam inopinata diſcordia emerſit, quae ſemper ſuos ciues miſeros facit, iuxta illud Poëtae: En quo diſcordia ciues perduxit miſeros, &c. Et illa congregatio in ſtuporem & moerorem verſa, infecto negotio ſoluta eſt. Palatinus ſane, qui partes fratris inſtanter iuuabat, continuas minas a Philippo audiebat, quod dignitatem Palatii, quam circa Rhenum habebat, perderet, niſi a fratre recederet. Dicebat enim ſe nolle tolerare, quod rebus Palatii grauaretur, quas ipſe & non alius diſpenſare videretur. Durum igitur viſum eſt Palatino, vtrobique diſpendium pati, in fratris ſeruitio ſua expendere, &, neglecto Philippo, Palatii dignitatem perdere. In ipſo igitur congreſſionis articulo, frater Regis ita locutus eſt clanculo: Frater! ego quidem tibi ſeruire dupliciter teneor, & iure conſanguinitatis & fide Regiae Maieſtatis. Vt igitur plenarie tibi poſſim aſſiſtere, aequum eſt, vt aliquid emolumenti debeam a te accipere. Dimittas ergo mihi ciuitatem Brunſchwig & caſtrum Lichtenberg, vt his munitionibus roboratus, omnibus aduerſariis tuis circumquaque reſiſtere ſim paratus. His auditis frater Rex non ſine indignatione reſpondit: Non ſic, frater mi! magis expedit, me primum Regni gubernacula potenter poſſidere, & te omnia, quae volumus, vna mecum aequaliter tenere. Nolo, vt quadam formidine territus, aliqua modo facere videar, quae forte inpoſterum, quaſi poenitens, mutare compellar. Quid plura? ſiue deliberatione, ſiue neceſſitate Palatinus, relicto fratre, multis mirantibus, vel etiam lachrymantibus, ad Philippum tranſiit, & Otho in Brunſchwig rediit. Breuiter eandem rem Albertus Stadenſis attigit ad Annum 1204. Non tamen ſolae minae fraternum amorem diruperunt; ſed praemia potius a Philippo propoſita. Inter quae reliquis praeeminebat *Aduocatia ciuitatis Goslarienſis*, nunc a Philippo in Henricum noſtrum translata. Haec nos edocet Chronicon Montis Sereni ad An. 1204. ſcribens: *Philippus Rex* (Hermanno Landgrauio ſubdito] *dimiſſis auxiliatoribus Goslariam cum ſuis regreditur, vbi cum Rex Otto militibus collectis cum ipſo congredi tentaret, Henricus Palatinus, frater ipſius, ad Philippum tranſiit, praeſtitaque ei fidelitate, Aduocatiam Goslarienſem ab eo promeruit.* Hac tempeſtate numi bracteati Goslariae cudi coeperunt, in quibus *Leo* ſub porta turrita & ſupra eam Princeps dextra gladium, ſiniſtra vexillum tenens cernitur, cum verbis circumſcriptis: HEINRICVS DVX - - - - - & alii cum *Leone* (o) ſub porta turrita & verbis in circuitu: S. SIMO. VEL IVDAS. Hi enim aliique infra recenſendi Aduocatiae ab Henrico Palatino adminiſtratae teſtes ſunt omni exceptione maiores. Anno eodem 1204. menſe Octobri

 adſuit

o) Numus, ad quem prae aliis hic prouocatur, eſt nonus in tabula XIX. infra exhibenda, quae tota Henrici Palatini numis dicata eſt; alii autem illi, ad quos etiam digitum intendit Dn. Eccardus, in eadem tabula ſeptimum & octauum locum occupant.

adſuit Henricus in obſidione Caſtri Weiſſenſeenſis, quod tunc Philippus Rex Hermanno Landgrauio eripiebat. Patet hoc ex Philippi Regis litteris pro Monaſterio Walckenredenſi, (Probat. N. CXLVIII.) quae quidem notis Chronicis carent, quia tamen in caſtris in obſidione *Wizenſe* datae eſſe dicuntur, ad Annum 1204. referendae ſunt. Ad iſtum enim annum Godefridus Colonienſis ita ſcribit: *Iſto anno circa Iulium menſem Philippus Rex, contracto maximo exercitu, Thuringiam intrat, & quamdam ciuitatem Landgrauii, Wizenſe nomine, obſidione vallat.* Litterarum harum ſubſcriptiones & datum ita ſe habent: *Teſtes huius rei ſunt Diethalmus Conſtantienſis Epiſcopus, Hartwicus Auguſtenſis Electus, Bernhardus Dux Karinthiae, HEINRICVS Dux Saxoniae, Comes Lampertus, Comes Albertus de Clettenberc, Comes Algerus de Hohenſtein, Comes Guntherus, & Comes Heinricus de Keuernberc, Heinricus de Vokſteden, Heinricus de Halderunge & alii quamplures. Dat. in Caſtris in obſidione Wizenſe VIIII. Kal. Septembris Indictione VII.* . Vbi probe velim obſerues, Henricum *Ducem Saxoniae* a Philippo Rege vocari.

§. 16.

Eodem vero Anno 1204. Henricus Palatinus coniugem AGNETEM Stadae commorantem amiſit. Albertus Stadenſis ad hunc annum: *Obiit Agnes, vxor Heinrici Ducis & Palatini Comitis, & in Eccleſia B. Virginis apud Stadium ſepelitur.* Eccleſiam hanc & iuxta eam Monaſterium Virginum ab ipſa fundatum eſſe Botho in Chronico Picturato affirmat: *De Fruwe* [Agnes] *ſtarf öm, unde wart begraven in ein Cloſter bynnen Staden, dat ſe ſulveſt geſunderet hadde, unde beyt to unſer leuen Fruwen.* De nuptiis eius cum Henrico Duce, patre Leone adhuc viuente, Staleccae Anno 1193. celebratis, primo Capite egimus; eamque ex Hohenſtaufiis ortam, Conradoque Comite Palatino natam fuiſſe oſtendimus. Dotis loco ingentia marito ad Rhenum Nicrumque bona attulit, inter quae *Heidelberga* & *Stalecum*, (p) prope Bacharacum ſitum, eminent. *Stalecum* feudum erat Eccleſiae Colonienſis & quidem maſculinum. Vt Conradus locum ſibi gratum in vnicam quoque filiam deriuaret, egit cum Philippo Archi Epiſcopo, vt mutata conditione in vxorem filiamque poſt mortem eius tranſiret. Tabulae Philippi ea de re Anno 1189. datae apud Freherum Orig. Palat. Part. I. p. 92. extant, in iisque ille: *Scire volumus*, ait, *quod Caſtrum Stabeleke & Aduocatiam in Bacherache a manu Domini Palatini Comitis Cunradi, cum aliis quae illic a nobis*

in

p) Heidelbergae nihil commune cum Staleco. Stalecum Colonienſe; Heidelberga Wormatienſe feudum fuit: quod infra probabitur. Quae autem de Staleco hic afferuntur, ſuo loco dicere occupauimus, ne geſtarum ordo rerum turbaretur.

Digitized by Google

in beneficiis tenuit, ipſo rogante & nobis reſignante, ſuſcepimus, & in eodem momento ipſi & eius iugali Dominae Irmengardi, eiusque filiae Agneti, iure feodali conceſſimus, accepto ab ipſis dominabus hominio, & quae ſequuntur. De liberis, quos Agnes Henrico Palatino peperit, infra agemus. Henricus vero vix inaudierat nuntium de coniugis chariſſimae morte, cum Stadium properat, eique iuſta perſoluit. Eodem tempore Charta, in Archiuio Ridageshuſano ſuperſtite, (Probat. N. CXLIX.) *pro ſalute & remedio animae dilectae vxoris ſuae, ſcilicet Agnes, ſiluam ſuam, quae eſt apud Saltdalheim, quae appellatur Herthogenlo, contulit Eccleſiae, quae eſt in Ridaghuſen perpetuo in tranquilla pace poſſidendam. Facta ſunt haec Anno Dom. Incarn. MCCIIII. Indictione V. concurrente quarta, apud Ciuitatem, quae appellatur Staden.*

§. 15.

Sub initium Anni 1205. Henricus Palatinus interfuit coronationi Philippi Regis, Aquisgrani ab Adolfo Archi Epiſcopo Colonienſi peractae: ibique teſtis ſubnotatus eſt geminis diplomatibus *aurea bulla* inſignitis, quae Gelenius in Vita S. Engelberti pag. 31. 32. & 33. edidit. Horum vno (Probat. N. CL.) Rex Adolfo confirmat *Ducatum Weſtphaliae & Angariae*, multaque alia largitur; altero (Probat. N. CLI.) vero eidem *allodium in Saluelt* donat, quod pater eius Fridericus Imperator a Philippo Colonienſi Archi Epiſcopo Imperio acquiſiuerat. In priori teſtes Laici ſubnotati ſunt: *Ludewicus Dux Bawariae, Henricus Dux Louaniae, Bernhardus Dux Saxoniae, Simon Dux Lotharingiae, HENRICVS Comes Palatinus Rheni, Otto Comes Geldrienſis* &c. In altero teſtes Laici hi reliquos antecedunt: *Henricus Dux Brabantiae, Lodowicus Dux Bawariae, HENRICVS Comes Palatinus Rheni, Otto Comes Geldrienſis* &c. Datum vtrorumque diplomatum hoc eſt: *Acta ſunt haec Anno Incarn. Dom. MCCIV. Indictione VIII. regnante Domino Philippo Romanorum Rege inclyto, Anno Regni eius ſexto. Datum Aquisgrani per manum Sifridi Regalis aulae Protonotarii, ſecundo Idus Ianuarii.* Vbi nota, II. Idus Ianuarii Indictionis VIII. & Anni VI. Regni Philippi incidere in Annum 1205. hic autem Annum Incarnationis notari 1204. ex computatione Eccleſiae Gallicanae, quae in Regno Lotharingico, cuius Aquisgranum caput erat, obtinebat.

§. 18.

Sed hanc Henrici Ducis cum Philippo Rege amicitiam & a fratre Ottone Rege defectionem aegre tulit Innocentius III. Papa, qui non mediocri ira aeſtuans hoc fere tempore ad Henricum epiſtolam illam miſit bile plenam, quae in eius Epiſtolis a Baluzio editis Tomo I. p. 743. extat. In ea: *Ad infamiam* inquit, *nominis tui cedit & perpetuum tuae poſteritatis opprobrium,* *quod*

quod cariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum, fratrem tuum, vel nulla vel modica violentia interueniente, relinquens, nobili viro Duci Sueuiae adhaeſiſti, & quantum in te fuerat deieciſti eum, quem erigere tenebaris. Admonet ipſum porro iuramenti, Ottoni facti, & niſi ad ipſum redeat, excommunicationem minatur. Eundem in modum ad Sifridum Archi Epiſcopum Moguntinum & Heribertum Hildeshemenſem ſcribit apud Baluzium pag. 742. his verbis: *Suam apud nos cariſſimus in Chriſto filius noſter, illuſtris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus, querimoniam deſtinauit, quod cum nobilis vir Henricus Palatinus Rheni fidelitatis ei praeſtiterit iuramentum, contra factum ſuum venire non metuens, non ſolum ſeruare contempſit, quod ei ſub iurisiurandi religione promiſit, ſed contra eum cum nobili viro Philippo Duce Sueuiae coniurauit. Vnde, cum ad nos pertineat iudicium iuramenti, per nos ſibi de eo iuſtitiam petiit exhiberi. Cum igitur ſalutem nobilis eiusdem, de quo in nouiſſimo diſtricti examinis die tenebimur coram Deo reddere rationem, paterno deſideremus affectu, fraternitati veſtrae per apoſtolica ſcripta mandamus atque praecipimus, quatenus eum ex parte noſtra monere diligentius & inducere procuretis, vt iuramentum eidem Regi praeſtitum, non obſtante iuramento, quod poſtmodum exhibuit contra illud, cum ex eo, quod primum fuit licitum, conſtet, ſecundum illicitum extitiſſe, de caetero ſeruare procuret. Alioquin eum ad id per excommunicationem perſonae & interdictum terrae, ſublato appellationis obſtaculo, compellatis, facturi vtramque ſententiam ſingulis diebus dominicis & feſtiuis, pulſatis campanis, & candelis accenſis, vsque ad ſatisfactionem congruam firmiter obſeruari.* Pontificis tamen iuſſa in Henricum executioni mandata fuiſſe, veterum prodidit nemo, vt ideo territum magis, quam fulmine Vaticano tactum crediderim.

§. 19.

Anno etiam 1205. Albertus Stadenſis notat *Hartwicum* Archi Epiſcopum Bremenſem *in Stadio receptum.* Vſus igitur is eſt abſentia Henrici Palatini & diſſenſione fratrum, vt controuerſa Stadenſia bona reciperet. Henricus interea diſſenſionum pertaeſus omnia egiſſe videtur, vt Reges, Otto frater & quem iam palam ſequi coeperat, Philippus, conciliarentur. Veroſimile etiam eſt, Anno 1207. quo praecipue de pace, quamuis ſine ſucceſſu, inter eos tractabatur, eum quoque fratri Regi rurſus conciliatum eſſe. Sane Philippo Anno 1208. occiſo, totus in partes fratris conceſſit Henricus noſter.

§. 20.

Tolnerus Hiſt. Palat. pag. 353. dicit, Henricum Anno 1208. comitatum eſſe fratrem Ottonem ad Comitia Halberſtadenſia, eumque ibi

Digitized by Google

ibi cum caeteris Principibus in Regno confirmaſſe. Probationis loco Arnoldum Lubecenſem adducit, qui tamen Palatini noſtri ne verbo quidem meminit. (q) Occupatiſſimum tamen rebus fratris iuuandis ſuisque ordinandis fuiſſe exiſtimo; alias enim *Waldemarus* in Archi Epiſcopum Bremenſem electus vix impune hoc anno, vt ex Alberto Stadenſi intelligimus, *ciuitatem Stadenſem, cuius turres & domos tempeſtas modicum ante deiecerat, expugnaſſet, & rebus omnibus in Inuentione Stephani, die Dominica, ſpoliaſſet.* Beſoldus in Documentis rediuiuis Monaſteriorum praecipuorum in Ducatu Wirtembergico ſitorum pag. 371. Henrici Ducis & Palatini diploma publicauit, *Wormatiae* An. 1208. datum, (Probat. N. CLII.) quo *Coenobium Schonaugienſe Ordinis Ciſtertienſis haereditario iure a dilecto ſocero ſuo ad ſe vsque translatum* amplificauit & *Monaſterio Bebenhuſen,* nouellae ſcilicet plantationi iam dicti Coenobii, hanc libertatem donauit, *vt quicunque hominum ſiue fidelium ſuorum ſe vel ſua eidem Monaſterio contulerit, de ſua permiſſione ſit ſecurus.*

§. 21.

Matthaeus Paris affirmat, Anno 1209. *veniſſe in Angliam Ducem Suauiae* [Saxoniae] *HENRICVM ex parte Ottonis Regis Alemannorum ad Regem Anglorum, a quo non modica pecunia ad opus praefati Othonis recepta, repatriare maturauerit.* Ante Pentecoſtes certe feſtum iam reuerſus erat ex itinere hoc Anglicano Henricus Palatinus, & Curiae fratris Regis *Brunſuici* eo tempore celebratae interfuit, teſte Arnoldo Lib. VII. c. 18. Ex litteris Iohannis Regis Angliae XXIV. die Martii ad Proceres Germaniae ſcriptis, (Probat. N. CLIII.) & a Rymero Act. Anglican. T. I. p. 153. editis, diſcimus, Henricum multorum Germaniae Principum Epiſtolas in fauorem Ottonis Regis ſcriptas in Angliam attuliſſe: Iohannes Rex eum vocat *nepotem ſuum, Ducem Saxoniae* & Ottonis Regis *Camerarium & Seneſchallum.* (r) Habuit etiam Henricus noſter ex beneuolentia,

q) Arnoldus ait, maximam partem Praelatorum & Principum Saxoniae & Thuringiae Halberſtadii conueniſſe. In quibus Henricum Regis Ottonis fratrem fuiſſe, praeſumi poteſt, quia ſublato aduerſario nihil erat, quod impediebat, quo minus frater fratri faueret.

r) Ridiculum errorem hic errat Eccardus, & dum Iohannem Regem putat Henricum Palatinum appellaſſe Regis Ottonis Camerarium & Seneſchallum, manifeſte prodit, quod verba Regis Iohannis non intellexerit. *Litteras*, inquit Rex Iohannes, *ex vobis ſuſcepimus, quas nepos noſter Rex Otto nobis deſtinauit per* 1) *fratrem ſuum, nepotem noſtrum, Ducem Saxoniae, &* 2) *Camerarium &* 3) *Seneſchallum ſuum.* Cum tantae dignitatis Princeps non ſolus in Angliam profectus ſit, ſed Otto Rex fratri, vt in his talibus fere fieri ſolet, vnum atque alterum itineris comitem adiunxerit; vecors ſit neceſſe eſt, qui eumdem Henricum, Regis fratrem, ſimul pro eiusdem Regis Camerario & Seneſchallo, & ſic tres Legatos pro vno Miſſo acceperit. Qui error tanto ſit

uolentia, vt videtur, Iohannis Regis feudum in Anglia *mille marcarum*, quae nunc ei ſolutae fuerunt, teſte Scheda a Rymero l. c. pag. 154. edita. (Probat. N. CLIV.)

§. 22.

Brunſuici vero iam hoc Anno 1209. *Indictione XII.* 14. *Kal. Iunii*, Otto IV. Rex Alberto Magdeburgenſi ArchiEpiſcopo priuilegium de bonis decedentium Epiſcoporum dedit, (Probat. N. CLVI.) cui teſtes adfuere ex Saecularibus *HENRICVS Palatinus Comes Rheni*, *Bernhardus Dux Saxoniae*, *Hermannus Landgrauius Thuringiae*, *Tidericus Marchio Misnenſis*, *Conradus Marchio de Landsberg*, *Adelbertus Marchio Brandenburgenſis*, *Comes Fridericus de Brene*, *Geuehardus Burggrauius Magdeburgenſis*, *Comes Adolphus de Schowenburg* & alii Magnates plures. Videantur Meibomiorum Opera Tom. III. in Apologia pro Ottone IV. pag. 127. ſq. Mentio *Conradi Marchionis de Landsberg* facit, vt putem, circa haec tempora Henricum Palatinum, occaſione celebris feſtiuitatis Brunſuicenſis ſibi in coniugem alteram adſciuiſſe illius filiam. (s) Hanc enim Henrico ſociatam fuiſſe auctores noſtri vnanimi conſenſu affirmant. Chronicon Vetus Ducum Brunſuicenſium: *Aliam quoque*, inquit, *Dominus Hinricus duxit*

fit intolerabilior, quod in opere Rymeriano pagina verſa nobis dilucide oſtendit *Conradum de Wilre*, *Seneſchallum Illuſtris Regis Ottonis*, quem Rex Iohannes cum omnibus bonis in tutelam ſuſcepit. (N. CLV.) Et ſane Conradus ille de Wilre inter ſubſcriptores diplomatum Ottonis Regis in Germania occurrit, veluti Anno 1200. Wirceburgi, vbi Otto Adolfo Colonienſi ArchiEpiſcopo poſſeſſionem Ducatus Weſtphaliae & Angariae confirmauit apud Gelen. ad vitam S. Engelberti p. 28.

s) Sed enimuero Dn. Eccardus hiſtor. genealog. Principum ſuperioris Saxoniae p. 81. ſeq. vbi de Conrado Marchione de Landsberg dedita opera agit, filiarum eius nullam mentionem facit, & in tabula veterum Miſniae Marchionum p. 106. magna confidentia affirmat, Principem hunc improlem obiiſſe. Docemur autem hoc exemplo, quam difficulter viri docti adducantur ad retractandum, quae perperam in orbem protruſerunt. Nunc ex curis poſterioribus Dn. Eccardi tabulam genealogicam modo indicatam ita mutandam eſſe cenſemus, prout eam iam olim ex parte adornauerat Ioachimus Iohannes Maderus, ludi Magiſter quidem Scheningenſis, ſed ſua aetate omni hiſtorico vir potior, in tabulis Chronico Montis Sereni praefixis: vbi Conrado Marchioni de Landsberg duas ſubiecit filias, *Mathildem* & *Anonymam*: & illam quidem Alberto Marchioni Brandenburgico nuptam: cuius aſſertionis fontem hauſit ex ipſo Chronico Montis Sereni ad Annum 1205. vbi; *Albertus Brandenburgenſis Marchio filiam Conradi Marchionis Orientalis maiorem* (*duas enim habebat*) *Mechtildem nomine, duxit vxorem.* Minorem autem nominat Chronicon vetus Ducum Brunſuic. apud Mader. antiquit. Brunſuic. p. 18. his verbis: *Aliam quoque Dominus Hinricus* (de Palatino loquitur) *duxit vxorem, Agnetem, filiam Marchionis de Laudesberch.* Quid? quod praeter has filias Conradus Landsbergenſis filium quoque habuiſſe videtur, quia Chronicon Montis Sereni ad Annum 1223. memorat, Marchionem Conradum *a perſonalibus Abbatis Pigauienſis iniuriis abſtinuiſſe, quia filium eius in baptiſmo ſuſceperat.* Sed filius non ſuperuixit patri, quia huic defuncto proximus agnatus Theodoricus, pater Henrici Illuſtris, quamuis difficulter, ſucceſſit.

Digitized by Google

duxit vxorem, Agnetem, filiam Marchionis de Landesberch. Conſentiunt Chronicon Pictuıratum, Berntenius in Chronico Marienrodenſi & Sunthemius in Hiſtoria Guelforum, cui Pfeffingerus falſo hic nomen Monachi Weingartenſis indidit. Bucelinus *Agnetem* vocat *Marchioniſſam Landsbergiam Conradi Marchionis ex Luitgarde Sueuiae Ducis filia natam.* Sed primo pater Luitgardis vel Luccardis Conrado nuptae non fuit *Dux Sueuiae*, ſed tantum *Comes de Sueuia*, & quidem Albertus II. Habſpurgicus, vt in Originibus Saxonicis Cap. IV. §. 3. oſtendimus. Deinde Agnetis pater Conradus nunquam dictus eſt *Marchio de Landsberch*; ſed fuit *Marchio Orientalis* ſiue *Luſatiae & Miſnenſis.* Filius enim eius Theodericus III. Anno 1185. defunctus, *Caſtrum* demum *Landsbergenſe* conſtruxit, Chronico Montis Sereni teſte, illudque cum Marchia Luſatiae reliquit fratri *Dedoni VI. Pinguis* cognomine noto. Huic ſecundum Chron. Montis Sereni ad An. 1190. coniux erat *Mathildis*, quae fratrem habebat *Philippum Archi Epiſcopum Colonienſem.* Albericus ad Annum 1196. hoc vltimum indicat verbis: *Teco* [lege: *Dedo*] *tertius filius* [Conradi Marchionis Miſnenſis] *duxit ſororem Archi Epiſcopi Colonienſis Philippi, de qua genuit Marchionem de Lanzberg nomine Conradum, & ſororem eius Aalix, quae Duci Bertholdo* [Ottoni] *Meraniae quatuor peperit filios* &c. Conradus igitur Marchio Landsbergenſis, ſocer Henrici Palatini, nepos erat Conradi Marchionis, Lutgardis mariti. Et eſt ille idem cum eo, qui Ottonis IV. Regis priuilegio Magdeburgenſi teſtis affuit.

§. 23.

Cum eodem Anno 1209. Otto Rex *Wirceburgum* pergeret Imperio pacem redditurus, & filiam Philippi Regis in coniugem aſſumturus, cum illo Palatinus eo perrexit. Et, cum conſultaretur, an ſecundum ſacrorum Canonum tenorem Otto filiam Philippi, ſuam conſanguineam, ducere poſſet, Arnoldo Lib. VII. c. 19. teſte, *Rex ait fratri Henrico Palatino, qui a dextris eius erat: Volumus, vt cedas, ne quem tua praeſentia de vlla ſuſpicione terreat.*

§. 24.

His Comitiis feliciter peractis, Otto Rex conſilium coepit Italiam intrandi & coronam Imperialem recipiendi. Hoc fini Principes Germaniae *Auguſtam Vindelicorum* in feſtum S. Iohannis Baptiſtae citauit. Huc etiam aduenit Henricus Palatinus, cui tunc Otto Rex vices ſuas in Regno Lotharingiae commiſit. Caeſarius Heiſterbacenſis Lib. I. de Miraculis Cap. 31. hoc memoriae mandauit: *Eo*, inquiens, *tempore, quo Rex*

Otto profectus eſt Romam coronari in Imperatorem, Imperium ſupra Moſellam fratri ſuo Henrico Palatino regendum commiſit. Regalia tamen, ſiue ius inueſtiendi Epiſcopos, ſibi ſoli reſeruaſſe Ottonem Regem, & Palatino Henricum Brabantiae Ducem adiunxiſſe intelligimus ex fragmento veteris Poëmatii, quod Cantabrigia miſſum (t) accepimus, atque infra inter Probationes (N. CLVII.) integrum adiungimus. Hoc circa tempus, quo Otto Imperator coronatus, & abſens adhuc eſſet, Caſtrum, neſcio quod, obſediſſe *Epiſcopos Halberſtadenſem & Mindenſem, Abbatem Corbeienſem & illuſtrem virum Dominum HENRICVM Ducem Saxoniae, & illuſtrem virum Dominum Wilhelmum de Luneburc* intelligimus ex epiſtola Theoderici Colonienſis Archi Epiſcopi, qua his Principibus gratias agit, quod Harberto Epiſcopo Hildeshemenſi in ſuis & Eccleſiae ſuae neceſſitatibus, *pro reuerentia Dei ac Imperii, nec non etiam Sacramenti, quod pro pace fecerint & pro iuſtitia terrae,* ſuccurrerint; rogatque, vt eidem Epiſcopo, ſibi tam ex parte Domini Papae, quam Imperatoris ſpecialiter commiſſo, porro aſſiſtant. Epiſtola haec ex veteri Codice Bibliothecae Cathedralis Moguntinae deprompta (v) inter Probationes (N. CLVIII.) extat.

§. 25.

Otto vix Imperator coronatus iniuſtam plane Innocentii Papae excommunicationem meruit, eique ſubſtitutus Imperatoris Henrici VI. filius Fridericus Rex Siciliae. Sifridus Archi Epiſcopus Moguntinus Papae excommunicationem Anno 1211. (x) Babenbergae publicauit, Proceresque in Friderici partes pertraxit. Hoc aegre admodum ferens Palatinus, adiuncto ſibi Henrico Duce Brabantiae & Regni Lotharingiae Proceribus, omnem Dioeceſin Moguntinam circa feſtum S. Michaëlis incendio & rapina vaſtauit, Godefrido Colonienſi teſte. (y) Anno 1212. conuentionem

t) Hoc inter quatuor vetera monumenta a Dn. Eccardo iam Anno 1720. editum cum notis: nam fidiculae adhibendae erant ad eliciendum ſenſum tolerabilem.

v) Sed in qua neque Ducum, neque Colonienſis, neque Hildenſemenſis Epiſcopi nomina ſunt expreſſa. Mihi quidem argumentum epiſtolae potius temporibus Friderici II. Engelberti Colonienſis, Conradi II. Hildenſemenſis & Ottonis Pueri conuenire videtur, ſcriptae forſan circa Annum 1227. quo Conradus maxima Caeſaris & Papae gratia valuit.

x) Quo anno Henricus noſter permiſit, vt Ludolfi, Clerici ſui, vltimae voluntati, quam ſubiicimus, (Probat. N. CLIX.) ſuum annecteretur Sigillum.

y) Habebimus & alios praeſentiae eius in terris Rhenanis hoc anno teſtes. In hunc enim annum refertur ab illuſtri editore diploma, (Probat. N. CLX.) quo *Henricus, Dei gratia Palatinus Comes Rheni & Saxoniae Dux,* Schönaugienſium Monachorum *curtem in Scharra,* hodie Scharrhof, munit aduerſus importunitatem vicini *Theodorici Dapiferi de Huſen,* quemadmodum aduerſus huius patrem, *Marquardum Dapiferum de Aneuiler* ſocer Conradus eamdem curtem muniuerat. Quid? quod hoc ipſo

tionem cum Theoderico Marchione Miſniae, aduerſus Innocentii Papae iniurias

ipſo anno filium ſuum vnicum, Henricum, emancipauit, & ſimul deſponſauit Henricus noſter, dimiſſo ei Palatinatu ad Rhenum, ad maternam ſucceſſionem pertinente, dataque in matrimonium Mathilde, Henrici I. Brabantiae Ducis filia, paris aetatis virgine. Sponte an coactus id fecerit, incertum. Sane in Probationibus noſtris (N. CLXI.) Chartam damus, cui Annus 1211. dilucide adſcriptus eſt, qua Nobilis quidam Palatinatus ad Rhenum vaſallus fatetur, ſe ex cauſa friuola ius Aduocatiae in Schonaugienſium Monachorum curtem *Nuenheim* ſibi vindicaſſe; quod tamen nunc lubens dimitteret, ex quo *Henricus Palatinus Comes Rheni & Dux Saxoniae in celebratione deſponſationis ſuae* pretium eiusdem curtis ab hoc onere redimendae ſoluendum in ſe receperit. Inſtrumento inter teſtes adſcriptus eſt ipſe *Comes Rheni Henricus*; quod de patre accipiendum eſſe exiſtimo, qui eo tempore verſabatur in Prouincia Rhenenſi. De filii autem, non vero de patris, deſponſatione hic ſermonem eſſe, mecum fatebuntur, qui animum aduortere volent, a tempore deſponſationis paternae duodeuiginti annos, cum haec ſcribebantur, effluxiſſe, quo ſpatio citius executioni dari poterant, quae promiſſa erant. Accedit & hoc, quod patris deſponſatio aliquid clandeſtinitatis habuit, quae huiusmodi ſtipulationes non ferebat. Aetas Iunioris Henrici non obſtabat, quo minus hoc anno deſponſari potuerit. Neque opus eſt, vt ad valde vſitatas hoc Saeculo impuberum deſponſationes recurramus. Natus enim Anno 1194. Anno 1211. aetatis annum egit decimum ſeptimum, adeoque vxorem ducere potuit. Fridericus ſane, Henrici VI. Imperatoris filius, Anno 1193. natus, cum Anno 1210. in Regnum Germaniae vocaretur, ſeptimo decimo aetatis anno, vxorem iam habuit. Vnde cum de relinquenda Sicilia & de capeſſendo itinere in Germaniam conſilium capiendum eſſet, Reginae puerperium exſpectare viſum. Quae cum puerum enixa eſſet Henricum, poſtea Romanorum Regem, nihil iam ſupereſſe videbatur, quod Germanicum iter impediret. Et rationis eſt, puerorum, in ſpem Regnorum & magnarum Prouinciarum ſuccreſcentium nuptias feſtinari, praeſertim ſi quis vnus & ſolus latiſſimarum poſſeſſionum heres ſit. Nec eſt, quod quemquam moueat, quod Iunior Henricus in hoc inſtrumento, viuente adhuc patre, *Palatinus Comes Rheni, & Dux Saxoniae* vocetur. Ex auo enim materno & ex patre Comes Palatinus, atque ex patre Dux Saxoniae fuit, & appellari potuit, appellatusque eſt in inſcriptione ſepulchri infra producenda; licet viuente patre vita defunctus ſit: quae inſcriptio omni nota ſuſpicionis caret. Coniugem, cum qua hoc Anno 1211. deſponſatus fuit Iunior Henricus, ſupra obiter nominaui, Mathildim ſcilicet, Henrici I. Brabantiae Ducis filiarum quartam & natu minimam. Id quod iam probare adgredior. Principio Vetus Genealogia Ducum Brabantiae, quam Chronici Niuellenſis titulo typis dedit Io. Iacobus Chifletius, repetitam a Perill. Dn. de Senckenberg. Selector. Tom. III. p. 200. diſerte ita habet: „Henricus Dux Lotharingiae & Brabantiae „huius nominis primus duxit Mathildem „Boloniae heredem -- de qua ipſe ſuſcepit „Henricum Iuniorem Ducem illuſtriſſimum, „& Godefridum de Louanio, & Mariam „Imperatricem Romanorum, & Comitiſſam „Gelrenſem, & Aleidem Comitiſſam Bolo„niae & Aluerniae, & *Mathildem, Palati„nam Comitiſſam Rheni, poſtea Comitiſſam „Hollandiae.*„ Iam vero nullus alius Comes Palatinus Rheni, praeter Henricum Iuniorem, Mathildem in matrimonio habere potuit; nec vlla Mathildis, poſtquam Palatina Rheni fuiſſet, ab obitu mariti Hollandiae Comitiſſa facta eſt, praeter Mathildim hanc Brabanticam, quam Florentio IV. Hollandiae & Selandiae Comiti renuptam fuiſſe mox probabimus. Quod autem de nuptiis Mathildis & Henrici Palatini Iunioris ſub teſtimonio Genealogi Brabantini latentibus adhuc nemini in mentem venit, incuria caeterorum Brabantiae Scriptorum, & inprimis Monachi Nuſſienſis effectum eſt. Licet enim is per omnia cum Niuellenſi conueniat, & in nonnullis ſit dilucidior; falſam tamen Mathildis nuptiis prioribus interpretationem adiicit, quae auctores noſtros omnes in tranſuerſum egit, impediitque, quo minus Henricum Palatinum Iuniorem, Mathildis priorem maritum, cernerent. Res ipſa poſtulare videtur, vt e magno Chronico Belgico Nuſſienſis verba, adprime ad rem facientia, ſi vnam gloſſam exceperis, adſcribamus, quae p. 220. edit. nouiſſ. ita fluunt: „Henricus cognomento „ſenior, de progenie Caroli Magni Impera„toris, Lotharingiae & Brabantiae Dux hu„ius nominis primus -- duxit in vxorem „Mech-

iniurias ſe praemuniens, Francofurti 13. Kal. Aprilis iniit Otto Imperator; &

„Mechtildem, filiam Matthaei Comitis Bo„lonienſis, ex qua ſucceſſiue genuit tres „filios, ſcilicet Henricum, qui in Ducati„bus ſucceſſit, Godefridum de Louanio & „Henricum de Heriſtallio: & quatuor filias, „quarum vnam Mariam Otto Imperator hu„ius nominis quartus duxit in vxorem. Se„cundam, videlicet Sophiam, duxit Comes „Gelriae. Tertiam vero filiam, nomine „Aleydam, duxit Comes Aluerniae — Quar„ta vero filia, nomine *Mechtildis nupſit primo* „*Comiti Palatino Rheni &* **Duci Bauariae:** „*quo ſine ſobole defuncto, nupſit Florentio Co*„*miti Hollandiae, qui ex ea genuit Wilhel*„*mum Comitem Hollandiae, poſtea Regem* „*Romanorum, quem Friſones occiderunt.*„ Additamentum *Ducis Bauariae* Comiti Palatino Rheni, Mathildis priori marito, hic adiectum, ſatis indicat, Monachum nubem pro Iunone & pro Mathilde, Henrici I. Brabantiae Ducis filia, amplexum eſſe huius ex fratre neptem, *Mariam* ſcilicet, Henrici II. Brabantiae Ducis filiam, Ludouico Seuero Comiti Palatino Rheni & Duci Bauariae ſerius nuptam. In quo grauiter hallucinatur. Cum enim in publicum conſtet, Mariam hanc poſteriorem a marito publice capite plexam fuiſſe; quomodo poſt mortem mariti, qui eam viuens adhuc e viuis ſuſtulerat, Florentio Hollandiae Comiti renubere? quomodo Wilhelmum Romanorum Regem eidem Florentio parere potuit? At cum nihil ſit certius, Mathildim illam priorem Palatinam Rheni Henrici I. Brabantiae Ducis filiarum natu minimam, Florentio Hollandiae Comiti renupſiſſe; certum quoque & extra omnis dubii aleam poſitum erit, viduam eam non Bauariae cuiusdam Ducis, nec Henrici Palatini Senioris, cuius coniuges ſatis cognitae ſunt, ſed filii, Henrici Iunioris, fuiſſe, ex eoque Comitiſſae Palatinae ad Rhenum titulum traxiſſe. Renupſiſſe autem Mathildim noſtram Palatinam, Henrici I. Brabantiae Ducis filiam, Florentio IV. Comiti Hollandiae nube teſtium adſeri, probari, firmarique poteſt. Monachi Nuſſienſis teſtimonium iam audiuimus. Nunc addere iuuat quoddam eius inſtrumentum, (Probat. N. CLXI. b.) quo *Mathildis Comitiſſa Hollandiae* campum Britgers donat *Monaſterio Losdunenſi, quod,* vt ait, *Dominus meus Florentius Comes Hollandiae & ego in proprio fundo fundauimus, pro ſalute animae praedicti Domini mei Florentii Comitis, ac patris ſui Wilhelmi Comitis, ac vxoris eius Dominae Adeleidis, nec non pro remedio animae meae* ac *patris mei Ducis Brabantiae Henrici & matris meae Mechtildis ac omnium parentum meorum*, Anno 1225. Amiſſo Anno 1234. marito Florentio Mathildis diu ſuperuixit, filiumque Wilhelmum vidit Regem Romanorum luxitque. Hinc diplomatibus eius adſcriptum reperitur elogium matris Wilhelmi Romanorum Regis. Quale eſt illud apud Anton. Matthaeum Analect. T. III. p. 135. edit. nou. ex Anno 1253. quod ita incipit: *Mechtildis Comitiſſa Hollandiae, Dei prouidentia mater Domini Wilhelmi Romanorum Regis illuſtris, omnibus praeſentem paginam inſpecturis ſalutem in Domino* &c. Eadem paullo ante finem vitae anno ſcilicet 1266. ad ſacellum Arenae Comitis pro remedio *animae ſuae & dilecti mariti piae recordationis Dni Florentii Comitis Hollandiae, & dilectorum filiorum, videlicet Dni Wilhelmi clare memoriae Romanorum Regis & eius vxoris Dnae Eliſabeth Reginae, nec non Dni Florentii, & omnium noſtrorum praedeceſſorum & percari noſtri conſanguinei Dni Florentii Comitis Hollandiae, ac dilectarum filiarum Dnae Adelheidis dictae de Hannonia, ac Dnae Margaretae, Comitiſſae de Hennenberg, & ipſorum liberorum* contulit terram quamdam iuxta Hekendunen. (Probat. N. CLXI. c.) Denique vetula & vitae ſatur diem ſuum obiit XI. Kal. Ianuar. Anno 1267. ſepulta apud puellas Losdunenſes, auctore Iohanne de Beka de Epiſcopis Traiect. p. 76. Et ita quidem Henrici Comitis Palatini Iunioris nuptias coniugemque eius Mathildem & fata Mathildis, quae adhuc longa nocte premebantur, e tenebris in apricum produxiſſe atque in clara luce collocaſſe videmur. Supereſt, vt de emancipatione Henrici Iunioris dicamus, & de dimiſſo ei a patre Palatinatu ad Rhenum, a matre in eum deuoluto ſimul ac legitimam aetatem attigiſſet & per nuptias e patria egreſſus eſſet poteſtate. Dnus Eccardus, dum mortem huius Principis commemorat, ſuſpicatur, patrem, in Saxonia occupatum, filio huic curam Palatinatus ad Rhenum commiſiſſe. Haud abſurde. Ego vero argumentando longius procedo, ſtatuoque, patrem filio nunc emancipato poſſeſſionem terrarum auitarum penitus dimiſiſſe, nec ſibi quid amplius iuris in terris Palatinis, praeter nomen Comitis Palatini ad Rhenum, reſeruaſſe. Vt ita ſtatuam, hae me rationes cogunt.

& fidem pro Imperatore dedit ac *iurauit* inter alios praecipue *frater eius Henricus Palatinus Comes Rheni*, vt ex diplomate Ottonis autographo (z) in Archiuio Ducum communi Brunſuici aſſeruato patet.

§. 26.

Anno 1213. *VI. Kal. Februarii* Henricus *Brunſuici* fuit & confirmauit donationem Eccleſiae Scheuerlingburgenſi ab Ottone Imperatore factam

gunt. Principio nullum poſt Annum 1211. in monumentis eius temporis veſtigium ſupereſt exercitae a patre Henrico in terris Palatinis ad Rhenum poteſtatis. Contra, filium videmus in diplomatibus comparere: quale eſt Schonaugienſe illud ex Anno 1213. (Probat. N. CLXII.) quo *Heinricus Dei gratia iuuenis Comes Palatinus Rheni* Monachis confirmat *poſſeſſionem Curiae in Virnheim*, quam pater eis donauerat, ipſaque *Aduocatiae iura a patre ante reſeruata dimittit.* Equidem *iuuenis* Comes Palatinus filius hic appellatur, quo *iuuenis* nomine filii deſignari ſolent, quos patres in ſenectute in curarum partem vocarunt, veluti Henricus Leo filium Henricum Palatinum; Otto Puer filium Albertum natu maximum, cuius diplomata exſtant, quibus viuente patre *iuuenis Dux de Brunſuic* vocatur: quod nominis indicat, non rerum eum tum potitum, ſed pro patre Ducatum adminiſtraſſe. Quod exemplum Dnum Eccardum mouit, vt Henricum Palatinum patrem filio nudam Palatinatus curam commiſiſſe ſuſpicatus ſit. Sed alia Palatinatus ad Rhenum, alia Ducatus Brunſuicenſis conditio fuit. Hic enim a patre & auo delatus non niſi cum vltimo ſpiritu dimittebatur. Ille vero per feminam acquiſitus, filio iſtius feminae, ſimul atque ad aetatem legitimam peruenerat, dimittendus fuit, nec a patre diutius detineri poterat. Quae res viam ſtrauit Palatinatui ad Rhenum Familiae Guelficae ſubducendo. Quomodo id factum ſit, poſtea dicemus, & contra tradita de proſcriptione Henrici Palatini Senioris tuebimur. Nunc id ſolum addimus, hanc mutationem Henrico patri quodammodo inuito extortam videri, exortis quippe inter patrem & filium inde ſimultatibus, quae hunc ad amplectendas Friderici II. a Pontifice in Germaniam miſſi partes compulerunt. Huius rei clariſſimum hoc eſt indicium, quod Friderico II. ex Italia Conſtantiam venienti, vbi teſte Godefrido Colonienſi ad Annum 1212. *a cunctis Principibus & nobilibus ſuperiorum partium laetus ſuſceptus fuit*, & ſecundo Rheno, Moguntiam tendenti cum pluribus aliis Principibus, qui ei fidelitatis ſacramentum dixerunt, quod praeuiam ab eo acceptam inueſtituram ſupponit, occurrerit quoque *Comes Palatinus Rheni. Fridericus*, inquit idem Godefridus Colon. ad h. a. *Moguntiam veniens in feſto S. Andreae Apoſtoli celebrem Curiam habuit, vbi plurimi Principes ab eo inbeneficiati fidelitatis iuramentum praeſtiterunt.* Addit Gelenius ad vitam S. Engelberti p. 53. ex MS. Curiam fuiſſe habitam praeſentibus Treuirorum & Moguntiae Archi Epiſcopis, Herbipolenſi, Argentinenſi, Conſtantienſi & Baſileenſi Epiſcopis, *Palatino Comite Rheni*, & Landgrauio Thuringiae. Comes ſane ille Palatinus Rheni, qui Anno 1212. Friderico II. in Germaniam contra Ottonem venienti occurrit, faſces Imperii cum aliis detulit, deque feudis ſuis ſacramentum dixit, nec Ludouicus Dux Bauariae, qui iſto anno de Palatinatu ad Rhenum ne ſomniauerat quidem, nec Ottonis IV. Imperatoris frater Henricus Senior Comes Palatinus, qui Ottonis tunc partes ſtrenue tuitus eſt, ſed filius eius, iam ſui iuris & Palatinatus ad Rhenum Dominus, fuit. Porro non ſolum Otto, gener Henrici Palatini Senioris, ſed & Henricus Rex, Friderici II. filius, Henricum hunc *iuuenem Palatinum* diſerte inter Principes Palatinatum regentes numerant; quod mox ex eorum diplomatibus eruemus. Filius a patre & maioribus Guelficis acceptum Leonem, gentilitium inſigne habuit: quod mox Bauariae Principes in Palatinatu repertum occuparunt, coniunxeruntque cum inſignibus ſuis Wittelsbachicis; vnde hodierna Sereniſſimae Domus Bauaricae inſignia enata ſunt. Nec diſſentit Freherus Orig. Palatin. Part. I. c. 13.

z) Quod, quia huius loci non eſt, producetur ſub Ottone fratre.

factam de bonis apud *Honrode*, *Waggene*, *Giſborne*, *Gamenhuſin*, *Boclam*, *Borsne*, *Wenediſſem*, *Elmesburch* & *Asle*. (Probat. N. CLXIII.) Diploma produxit Rhetmeierus Antiquitat. Eccleſ. Brunſuic. Tom. I. Probation. p. 58. *Scheuerlingeburgum* ſitum fuit eo loco, vbi nunc Wala ad confluentem Obacri & Schunterae cernitur. Olim Caſtrum hoc Gertrudis filiae Ecberti I. Marchionis allodium fuerat, eoque illa ſe recepit, cum ab Henrico IV. Imperatore Dancwerderoda per vim eiecta eſſet. Henricus mox Brunſuico ad Batauos & inde in Angliam iuit, vt Pacta nomine Iohannis Angliae Regis cum Wilhelmo Hollandiae Comite inita eo afferret & rata haberi faceret. Per ea *Wilhelmus Comes Hollandiae* qui & ipſe in Angliam cum noſtro Palatino perrexerat, Regi Angliae promiſit, *quod ſi gentes extraneae in Angliam ad eam expugnandam venerint, ipſe in Angliam ad Regem venire velit cum toto poſſe ſuo*, aliaque quae non huius ſunt loci. Pro his ei Rex feudum 400. marcarum dedit. Acta ſunt haec *Londini XXIX. die Martii*, coram teſtibus, *Domino P. Winton. Epiſcopo*, *HENRICO Comite Palatino Rheni*, *R. Comite Boloniae*, & pluribus aliis apud Rymerum T. I. Act. Anglic. pag. 169. & infra (Probat. N. CLXIV.) perſpiciendis. Eodem autem hoc anno Henricus domum reuerſus eſt, & *quarto Kal. Decembris apud Stalekin Caſtrum ſuum* Praepoſito & Conuentui in *Ouirnkirchen* contulit *omnia bona illa, quae de ipſo tenuerat Reinardus dilectus ſuus de Fornholt in villa Dottirſin.* (Probat. N. CLXV.) Vbi tamen nota in Indictione erratum. In Charta enim *Indict. XIII.* notatur, (a) cum tunc ſaltem II. cucurrerit. Hac eadem Indictione II. *VII. Id Martii*, h. e. Anno 1214. praemiſſam collationem alia Charta (Probat. N. CLXVI.) confirmauit, *apud Caſtrum ſuum Chellis* data, vtrasque ex Archiuio Obernkirchenſi nacti ſumus.

§. 27.

Eundem Henricum Palatinum Anno 1214. filium amiſiſſe *Henricum Iuniorem Palatinum* Albertus Stadenſis refert. Natus is fuit ex Agnete Conradi Comitis Palatini ad Rhenum filia. Cum vero *iunior* vocetur, in propatulo eſt erraſſe Freherum Origin. Palatin. pag. 80. qui Epitaphium eius adducens, Schoenauiae adhuc ſuperſtes, id de ipſo Henrico

a) Chartas Ouernkirkenſes, quae allegantur, in notis numericis valde corruptas deprehendi. Si annus primae ſubſcriptus vitio careret, hoc documentum meam euertere ſententiam poſſet. Sed ipſemet Dnus Eccardus numeros in vitio cubare animaduertit, & Indictionem mutare aggreditur. Quod difficulter admitto. Indictio enim XIII. quam Charta habet, propterea retinenda eſt, quod cum ſerie rerum geſtarum apprime conuenit. Incidit enim, ſi de menſe Decembri agitur, in Annum 1211. quo Henricus pater adhuc rerum Dominus in Palatinatu fuit, & diploma de bonis in Scharren ſupra §. 25. not. y relatum Schonaugienſibus Monachis dedit.

Digitized by Google

rico Palatino Seniore ſiue patre interpretatus eſt. Eum enim diu poſt haec vixiſſe adhuc videbimus. Epitaphium illud hoc eſt: ANNO . . . . KAL. MAII. OBIIT. ILLVSTRIS. PRINCEPS. DOMINVS. HENRICVS. COMES. PALATINVS. RHENI. DVX. SAXONIAE. SVPRADICTI. CONRADI. EX. FILIA. NEPOS. * Addit dici & aliud eius ibi extitiſſe elogium, e quo haec ſuperſint:

PRINCEPS. MAGNIFICVS. COMES. AVLAE. GLORIA RHENI.
IVNIOR. HENRICVS. . . . .

Cum *iunior Palatinus* hic & apud Stadenſem audiat, ſuſpicor, patrem in Saxonia occupatum curam Palatinatus Rheni huic filio praemature defuncto commiſiſſe. Freherus & Tolnerus etiam perperam Henricum Iuniorem Anno 1213. deceſſiſſe referunt, ex Stadenſi corrigendi. In Epitaphio enim annus non eſt expreſſus. (b)

§. 28.

Anno 1214. Henricum Palatinum fratri Imperatori in praelio ad Bouinas adfuiſſe, ibique captum eſſe, recentiores auctores, Spangenbergius in Chronico Mansfeldico, Meierus in Annal. Flandricis, Stangefolius in Annalibus Circuli Weſtphalici aliique aſſerunt; veteres vero & coaetanei ea de re tacent. (c)

§. 29.

Anno 1215. Fridericus II. Rex Henrico Palatino offenſus, quod fratrem deſerere nollet, Ratisbonae eum publice proſcripſit & *Palatinatum*

b) Expreſſus ſine dubio fuit; ſed notae numerales, annum indicantes, ſuccedente tempore ita detritae ſunt in lapide ſepulcrali, vt tempore Freheri non amplius legi potuerint.

c) Non tamen omnes: Chronicon enim Bertinianum, quod a tribus ante ſe coaeuis Scriptoribus coeptum & continuatum denique Iohannes Iperius circa Annum 1294. in vnum volumen congeſſit, Martenaeus autem Anecdotor. T. III. p. 442. ſqq. primus edidit, occaſione huius praelii Comitis Palatini bis meminit. Primum p. 697. ait: *Erant cum Ottone Henricus Louanii & Waleramus de Limburg Duces, Comiteſque Ferrandus Flandriae, Reginaldus Boloniae,* Palatinus de Rheno, *Comes Regemburgenſis* (Tecklenburgenſis) *cuſtos corporis Imperatoris, Bernardus de Coſtinale* (Horſtemar) &c. Et p. 698. inquit: *Capti fuerunt in hoc praelio Comes Flandriae - de gente Imperatoris capti ſunt* Comes Palatinus de Rheno, *Bernardus de Coſtinale* &c. Vtrinque nomen quidem Palatini & fratris elogium omittitur; ſed & vtrimque illud *de Rheno* adiicitur, ne quem alium Palatinum in ſubſidium vocemus. Equidem Ludouicum Bauariae Ducem iam hoc anno eodem titulo vſum eſſe nouimus; ſed is, tamquam Friderici II. aſſecla, Ottoniſque & Henrici Palatini hoſtis iuratus, quam longiſſime ab eorum caſtris abfuiſſe credendus eſt. Eadem me ratio prohibet ſtatuere, Henricum Palatinum Iuniorem hoc praelio forſan captum & exſtinctum fuiſſe; praeterquam quod ille, vt audiuimus, ante obiiſſe ſcribitur, quam hoc bellum geſtum eſt.

tum ad Rhenum contulit *Ludouico Bauariae Duci* (d) vt Auentinus affirmat, eumque ſequentes caeteri Scriptores Bauari. Verum id eſſe, percipimus

d) Vana & inania ſunt, quae de proſcriptione Henrici Palatini vulgo circumferuntur, neque vel vnicum veterem auctorem habent. Prouocant omnes cum Dno Eccardo ad Auentinum. Sed nec in Auentino proſcriptionem illam inuenio, &, ſi inuenirem, auctoritatem tamen recentis & a rei geſtae temporibus nimis remoti ſcriptoris iure defugerem. Annalium Boiorum Libro VII. c. 3. quo de translatione Palatinatus ad Rhenum in Ludouicum Bauariae Ducem agit, ita ſcribit Auentinus: *Sub idem tempus* (mallem annum expreſſiſſet) *Fridericus Caeſar ex hibernis Francofordia egreditur, Boiariam petit, Reginoburgii celebrem Imperii conuentum agit. Frequentes Principes coëunt. Denuo in verba noui Principis iurant. Ludouicus Boiariae rector ab eo Rhenanum Ducatum, quem Palas vocant, officii ac ſingularis obſequii ergo impetrauit, atque in fidem accepit: quippe pietate omni Caeſari ſatisfecit, & ob merita, obſequia parenti, auo Friderici praeſtita tantum commeruit principatum.* Haec Auentinus: quibus recentiores cum proſcriptionem Henrici, tum Annum 1215. ſuper addiderunt: idque praeter mentem Auentini. Licet enim mox poſt verba, quae attulimus, afferat, Ludouicum filio ſuo Ottoni Agnetem Henrici Palatini filiam deſponſaſſe, idque Anno 1215. factum eſſe, eodem modo, quo Eccardus, e Caeſareo diplomate hoc Anno 1215. dato, quo Ludouicus Palatinus Comes Rheni appellatur, probare nitatur; ex eo tamen me iudice, non ſequitur, quod Auentini interpretes inferunt, Anno ſcilicet 1215. Palatinatum ad Rhenum in Ludouicum translatum, eodemque Ludouici filium Palatini filiae Agneti deſponſatum fuiſſe. De priori enim epocha formula vaga & nihil determinante vtitur: *ſub idem tempus.* E qua verus rei geſtae annus nullis fidiculis elici poteſt, quia in praecedentibus de rebus Anni 1210. egerat, immiſcueratque pro more ſuo Annum 1146. Nos mox demonſtrabimus, iam Anno 1214. Ludouicum Bauarum in Palatinatu dominatum, filiamque Henrici Palatini ſponſam Ottonis, filii Ludouici, fuiſſe. In hoc ergo claſſico loco Auentinus nihil habet de proſcriptione Henrici Palatini. Si quo alio loco huiusmodi quid ei excidiſſet, quod ego quidem penitus ignoro, perpendendum foret, Auentinum ſolum in re tanto interuallo a ſua aetate remota idoneum teſtem non eſſe, niſi vel ad teſtes vetuſtiores vel ad documenta prouocantem, quibus omnibus caremus. In tanto ergo veterum ſilentio non temere affirmare audeo, Henricum proſcriptum non fuiſſe, quia in Annalibus huius temporis, quos pleniſſimos habemus, nulla rei tanti momenti mentio occurrit, nec eius cauſa bellum geſtum legitur, quod fere Principum potentium proſcriptiones comitari ſolet, quippe qui non veluti agni ad aram ſe adduci patiuntur; Latet itaque adhuc ratio & modus, quo Palatinatus ad Rhenum e Guelforum manibus elapſus eſt. Initium eius iacturae iam ſignate explicui. Nunc caetera, prout illa ductu documentorum noſtrorum certa eſſe iudico, addenda ſunt, vt inueterata illa proſcriptionis fabula penitus explodatur. Anno 1215. in Comitiis Ratisbonenſibus Henricus Palatinus noſter proſcriptus, Palatinatus Ludouico Bauariae Duci datus & filia Henrici Palatini Ottoni, filio eiusdem Ludouici, deſponſata eſſe dicitur. Atenim vero Ludouicus Dux Bauariae iam Anno 1214. atque ita ſtatim ab obitu Palatini Henrici Iunioris, Dominus Palatinatus ad Rhenum, & filius eius Otto, ſponſus ſororis eiusdem Henrici comparet. Prouoco ad diploma ex Anno 1214. (Probat. N. CLXVII.) quod omnes reliquas ex Anno 1215. deſumtas probationes ſuperfluas & inutiles reddit, quo *Ludewicus Dei gratia Palatinus Comes Rheni & Dux Bauariae* profitetur ſe *intimo cordis dolore tactum ſuper damno, quod homines ſui, ipſo inuito, Monachis Schonaugienſibus intulerint, reuerſum a militia Domini Regis Friderici de inferiore Germania, Deo & ipſis ſatisfacere cupientem, ad ipſum clauſtrum acceſſiſſe, in Capitulo plenam fraternitatem recepiſſe, Abbatique & Fratribus ad reſarciendum damnum piſcationem ſuam in Ophowa liberaliter contuliſſe. Huic donationi,* inquit porro, *acceſſit etiam bona voluntas & pius conſenſus Agnete, Nobilis puellae, ſponſae filii noſtri, quae vera haeres eſt eiusdem rei. Actum eſt hoc anno Domini MCCXIIII.* Ex hoc diplomate patet, Ludouicum Wittelsbachium, filium Ottonis illius Wittelsbachii, qui primus ereptum Guelfis noſtris Bauariae Ducatum intulit in Domum ſuam, inter illos ſuperioris Germaniae Principes, qui venientem ex Italia Fridericum II.

cipimus ex diplomate Friderici II. Regis hoc anno *apud Auguſtam* Nonis Aprilis dato, quo litem *inter conſanguineum ſuum Manegoldum Patauienſem Epiſcopum*

dericum II. Anti-Caeſarem laeti ſuſceperunt, praecipuum fuiſſe; licet nomen eius in hiſtoricis eius temporis non legatur. Tum eum Ludouicum, noui Caeſaris lateri iunctum, bello, quod ille inferioris Germaniae Principibus, Ottonis amicis, & praecipue Brabantiae Duci, ſocero Ottonis, indixerat, interfuiſſe, nauataeque operae praemium tuliſſe vacantem ab obitu Henrici Iunioris Palatinatum ad Rhenum: quod bellum Godefridus Colonienſis, qui id e vicinia ſpectauerat, hoc anno 1214. eo ſucceſſu geſtum fuiſſe ſcribit, vt *Dux Brabantiae ſupplex ad Fridericum venerit, fidelitatem promiſerit, filiumque ſuum & alios nobiles viros obſides dederit.* Porro Ludouicum, vt Palatinatu integro potiretur, qui vt feudum dignitatis ab Imperio quidem pendebat, feminina tamen plurima admiſta habuit, Agnetem Henrici Palatini filiam, quam ipſe *veram Palatinatus haeredem* eſſe profitetur, filio ſuo vnico, Ottoni deſponſaſſe: quae res indicio eſt, maiorem natu Henrici Palatini filiam Irmengardin, quae minori ſine dubio praelata fuiſſet, Anno 1214. non amplius liberam, ſed Hermanno Badenſi iam deſponſatam fuiſſe; cui aliunde facile ſatisfieri poſſe ſperabatur; vti & factum eſt. Praeterea Ludouicum Bauarum, defuncto primo die Maii huius anni Henrico Iuniore Palatino, dum ipſe in caſtris ad Moſellam & Moſam in inferiore Germania verſabatur, abſentem per ſuos poſſeſſionem terrarum Palatinarum arripuiſſe, idque ſine adhibita vi nonnullibi non contigiſſe. Denique compeſcendorum horum motuum cauſa ipſum Ludouicum *a militia Domini Regis Friderici de inferiore Germania* properaſſe in Palatinatum, datisque beneficiis incolarum fidem obſtrinxiſſe, diplomatibusque ſuis non *Bauariae Ducis* ſolum, ſed & *Palatini Comitis ad Rhenum* titulos adſcripſiſſe. Quod cum Anno 1214. iam factum ſit, quid mirum, Anno 1215. & ſequentibus eundem titulum recurrere & frequentari. Non tamen hoc primo Palatinatus Rhenani occupati anno per omnia felix fuit Ludouicus, ſi vera narrat Auentinus l. c. Scribit enim, Ludouicum, dum eo profectus incautius oppida, Caſtra & vrbes vindicaret, ab incolis cum omnibus comitibus captum, multa pecunia, quam Boii viritim tribuerint, redimendum; mox tamen, decreta omnium rerum obliuione a Rhenanis receptum fuiſſe. Anno ſane 1216. omnia rite compoſita oſtendit diploma eiusdem Ludouici, (Probat. N. CLXVIII.) quo poſt tradita, quae *Conradus* & *Henricus Palatini* pro libertate curtis in Scharra egerint, ſubiungit: *Poſtmodum autem & nos, vna cum praecordiali vnigenito noſtro, eamdem Palatiam adepti, memorato Theoderico de Huſen praetaxatum beneficium porreximus* &c. Inde Anno 1219. a Friderico II. ius metallorum (N. CLXIX.) & Anno 1225. cum iam nuptiae inter filium Ottonem & Agnetem Palatinam celebratae eſſent, pro ſe & pro Agnetis, vxoris filii ſui, ſucceſſoribus & liberis ſexus maſculini inueſtituram de Caſtro Heidelberg & de Comitia Stalbuhel ab Eccleſia Wormatienſi, teſtibus literis, quas ſubiiciemus (Probat. N.CLXX. & CLXXI.) impetrauit. Denique Heidelbergae Anno 1228. libertatem curtis in Scharra confirmauit filius *Otto, Dei gratia Palatinus Comes Rheni*, cum recenſuiſſet, quid olim *Conradus Palatinus*, quid *poſtmodum praeclarae memoriae Dominus Heinricus Dux Saxoniae, ſocer noſter, cum Palatiam obtinuiſſet*, in gratiam Schonaugienſium Monachorum fecerit; *poſt eum filio ſuo, Heinrico Palatino Comite id ipſum per omnia faciente.* (Prob. N.CLXXII.) Quae vltima verba, vt & hoc addamus, haud obſcure indicant, filium Henricum patri Henrico viuenti in Palatinatu ſucceſſiſſe, quia poſt patrem, qui non obierat, ergo e Palatinatu ſolum diſceſſerat, filius *paria feciſſe* dicitur *in Palatinatu.* Idem elucet ex diplomate Henrici Regis, anno ſequenti dato (Probat. N. CLXXIII.) quo ait, *ſuperiores Comites Palatinos Rheni, Conradum ſcilicet ac ſucceſſores ipſius, videlicet Heinricum Ducem Saxoniae dictum, ſed & Heinricum, eiusdem Heinrici filium*, licet Aduocatiam in Scharra & Virnheim ab Eccleſia Laurisheimenſi haberent, bona tamen Fratrum Schonaugienſium in his villis ſita ab onere Aduocatiae libera & immunia eſſe voluiſſe: hinc ſe quoque, qui poſt exceſſum vitae Principum iam dictorum praefatae Aduocatiae dominium principale ab Laurisheimenſi Eccleſia in beneficium adeptus rationabiliter obtineat, eamdem libertatem Schonaugienſibus in perpetuum conſeruare velle. Adiicimus denique Chartam, qua gener Henrici Palatini, Otto Dux Bauariae, cum vxore Agnete

Epiſcopum & *dilectum fidelem ſuum & conſanguineum Luipoldum Ducem Auſtriae & Styriae* de iure patronatus Eccleſiae Viennenſis & Aduocatia fori in Sancto Hypolito, generalique terrae iudicio componit. In eo enim teſtis adducitur *Ludwicus Dux Bauariae & Palatinus Rheni.* Hundius Metropolis Salisburg. edit. Gewoldinae T. I. p. 380. id euulgauit. Ludouicus tamen non ante a Palatinatus incolis receptus eſt, quam, filia Henrici Palatini poſtea ducta, bona ſoceri voluntate dignitatem collatam obtinuiſſet. (e)

§. 30.

Eodem anno Waldemarus Rex Danorum, teſte Alberto Stadenſi, *cum multis nauibus Albiam intrat Stadium inuaſurus, ſed prohibet Palatinus* (Henricus.) *Imperator* (Otto IV.) *vero cum fratre & Marchione de Brandenburg & Waldemaro Archi Epiſcopo Bremenſi* Hamburgum *obſedit & in pace recepit.* Verum Rex Danorum rebus ab initio parum proſpere in bello hoc geſtis non deterritus Stadium, eodem Alberto referente, iterum expugnare tentauit; *ſed antequam gelu ſolueretur, rediens, totas vires ſuas in Hamburgum conuertit.* Conſtruxit itaque *Caſtrum ſecus Albim infra vrbem, & Comes Albertus aliud ſupra* eandem *vrbem.* Erat is Albertus Waldemari Regis ex ſorore, Sifridi Comitis Orlamundani coniuge, nepos, vt Originum Anhaltinorum Cap. IV. demonſtrauimus. Waldemaro Archi Epiſcopo Bremenſi oppoſitus erat a quibusdam Gerhardus, cui nunc Stedingi *in grauamen Bremenſium* auxilium tulerunt. Bremenſes igitur Aduocatum ſuum Henricum Ducem & Palatinum aduerſus eos arceſſunt. Dum haec geruntur, *Gerardus* quoque & *Comes Albertus* Caſtrum ſuper Schwengam, vt *Stadium* includerent, aedificabant; quod tamen, eodem Stadenſi teſte, *Dux Henricus* mox *euertit.* Sed Anno 1217. Bremenſes cum Stedingis conciliati ſunt, eiectoque Waldemaro, Gerhardum Archi-Epiſcopum introduxerunt. Quod tam grauiter tulit *Imperator Otto IV.* vt *cum fratre* ideo *Bremenſem Prouinciam dirueret & incenderet.* Grauius procul dubio in eos animaduerſurus, niſi id mors prohibuiſſet, quae eum anno proxime ſequenti oppreſſit.

§. 31.

& filio Ludouico Anno 1251. iisdem Schonaugienſibus Eccleſiam in Scharren donat. (Probat. N. CLXXIV.)

e) Memoria fefellit Dnum Eccardum, dum haec ſcriberet. Ex falſo facto falſam format concluſionem. Non ipſe Ludouicus, ſed filius eius vnicus *Otto* duxit Agnetem, filiam Henrici Palatini, & huius ingratiis Ludouicus, pater generi Henrici, Palatini ad Rhenum dignitatem nactus eſt ante filium. Pluribus in re trita verbis non opus eſt. Caetera delibabuntur, vbi de filiabus Henrici Palatini agendum erit.

Digitized by Google

§. 31.

Fratre Imperatore igitur, vt dictum, Anno 1218. Hartzburgi 14. Calend. Iunii defuncto, Henricus noſter *Brunſuici* ſtatim dominium ſibi attribuit. Magnum Chronicon Belgicum pag. 221. *Omnia*, inquit, *quae fratris erant, vel quae Otto, poſt amiſſum Imperium, vndecunque congregauerat, poſt mortem fratris ſui ſibi vſurpauit.* Quem priori loco nominat *fratrem*, is erat Wilhelmus Anno 1212. mortuus. Videtur ergo ſpecie tutelae *Ottonis Pueri* bona vſurpaſſe. (f) Idem ex veteribus monumentis ſciuit Hermannus Cornerus, dum refert eum *circa finem* demum *vitae ſuae* (g) *Ottoni, filio fratris ſui Willehelmi, Luneburgum reſignaſſe.*

§. 32.

Executor de caetero Teſtamenti Ottonis Imperatoris conſtitutus, mandata eius ſancte obſeruauit, ac bona Scheuerlingeburgenſia Eccleſiae S. Blaſii a fratre per idem Teſtamentum legata eidem confirmauit. (Probat. N. CLXXV.) *Notum*, inquit, *eſſe cupimus, quod nos pro ſalute kariſſimi domini noſtri & fratris, illuſtris Ottonis Romanorum Imperatoris Auguſti, ordinationem quam ipſe in teſtamento ſuo fecit, de bonis Scheuerlingeborch, omnia cum omni iure, Eccleſiae beatorum Iohannis Baptiſtae, & Blaſii, in vrbe Bruneſwic conferendo, ſicut ea legitime & ſicut vir catholicus contulit, & a nobis confirmari petiuit, ita ea libere & benigno animo irreuocabiliter ſupra dictae confirmamus Eccleſiae, vt eis libere vtatur & ſine contradictione, & ad vſus quoslibet ſibi profuturos conuertat.* In fine dicit: *Acta ſunt haec in ciuitate noſtra Bruneſwic anno dominicae incarnationis MCC octauo decimo.* Rogauerat ſub obitum Imperatoris Sifridus Hildeshemenſis Epiſcopus Henricum Palatinum, an vltimam fratris voluntatem de bonis Eccleſiae S. Blaſii datis explere vellet; &, annuente Palatino, ipſe eadem dictae Eccleſiae ſolenni quoque diplomate (Probat. N. CLXXVI.) confirmauit. Edidit id Meibomius in Apologia pro Ottone IV. pag. 149.

§. 33.

f) Friuola accuſatio! Cum Dux Wilhelmus Anno 1212. fato functus eſſet, filius eius Otto puer erat octo annorum, qui rebus ſuis ipſemet per aetatem ſupereſſe non poterat. Tutore ergo opus fuit. Et quis in tutela legitima propinquior erat patruo? Iam vero cum tutoris ſit praeter pupillum bona eius quoque cuſtodire & adminiſtrare; quis Henrico Palatino vitio verterit, iure ſuo eum vſum in hac tutela fructuaria, quae ſane vſurpationis nomine onerari nequit?

g) Quicquid huius ſit, Ottonem puerum legitimo tempore ſui iuris factum eſſe vel hoc euincit, quod viuente adhuc patruo quam plurimas donationes fecit. Has autem facere non potuiſſet, ſi non rerum dominus fuiſſet.

§. 33.

Iuſſerat Otto IV. Imperator in Teſtamento ſuo, vt *Henricus Palatinus Comes Rheni ſanctam crucem, lanceam & coronam, dentem S. Iohannis Baptiſtae & Imperialia inſignia viginti ſeptimanas poſt diſceſſum ſuum conſeruaret, & nulli hominum ſub coelo repraeſentaret, niſi ei, quem Principes vnanimiter elegerint & iuſte, aut ei, qui tunc electus erat, ſi Principes in eum conſentirent; & iniunxerat praeterea, vt pro iis repraeſentandis nullam acceptaret pecuniam, niſi auitum patrimonium per ipſa Imperialia requirere poſſet;* vt ipſa Teſtamenti verba habent. Cauſae tamen Henrico erant, cur longius pauliſper extraditionem Inſignium horum protraheret. Vnde Fridericus ea de re apud Honorium III. Papam conqueſtus eſt, qui hoc Anno 1219. VI. Id. Februarii ei morem geſſit, atque, vt Raynaldus Baronii continuator aſſerit, ita inter caetera reſpondit: *Cum tam literis, quam nuntiis tuis nobis intimare curaſti, quod nobilis vir H. Dux Saxoniae inſignia imperialia detinet, & tibi reſignare contemnit; nos tuis aſpirantes profectibus, & honori, dilectum filium Priorem S. Mariae nouae de Vrbe, virum vtique magni conſilii, & honeſtate perſpicuum ad te duximus deſtinandum, vt ipſum commonefaciat vice noſtra, & eo mediante ipſa regiae ſerenitati reſignet; ad quod illum monere, ac hortari noſtris curauimus literis diligenter. &c. Datum Lat. VI. Id. Februarii Pontif. noſtri anno III.* Non defuit Henricus tunc Papae admonitioni, *Inſigniaque* hoc ipſo anno Friderico Regi in Goslarienſibus Comitiis praeſentauit, (h) teſtibus Alberto Stadenſi & Chronico Auguſtenſi.

§. 34.

h) Mallem Dn. Eccardus hanc tractationem ad alium locum diſtuliſſet, quo de Comitiis Goslarienſibus agitur. Nunc cum geſta Bremenſia inter traditionem Inſignium & Comitia Goslarienſia intercalet; diuidere nos cogit illuſtrationes noſtras, quae in vnum locum collatae, velut e communi foco Solis radii, magis reſplenderent. In Comitiis igitur Goslarienſibus Anno 1219. Henricus Friderico Regi Inſignia Imperii reddidit. Quod paucis verbis indicat Albertus Stadenſis ad h. a. *Rex Fridericus conuentu habito apud Goslariam Principes conuocauit, vbi Dux Henricus ei Imperii Inſignia praeſentauit:* quae Fridericus laetus accepit, teſte breui Chronico Slauico apud Lindenbrog p. 258. vbi: *Rex Fridericus, habito conuentu apud Goslariam gauiſus eſt valde, Duce Henrico ei Imperii Inſignia praeſentante.* Id tamen gratis factum non eſt. Ita enim Chronicon Auguſtenſe apud Freher. Scriptor. Germ. T. I. p. 519. *Otto aliquando Imperator a ſententia excommunicationis abſolutus obiit: Regalia quoque Henrico Palatino Rheni, aſſignanda Regi Friderico, reliquit, quae ad inſtantiam eiusdem Friderici Regis eodem Anno 1219. ſub quadam Forma compoſitionis ipſi aſſignata ſunt.* Forma compoſitionis lucem nondum vidit. Aliqua tamen eius capita ex geſtis hanc compoſitionem inſecutis colligi poſſunt. Inter ea fuit hoc, vt Fridericus hunc theſaurum magna vi pecuniae redimeret, ſi vera narrat compilator Magni Chronici Belgici ad h. a. *Fridericus Rex,* inquit, *coronam & lanceam caeteraque Regalium ornatuum inſignia recepit ab Henrico Duce Saxoniae, fratre Ottonis quondam Imperatoris, datis eidem Duci vndecim marcarum millibus.* His ſi addideris ſexies mille marcas, quas ex transactione §. ſequenti memorata ab Archi Epiſcopo Bremenſi pro patrimonio Stadenſi ſibi ſtipulatus

§. 34.

Idem Stadenſis Hiſtoricus commemorat, mox *Gerardum Bremenſem Archi Epiſcopum pro pace inter ſe & Ducem*, Henricum nempe Palatinum, *facienda Franckefurtum citatum, obiiſſe*, eique Gerhardum Paderbornenſem Praepoſitum, Bernhardi de Lippia, primo Comitis, poſt Abbatis, demum Epiſcopi, filium, ſubrogatum eſſe. Huic itaque ſtatim Henricus ſe conciliauit, &, cum maſculinum ex ſe heredem non haberet, inofficioſus plane in nepotem ex fratre Wilhelmo, Ottonem adhuc puerum, & vnicum Familiae Guelficae ſurculum, *Comitatum Stadenſem* dimiſit cum toto patrimonio, quod ei in diuiſione paternae hereditatis obtigerat, & quo ſe iam carere poſſe putabat, cum fratri Ottoni Imperatori ſucceſſiſſet. (i) Auctor Aſſertionis libertatis Bremenſis pag. 786. & ex eo Tolnerus Cod. Diplomat. Palatini Cap. LXX. diploma eo de negotio confectum (Probat. N. CLXXVII.) in lucem emiſerunt. Dicitur in eo: *Palatinus Comes haereditatem, quam poſſedit iure proprietatis in Comitia Stadenſi tam in Miniſterialibus, quam praediis & mancipiis, & praepoſituram Wildeshuſenſem Eccleſiae Bremenſi contulit in proprium in reſtaurum videlicet damnorum, quae tempore diſcordiae Eccleſiae illata fuerunt, per ſe aut per homines ſuos, & vt ipſe & omnes ſui, qui in eadem diſcordia excommunicationem inciderant, ſint abſoluti, & inſuper, vt dies anniuerſarius patris & fratris ſui Domini Imperatoris, & ſuus in Eccleſia Bremenſi & omnibus Conuentualibus Eccleſiis ipſius Dioeceſis ſolemniter obſeruetur in perpetuum. Huius tamen beneficii cauſa Palatinus ceſſit ab omni iure, quod ſibi decebat in Telonio, Moneta & Aduocatia Bremenſi & in Aduocatia*

latus eſt; fateare neceſſe eſt, Henricum Palatinum numorum, quam terrarum vel amiſſarum recuperandarum, vel poſſeſſarum retinendarum, vel nouarum acquirendarum appetentiorem, Principem fuiſſe valde pecunioſum. Aliud transactionis Goslarienſis, idque Henrico Palatino multo honorificentius caput, infra vbi de iis ſermo erit, attingo.

i) Superſunt tamen indicia, quae me ſuſpicacem reddunt, transactionem ita quidem initam, ſed non ſeruatam fuiſſe. Eodem enim tempore, quo Henricus Palatinus in Ottonem Puerum, fratris filium, terrarum Brunſuicenſium dominium transfudit, eidem Ottoni litteras patentes dedit, ad *Miniſteriales & ciues Stadenſes* directas, quibus eis notum facit, ſe Comitatum Stadenſem nepoti ſuo poſt mortem deſtinaſſe, hortatus eos, vt parem ei fidem exhibeant, quam ſibi praeſtiterint. Litteras ſub Ottone Puero dabimus. Vt hereditatem Ditmarſicam ſeu Ditmarſicum patrimonium, ex eadem diuiſione obtentum, diſſipauerit, indicat Catalogus Abbatum S. Mariae Stadenſium manuſcriptus apud Rothium rer. Stadenſ. p. 47. Ibi: *Huius Abbatis Chriſtophori* (cui Albertus Chronographus ſucceſſit) *tempore Anno MCCIV. Henricus Dux Saxoniae & Bauariae, Comes Palatinus Rheni, filius Henrici Leonis, ob gratam dilectae Coniugis recordationem, in Monaſterii choro ſepultae, dedit Monaſterio bona in Herdorp, Villah & Wibenkaten cum omnibus iuribus & attinentiis, & omnem ſuam hereditatem in Ditmarcia, videlicet Landergen by Tellingſtäde, Bochwolde ſiluam, Borcholte & Oldenborpe by Meldorpe & alia, quorum nomina immutata,*

Aduocatia Nouae Terrae. Verum Dominus Epiſcopus reſpiciens liberalitatem ipſius conceſſit ei tempore vitae ſuae in feudo Patrimonium ante dictum & ipſum Comitatum Stadenſem; Miniſteriales autem ipſius Palatini eius iuſſu iurauerunt & fidelitatem fecerunt Eccleſiae Bremenſi: & bona, quae hactenus a Palatino tenuerant iure miniſterialitatis, in iure feudali ab ea receperunt. Haec donatio Palatini facta eſt ſub Banno Regio in oppido Staden, & per ſententiam ibidem confirmata, & quae ſequuntur. Datum eſt apud *Stadium anno dom. Incarn. MCCIX. d.... Indict.* 7. Transactionem hanc Fridericus II. Imp. Anno 1232. diplomate (Probat. N. CLXXVIII.) confirmauit, quod Lindenbrogius Scriptor. Septentrional. pag. 197. exhibet. Hermannus Cornerus haec monumenta vidit', atque inde in Chronico ſuo ſcripſit: *Quam vrbem* [Stadium] *poſtea idem Henricus dedit cum tota Comitia Eccleſiae Bremenſi. Dedit etiam Eccleſiae Magdeburgenſi* **Sommerſchenburg & Auuerde.** Quis locus ſit *Auuerde* nondum ſcio. De tradito *Sommerſeburgio* Cornerum confirmare videtur vetus Copia Transactionis inter Archi Epiſcopum Magdeburgenſem, & noſtrum Comitem Palatinum Rheni, quam in Archiuio Ducum communi Brunſuici reperimus, quaeque data eſt in pratis *prope vadum Lupi Anno* 1229. *III. Idus Septembris* (Probat. N. CLXXIX.) In ea enim iam *Seruitores de Somerſenburg*, tamquam homines Archi Epiſcopi conſiderantur. Nihilominus in eadem de feudo Archi Epiſcopi quodam ſermo eſt, quod an ipſum ſit Somerſeburgium, Palatino in feudum tunc redditum, aliis decidendum relinquo.

§. 35.

Ex eo tempore Henricus Palatinus Friderico II. Regi integre reconciliatus eſſe videtur. Et iam III. Idus Iulii huius anni *Goslariae* apud eum in Comitiis fuit, inſignisque Priuilegii Goslarienſi ciuitati tunc dati teſtis fuit. (Probat. N. CLXXX.) Inter Saeculares enim teſtes ei adfuiſſe notantur *Ludouicus Dux Bauariae, Albertus Marchio Brandenburgenſis, HENRICVS* **Dux Saxoniae,** *Hermannus Marchio Veronenſis* & alii plures. Vbi notatu dignum eſt neque *Ludouicum* Bauarum, neque *Henricum* noſtrum ſe *Palatinos ad Rhenum* vocare, quo tamen charactere in omnibus aliis Chartis vsque ad vitae finem hic vſus eſt. Suſpicio eſt, Regem ſic voluiſſe, vt vtriusque iuri nulla violentia fieret. Memorabile tamen eſt, (k) Henricum

k) At multo memorabilior res in Comitiis Goslarienſibus acta eſt, quam Dn. Eccardum miror ſicco pede tranſiiſſe. Venerat Fridericus II. in Saxoniam ad pacem publicam conſtituendam, & ad ſtatum terrarum componendum, quia meditabatur iter in Italiam ad coronam Imperialem indipiſcendam: vnde intra paucos annos ſe non reditu-

Henricum pro *Duce Saxoniae* habitum, atque ita in ipſius Regis priuilegio nominatum eſſe.

§. 36.

rediturum praeuidebat. Quod Goslariae intuitu inferioris Germaniae fecerat, anno ſequenti Francofurti ad Moenum fecit intuitu ſuperioris Germaniae, vbi filium ſuum paruulum, *Henricum*, Anno 1212. natum, adeoque vix octennem, Principibus commendauit, ſi quid ſibi peregre humanitus accidiſſet: quem poſtea Principes iuſſu patris Anno 1222. Aquisgranum deductum decennem coronarunt. Pater Anno 1220. in Italiam abiit, vnde ante Annum 1235. quo Ottonem Puerum Ducem Brunſuicenſem & Luneburgenſem creauit, non rediit in Germaniam. Sub filio autem infantulo Germaniam, ipſo abſente, haud diu pacatam fore facile praeuidit Fridericus, niſi quosdam quaſi ſui Vicarios, alterum in Germania ſuperiori, alterum in inferiori conſtitueret. Engelberto quidem Colonienſi Archi Epiſcopo educationem filii; ſuperiorem autem Germaniam Ludouico Bauariae Duci, qua Comiti Palatino ad Rhenum; & inferiorem ſeu Saxoniam Henrico Duci Saxoniae & Ex-Palatino Rheni regendam commiſit. Et hoc poſtremum in Comitiis Goslarienſibus, de quibus agimus, Anno 1219. factum eſt. Prouoco primum ad vetus Chronicon Verdenſe & Luneburgicum MS. ex quo in commentario ad vetus Chronicon Liuonicum Anno 1740. editum annotaui, Henricum Palatinum noſtrum a morte fratris Ottonis redditione Inſignium Imperialium tantam apud Fridericum II. gratiam promeruiſſe, vt Goslariae Anno 1219. vice Regis per Saxoniam fungi iuberetur. Prouoco porro ad Bodonem, ſyntagmatis Gandersheimenſis auctorem, qui Scriptor. Brunſuic. T. II. p. 339. mirabundus, quia cauſam rei ignorauit, de Henrico Palatino ita fatur: *Iſte Henricus ſe Ducem Saxoniae, Comitem Palatinum Rheni ac ſanctiſſimi Legatum Imperii ſcripſit, habuitque in ſigillo equitem, euaginatum gladium geſtantem Anno 1229.* (1219.) *vt in priuilegiis noſtris de Eccleſia Fredenſi patet.* Verum vt non teſtibus modo, ſed documentis quoque res agatur; produco primo (Prob. N. CLXXXI.) inſignem membranam, ſitu quidem & ſqualore marcidam, ſed ita tamen adhuc comparatam, vt pleraque in ea, ipſo hoc Anno 1219. poſt Comitia Goslarienſia Brunſuici ſcripta, adhuc legi poſſint. In ea igitur: *Henricus Dei gratia Dux Saxoniae & Comes Palatnus Rheni. Notum ſit omnibus, quod coram nobis, fungentibus vice* (quae verba me inducunt ad credendum, quod auctor Chronici Verdenſis MS. ad quem prouocaui, hoc diploma viderit, iisdem & ipſe verbis vſus) *glorioſi Domini noſtri Friderici Romanorum Regis & ſemper Auguſti, nec non Regis Siciliae, ſecundum plenitudinem iurisdictionis nobis datae ab ipſo Goslariae, in villa noſtra Bruneſuic, in Eccleſia ſancti Blaſii, multis praeſentibus clericis & laicis, fidelibus noſtris, Nobilis mulier Algiſa, filia bonae memoriae Heinrici de Weſtenen Iunioris, partem patrimonii ſui, quae eam contingebat ex hereditate paterna vel auita, ſua ſpontanea voluntate dedit nomine venditionis Eccleſiae beatae Mariae Virginis & beatae Caeciliae Verdenſi ad manus Iſonis Verdenſis Epiſcopi, conſentientibus ibidem matre, ſorore, marito & ſororis marito* &c. *Acta ſunt haec in Eccleſia ſancti Blaſii in Bruneſuic. Anno Incarnationis Domini M. CC. Indictione VIIma Septimo Idus Nouembris.* Numerus, qui poſt CC eſt, ita exeſus eſt, vt iam amplius legi non poſſit. Indictio autem VII. Annum 1219. indicat, & quidem praeciſe & ſine controuerſia, quia Fridericus II. in hoc documento Romanorum Rex audit. Friderico autem Romanorum Rege nulla alia VII. Indictio cucurrit, quam ea, quae incidit in Annum 1219. Quae enim hanc ſeptimam praecedit, incidit in Annum 1204. quo Fridericus II. nondum Romanorum Rex fuit, & quae proxime ſubſequitur, in Annum 1234. incidit, quo Fridericus Romanorum Imperator fuiſſet appellandus. Vt adeo epocha diplomatis Indictionis ope ſit extra omnem controuerſiam conſtituta. Integram membranam circa finem potiſſime duriter habitam infra l.c. exhibeo: cui (Probat. N. CLXXXII.) adiungo aliam, non minus memorabilem, qua *Henricus Comes de Hoya,* (qui ſub hoc nomine conſtructo Caſtro huius nominis nunc primum comparet, cum ante, veluti in inſtrumentis diuiſae hereditatis nomine Henrici de Stumpenhuſen vſus fuiſſet) nec non *Henricus Comes de Oldenburg & Ludolfus de Bruchhauſen profitentur in loco Nite, dominii Weſte, qui intra Comitatum Brochhuſen ſitus eſſet, coram ipſis Nobiles mulieres, Alenam & Algiſam, filias Domini Henrici Iunioris de Weſten, totum patrimonium ſuum tradi-*

§. 36.

Poſt haec Henricus Palatinus domi quietus reſediſſe videtur. Nihil

diſſe Iſoni Epiſcopo & Eccleſiae Verdenſi, perfeciſſeque fideiuſſores, quae eis facienda Brunſuici iniuncta erant. Ex eo, quod patrimonium Henrici de Weſten coram Vicario Regis ſeu Imperatoris dimittendum fuit, recte inferri poteſt, poſſeſſiones huius Dynaſtae Weſtenſis bona Imperii, quae vocamus *immediata* fuiſſe. Hodie Weſten Praefectura eſt, quae Potentiſſimo Regi noſtro paret. Propero ad Chartam, (Probat. N. CLXXXIII.) quam Dn. Eccardus ad Annum 1223. attingit, forſan ne perlectam quidem, quia titulum Principis Henrici ſingularem non attendit. Is enim eſt: *Henricus Dei gratia Dux Saxoniae, Comes Palatinus Rheni & ſacri Imperii Legatus*. Confirmat in ea iudicium *matris*, *Mathildis, Anglorum Regis filiae, Duciſſae Saxoniae, quae conſenſu patris ſui, Henrici Ducis Saxoniae, eccleſiam in Derſem ad altare ſanctae Mariae in choro beati Blaſii Brunſuicenſis* dederat. Eſt autem Derſem villa medio itinere inter Halberſtadium & Brunſuicum in via regia ſita, ſpectans ad Capitulum maioris Eccleſiae Halberſtadenſis. Comites de Regenſtein hoc tempore Aduocatiam Eccleſiae Derſenſis habuerunt, quam Anno 1270. Alberto & Iohanni fratribus, Ducibus noſtris, vna cum Swanebecca dimiſerunt. (Probat. N. CLXXXIV.) Addo Chartam quartam, (Probat. N. CLXXXV.) qua idem Henricus noſter Anno 1226. donationem quamdam e bonis in villis Schinne & Alemoltere bona gratia Hoyenſis Comitis Monaſterio Schinnenſi factam *Regia* atque ſua auctoritate confirmat. Factum id eſſe dicitur Brunſuici anno Domini MCCLVII. Indictione XIIII. Sed cum Henricus Anno 1227. viuere deſierit, Indictio XIIII. annum nobis viceſimum ſextum oſtendit. Neque dubium eſt, plures eumdem titulum praeferentes Chartas adhuc in ſcriniis ineditas latere, qualis illa Gandersheimenſis ſeu Vredenſis potius eſt ex Anno 1219. quam vidiſſe ſe, in eaque legiſſe titulum *ſanctiſſimi Legatus Imperii* teſtatur Bodo l. c. Ex his, quae adhuc diximus & probauimus, nonnullae magni momenti concluſiones enaſcuntur, Iuriſconſultis omnis aeui ignoratae. Quis enim eorum veram & genuinam Vicariorum Imperii originem nobis aperuit? Equidem probe ſcio, quid diſcriminis ſit inter Vicarium Imperatoris & inter Vicarium Imperii, iſtumque pendere a nominatione Caeſaris viuentis; ſed impediti aut peregre abeuntis, hunc autem lege dari, Imperio vacante. Sed facile videre eſt, vnum genus Vicariorum ex altero natum, & lege ad eos Principes procurationem Imperii delatam eſſe, quos Caeſares ante ex ſuo arbitrio nominauerant, adhibito praeſertim ſuperioris & inferioris Germaniae diſcrimine. Iam vero quam glorioſum Henrico Palatino noſtro, quam honorificum Sereniſſimae Domui, Vicariatum vtrumque cum Rhenenſem, tum Saxonicum in vno eodemque Guelficae gentis Principe coepiſſe; & Rhenenſem quidem Anno 1209. ab Imperatore Ottone IV. in Italiam tendente fratri delatum. Moſellanicus enim Vicariatus qui nominatur, idem qui Rhenenſis eſt. Saxonicus autem Vicariatus hoc Anno 1219. in Conuentu Goslarienſi, aſſentientibus, qui comparuerant, Principibus a Caeſare Henrico noſtro decretus fuit, quem vſque ad vitae finem exercuit, vti e Charta vltima ex 1226. & ex pluribus ab Henrico Rege ad Henricum noſtrum datis epiſtolis, quarum bonam partem Schannat. Vindem. liter. inſeruit, videre licet. Poſt Henricum haec Imperii procuratio per Saxoniam non ceſſauit. Nouimus enim Henricum Thuringiae Landgrauium, ante, quam in ſolium eueheretur, & ante eum Sifridum II. Archi Epiſcopum Moguntinum, paullo poſt per aliquot annos Procuratorem ſe Imperii ſcripſiſſe. Licet autem tota Prouiſorum, qui vocantur, ſeries vſque ad Caroli IV. tempora diſtincte tradi nequeat; ſufficit tamen, de originibus Vicariatus Saxonici nunc nobis conſtare, ſimulque apertum fieri, Vicariatum Saxonicum non demum a Carolo IV. in Aurea Bulla, quod nonnulli volunt, inſtitutum, atque a Rhenenſi ſeparatum, vel Rhenenſi additum fuiſſe. Quam dubiae autem Dni Eccardi infra producendae numorum Henrici interpretationes, ad Goslarienſis ciuitatis Aduocatiam, quae profecto tanti momenti non fuit, tendentes, per haec tradita reddantur, & quam belle homo aeque acutus & ingenioſus eorumdem numorum figuras & characteres ad delatum Goslariae Henrico Imperii Vicariatum detorquere poſſet, ſuo loco oſtenderem, ſi horum ſapientum choro, qui artem diuinatoriam exercent, me immiſcere non refugerem.

Digitized by Google

hil enim memorabile amplius de eo occurrit, (l) praeter exercitam in varia Mona-

l) Immo ex hoc tempore adhuc memorabilia de eo occurrunt quam plurima: in quibus id vnum ſeligimus, in quo non ſolum Ducis Saxoniae nomen & vis, ſed & vicaria Caeſaris per Saxoniam poteſtas magis quam antea frequentari & ſe exſerere coepit. Scilicet illam inſignem rerum Hildeſemenſium conuerſionem, qua, Sifrido Epiſcopo non de vita quidem, ſed de ſtatione decedente, Conradus quidam, Honorii III. Pontificis Clericus & Poenitentiarius, per ſaltum ad ſacram infulam admotus fuit. Cuius mutationis propterea quoque mentio facienda eſt, quia per eam in Saxonia vir emerſit, qui Guelforum luminibus multum offecit. Conradus ille, ex Familia nobilium de Reifenberg in Wetterauia oriundus, Canonicus Moguntinus, zelo in haereticos accenſus, iuuenis in Galliam abierat, contra Albigenſes Crucem praedicaturus. Inde Romam veniens, inter Pontificis Sacellanos receptus, mox in Germaniam remittitur *ad euangelizandum verbum Crucis:* vt habent verba epiſtolae, qua Honorius III. hunc *Capellanum & Poenitentiarium ſuum, Scholaſticum Moguntinum,* Praeſulibus Germaniae enixe commendat. (Probat. N. CLXXXVI.) Hic Hildeshemium delatus, parario Moguntino, Canonicorum ope, Sifrido Epiſcopo, viro miti & rerum humanarum pertaeſo, qui paullo ante in Ottone Imperatore moriente triſte ſpectaculum viderat, facile perſuaſit, vt a Pontifice miſſionem peteret: qua impetrata, ſeptem adhuc annos inter Canonicos delituit. Haec cum tam in aula Romana, quam in Moguntina nullo alio fine agerentur, quam vt Conrado, viro inquieto & ambitioſo, via ad infulam Hildenſemenſem panderetur; mirum non eſt, hunc a Canonicis ſubito electum, a Moguntino mox adprobatum, a Pontifice confirmatum, & ab Henrico Rege inueſtitum fuiſſe. (Probat. N. CLXXXVII.) Repugnabant autem Miniſteriales Hildenſemenſis Eccleſiae, qui miſſis ad conuentum Weiſenburgenſem Conrado Marſchallo de Schwichelde, & Eckberto milite, demonſtrabant, Conradi electionem, cui ipſi adhibiti non eſſent, eſſe irritam, quia *ipſi de iure & ex longa conſuetudine ſuffragium haberent in Epiſcoporum Hildenſemenſium electione:* praeterea Henricum Regem poteſtatis a patre conceſſae limites tranſiliturum, ſi cuiquam Principum Regalia conferret, quae conferenda Imperator ſuae poteſtati reſeruaſſet. Ea de re Praeſules Weiſenburgi congregati ad Miniſteriales Hildenſemenſes litteras dederunt, (Probat. N. CLXXXVIII.) quibus eos amico hortantur, vt a propoſito electionem impugnandi deſiſtant, Conradumque Epiſcopum & Dominum agnoſcant. Pontifex autem in partes pertractus, & a Conrado imploratus, aliis litteris (Probat. N. CLXXXIX.) Miniſterialium Hildenſemenſium auſus plane improbauit, eisque abſciſſe praecepit, ne quando Pontificum ſuorum electionibus ſe ingerant, certi, ſe pati nec velle nec debere, vt Eccleſiae taliter ſeruituti ſubiiciantur. Sed cum ſurdis fabula narraretur, Henricus Rex ad Henricum Ducem, Patris per Saxoniam Vicarium confugit, eum adhortatus, vt praedictos *Miniſteriales ad ſe venire faciat, eosque ad deuotionem & pacem & gratiam Domini ſui Electi modis, quibus ſciret & poſſet & expedire videret, inducere ſtudeat.* (Probat. N. CXC.) Miniſterialibus adhaeſit ciuitas. (Probat. N. CXCI.) Conradus enim cum Henrico Regi conqueſtus eſſet, quod *Burgenſes ſui in omni iure & ſeruitio, quo ei obligati erant, contrarii eſſent & rebelles;* Rex Friderico Halberſtadenſi Epiſcopo in mandatis dedit, vt ea de re cognoſcat, &, quod iuſtum ſit, ſtatuat. His mandatis cum parum proficeretur; Conradus ad arma confugit ipſius propria, & ad quae expedienda nullo alieno auxilio indigebat. Fulmen ſcilicet arripuit, dirisque partim per ſe, partim per Pontificem deuouit exoſae factionis capita: quorum indiculum in veteri ſcriptura repertum exhibemus. (Probat. N. CXCII.) Firmata ſic domi potentia anno ſequenti 1223. Imperatorem in Italia adiit Conradus, confirmationemque obtinuit eorum, quae dubium erat num filius peragere potuerit; nec non decretum, quo Miniſterialium Hildenſemenſium iura haud modice accidebantur. (Probat. N. CXCIII.) Cum Conradus paullo poſt in Saxoniam rediiſſet, Henricus Rex Henrico Saxoniae & Alberto Angariae Ducibus ſignificauit, (Probat. N. CXCIV.) Conrado Hildenſemenſi Epiſcopo tam a Summo Pontifice, quam ab Imperatore mandatum eſſe, *vt tranquillitati publicae per Saxoniam inuigilaret,* exhortatus eos, *vt ad locum & diem, ab Epiſcopo praefigendum, accedant, pacem iuraturi.* Neque vero propterea Vicaria per Saxoniam poteſtas Henrici deſiit. Cum enim ad Imperatoris aures delatum eſſet bellum, quod Anno 1226. Hildeboldus Comes de Limbere,

Monaſteria liberalitatem. (m) Anno 1220. *Fratribus in Riddageshuſen pro remedio animae ſuae* contulit *molendinum Oſſeleue* cum paſcuo pro commutatione duorum manſorum & dimidii in *Algotestorp*. Chartam eius infra (Probat. N. CCIII.) producendam Archiuium Riddageshuſanum aſſeruat. Ibidem extat & alia Charta, qua Anno 1222. *regnante Friderico*, aſſenſum praebet *Willekino Mareſchalco ſuo*, vt tres manſos *in villa Hathebere* Coenobio eidem vendat. Anno eodem in medio Eccleſiae S. Blaſii *altare in honorem S. Bartholomaei* fundauit, (Probat. N. CCIV.) adiecta lege, vt ibi *ſingulis diebus miſſa pro defunctis celebretur, pro ſalute omnium parentum ſuorum, eorum, qui ipſum praeceſſerant, & inpoſterum ſecuturi erant.* Altari vero huic dedit tres manſos & dimidium *in villa Suplinge*, quos *Sifridus Comes de Blanckenburch* hactenus ab eo in feudo habuerat, iam vero Henricus pecunia redemerat; ipſa Charta haec indicans latet in Tabulario Canonicorum S. Blaſii. Ibidem eiusdem Palatini diploma reperitur, quo notum facit, quod

bere, alias de Roden, cum Mindenſi Epiſcopo gerebat, Imperator Comiti ſignificat, ſe *Illuſtrem Ducem de Brunſuic in hac cauſa iudicem conſtituiſſe*, eique iniungit, *vt in ſententia eiusdem Ducis acquieſcat, ni velit armis ad obedientiam cogi.* (Probat. N. CXCV.) Simile reſcriptum Imperator eodem anno ad plures Saxoniae nobiles dedit, bellum gerentes cum *Bodone de Homborch* (Probat. N. CXCVI.) qui, teſtante veteri Chronici Liuonici ſupplemento nuper admodum reperto, vnacum Adolfo Comite Daſſelienſi ſuperiorem annum in Liuonia bello ſacro impenderat. Hoc reſcripto Imperator *belligerantibus* praecepit, vt *dictis Illuſtris Henrici Ducis de Brunſuic obtemperent;* alioquin, ſi refragarentur, *vi compeſcendi, collectis per eumdem Ducem Imperii viribus, & ſuper partem nocentem ducendis:* exhortatus ſimul *Comites Woldenbergenſes, & vniuerſos Imperii fideles per Saxoniam conſtitutos, vt Duci, ſi opus eſſet, auxilium ferant.* Interea Conradus Hildenſemenſis Epiſcopus, Crucis praedicandae gratia e Dioeceſi ſua digreſſus, ab Imperatore, Parmae ſubſiſtente, litteras impetrauit (Probat. N. CXCVII.) quibus *Henrico, Illuſtri Duci Saxoniae, dilecto Principi ſuo,* reſcribit, venerabilem Hildenſemenſem Epiſcopum euangeliſando verbum Crucis Deo totique Chriſtianitati obſequium gratioſum impendere: cum itaque Deum & homines grauiter offenſurus eſſet, qui eumdem Epiſcopum, & maxime quamdiu in ſeruitio Terrae Sanctae laboret, moleſtaret, vel moleſtare praeſumeret; mandat Imperator, monetque atque rogat Ducem praedictum, *vt huiusmodi moleſtatores, niſi dicto Epiſcopo ſatisfaciant, & ab omnis generis vexationibus deſiſtant, auctoritate Imperiali proſcribat, quoties ab Epiſcopo fuerit requiſitus.* Mox tamen ad Eccleſiam ſuam retractus eſt Conradus per nuntium de caede, a quodam Comite de Euerſtein in *Bodone de Homborch* Anno 1227. perpetrata. Qua de cauſa cum Conradus Epiſcopus nimio in Comites Euerſteinenſes rigore vti videretur; *Hermannus Comes de Woldenberg*, illorum Comitum cognatus, Miniſterialium Hildenſemenſium fidem implorauit. (Probat. N. CXCVIII.) Litem hanc decidere non potuit Henricus, viceſimo octauo die Aprilis iam defunctus. Vnde ſub auſpiciis Conradi Epiſcopi die triceſima Iunii inter Euerſteinios & Homborgios inita eſt memorabilis transactio: quam (Probat. N. CXCIX.) ſubiicimus, vt pateat, qua ratione illo tempore homicidia fuerint expiata.

m) Anno enim 1221. venditionem bonorum a Reinardo de Vornholt Monaſterio Nendorpienſi factam confirmauit, ratamque habuit traditionem bonorum eiusdem Reinardi, quae cum filia ei Monaſterio addixerat. (Probat. N. CC. & N. CCI.) Neque tamen rem neglexit publicam. Eodem enim tempore fidum hominem in Angliam miſit, qui Regis Cancellario exponeret quaedam ſecreta, ad vtriusque Familiae honorem & commodum facientia. (Probat. N. CCII.) Quaenam autem illa fuerint, mihi non liquet.

Digitized by Google

quod *chariſſima mater eius Mehthildis, felicis memoriae Anglorum Regis filia, Duciſſa Saxoniae, Altare S. Mariae, quod eſt in medio choro B. Blaſii* inſtituerit, & *Eccleſiam in Derſem cum conſenſu dilecti patris ſui Henrici Ducis Saxoniae in dotem eidem altari aſſignauerit*, quod ille ratum habet. Hoc anno quoque *Goettingae* fuit, & ibi, cum *Miniſteriales eius Thidericus & Erenfridus de Sulinge dimidium manſum in villa Hollenſtad ſitum Eccleſiae de Fritheſele pro V. marcis vendidiſſent, ad petitionem eorum praedicti manſi proprietatem Eccleſiae praefatae contulit in perpetuum quiete poſſidendum.* (Probat. N. CCV.) Charta in Archiuio Regio Hanouerano adhuc reſtat. Anno tandem 1223. menſe Iulio, in *Palatio ſuo Brunſuicenſi* Henricus noſter *Ottoni*, nepoti ſuo ex fratre Wilhelmo, *ciuitatem Brunswic* & feuda alia, tanquam *haeredi ſuo & legitimo ſucceſſori*, tradidit & porrexit ſolenni diplomate, quod in rebus Ottonis fuſius recenſebimus. Tunc vero Henricus ſibi ciuitatem *Cellam*, ad Allerae & Fuſae confluentes ſitam, ſpeciatim reſeruaſſe videtur; vnde vidua eius *Agnes* deinde *Duciſſam de Zchelle* dictam infra videbimus. Anno 1224. *Indictione duodecima, anno decemnouennalis Cycli octauo* Brunſuici conſentit, quod *Conradus dilectus ſuus hortum in Renneberge ante portam Petrinam, & dilectus Miniſterialis ſuus Iohannes de Buorneim manſum vnum in Scampeleue* Eccleſiae S. Blaſii donauerint. (Probat. N. CCVI.) Eodem anno *Indictione duodecima, praeſidente Domino Honorio Papa Sedi Apoſtolicae, regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore Auguſto,* Brunſuici Sanctimonialibus in monte S. Mariae prope Helmſtadium donauit *villam quandam deſertam Bemesdorp nomine iuxta Helmſtat in nemore ſitam, quondam a Sclauis inhabitatam,* vt Charta in Archiuio eiusdem Monaſterii reſidua (Probat. N. CCVII.) oſtendit. Eodem anno, *Indict. XII. Domino Friderico Romanum Imperium & Regnum Siciliae feliciter gubernante, Nonas Iulii* approbat Charta, in Archiuio Ducali Blanckenburgi extante, (Probat. N. CCVIII.) quod *Otrauenus Praepoſitus de Eimbike* eiusque Capitulum propter loci diſtantiam vendiderint *Simoni Abbati de Lapide S. Michaëlis* bona quaedam in *Widbersloue* & *Warmſtide*, ſibique pro pecunia recepta emerint alia bona in *Edemeſſen, Renerſen,* & villam, quae vocatur *Winebduelde*, cum omni iure, quod *Hergersreht* nominatur; hocque ſe ratum habere dicit *ratione Patronatus, quem in Eccleſia de Embike obtineat.* Eodem Anno 1224. bona quaedam feudalia in Linsburg, a vaſallo Nendorpienſi Monaſterio vendita, dimiſit. (Probat. N. CCIX.) Anno 1226. (n) conſenſum ſuum impertit *Praepoſito S. Mariae in Helmſtet,* quod

n) Sed nec Annus 1225. tranſiliendus eſt, cum Henrici Palatini diplomatum plena ſint

quod Otraueno Praepoſito Eimbeccenſi tres manſos in villa *Sellen* pro XX. marcis comparaſſet. (Probat. N. CCXVIII.) Eodem anno III. Idus Martii *Heinricus Abbas Vallis S. Mariae* Charta *Helmſtadii in Eccleſia S. Ludgeri expedita* (Probat. N. CCXIX.) notum facit, *quod bona quae poſſederit in Garswede & Horlingeborſtele in Concambio bonorum, quae Heinricus Dux Saxoniae, Comes Palatinus Rheni, in Duderothe haereditario iure poſſederat, contradiderit perpetuo poſſidenda.* Eodem anno (Probat. N. CCXX.) *Brunſuici* aſſenſum praebet venditioni manſi & dimidii in *Woluishage* ſiti, quam Monaſterio S. Aegidii Brunſuicenſi fecerat *Willehelmus Mareſcalcus eius.* Ibidem eodem Anno 1226. (Probat. N. CCXXI.) *Brunſuici* Eccleſiae S. Cyriaci pro animae ſuae remedio contulit *Aduocatiam bonorum in Bennesthorp*, quam *Henricus de Wenethen* in manus eius reſignauerat. Praeterea eidem largitus eſt Aduocatiam omnium bonorum, quae tunc in *Monte S. Cyriaci*, *Eyſerbetle*, *Velerſtide*, *paruo Schepenſtide*, *Athleueſſem*, *Wattekeſſem*, *Runinge*, *Wolethe*, *Wenetheborch*, *Lenthorpe*, *Bethmere*, *Schoderſtide*, *Bernesthorpe*, *Winningſtide*, *Holthorpe*, *Vrethe*, *Geuensleue*, *Gluſinge*, *Watenſtide* & alibi poſſedit. Leuckfeldius in Antiquitatibus Poeldenſibus pag. 216. eiusdem Henrici Chartam

ſint omnia. Adfero itaque (Probat N. CCX.) Chartam, qua Anno 1225. Henricus noſter Coenobio Schinnenſi, quod in Hoyenſi Comitatu tum floruit, bona ſua in *Waltwindele* & *Struchehuſen*, quae iure paterno poſſederat, *pro ſalute animae ſuae & carorum ſuorum de bona voluntate contulit.* Sed multo illuſtrior eſt donatio, hoc anno Abbati & Fratribus in Walkenried ab Henrico facta. (Prob. N. CCXI.) *Patrimonium* enim *ſuum in Kemenadin, praeterea Helekenroth & Immedehuſen*, item *Walmedehuſen & ſiluam Pandelbeke*, a diuerſorum graduum vaſallis ſibi reſignata, huic Monaſterio tradidit. Cauti Monachi, haud ſine ratione verentes, ne ab heredibus Henrici tam pinguis impugnaretur donatio, ab *Ottone Puero* ante omnia huius beneficii confirmationem petiere & obtinuere anno eodem. (Probat. N. CCXII.) Quid? quod ab ipſomet *Henrico Rege* anno ſubſequenti viceſimo ſexto elicuere litteras, ab Engelberto Colonienſi Archi Epiſcopo, *tutore Regni & palatii primicerio*, ſubſcriptas, (Prob. N. CCXIII.) quibus notum facit, quod *dilectus ſuus conſanguineus*, *Heinricus Dux Saxoniae, bona quaedam patrimonialia*, quorum nomina exprimit, Monaſterio *Walkenried* tradiderit, & quod ipſe Rex, *ſuo & Sereniſſimi patris ſui Friderici Romanorum Imperatoris & ſemper Auguſti nomine*, *portionem eiusdem hereditatis*, *quae ipſos titulo emtionis factae a Marchione de Baden & eius Coniuge, ſpe vel re per ſucceſſionem hereditariam contingat vel contingere poſſit*, eidem Monaſterio *ab omni onere aduocationis liberam donet ac immunem.* Eodem Anno 1226. *Agnes* quoque *Dei gratia Iunior Duciſſa Bauariae*, *vnacum Coniuge ſuo Ottone*, *Duce Bauariae*, hoc *dilecti patris ſui* factum ratum habet per litteras, ſuo & mariti ſui Sigillo roboratas. (Probat. N. CCXIV.) Anno 1252. *Albertus Magnus*, primum qua *iuuenis Dux*, ſeu adiutor patris Ottonis in terrarum Brunsuicenſium adminiſtratione; tum, patre interea vita functo, qua rerum Dominus, duobus inſtrumentis, vno breuiori, altero longiori, eamdem donationem roborat: (Probat. N. CCXV. & N. CCXVI.) id quod denique Anno 1293. filius quoque eius, *Albertus Pinguis*, fecit. (Probat. N. CCXVII.) Haec ſeptem inſtrumenta ex autographis ſigillatis Anno 1421. in vnam maximae amplitudinis membranam coniecit Notarius, & vnicuique diplomati diligentem & accuratam Sigilli vel Sigillorum appenſorum deſcriptionem ſubiunxit. Cuncta ex illa membrana diligenter deſcripta infra videbis in Probationibus noſtris.

Digitized by Google

HEINRICI DUCIS SAXONIÆ ET COMITIS PALAT. RHENI

Sigilla.

N. 1.



N. 2.



N. 3.



N. 4.



Digitized by Google

Digitized by Google

Chartam edidit datam *Brunſwici in Palatio ſuo* Anno 1226. nono Kalend. Aprilis, qua Coenobio S. Iohannis Baptiſtae & S. Seruatii Poledenſi *vniuerſa bona in villa Polide, quae iure haereditario & proprietatis titulo ad ipſum fuerant deuoluta*, confirmat. Immo innumerae ſunt paene Henrici Palatini poſtremis vitae annis donationes. Nam quo fini vitae propior, eo liberalior, vt hoc ſaeculo in tanta ſuperſtitione, quae totum Chriſtianum Orbem premebat, fieri conſueuerat, in Eccleſias fuit. Sic enim hoc anno Coenobio ad Lacum S. Mariae, vulgo *Marienſee,* tertio ab hac vrbe lapide prope Neoſtadium ſito, bona quaedam, in villis *Vrilede* & *Bodendorp* ſita, donauit, (Probat. N. CCXXIII.) cui alio tempore *duas curtes* & *tres manſos* iam contulerat. (Probat. N. CCXXIV.) Inueni etiam in Monaſterio S. Aegidii notatas Henrici Palatini Chartas, quibus Anno 1226. *allodium in Valberg* ei confirmauit, & de Fundatoribus huius Monaſterii teſtatus eſt. Sed hae olim Cancellario & ſupremo Status Adminiſtro Ducali Probſtio de Wendhuſen communicatae cum pluribus aliis, magno patriae hiſtoriae damno, non redditae fuerunt. (o)

§. 37.

Obiit tandem Henricus Palatinus Anno 1227. Albertus Stadenſis enim ad hunc annum ſcribit: *Heinricus Dux & Palatinus Comes Rheni ſine filio obiit, & Bremenſis Archi Epiſcopus Comitatum Stadenſem obtinuit.* Membrana S. Blaſii a Madero & Leibnitio edita: *MCCXXVII. in die Vitalis obiit Dux Henricus Palatinus.* Maior eſt auctoritas huius membranae, quam veteris Chronici Ducum Brunſuicenſium, quod obitum Henrici erronee in Annum 1217. & diem *IX. Kalend. Maii* retulit. Chronicon Winhuſanum MStum diem Henrici emortualem *in diem S. Valentini Martyris* collocat. Alia membrana S. Blaſii Saxonica lingua conſcripta priori in anno obitus 1227. conſentit, additque Henricum *Brunſuici* apud parentes ſuos ſepultum. Ob proceram corporis ſtaturam Henricum cognominatum eſſe *Longum* ex Chronici Rhythmici Cap. XLI. concludo.

§. 38.

Authentica Henrici SIGILLA tria ipſimet. Inter ea primum exhibet Equitem lorica munitum & galea tectum, dextra vexillum nudum gerentem, ſiniſtra ſcutum aquila expanſas alas habente inſignitum pectori admouentem, cum circumſcriptis verbis: HEINRICVS. DI. GRA. PALATINVS COMES RHENI. Reperimus illud ſub litteris Canonicorum S. Blaſii Anni 1196. & aliis Archiuii Canonicorum S. Cy-

o) Mirum qui iterum repetierit eamdem fabulam Dn. Eccardus, manibusque Viri Illuſtris, quae pro ſua innocentia loqui amplius non poſſunt, grauis extiterit. Nos alibi iam diximus, huiusmodi ſiniſtris narratiunculis, quibus fama defunctorum onerari ſolet ab inuidis & maleuolis hominibus, non facile nos aſſenſum praebere.

S. Cyriaci & Monaſterii Marienthalenſis ſine dato. Et credo, hoc eum vſum eſſe, patre adhuc viuente. (p) Mox in altero Eques item loricatus & tunica deſuper indutus apparet, dextra vexillum Leone vnico inſigne, ſiniſtra vero clypeum cum duobus Leonibus tenens, Ducatus nempe & Palatinatus notis. Circum legitur: HEINRICVS. DEI. GRA. DVX SAXON. ET. PALATINVS. COM. RHENI. Vſus eſt hoc Sigillo ſub Chartis Monaſterii S. Laurentii Schoeningenſis Anni 1196. Riddageshuſani 1201. 1204. & 1220. & Marienbergenſis 1203. Tertium Sigillum Equitem habitu & ſcuto eodem habet, ſed dextra gladium vibrantem, & caput & faciem galea occulit, oculis ſolum exceptis. In circuitu cernitur: HENRICVS. DI. GRA. DVX. SAXONIE. PALATINVS COMES RENI. Hoc Sigillum plus vice ſimplici occurrit in litteris Archiuiorum Communis, quod Brunſuici eſt, Blanckenburgenſis, Canonicorum S. Blaſii & S. Cyriaci, Monaſteriorumque Riddageshuſani, Marienbergenſis prope Helmſtadium, & Obernkirchenſis ab Anno 1209. vsque ad Annum 1226. Concludo hinc *gladium* primum Henricum Ducem aſſumſiſſe cum Anno 1204. Aduocatiam Goslariae a Philippo Rege accepiſſet. Aduocati enim in numis bracteatis ſemper *gladium* tenentes ſiſtuntur, quo nempe vrbem ſibi commiſſam defenderent. Quartum Sigillum produxit Tolnerus ad paginam 364. in Hiſtoria Palatina. Verba quidem id eadem continet, ſed Eques in clypeo & vexillo vnicum tantum Leonem oſtendit. Vnde id depromſerit neſcio.


§. 39.

NVMOS Henrici Palatini non niſi bracteatos vidi. Primum ei attribuo qui Num. I. extat & ab Ampliſſimo Dn. Schmidio monſtratus mihi eſt, in quo Leo cum verbis HAINRICVS DVX DE BERVNS*wic*. Henricus enim Leo licet ab inimicis viuus, & deinde a poſteris etiam aliquando *Dux de Brunſwic* vocatus ſit; ipſe tamen, quoniam non Brunſuici

p) Aquila in ſcuto Henrici Palatini vtique memorabilis eſt; cuius rationem reddere incumbebat ingenioſiſſimo noſtro Dno Eccardo. Sed is eam inſalutatam dimittit, quia in opere Heinecciano de aquila in Principum Sigillis ſiue integra, ſiue dimidiata, nullas annotationes inuenit. Meo iudicio ii Principes, qui a Caeſare inſigne quoddam *officium* impetrauerant, honoris cauſa & ad teſtandam gratam eius rei memoriam, aquilam Caeſaream vel integram, vel dimidiatam, ſed inſignibus ſuis gentilitiis coniunctam, ſcutis ſuis inſcripſerunt: id quod inprimis videre eſt in eorum Principum Sigillis, qui *officium* Palatini Saxonici vel geſſerunt, vel ſibi deberi profeſſi ſunt, vel ab iis, qui hoc officio olim functi ſunt, aut id ſibi competere credebant, deſcenderunt. Par ratio fuit *officii* Palatini Rhenenſis. Hoc quia Henricus noſter ex mera Caeſaris Henrici VI. gratia obtinuerat, aquilam ſcuto inſeruiſſe videtur, vt publice profitetur, cui id deberet beneficii. Et quia viuente adhuc patre *officium* illud nactus erat; non male coniecturamur, hoc Sigillo eum, quoad pater viuebat, & defuncto patre eo vſque vſum eſſe, dum nouum Sigillum cuderetur, in quo inſignia gentilitia & Ducalia locum aquilae, officii indicis, occuparunt.

Digitized by Google

HEINRICI DUCIS SAXONIÆ ET COMITIS PALAT RHENI
Numi bracteati



Digitized by Google

Brunſuici ſolum, ſed & Luneburgi Dominus erat, ac Ducatum Saxoniae nunquam dimittere cogitabat, a *Brunſuico* ſolo ſe nominaſſe non putandus eſt; cum exemplum huius rei nullibi extet. In Henricum vero Palatinum, qui ex hereditate paterna *vrbem Brunſuicenſem* ſolam obtinuerat, denominatio illa quadrat. In litteris Henrici VI. Imperatoris quibus donationem Mokernie & Scolene Eccleſiae Magdeburgenſi ab Alberto & Ottone Marchionibus Brandenburgicis factam Anno 1195. paulo poſt obitum Henrici Leonis Ducis confirmat, Palatinus noſter, Leonis filius, inter teſtes citatur, & *Heinricus Dux de Brunſwick* ibi appellatur. In Friderici quoque II. Imperatoris diplomate de erectione Ducatus Brunſuicenſis & Luneburgenſis idem *Henricus de Brunſwic* Anno 1235. dictus eſt; quod indicio eſt, Henricum Palatinum ipſum ſe aliquando hoc nomine vocaſſe. LEONIS quoque agnomine illum vna cum fratre Ottone IV. Imperatore vſum, ex numo Num. XVII. exhibito mox videbimus. Vnde ei etiam tribuimus bracteatum Num. II. a Doctiſſimo Dn. Schlegelio Gotha transmiſſum, in quo legitur: DVX. HEINRICVS. LEO. BRVNSVICENSIS. Figura enim hic leonis diuerſa quoque eſt ab illa, qua *leones* in Henrici Leonis Ducis numis ſiſtuntur. Elegans numus Num. III. qui ex Numophylacio Ampliſſimi Dn. Schmidii itidem prodit, & in quo leo in medio vrbis, ſuperbis turribus & moenibus ornatae, recubat, quia eamdem inſcriptionem habet, pariter Palatino aſſignandus eſt. Erunt itaque eius etiam, qui Num. IV. & VI. ſiſtuntur a Dn. Schmidio & Reuerendiſſimo Abbate Luccenſi accepti, licet inſcriptione careant; quoniam eorum iconia vnum eundemque artificem habuerunt. Horum vero trium numorum iconia qui ſculpſit, idem, vt vel ex primo aſpectu patet, etiam illius auctor fuit, quem Num. V. ex Dn. Abbatis Luccenſis theſauro proponimus cum leone ſub fortalitio cubante. Verba circumpoſita partim deleta ſunt. Cernitur ſolum: - - - DE BVISW. MOE NOE DVCIS. E - - - - Facile hic videre eſt, ab initio reſtituendum HENRICI DE BrVInSWic, & ſequentia MOE NOE ſine dubio miſere traiecta, ac negligentia artificis ex corrupta voce LEO NIS enata, poſt haec vero expreſſum eſſe nomen DVCIS; reliqua legi non poſſunt. Nihil vero de hiſce numis aptius dici poteſt, quam eos eſſe cuſos, cum Anno 1200. Henricus Palatinus vrbem ſuam aduerſus incurſionem Philippi Regis ſtrenue defendit & intra munimenta Brunſuicenſia tutus vanos Regis Philippi impetus ſpreuit. Num. VII. cernitur *leo* (p) ſub porta turrita, ſupra quam

p) Numus VII. VIII. & IX. ii ſunt, ad quos, tamquam delatae in Henricum Goslarienſis Aduocatiae indices, ſupra §. 19. prouocatum fuit. In primis duobus nomen Henrici non eſt expreſſum; Leo tamen ſub porta in numo ſeptimo fauet eorum ſententiae, qui eum ad Henricum referunt: quemadmodum circumſcriptus *Simon & Iudas*

quam ſtat aquila alis expanſis, Goslarienſis vrbis inſigne, inter duas cruciculas, Sanctorum Simonis & Iudae indices: circum quoque, corrupte licet pauliſper, apparet: S. SIMO*n* VEL h. c. & IVDAS. Goslarienſis itaque eſt numus cum inſigni Principum noſtrorum. Nec alii is tribui poteſt, quam Henrico Palatino, vbi is Anno 1204. *Aduocatus Goslariae* a Philippo Rege conſtitutus eſſet. Poſſident illum Dn. Schmidius Abbas, Dn. Hartius & Dn. Reimannus. Eiusdem temporis & artificis eſt alius numus Num. VIII. in quo ſub porta turrita eſt caput Sancti alicuius cum duobus punctis, Sanctos Goslariae tutelares exprimentibus, cum nominibus eorum corrupte circumſcriptis: S. SROMON IVODA. quem apud Maxime Reuerendum Dn. Hartium Helmſtadii & alibi quoque inuenimus. Eandem in Aduocatiam fabricatus eſt quoque numus Num. IX. apud Ampliſſimum Dn. Schmidium cuſtoditus, in quo leo recubat ſub porta vrbis eleganter turrita, ſupra quam ſe erigit Princeps paludatus & mitra tectus, dextra gladium, ſiniſtra vexillum praeferens; circum enim clare perſpicitur: HEINRICVS DVX - - - vbi ſine dubio DE BRVNSWIC vel ſimile quid extitit expreſſum. Huc quoque neceſſario pertinet numus Num. X. in quo ſupra murum intra duos turres Princeps itidem paludatus, corona Ducali ornatus & dextra gladium, ſiniſtra vexillum tenens conſpicitur. *Gladius* enim Aduocati, & *corona eiusmodi*, vti quoque ex Ottonis Pueri numis infra pateſcit, *vexillumque*, Ducis ſunt notae. Nec alibi hoc tempore vrbis imperialis Aduocatum Dux egit. Heineccius Antiquitat. Goslar. Lib. II. p. 220. aliquot Aduocatos Goslariae ex optimae, vt dicit, notae monumentis recenſet. Ante Henricum vero Palatinum ex eius ſententia extitere *Hermannus* Anno 1120. 1147. *Anno de Heimburch* 1152. 1154. *Volkmarus de Wildenſtein* 1173. 1178. 1188. Hunc excepiſſe putat *Henricum*

das Goslariam indicat. Aquila igitur in hoc numo Caeſareum officium ſiue beneficium vrbi vel Leoni tributum indicat. An vero Aduocatia vel vrbis, vel Eccleſiae Goslarienſis, aut delatus Goslariae Henrico Vicariatus Imperii ſignificetur, difficile iudicatu eſt. Eccleſiarum enim & ciuitatum Aduocati vbique diuerſi erant, vt, qui vrbis Aduocatus, is non eo ipſo & Eccleſiae Aduocatus eſſet. Quod vidimus ſupra Libro VI. in bellis Welfi Mitis cum Comitibus de Bogen & de Wolfratheshuſen, quorum illi vrbis, hi vero Eccleſiae Ratisbonenſis Aduocati erant. Simonis & Iudae nomen his numis inſcriptum Eccleſiam Goslarienſem, & aquila Caeſaream tutelam Henrico, qui per Leonem ſiſtitur, delatam ſignificare poteſt. Quo ſymbolo ſi vrbis quoque tutela indicata creditur, prius probandum eſt, Goslariae Aduocatiam vrbis & Eccleſiae ſemper coniunctam fuiſſe. Numus VIII. nihil habet, quod Henricum noſtrum indicet. Non ſolum enim nomine, ſed & leone caret. Numus IX. propius ad ſcopum tendit. Habet enim cum nomen Henrici Ducis, tum leonem Brunſuicenſem, Principemque exhibet dextra gladium, ſiniſtra vexillum gerentem, & portae vrbis inſidentem. Quae figurae coniunctae defenſorem vrbis nobis ſiſtunt. Vrbs autem, huic defenſori ſubiecta, nullo ſymbolo indicatur. Sed ſtateram tranſilio, qui ſapientum choro me immiſcere nolle ſupra profeſſus ſum. Non tamen temperare mihi potui, quin aliquo ſpecimine oſtenderem, quantis difficultatibus obnoxiae ſint extemporaneae illae aenigmatum numiſmaticorum interpretationes, ad quas nemo promtior fuit Dno Eccardo noſtro, ex quouis quiduis elicere parato.

Digitized by Google

cum Ducem noſtrum. Sed ante *Hermannum* ego in Henrici V. Imperatoris diplomate de Anno 1119. apud ipſum Heineccium l. c. pag. 116. inueni adhuc *Epponem Procuratorem*, id eſt *Aduocatum Goslariae*. *Volcmari* vero *Wildenſteinii* eſt numus Num. XIX. a Maxime Reuerendo Dn. Hartio nobis exhibitus, in quo aquila expanſis alis cum litteris ad latera VOL. E. I. quod exponendum eſt *Volcmari eſt iſte*, ſcilicet *denarius*. In circuitu corruptiſſime extant nomina Sanctorum *Simonis* & *Iudae*, his monſtroſis literis: AOHCRVIOS NB VIDAI. Poſt Volcmarum Aduocatus forte fuit *Walterus*. Duos enim eius elegantiſſimos numos apud Experientiſſimum Dn. Albrechtum Medicinae Doctorem Hildeſiae vidi. In vno, Num. XX. delineato, eſt aquila Goslarienſis intra ſemicirculum vel murum; & ſupra vir ſtat armatus lorica & tunica militari indutus dextra gladium vibrans, ſiniſtra clypeum tenens; circum conſpicitur ſcriptum VVALTERVS. In altero Num. XXII. eſt ciuitas cum porta & infra portam Eccleſia SS. Simonis & Iudae, ſupraque portam aquila Goslarienſis: in margine vero legitur VVALTTERVS. DENARIVS EST. ISTVVC. Ad eundem Walterum refero ſimilis artificii numum Num. XXIII. exhibitum & apud Dn. Hartium repertum, cum Eccleſia & capitibus SS. Simonis & Iudae, ſupra Eccleſiam iterum aquila Goslarienſis, ſed litterae nullae apparent. Forma numi Num. XXIV. expreſſi atque ab Heineccio numorum Goslarienſium Tab. I. N. 30. editi euincit, eum etiam in Walteri tempora referendum. Eſt in eo aquila Goslarienſis circulo incluſa infra munimentum, in cuius medio Eccleſia, ad cuius vtrumque latus eſt roſa; circa aquilam duae ſtellae conſpiciuntur, quae SS. Simonem & Iudam denotant. Eadem cum his aetate cuſus eſt etiam is, qui a Reuerendiſſimo Abbate Luccenſi, cuius praeſtantiſſima numorum collectio ſaepe nobis vſui fuit, nobis communicatus Num. XXV. comparet cum aquila Goslarienſi, circa caput duas ſtellas, SS. Simonis & Iudae notas, habente. Circum clare ſcriptum eſt: MERICID. ERTHV ELHAR. Quae verba quid ſibi velint, mihi nondum liquet. *Walterus* vero *Aduocatus* obiit absque dubio ſub Annum 1204. eique Henricus Palatinus ſubrogatus eſt. Vt Aduocatum autem Goslariae Henricum hunc noſtrum cudi quoque feciſſe exiſtimo bracteatos Num. XI. & XII. in quibus Eques, capite mitra tectus, dextra gladium vibrans, & in poſteriori humero inclinans, ſiniſtra vexillum nudum praeferens. Eodem enim habitu ſtans exhibetur idem Num. IX. & X. Pertinet etiam ad Henricum Palatinum, quatenus Aduocatum Goslarienſem, is numus, quem Num. XIII. ex Rhetmeiero ſtitimus, & in quo Eques cum gladio in dextra & ſcuto in ſiniſtra, retro ſe partem vrbis habens. Eadem enim figura comparet Henricus in Sigillo, quo vſus eſt, ex quo Aduoca-

tus fuit. Reſero ad ipſum etiam illum numum, quem Num. XIV. ex eodem Rhetmeiero proponimus, in quo Eques cum ſcuto & vexillo, mitra ducali, vt in duobus antecedentibus, ornatus & retro ſe aquilam Goslarienſem erecte volitantem habens. Antecedentes vero numos & ſpeciatim hunc Rhetmeierus in Additionibus ad Letznerum Tab. LX. pag. 1786. Conrado Duci Sueuiae, patruo, vel Conrado Palatino, fratri Friderici I. Imperatoris erronee attribuit. Induxit eum hanc in opinionem numus, quem Num XV. proponimus, & ex Numophylacio Reuerendiſſimi Abbatis Luccenſis amice cum eo ipſimet communicaueramus. In eo eſt Eques cum vexillo & retro eum aquila volitans; circum vero ſcriptae ſunt litterae, quae Oedipo opus habent; ſed accurate ita factae ſunt, vt a nobis exhibentur. Prima littera ſupra caput equitis H eſſe videri poſſet, ſecunda I reclinatum; tertia O quidem eſt, ſed poteſt etiam ad ſpacium implendum addita eſſe, vt ſaepicule factum alibi obſeruauimus: ſequitur U, quod inuerſum 𝔑 reddit; hinc vacuum eſt ſpatium & ſequitur inuerſum S ac tandem G. Rhetmeierus haec audacter, ſed falſo, vt conſueuit, legit: CHVONRV--S, (litteris R & V, quae in numo non ſunt, ex ingenio additis) & inde Conradum nobis Ducem Sueuiae vel Palatinum obtruſit. In vexillo quoque cruciculam exhibuit, quae in ipſo numo ibi non extat. Attamen numus hic, & caeteri, de quibus nunc agimus, omnes non in Sueuia, ſed noſtris ſolummodo in terris inueniuntur: & habent notas Goslarienſis ciuitatis, habent in ſe ſigna Aduocatiae, & partim ipſam aquilam Goslarienſem, vt hic, quem conſideramus: ſiſtunt Equitem, Ducalis dignitatis emblema, cum armis Ducis & Aduocati, & conueniunt accurate cum Sigillis Henrici noſtri. Vnde concludo, eos non alii, quam eidem Henrico Duci & Palatino, Aduocatoque Goslarienſi tribui poſſe. Numus vero hic, ſecundum noſtram & genuinam lectionem, legi omnino poteſt commodius HIN*ri*G*u*S, transpoſito nempe G, quod cum C. confuſum. Concordat cum hoc alius ex eiusdem Reuerendiſſimi Luccenſis Abbatis gaza depromptus & Num. XVI. additus, in quo idem Eques aquila retro volante, ſed nullae litterae in margine cernuntur. Vti vero Henricus Palatinus fratrem deſeruerat, vt Aduocatiam Goslarienſem conſequeretur; ita nec eam dimiſiſſe credendus eſt, circa Annum 1208. fratri Imperatori reconciliatus. Nec coaetanei hoc vel vnica ſyllaba indicant. Et *gladium* Aduocatiae ſignum ad mortem vsque in Sigillo retinuit. Itaque erraſſe Heineccium neceſſe eſt, qui loco citato dicit *Hermannum Comitem de Wernigeroda* Anno 1206. Aduocatum Goslariae fuiſſe; nullam enim huius ſui aſſerti probationem adducit. Ex Arnoldi Lib. VI. c. 5. & 7. quidem videmus, *Hermannum* hunc *Hartzburgo* a Philippo

lippo praefectum fuiſſe, & Caſtrum hoc aduerſus Ottonem tenuiſſe, Goslariaeque obſeſſae ſuccurriſſe; de Aduocatia vero eius Goslarienſi nihil ibi habetur. Anno 1216. *Olricus* quidem *Aduocatus Goslarienſis* in diplomate Ottonis IV. Imperatoris Riddageshuſano occurrit; ſed, cum ipſe Heineccius obſeruet, trium generum Aduocatos fuiſſe; vnum ſummum & Imperatorium, qui in Statutis Lib. IV. *magnus Aduocatus* vocetur, & criminalium arbiter fuerit; alterum *Scultetum*, qui nomine Senatus iurisdictionem in cauſis ciuilibus exercuerit, & tertium Aduocatum minoris iudicii; puto hunc *Olricum* ſecundi ordinis Aduocatum fuiſſe, aut minimum Henrici Palatini abſentis vices, eius fratrisque Imperatoris indultu, geſſiſſe. Vidi apud Maxime Reuerendum Dn. Hartium Helmſtadii tres numos aetate Ottonis IV. Imperatoris confectos, ab eodem artifice, qui in Henrici Palatini Aduocatiam numum ſupra Num. VII. adductum cum leone ſub porta & cum aquila Goslarienſi ſupra eam ſculpſerat. In vno, quem Num. XXVI. vide, ſupra murum, intra duas turres, ſedet aquila complicatis alis, & circum cernitur: S. SPIVOLRAORNI IEDA, hoc eſt, litteris corruptiſſimis ſane: S. SIMON *&* IVDA*s*. Alterum, Num. XXVII. conſpicuum, exhibuit Rhetmeierus l. c. Tab. LX. n. 24. perperamque delineatum miſere deſcripſit. Apparet vero in eo vir armatus gladium humero inclinans & ſtans ſub porta inter duas turres. Ad humeros eius cernuntur duae ſtellae, SS. Simonis & Iudae ſymbola, & infra a dextra ſceptrum palmatum, a ſiniſtra vero baculus regius in lilium deſinens conſiſtunt. Supra portam manus e coelo veluti, iurantis forma, dimittitur, inter duas aquilas complicatis alis ſupra eandem portam reſidentes. In tertio numo Num. XXVIII. item vir armatus, priori vere ſimilis, dextra gladium humero inclinatum, ſiniſtra ſcutum gerens ſub porta inter duas turres crucibus notatas, conſiſtit. Supra portam legitur BE. EA. Rhetmeierus hoc exponit de *Bernhardo* nouo Saxoniae Duce, cum is, patre adhuc viuente, non niſi *nobilis Dominus de Anhalt* eſſet, vt eum tunc veteres aliquando vocarunt. Et hinc legit: *Bernhardus Eques Anhaltinus.* Sed, pace viri docti dico, eum hic inſigniter fallere & falli. Numi figura quadrat, vt diximus, in tempora Ottonis IV. Imperatoris. Nec vmquam mihi quis monſtrauerit, iis temporibus *nobiles* dictos fuiſſe *Equites*; aetate enim multo recentiori & noſtrae viciniori *Equitis* nomen hunc demum ſenſum accepit. Olim quippe vox *nobilis* non *Equitem*, ſed *Principem* denotabat quemcunque. Ego igitur ex primo horum numorum, in quo nomina Simonis & Iudae notata ſunt, reliquos expono, & dico, eos Goslarienſes eſſe, cuſos ab Aduocato, quem ibi pro ſe conſtituerit vel ipſe Henricus Palatinus, vel frater eius Otto Imperator. Quoniam

Digitized by Google

enim hic minore poteſtate, quam alii ante eum, gauderet, non ſupra portam, ſed ſub ea ſtat, inter inſignia Regia; & aquilae ideo alas complicatas habent, cum expenſae indicium ſint potentiae ſupremae. Manus iurantis forma e coelo protenſa deſignat iuramentum fidelitatis ab Aduocato hoc ſecundario praeſtitum vel Henrico Palatino vel Ottoni. Ante Olricum, paulo ante memoratum, fuit forte quidam *Bernhardus* Aduocatus & huius hi tres numi eſſe poterunt. Litterae vero in numo ſub Num. XXVIII. extantes: BE. EA. hoc modo exponendae eſſent: BERNHARDVS EST ADVOCATVS, vel BERNHARDI EST ADVOCATI, ſcilicet *denarius.* Sed ad Henrici Palatini numos reuertor. Inſignis eſt numus Num. XVII. extans ab Ampliſſimo Dn. Schmidio nobiſcum communicatus, in quo leo in munitione eleganter turrita recubans, a dextro latere expreſſum habet, pectore tenus, Ottonem IV. Imperatorem corona Imperatoria ornatum, a ſiniſtro latere cernitur eodem modo Henricus Palatinus cum diademate ducali. Vbi mirere, Doctiſſimum Rhetmeierum hic duos Monachos vidiſſe, inſigni oculorum errore. Circum exiſtunt litterae: Y LEONEIS DVI IN PRYOIENCIS, ſiue, ſi, vt eſſe debebat, legas: *Duo* LEONES DVCES BRVNSWICENSES. Littera enim Pythagorae biuii ſiue dualitatis nota eſt: Sculptor iconii prius exhibere voluit DVCES IN *Brunſwic;* ſed cum iam IN ſculpſiſſet, ob ſpatium ſufficiens pro eo BRV*n*O*w*I*c*ENCIS poſuit, nec tamen IN, vt oportebat, deleuit. Fraternam quoque concordiam oſtendit numulus Num. XVIII. ex eiusdem Dn. Schmidii gaza productus, in quo ſub ſimili munitione *duo leones* ſibi inuicem abblandientes ſiſtuntur. Numi hi Brunſuici cuſi ſunt, cum Anno 1208. Henricus Palatinus in gratiam cum fratre Ottone Imperatore rediiſſet, ab eoque partem ſuam in gubernatione vrbis Brunſuicenſis obtinuiſſet. Hoc enim ita factum eſſe, tacentibus licet Hiſtoricis domeſticis, vel numus hic euincit. Ex quo ſimul manifeſtum fit, Ottonem IV. Imperatorem & Henricum Palatinum agnomine *Leonum* delectatos fuiſſe.

§. 40.

Henricum Ducem Saxoniae & Comitem Palatinum Rheni *duas coniuges* habuiſſe, quarum prior AGNES Palatina, altera AGNES Landsbergica fuit, ſupra oſtendimus. AGNES Palatina Anno 1204. Stadae obiit, vt etiam ſupra demonſtrauimus. Narratio Altahenſis apud Leibnitium Scriptor. Brunſuic. Tom. II. pag. 21. eam erronee *Iuditham* vocauit. Verba eius ſunt: *Iſti Henrico Chonradus Comes Palatinus Rheni, frater Friderici primi Imperatoris, copulauit filiam ſuam* Iuditam, *& ex hoc, quia*

Digitized by Google

quia filium non habuit, ſuccedit ei in Palatii Principatu: qui Henricus poſtmodum ex illa Iudita *genuit Agnetem, quae Ottoni, filio Ludwici, Duci Bauariae matrimonialiter iuncta. Ipſe etiam Otto ex hoc, quod praedictus H. filium haeredem non habuit, Principatum eius* [&] *Comitatum Palatii eſt adeptus. Item Henricus praedictus Comes Palatinus Rheni genuit alteram filiam nomine Yrugardam, quam duxit Hermannus Marchio de Baden, qui genuit ex ea Hermannum & Rudolphum fratres.* Chronicon vetus Ducum Brunſuicenſium de filiabus Henrici ex Agnete Palatina: *Henricus,* inquit, *frater Ottonis primo vxorem duxit de Rheno, de qua duas filias genuit, ſcilicet Herink, Ducisſam Bauariae & Marchioniſſam de Baden.* Chronicon Rhythmicum de eadem Henrici Palatini vxore canit:

Die Frau ihm zu kunne gewan
Zwo Jungfrauen Lobeſan
Ihrer ein zu Weibe nam
Ein Fürſt aus Bayerlandt,
Hertzog Ludewig was er genand;
Die andre ward gegeben
In Schwaben dem Marggraffen,
Der war genant von Baden.

Botho in Chronico Picturato ad An. 1195. ſimiliter ſcribit: *Pals-Greue Hinrick, de nam Pals-Greuen Cordes Tochter von dem Rhine, und ſe het Agnes, de telde öme twey Töchter, de eyne heyt Geerdrut, de nam Hertzogen Lodewig to Bayern, und de ander de heyt Eyleke, de nam Graven Ereke von Baden.*

§. 41.

Videmus ex his duas ex Agnete Palatina Henricum filias ſuſcepiſſe. Sed auctores in nominibus & maritis earum mire variant. Nos ſingula emendabimus, r) vbi prius monuerimus, ex Agnete hac natum quoque Henrico noſtro filium HENRICVM, de quo ſupra abunde egimus, vbi eum ante patrem Anno 1214. defunctum eſſe demonſtrauimus. Aſſerimus igitur filiam Henrici Palatini natu maiorem fuiſſe illam, quae HERMANNO *Marchioni Badenſi,* huius nominis IV. nupſit. Magnum teſtem habemus Fridericum II. Imperatorem, qui in ſolenni diplomate, quo Anno 1235. Brunſuicenſem Luneburgenſemque ditionem in Ducatum erexit, inter alia dicit, ſe *ciuitatem de Brunſwic, cuius medietatem proprietatis dominii a Marchione de Baden,*

r) Cum clara & manifeſta documenta adſint, quae de Irmengarde, maiore, & de Agnete, minore natu Henrici Palatini filia loquuntur; profecto opus non erat tot nouiorum hominum ineptias cum nauſea Lectoris ſolidi hic accumulare.

Digitized by Google

Baden, & reliquam medietatem a Duce Bauariae emerit, pro parte vxorum ſuarum, quae fuerint quondam filiae HENRICI *de Brunſwic Comitis Palatini Rheni, Imperio conceſſiſſe.* Idem Imperator s) in Commiſſione & conſtitutione ad componendam diſcordiam inter ſe & Ottonem Ducem, cognomento Puerum, Anno 1234. meminit diſſidii, quod vertebatur inter ſe & Ottonem modo dictum *de patrimonio & proprietatibus Henrici Ducis*, patrui Ottonis, *quae a primogenita filia illius comparauerit, vxore Marchionis de Baden.* Marchionis de Baden vxorem quoque *maiorem* Henrici Palatini *filiam* vocat Albertus Stadenſis ad Annum 1227. Nomen eius IRMENGARDIS fuiſſe Narratio Altahenſis prodit. Idem confirmant Stero & Auctor Chronici Auguſtani ad Annum 1237. ſcribentes: *Tunc Hermannus Marchio de Baden natus ex Irmengarde, de ſorore Dominae Agnetis Duciſſae Bauariae, auxilio Ottonis Ducis Bauariae, duxit in vxorem Gertrudam filiam Heinrici Ducis, qui fuerat frater Friderici Ducis Auſtriae ante dicti, & Ducatus Auſtriae & Stiriae ratione talis coniugii vſurpauit: qui genuit filium nomine Fridericum & filiam nomine Agnetam, quae Vlrico Duci Carinthiae poſtea copulatur.* Errant ergo Botho, qui eam *Eilikam* & maritum eius *Ericum*, Meibomius in diſſ. de erectione Duc. Brunſuic. p. 204. qui *Gertrudem*, Rittershuſius & Tolnerus, qui *Irmentrudem*; nec non Trithemius, Henningeſius & Meibomius, qui eundem illius maritum *Henricum*, fratrem Hermanni Marchionis, vocant. Hermannum aiunt cum vxore hac dotis loco accepiſſe *Durlacum*, *Heidesheimium*, *Pfortzhemium* atque *Etlingam.* Schurtzfleiſchius in diſſert. de Rebus Badenſibus addit, *eundem ab Imperatore Friderico II. impetraſſe, vt totum hoc vxorii iuris negotium publicis Tabulis ratum haberetur;* quas vtinam publici iuris feciſſet. t) Deceſſit

s) Haec duo documenta ſub Ottone Puero proferentur. Ex mandato Arnſtenio dato interim notetur, eam Henrici filiam, quae Hermanno Badenſi nupſerat, primogenitam Henrici fuiſſe. Nomen eius *Irmengardis* ex infinitis cum Scriptorum tum documentorum locis ſtabiliri poteſt.

t) Supra excerptum diplomatis dedi, doluique, in eis non expreſſa fuiſſe bona, pro quibus Fridericus II. Hermanno Badenſi dederit *Durlacum* & reliqua, Zaeringenſium Ducum olim propria. Dubium autem nullum eſt, quin ea bona deſignata ſint, quae Irmengardin ex hereditate paterna in Ducatu Brunſuicenſi contingere poterant: quae Imperator deinceps emtione ſibi comparaſſe dicebat a primogenita hac Henrici Palatini filia. In Meichſneri, celebris Iurisconſulti, Deciſion. Cameral. T. IV. deciſ. 35. p. 996. occurrunt duo documenta Badenſia, Irmengardis & Hermanni nuptias confirmantia. In primo *Hermannus Marchio de Baden vna cum vxore ſua Hirmogard* Anno 1233. *fratres de Alba in omnibus ciuitatibus & villis ſuae terrae & dominii a telonio & ab omni exactione & petitione, quod vulgo Vngeld dicitur, excipit & abſoluit.* In altero *Rudolfus*, horum filius Anno 1251. *gratiam & liberalitatem, a Domino genitore noſtro, genetrice noſtra & fratre noſtro* (is fuit Hermannus, pater Friderici Auſtriaci, Neapoli poſtea capite plexi) *factam venerabili Domino Abbati & conuentui in Alba* ratam habet.

Digitized by Google

ſit Hermannus, ſecundum Tolnerum, Anno 1243. IV. Non. Octobris, vxor vero eius Irmengardis Anno 1259. XXV. Februarii. u)

§. 42.

Altera Henrici filia ex Agnete Palatina erat AGNES. Auentinus Annal. Boicorum p. 529. ſcribit, x) eam OTTONI *Duci Bauariae* Anno 1215. vel 1219. cum eſſet annorum circiter quindecim, deſponſatam fuiſſe, indicari diplomate Friderici II. Imperatoris: Nuptias idem *Straubingae* circa Feſtum Pentecoſtes Anno 1225. celebratas refert. Freherus Origin. Palatin. p. 99. & Tolnerus Cod. Diplomat. Palat. Cap. LXXXIV. publicarunt Henrici Wormatienſis Epiſcopi litteras, quibus de conſenſu Capituli ſui, qui etiam ibidem adiungitur, Anno 1225. 9. Kal. Aprilis in feudum conceſſit *Ludouico Illuſtri Duci Bauariae ſuisque ſucceſſoribus Caſtrum in Heidelberg cum burgo ipſius Caſtri & Cometiam Stabobel; quia*, inquit, *vobis commiſit Dominus poteſtatem & Dominae Agneti vxori filii veſtri, per quam Wormatienſem Eccleſiam iuuare poteſtis & ei aſſiſtere in ſuis neceſſitatibus, vt ad auxilium & conſilium tam noſtrum, quam eiusdem Eccleſiae, tam vos, quam ſucceſſores veſtri & Dominae Agnetis, qui per maſculinum ſexum deſcendunt, ſitis perpetuo obligati.* Falluntur ergo Auctor veteris Chronici Ducum Brunſuicenſium, qui Ottonis Bauariae Ducis coniugem *Herink*; Botho in Chronico Picturato, Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad An. 1227. & 1231. Irenicus in Exegeſi Germaniae, Nauclerus aliique, qui eandem *Gertrudem* vocant. Botho idem inſigniter errat, vbi *Agnetis* huius maritum *Ludouicum*, qui Ottonis pater erat,

u) Irmengardis vna cum Hermanno virginum Monaſterium condidit, quod vocatur *Lucida Vallis*. Huius Necrologium in lucem produxit Schanſſat. Vindem. litter. I. p. 164. vbi tam Hermanni quam Irmengardis dies emortuales ſunt annotati:

XVII. Kal. Febr. Illuſtris Hermannus Marchio de Baden, Fundator.

VI. Kal. Mart. piae memoriae Irmingardis, Marchioniſſa Venerabilis, Fundatrix deuota Lucidae Vallis.

Vnde patet, Tolnerum in die obitus Irmingardis vno die; in Hermanni autem die conſtituendo totum a ianua aberraſſe.

x) Quae Auentino hic affinguntur, Auentinus neutiquam ſcribit; ſed id tantum dicit, quod Dn. Eccardus ſupra probauit, iam Anno 1215. Fridericum II. Regem Ludouicum Bauariae Ducem in quodam diplomate *Comitem Palatinum Rheni* appellaſſe: quod omni dubio caret. Deſponſationem autem Agnetis eodem Anno 1215. cum Ottone, Ludouici filio, factam eſſe, Auentinus non dicit. Caeterum Agnetis huius diploma & Sigillum habes in inſtrumento Notarii paullo ante ad Annum 1225. excitato, & aliud in Diplomatario Schonaugienſi ſub Anno 1251. Id ſuaue & iucundum eſt, quod *Agnetis & Ottonis* matrimonium ad ſe quoque pertinere exiſtimauit Aula Anglicana. Cum enim Ludouicus Dux Bauariae, ſocer Agnetis, Anno 1227. ſuo & Henrici Regis nomine cum Henrico III. Angliae Rege foedus inire meditaretur; Rex ſcriptis ad eum ea de re litteris ad id ſe eo promtiorem oſtendit, quod *ei ſe iam iunctum & foederatum cerneret per conſanguineam noſtram; quam*, inquit, *filius veſter in vxorem duxit.* (Probat. N. CCXXV.)

erat, *Ducem Bauariae* conſtituit. Andreas Ratisbonenſis in Chronico: *Otto*, ait, *filius Ludouici Ducis Bauariae, filiam Henrici Comitis Palatini Rheni duxit vxorem & Principatum eius obtinens Heidelberg & omnia ipſius haereditarie poſſedit.* Agnes vero tandem Monachii 1269. obiit, & Schirae iuxta maritum ſepulta eſt. Quas vero moleſtias *Irmingardis* atque *Agnes*, Henrici Palatini filiae, ob Brunſuicenſem hereditatem, quam ſibi aſſerere volebant, *Duci Ottoni*, qui *Puer* cognominatur, creauerint, in rebus eius percipiemus.

§. 43.

Altera Henrici Palatini vxor AGNES *Landsbergica*, de qua ſupra iam egimus, prolem non nacta eſt, & poſt obitum mariti opera pietatis, pro ſaeculi more, in dotandis & erigendis Monaſteriis ſtrenue exercuit. Primo autem animum intendit ad fundandum Coenobium Virginum Ordinis Ciſterctienſis in villa *Winbuſen*, quae olim *Huginbuſen* dicebatur. Membrana S. Blaſii de Henrico Palatino: *Item aliam duxit vxorem Dominam Agnetam, Conradi Marchionis de Landesbercb filiam, quae cum nullum haberet puerum, in viduitate ſancte & pie viuendo Monaſterium Religioſarum Dominarum in Winhauſen inſtituit, vbi & quieſcit.* Anno 1233. Conradus Epiſcopus Hildeshemenſis Charta ſua notum facit, quod *nobilis Domina Agnes Duciſſa de Schielle* (lege: *de Zelle*) ſuum ipſi deſiderium aperuerit, *de Inſtitutione noui Conuentus ſacrarum Virginum Ciſtertienſis Ordinis in ſua dioeceſi ob remedium peccatorum ſuorum & mariti ſui bonae memoriae, cari ſui Heinrici quondam Ducis Saxoniae & Comitis Palatini Rheni, locum quendam ſuo propoſito congruum praeuidens, matricem ſcilicet Eccleſiam in Huginbuſen, qui in vulgari dicitur Winbuſen ſuper Aleram fluuium, cuius proprietas ſiue donatio ad ius Epiſcopale Hildeshemenſis Eccleſiae pertinere noſcatur.* Pergit, ſe ad petitionem Duciſſae locum illum cum Eccleſia ipſi conceſſiſſe: Eccleſiae vero reditus eſſe XV. iugera non decimalia & aliis in locis alia *in pago Flotwede* inter Aleram & Fuſam ſita bona, quae recenſet. Chartam hanc Leuckfeldius Antiquitat. Poeldenſ. pag. 102. mutilam exhibuit, nos vero ex autographo Coenobii integram in Probationibus (N. CCXXVI.) damus. Finitur ea: *Ad maiorem igitur geſtorum euidentiam & memoriam perhennem hoc ſcriptum inde confectum noſtra & Capituli noſtri Sigillorum auctoritate iuſſimus communiri. Ad ampliorem etiam ſcripti firmitatem Sigilla Dominae Duciſſae & ipſius ſacri conuentus duximus apponenda. Acta ſunt haec in Capitulo noſtro Hildenſen. Anno Dom. Incarn. MCCXXIII.* 8. *Kalend. Maii, Pontificatus noſtri Anno XII.* Sub Charta autem pendent Sigilla (1.) *Conradi Epiſcopi*, (2.) *Capituli Eccleſiae Hildeſienſis*, (3.) loco Sigilli Agnetis Duciſſae, illud *Henrici Epiſcopi*, qui Conrado ſucceſſit; vt adeo is hoc indicio fundationem

Tab. XX. ad p. 243.



Digitized by Google

Digitized by Google

tionem confirmaſſe poſtea videatur. Eadem tempeſtate *Agnês Dei gratia Duciſſa, fundatrix Eccleſiae in Winhuſen*, vt ipſa Tabularum in Archiuio Winhuſenſi ſuperſtitum & infra (Probat. N.CCXXVII.) prolatorum verba habent, *Eliſabeth Abbatiſſa & Wernerus Praepoſitus fundatores eiusdem loci*, notum faciunt, quod *Iohannes de Osberneshuſen & vxor ipſius Agnes de Bochorne* modium ſalis pro ſexaginta marcis Eccleſiae ſuae contulerint. Dato carent hae Tabulae; ſed Sigilla appenſa ſunt *S. Eccleſiae Winhuſenſis, Werneri Praepoſiti* & vltimo loco *Agnetis Duciſſae in Wenhuſen*; in quo Beatiſſima Virgo, mater Dei, puerulum Ieſum in ſinu fouens extat, & ad dextram *Agnes* genubus flexis procumbens & oſculans tunicam Mariae cernitur, vti illud ad latus ſtatuae eius aeri inciſum mox dabimus. Anno 1235. *Otto Dux in Bruneſwic* in Charta, (Probat. N. CCXXVIII.) quae adhuc Winhuſae reſtat, confeſſus eſt, *quod in reſtauro Caſtri Tſelle, quod honorabilis Domina Agnes relicta Ducis Heinrici, bonae memoriae patrui ſui, reſignarat & reliquerat ipſi & haeredibus ſuis permanſurum,* Eccleſiae in Winhuſen, *quam de ſuis conſtruxerit illa expenſis*, dederit *de patrimonio proprio vnam ſartaginem in Salina Luneborch & molendinum in Lachtenhuſen & quatuor domos in Cakenholté* & alia.

§. 44.

Monachis etiam Ciſtertienſibus conſultum voluit Agnes vidua; vnde apud Ottonem Puerum Ducem egit, vt ab eo reciperet locum *Iſenhagen*, & pro illo dedit *decimam metalliſodinarum Goslarienſium*. Tria hac de re diplomata Leuckfeldius in Antiquitat. Poeldenſibus pag. 101. 102. 103. & 104. edidit, Anno 1243. Indict. I. 3. Non. Iunii *Brunſuici* datas. In vno (Probat. N. CCXXIX.) confitetur *Dux Otto*, quod *pro decima in Goslaria* dilectae viduae Palatini, patrui ſui, promiſerit *mille & centum marcas puri argenti, quarum octingentis perſolutis, & in Feſto Michaëlis centum & quindecim marcas ſoluere velit; pro reſidua vero ſumma dederit ei* proprietatem ſuam Iſenhagen. In altero l. c. pag. 104. (Probat. N. CCXXX.) idem Otto Dux notum facit, *quod cum Domina* Agnes, vidua quondam Palatini, bonae memoriae Henrici, patrui ſui, *ipſi a ſeodo ſuo decimam montanam in Goslaria illi ad tempora vitae deputatam, de libera voluntate pro quadam pecuniae ſumma ceſſiſſet, eidem viduae dederit proprietatem ſuam in* Iſenhagen, *ad extruendam domum Monachorum Ciſtertienſis Ordinis, per manum Abbatis de Riddageshuſen*; deinde bona Iſenhagenſia recenſet. Tertium diploma (Probat. N. CCXXXI.) eſt ipſius *Agnetis viduae quondam Palatini Comitis Rheni*, quo proprietatem in Iſenhagen acquiſitam, in manus Arnoldi Abbatis Riddageshuſani

Digitized by Google

ad extruendum ibi Monachorum conuentum, reſignat. Extructum eſt itaque mox Monaſterium in *veteri Iſenhaga* ad fluuium Iſam non procul adeo ab *Iſenhaga noua*, vbi iam Virginum Coenobium reſtat, & idem Anno 1253. VIII. Idus Februarii a Wilhelmo Rege Romanorum in protectionem receptum eſt. Translatum illud paulo poſt ad *Iſenhagam nouam*, cumque ibi quoque mox incendio miſere conflagraſſet, Iohannes Epiſcopus Hildeshemenſis, diſſoluta Canonicorum Regularium, qui *Backenrodae* prope vrbem Hildeſiam erant, vita offenſus, iis hinc expulſis, Monachos Iſenhagenſes in eorum locum Anno 1259. ſubſtituit. Iohannis eo de negotio Chartas Leuckfeldius l. c. pag. 106. & 107. euulgauit. *Backenroda* vero ex hinc nomen *Noualis S. Mariae* ſiue *Marienrodae* accepit, & nunc quoque ſub indulgenti Sereniſſimae Domus Brunſuico-Luneburgenſis tutamine floret. Videri de eo amplius poteſt Berntenii Chronicon Marienrodanum Tom. II. Scriptor. Brunſuicenſium a Leibnitio euulgatum.

§. 45.

Agnes Duciſſa vidua, vt Chronicon MStum Winhuſanum perhibet, Anno 1266. aetatis ſuae LXXX. obiit, & in Eccleſia Winhuſana ſepulturam accepit, in qua etiam teſtamento ſuo (Probat. N. CCXXXII.) anniuerſaria inſtituit, ſuum, mariti ſui, ſoceri Henrici Leonis & ſocrus Mathildis Anglicanae expreſſis reditibus huic vſui inſeruituris. Statua eius lignea & vetus ibi adhuc reſtat, cuius delineationem aeri inciſam adiicimus. Idem Chronicon meminit, Agnetem Roma *ſanguinem Saluatoris noſtri* miraculoſum apportari curaſſe, & eandem *Coronam* Eccleſiae donaſſe, quae coram ſummo altari ſuſpenſa fuerit, & habuerit imagines S. Alexandri Patroni & Agnetis Duciſſae. Idem citat *Lhiderici Praepoſiti & Margaretae I. Abbatiſſa vitam B. Agnetis Palatinae* paulo poſt Annum 1309. conſcriptam.

CAPVT IV.

De *Luthero* ſiue *Lothario*, ſecundo Henrici Leonis filio.

§. 1. Secundus Henrici Leonis filius *Luderus* vel *Lotharius* fuit.

§. 2. Hic obſes Henrico VI. Imperatori a patre datus diem clauſit.

§. 1.

IAM ad alterum Henrici Leonis Ducis ex Mathilde Anglicana filium, LVDERVM ſiue LOTHARIVM veniendum eſt. Meminit eius Arnoldus Lib. II. c. 2. Et Gerhardus Stederburgenſis ſcribit, huic *Ludero diuinam clementiam cum naturalium decore donorum venuſtam etiam morum honeſtatem contuliſſe.*

§. 2.

Digitized by

§. 2.

Idem Luderus Anno 1190. Henrico VI. Regi obſes datus, Auguſtae Vindelicorum non ſine ſuſpicione propinati veneni deceſſit, atque ibidem in Eccleſia S. Afrae ſepultus eſt, vbi hodienum adhuc tumulus eius monſtratur. Gerhardus Stederburgenſis de Henrico Leone: *Propoſita*, inquit, *ſibi ſpe recuperandi priſtini honoris Regi ſuam ſatisfactionem exhibuit, duos filios, Henricum videlicet & Luderum, obſides conſtituit, quorum alter Luderus apud Auguſtam vrbem defunctus eſt.* Chronicon vetus Ducum Brunſuicenſium eiusque ſequaces Luderum *in pueritia defunctum* aiunt. Sed res ipſa oſtendit, eum iam maſculos annos attigiſſe: & error inde eſt, quod *pueri* vocem pro Principe regimini nondum admoto vſurpari neſcirent. Male etiam Chronicon Rhythmicum Cap. 38. & Botho *Luderum* Wilhelmo fratri poſtponunt.

CAPVT V.

De *Ottone*, qui poſtea Imperator huius nominis *Quartus* factus eſt, tertio Henrici Leonis filio.

§. 1. Quo anno natus ſit Otto disquiritur.

§. 2. Is patrem exulem in Angliam ſecutus Regis Richardi, auunculi ſui, amorem & beneuolentiam promeruit.

§. 3. A quo Eboracenſem primum, poſtea Pictauiae Comitatum, qui tunc Aquitaniae Ducatum complectebatur, nactus eſt.

§. 4. Pro Richardo Rege ab Henrico VI. Imperatore capto obſes dati ſunt Otto & Wilhelmus fratres.

§. 5. Quas ex paterno teſtamento in Germania terras Otto acquiſierit?

§. 6. Conſilium de matrimonio Ottonis cum Wilhelmi Scotorum Regis filia, quod tamen effectu caruit, exponitur.

§. 7. Geſta Ottonis, qua Comitis Pictauiae recenſentur.

§. 8. Poſt mortem Henrici VI. Imperatoris Rex Germaniae eligitur Otto.

§. 9. Philippi Regis Galliae machinationes, vt impediret, quo minus is pacifice Regno frueretur, narrantur.

§. 10. Otto Aquisgrani coronatur.

§. 11. Statim ab eo tempore quo Regnum adeptus Adolfo Colonienſi Archi Epiſcopo allodium in Salefeld dimiſit, Ducatum confirmauit, & ius ſpolii remiſit.

§. 12. Sponſalia celebrat cum Maria Brabantina, quae tamen poſtea iterum rupta.

§. 13. Proceres Germaniae ipſeque Otto Rex electionem ſuam Pontifici notam faciunt.

§. 14. Pro Philippo tamen Sueuiae Duce imperio admouendo alii Germaniae Proceres & Rex Galliae laborant.

§. 15. Sed Otto reprobata Philippi electione a Pontifice confirmatur.

§. 16. Eius liberalitas erga Abbatiam Corbeienſem.

§. 17. Belli inter eum & Philippum de imperio geſti initia explicantur.

§. 18. Ottonis liberalitas erga Monaſterium Riddageshuſanum & ciues Brunſuicenſes.

§. 19. Pontifex Innocentius diſſidium inter Ottonem & Philippum Reges amicabiliter componere tentat, ſed fruſtra.

§. 20. Philippus Brunſuicum obſidione cingit, ſed re infecta diſcedere cogitur.

§. 21. Richardus Angliae Rex moritur, quod maximum rebus Ottonis Regis diſpendium affert.

§. 22. Pontifex Innocentius III. de amicitia Galliae Regis Ottoni Regi conciliand fruſtra laborat.

§. 23. Landgrauium Thuringiae hortatur, vt in fide erga Ottonem perſiſtat.

§. 24. Premiſlaus Bohemiae Rex Philippi Regis partes deſerit, & Ottoni Regi ſociatur.

§. 25. Rex Otto Colonienſi Archi Epiſcopo Ducatum Weſtfaliae & Angariae confert.

§. 26. Succeſſus negotiorum Epiſcopi Praeneſtini a Papa vt Ottonem Regem confirmaret, in Germaniam miſſi recenſetur.

Digitized by Google

§. 27. Is etiam Ottonem Regem cum Mariae Brabantinae ſponſae patre conciliat.

§. 28. Nouae Ottonis Regis eiusque ſociorum aduerſus Philippum Regem & ſocios molitiones.

§. 29. Confoederatio Ottonis Regis cum Iohanne Rege Angliae.

§. 30. Reliqua A. 1203. ab Ottone Rege geſta ſtrictim percenſentur.

§. 31. Otto Rex Iohannem Regem Angliae de induciis cum Philippo Sueuo conſuluit.

§. 32. Vlteriores Pontificis Innocentii III. pro Ottone Rege iuuando curae & labores exponuntur.

§. 33. Irrita Philippi Regis in Thuringiam expeditio.

§. 34. Theoderici Comitis Hollandiae mors nouo bello anſam praebet.

§. 35. Philippus amicos Ottonis Regis quamplurimos, atque inter hos ipſum Regis fratrem Henricum Palatinum, Premislaum Regem Bohemiae, Adolfum Archi Epiſcopum Colonienſem in fide nutare facit, & in ſuas partes trahit.

§. 36. Ab Adolfo Archi Epiſcopo ſolenniter in Regem vngitur, quem ipſum vero Papa iratus ideo a ſacro officio deponit.

§. 37. Omnes tamen Pontificis Maximi pro Ottone Rege labores hactenus effectu caruerunt, Philippo vbiuis victore exiſtente.

§. 38. Colloquium inter Ottonem & Philippum habitum: ſed Ottone conditiones a Philippo ſibi oblatas reſpuente re infecta diſceſſum.

§. 39. Philippus Rex ipſum etiam Papam in ſuas partes trahit; qui iam miſſis in Germaniam Legatis de concordia inter Reges reducenda de nouo, ſed iterum ſine effectu, laborat.

§. 40. Pontifex parum de Ottone Rege ſollicitus ſolam Brunonis Archi Epiſcopi Colonienſis ex carcere liberationem apud Philippum Regem vrget.

§. 41. Otto Rex rebus his afflictis animum non deſpondet, ſed nouum contra Philippum bellum parat.

§. 42. In mediis his reipublicae fluctibus Philippus Rex ab Ottone Wittelſpachio interficitur.

§. 43. Philippi Regis aetas, coniux & mores recenſentur.

§. 44. Papa & plerique Germaniae Proceres Philippo Rege e medio ſublato ad Ottonis Regis partes redeunt.

§. 45. Qui in Curia Halberſtadienſi de nouo Rex eligitur.

§. 46. In Comitiis Francofurtenſibus Beatrix, Philippi Regis filia, Caeſaris & Ordinum Imperii vindictam contra Regicidam implorat, qui etiam vnanimi omnium praeſentium decreto publice proſcribitur, & poſtea ab Henrico Caletino interficitur.

§. 47. Otto Beatricem ſibi deſpondet.

§. 48. In his ipſis Comitiis Francofurtenſibus Otto Rex etiam de legibus reformandis fuit ſolicitus.

§. 49. Otto Rex Hagenoae, Spirae & Altenburgi comitia celebrat, & Pontifici de nouo obedientiam promittit.

§. 50. Fratrem Henricum Palatinum in Angliam mittit.

§. 51. Curia Brunſuici celebrata deſcribitur.

§. 52. Otto in Curia Herbipolitana publice & ſolemni ritu ſponſalia cum Beatrice, Philippi Regis filia, celebrat.

§. 53. Herbipoli Otto Rex in Sueuiam proficiſcitur, & Philippi Regis poſſeſſiones iure matrimonii acquirit.

§. 54. Hinc in Italiam tendit, vbi a Principibus & ciuitatibus Longobardicis, immo ab ipſo Pontifice perhonorifice ſuſcipitur.

§. 55. Et Romae Imperator coronatur.

§. 56. De inſignibus, quae geſſit Otto cum Romam intraret in Imperatorem coronandus.

§. 57. Papa poſt coronationem ſtatim ab Imperatore diſſidere coepit, quod Terram Mathildis ipſi reddere nollet.

§. 58. Hinc Imperator Roma in Tuſciam abiit.

§. 59. Vbi Azonem Marchionem, Agnatum ſuum, cum Marchia Anconitana inueſtiuit.

§. 60. Et Waltherum Aquilegienſem Patriarcham Legatum ſuum in Italia conſtituit.

§. 61. Expeditionem aduerſus Fridericum Siciliae Regem pro vindicandis Prouinciis Imperio iniuſte ablatis parat.

§. 62. A qua grauiter eum dehortatur Pontifex.

§. 63. Imperator Italiae vrbes peragrat, *Placentiam,*

§. 64. *Florentiam,*

§. 65. *Forum nouum.*

§. 66. Otto Imperator Pontifici colloquium offert ad componendas controuerſias inter ipſos ortas, ſed Pontifex id reſpuit.

§. 67. Et Imperatorem excommunicationis fulmine ferit.

§. 68. Is tamen Papae iras ſpernens in expeditione contra Fridericum Regem Siciliae fortiter pergit.

§. 69. Et totam fere Siciliam ſibi ſubmittit.

§. 70. Interim nonnulli Germaniae Principes Ottonem Imperatorem publice deſerunt, & Fridericum Regem eligunt.

§. 71.

Digitized by Google

§. 71. Otto de perfidia horum Procerum certior factus reditum in patriam parat.

§. 72. In itinere Azoni Marchioni Eſtenſi duo priuilegia impertit.

§. 73. In Germaniam delatus quouis modo amicos ſibi conciliare ſtuduit.

§. 74. Nuptias celebrat cum Beatrice, quae ipſa tamen noua coniux vix deguſtato matrimonio obiit.

§. 75. Imperator auxilium a Rege Angliae ſibi expetit.

§. 76. Fridericus Rex recens electus in Germaniam venit adiutus praecipue auxilio Pontificis & Azonis Marchionis Eſtenſis.

§. 77. Res eius aduerſus Ottonem Imperatorem proſpere ſuccedunt.

§. 78. Rex Galliae larga ipſi ſtipendia ſoluit, quibus ad conciliandos ſibi inter Proceres Germaniae amicos vtitur.

§. 79. Ottonis Imperatoris in Eccleſiam S. Mariae in Ceuerlingeborch liberalitas & fata huius Eccleſiae recenſentur.

§. 80. Hartzburgum ad obſequium Ottonis redigitur, in cuius expugnatione prima bombardae fit mentio.

§. 81. Geſta A. 1213. recenſentur, quo ipſo anno Otto ad ſecunda vota cum Maria Brabantina abiit.

§. 82. Deſcribitur praelium Bouinenſe in quo quidem praeclara Ottonis Imperatoris virtus eminuit, Philippus tamen Galliae Rex victor diſceſſit.

§. 83. Fridericus infortunio Ottonis Imperatoris audacior factus, Brabantiae Ducem Ottoni hactenus fidelem, ad obſequium ſuum vi & muneribus redegit.

§. 84. Induciae inter Regem Angliae & Regem Galliae factae, in quibus & Otto & Fridericus comprehenſus.

§. 85. Otto Imperator poſt praelium Bouinenſe Coloniam ſe recepit.

§. 86. Vnde tamen etiam receſſit cernens ciues impares eſſe, vt eum contra tot hoſtes defendant.

§. 87. Fridericus Aquisgrani in Regem vngitur, & ſimul cum multis Germaniae Principibus ad expeditionem ſacram ſuſcipiendam cruce ſignatur.

§. 88. Fridericus Waldemaro II. Daniae Regi Nordalbingiam cedit, qui etiam Hamburgum recepit.

§. 89. Reliqua Ottonis Imperatoris acta quae ad A. 1215. ſpectant ſtrictim recenſentur.

§. 90. Concilium Romae habitum, in quo Pontifex inter Ottonem & Fridericum iudicem egit, & pro Friderico ſententiam dixit.

§. 91. Oſtenditur, quam falſa & friuola fuerint capita illa, de quibus Ottonem Imperatorem in hoc Concilio inimici accuſauerant.

§. 92. Rex Angliae Iohannes inter malleum & incudem poſitus de Ottone ſibi conciliando laborat.

§. 93. Otto ſpem Imperium recuperandi A. 1217. nondum depoſuerat; potius Bremenſes ſibi rebelles ſeuere caſtigauit.

§. 94. Sed praeter omnem exſpectationem ex medicamine incaute ſumto obiit A. 1218.

§. 95. Narratio de eius poenitentia,

§. 96. atque Teſtamento.

§. 97. Dens Iohannis Baptiſtae inter clenodia Imperii numeratur.

§. 98. Ritus, quo Imperator ſepeliri voluit, ex eius teſtamento exponitur.

§. 99. Sepulturam nactus eſt Brunſuici in Eccleſia S. Blaſii.

§. 100. Mores eius & animi corporisque dotes recenſentur.

§. 101. Coniuges eius fuerunt *Beatrix*, Philippi Regis filia, & *Maria* Brabantina.

§. 102. Mariae, quae Imperatori diu ſuperuixit, fata recenſentur.

§. 103. Sigilla Ottonis IV. Imperatoris,

§. 104. Eiusque numi ſolidi & bracteati explicantur.

§. 1.

ANNVM, quo natus ſit OTTO, qui poſtea *Imperator* huius nominis *Quartus* factus eſt, veterum Scriptorum nemo nobis indicauit, nec, quot annos habebat, cum diem ſuum obiret, vllibi annotatum me reperiſſe memini. Si tamen hariolari quid licet, Ottonem ante Annum 1175. in lucem editum non fuiſſe hinc etiam probabile fit, quod, teſte Arnoldo Lubecenſi, omnes filii Henrici Leonis poſt reditum eius e Terra Sancta, qui in Purificationem Mariae Anni 1173. incidit, nati ſunt, & quod Gerhardus Steder-

Digitized by Google

Stederburgenſis *Ottonem* & *Wilhelmum* diſerte *duos minores natu* Henrici Leonis *filios* vocat. Quo pacto non multum errauerit, qui forte Henricum Palatinum Anno 1173. exeunte; Luderum vero ſeu Lotharium Anno 1174. & Ottonem Anno 1175. natum, adeoque anno aetatis quadrageſimo tertio vita functum ſtatuerit, quia Anno 1218. deceſſit.

§. 2.

Is cum Henrico patre & matre Mathilde Anno 1182. in Angliam exul iuit, nec tamen cum iis rediiſſe, ſed vna cum ſorore, Mathilde apud auum Henricum Regem auiamque Alienoram Reginam ibi manſiſſe videtur, vbi praeſertim a Richardo auunculo ſuo, qui Anno 1189. patri in Regno ſucceſſit, ob ſimilitudinem morum, quae non ſolum inter cognatos, ſed etiam inter diuerſarum familiarum homines intimas & arctas amicitias conciliare ſolet, magni habitus eſt. Princeps enim Richardi virtus fortitudo & magnanimitas fuit. (a) Magnifico Richardum elogio ornat Geruaſius Tilber. Scriptor. Brunſuic. T. I. p. 947. *Floruit ille Rex Regum terrenorum Ricardus in ſtrenuitate, magnanimitate, militari ſcientia & omnis generis virtutibus nulli mortalium ſecundus: ſacri patrimonii Ieſu Chriſti, terrae ſanctae, ſtrenuus defenſor; timor gentilium, mors hoſtium, gladius & tutamen Chriſtianorum: cui mundus ad largitiones non ſufficeret, & orbis velut pugillus erat ad dominandum.* Multum ex hac indole auunculi hauſerat Otto. Geſta eius produnt, nullum facile periculum eum reformidaſſe, ſed tam intrepido animo fuiſſe, vt Pontifex ſubinde eum adhortatus ſit, ne animam prodigeret, Eccleſiae ſaluti vtilem & neceſſariam. Plura loquentur eius res geſtae, (b) in quibus exponendis iam verſamur.

§. 3.

Rex vero Richardus Anno 1190. vt verbis Houedeni vtar, *dedit Othoni nepoti ſuo, filio Mathildis, ſororis ſuae, quondam Ducissae Saxoniae,* **Comitatum Eboraci**, *& quamuis multi recepiſſent eum, & feciſſent ei homagia & fidelitates, multi tamen ei reſiſtebant, dicentes, quod a fide-*

a) Ob res enim terra marique cum per Orientem tum per Occidentem fortiter geſtas cognomen *Cor Leonis* indeptus eſt: quo in Chronico Pictau. apud Marten. Collect. Ampliſſ. T. V. p. 1155. bis honoratur.

b) Nunc vnius Radulfi Coggeshale, qui eum vidit & nouit, teſtimonium addimus, qui ad Annum 1198. *mirae* eum *ſtrenuitatis & elegantis corporis adoleſcentem;* quemadmodum Auctor Chronici Montis Sereni ad Annum 1212. *artium bellicarum peritiſſimum* vocat, *qui & audacia, & corporis viribus parem non haberet.* A Conrado etiam Vrſpergenſi, domui Hohenſtauficae & Philippo Sueuo vltra modum addicto, ſuperbus quidem & ſtultus, ſed tamen *& fortis viribus & ſtatura procerus* vocatur Otto.

Digitized by Google

a fidelitate Regis non recederent, priusquam cum eo ore ad os loquerentur. (c) *Vnde factum eſt, quod Dominus Rex dedit eidem Othoni* ***Comitatum Pictauis*** (d) *in commutationem* ***Comitatus Eboraci.*** Pictauiae Comitatus *Ducatum Aquitaniae* ſecum coniunctum habebat, vt paulo poſt videbimus. (e) Is vero tunc Guillelmo Neubrigenſi Lib. I. c. 31. teſte *a finibus Andegauenſium & Britonum ad Pyrenaeos vſque montes, Galliam Hiſpaniamque dirimentes, extendebatur,* (f) & per Alienoram eius heredem in Ducum Normanniae & Regum Angliae poteſtatem venerat.(g) Richardus,

c) Cauſaturi ſine dubio, vitium peregrinitatis obſtare Ottoni, quo minus Eboracenſis Comitatus Dominus eſſe poſſet, nec Regnum meliore ſui parte truncari decere.

d) Caue tamen cum Dn. Eccardo credas, hoc iam Anno 1190. ſub quo id narrat Hiſtoricus, factum eſſe. Inuictis enim argumentis probari poteſt, Anno demum 1197. Ottoni Ducatum Aquitaniae & Comitatum Pictauienſem ab auunculo datum fuiſſe; cui etiam ante hoc tempus regundo per aetatem impar erat. Et diplomata eius, quorum bonam copiam infra producemus, hoc ipſo Anno 1197. ſcripta, omnia data eſſe dicuntur *anno Ducatus* vel *Comitatus noſtri primo.*

e) Hoc nulla probatione indiget. Vti enim vltimi Duces Comitatum Pictauiae cum Aquitaniae Ducatu intime coniunctum diu poſſederant, promiſcueque vel *Aquitaniae Duces* ſeu *Comites*, vel etiam *Comites Pictauiae* appellabantur; ita ſub Ludouico quoque VII. ſeu iuniore, Franciae Rege, & Henrico II. Richardo, caeteriſque Regibus Angliae, eadem vtriusque Prouinciae coniunctio perdurauit.

f) Scripſit olim Io. Beſlius, in Curia Fontanedenſi Comitis Regius Aduocatus, inſignem Comitum Pictauienſium & Aquitaniae Ducum hiſtoriam, ab Anno 811. vsque ad Ludouici Iunioris Regis Franciae tempora deductam, ante hos centum annos Pariſiis typis expreſſam in forma maiore: opus ſane praeſtantiſſimum, cuius duae tertiae partes probationibus impenduntur, deſumtis vel ex diplomatibus, vel ex Scriptorum cum editorum, tum maxime ineditorum teſtimoniis. Ad calcem libri filius e ſchedis paternis adiecit diſſertationem de finibus Aquitaniae, quo Lectorem ablegamus, cum nobis tam diffuſis eſſe non liceat. Id ſolum notare iuuat ex Chronico MS. Hugonis Pictauini, ſcripto Anno 1160. & a Beſlio p. 470. excitato, Aquitaniam tum comprehendiſſe *Gaſconiam, Baſcloniam & Nauarriam vſque ad montes Pyrenaeos & vſque ad Crucem Karoli.* Quae formula repetitur in Chronico S. Albini, vbi ſub Anno 1200. dicitur: *Rex Angliae Iohannes acquiſiuit totum Regnum, quod fuit patris ſui, vsque ad Crucem Karoli Magni.* Vbi Beſlius in ſubiecta nota putat, Promontorium templum Veneris, hodie *Cap de Creux*, caput Crucis, intelligi. Mentio tamen Pyrenaeorum montium admonet me cladis, quam Carolus Magnus Anno 778. in reditu ex Hiſpania apud Ronceuallem perpeſſus eſt: quo in loco in perpetuam rei memoriam Vaſcones crucem erexiſſe credibile eſt, quam *Crucem Karoli Magni* adpellitarint, & qualis in altiſſimi montis vertice prope S. Ioannis de Luce ad Bidaſſoam fluuium hodienum viſitur.

g) Quomodo id factum ſit, operae pretium eſt paucis enarrare, praeſertim cum Alienora illa hoc tempore adhuc vixerit, & Anno 1199. Ottoni noſtro, nepoti ſuo, in adminiſtrando Aquitaniae Ducatu & Comitatu Pictauienſi ſucceſſerit, obieritque in his terris Anno 1204. octogenaria, ſepultaque in Monaſterio Fontis Ebraldi in Pictauienſi dioeceſi: in quo Virginum Nobilium collegio, vbi Ludouici XV. Franciae Regis filiae educantur, monumentum ſepulcrale Henrici II. Angliae Regis, Alienorae Reginae & Richardi magnificum viſitur, Anno 1637. quia vetera obliterata erant, memoriae cauſa repoſitum a Iohanna Burbonia, Henrici IV. filia, Abbatiſſa. Cuius monumenti effigiem nitidiſſime aeri inciſam habet Franciſcus Sandford Hiſtoriae Genealog. Reg. Angliae Lib. II. p. 64. Ducum Aquitaniae & Pictauienſium Comitum vltimus, Wilhelmus IX. inſtituto Anno 1137. religionis ergo ad S. Iacobum in Gallicia itinere, V. Idus Aprilis

Richardus, antequam patri in Regno ſucceſſiſſet, ipſe *Comes Pictauienſis* fuerat,

lis ibi deceſſit, & in Eccleſia ante aram Beati Petri Apoſtoli ſepultus eſt, teſte Orderico Vitali Hiſtor. Eccleſ. Lib. XIII. p. 907. Etiam Ottoni Friſing. Chron. Lib. VII. c. 21. inter mortuos hoc tempore Principes commemoratur *Comes Pictauienſis*, quem *Gaufridum* perperam appellat, niſi culpam coniicere malis in librarios, qui forte nomen viri per G. ſcriptum inuenientes, pro *Guilielmo* nobis *Gaufridum* dederunt: quod nominis ille non geſſit. Reliquerat Wilhelmus duas filias, Alienoram & Petronellam: & quia terrae eius feudum Franciae erant, Ludouicus groſſus, audito, Wilhelmum e vita emigraſſe, confeſtim *exercitum quingentorum & amplius militum de melioribus Regni eo mittit cum filio Ludouico Iuniore,* prouinciae occupandae cauſa, teſte Sugerio in vita Ludouici groſſi c. 23. Iacobus Cuiacius ad I. Feud. 1. ſcribit, Regem Aquitaniam, quaſi feudum apertum, ſibi vindicaſſe. Sed enimuero Rex iure tutelae vel mundiburdiae Ducatum occupauit, quia Alienora & Petronella, Ducis filiae, minoris eſſent aetatis, & iura volunt, vt minorennium vaſallorum poſſeſſiones in poteſtate dominorum ſint, quouſque adoleſcant. Cum autem Rex filio ſuo aditum ad tam pinguem hereditatem ſtruere moliretur, in vulgus ſparſit, Wilhelmum Ducem vaſallis ſuis praecepiſſe, vt, ſi quid ſibi humanitus contingeret, filiam natu maiorem filio Regis nuptui darent. Huic mendacio confirmando cuſum eſt teſtamentum: quod licet a plerisque, in primis autem ab Alteſerra rer. Aquitan. Lib. X. p. 531. ſuppoſititium reputetur, ſubiiciemus tamen (Probat. N. CCXXXIII.) ex Io. Haio, Originum Pictauienſium Scriptore. In eo Wilhelmus dixiſſe fingitur: *Filias meas Regis, Domini mei, protectioni relinquo: Leonoram collocandam cum Domino Ludouico, Regis filio, ſi Baronibus meis placuerit; cui Aquitaniam & Pictauiam relinquo; Petronellae vero, filiae meae, poſſeſſiones meas & caſtella quae in Burgundia, vt proles Gerardi Ducis Burgundiae, poſſideo.* Sic Ludouicus Iunior Anno 1137. Burdigalae nuptias cum Alienora celebrauit, eodem Sugerio l. c. teſte, & defuncto Kal. Auguſti patre Ludouico, Rex Franciae, ſimulque Dux Aquitaniae & Pictauiae Comes effectus eſt. Wilhelmus Gemeticenſis Hiſtor. Norman. Lib. VIII. c. 42. *Wilhelmus Dux Aquitanorum mortuus eſt. Huius filiam cum ipſius Ducatu Ludouicus, filius Regis Francorum, accepit in vxorem, mortuoque Ludouico patre ſuo ipſo anno Kal. Auguſti ſucceſſit eidem Ludouicus iuuenis, factus Rex Francorum & Aquitanorum Anno 1137.* Eadem habet Robertus de Monte in appendice ad Chronicon Sigeberti Gemblac. ad Annum 1137. quem Robertum Io. Beslius p. 127. *domeſticum Alienorae Reginae* vocat. Haec tum temporis, teſte Chronico Lemouicenſi MS. p. 469. *tredecim* annorum puella fuit; nata proinde Anno 1124. Aquitanis hoc connubium tam gratum fuit, vt id nonnulli epocham ſui temporis facerent. Sic Wilhelmus Helias, Burdegalae Vicarius & Inſulae Dominus, *primo anno, quo Ludouicus Rex Francorum duxit in matrimonium filiam Comitis Pictauorum & Vaſconum,* dedit Eccleſiae S. Crucis medietatem decimae cuiusdam Anno M.C. XXXVIII. epacta VII. Indictione I. concurrente V. Vid. Gallia Chriſtian. T. II. inſtrum. p. 281. Ludouicus Rex, qua Aquitaniae Dux, Clerum ſibi deuincturus, peculiari diplomate, anno Regni IV. dato, liberas electiones eſſe iubet, *iurique ſpolii*, quod vocamus, nuntium mittit. In hoc diplomate (Prob. N. CCXXXIV.) illud memorabile eſt, quod Ludouicus profitetur, *defuncto Aquitanorum Duce & Comite Pictauis Guillelmo, per filiam ipſius Alienoram ſibi ſorte matrimonii obtigiſſe* has Prouincias. Id quod vel ſolum euertit doctrinam Cuiacii. Alienoram autem ab initio tanto ardore dilexit Ludouicus, vt, cum Anno 1146. peccatorum expiandorum cauſa, quae partim in Pontificem, partim incenſo Vitriacenſi caſtro, quo mille trecentae animae periere, commiſerat, expeditionem in Terram Sanctam Diuo Bernhardo promiſiſſet, Alienoram a latere ſuo auelli non pateretur, ſed eam itineris ſociam eſſe vellet & comitem. Sic enim Neubrigenſis Lib. I. c. 31. *Alienora,* inquit, *ita ſibi in principio iuuenis animum ſuae formae venuſtate praeſtrinctum deuinxerat, vt illius famatiſſimae expeditionis iter arrepturus, eam nequaquam domi relinquendam eſſe, ſed ſecum ad proelia proficiſci decerneret.* Quod *exemplum,* addit Hiſtoricus, *ſecuti multi alii nobiles, vxores ſuas ſecum duxerunt: quibus cum cubiculariae deeſſe non poſſent, in caſtris illis Chriſtianis, quae caſta eſſe oportebat, feminarum multitudo verſabatur.* Fuit haec expeditio in conſortione Conradi Germaniae Regis Anno 1147. ſuſcepta, & cum dedecore finita. Vid. Nangius ad Annum 1147. vbi notat, *III. Kal. Iunii, ſcilicet feria tertia poſt*

Pente-

Digitized by Google

fuerat, &, Regnum adeptus, ſe nominabat *Richardum Dei gratia Regem Angliae,*

Pentecoſten, hoc iter transmarinum aggreſſum eſſe Ludouicum. Interea non de cubiculariis ſolum ſub alieno ſole calentibus; ſed & de ipſa Alienora fama per Occidentem varia in vulgus ſparſerat, exiſtimationi eius admodum grauia. Tale eſt, quod, Chronico Senonenſi MS. aſſerente, *Regem clam relinquere machinans, cuidam Turco adhaerere voluit.* Matthaeus Paris ad Annum 1151. ait, quod Alienora diffamata eſſet de adulterio, *etiam cum infideli, & qui de genere fuit diaboli.* Gerrae Siculae! Quis ignorat, ſatyris & ſcommatibus omnium maxime Principes peti? Speciem veri Monachis praebuit iter a femina in Orientem ſuſceptum, & diuerbium: qui in Orientem peregrinantur, raro ſanctificantur: triſti tum experientia confirmatum. Imperioſa femina fuit Alienora, quales fere diuites filiae & multarum terrarum heredes eſſe ſolent. Vnde vox eius excepta eſt a Neubrigenſi, dicentis, *monacho ſe, non Regi nupſiſſe.* De adulterio autem nulla quaeſtio fuit. Refrigeſcente autem per ſuſurros & ex morum diſſimilitudine amore, vterque Coniugum ad liberationem a iugo matrimonii anhelabat; atque ipſa, teſte Nangio ad Annum 1149. Antiochiae iam parentelae mentionem faciente, ac aſſerente, *illicitum eſſe diutius commanere, quia cognatio inter eos in quarto gradu vertebatur;* poſt reditum, narrante Sugerio in vita Ludouici cap. 30. inuenti ſunt, *qui ortum & deriuationem parentelae Regis nouerant, & dixerunt, ſicut verum erat, quod inter Regem & Alienordim vxorem ſuam erat talis conſanguinitas, quod inter eos de iure lex matrimonialis non poterat conuenire.* Quibus ſermonibus Rex motus Anno 1152. die Martis ante feſtum Paſchatis floridi in caſtro Baugenciaci Epiſcopos & Barones Franciae conuocauit, coram quibus illi *per iuramentum ſuum dixerunt, quod Rex & Regina ſeſe cognatione contingebant, & quod ſecundum Deum & legem coniugalem debebat inter eos diuortium celebrari. Quo ſufficienter probato, in praeſentia Praelatorum, fuit inter eos per conſenſum partium matrimonium diſſolutum.* Orbitas Regis fortaſſis maioris ponderis fuit, quam conſanguinitas. Nam non niſi duas filias ex hoc matrimonio ſuſceperat: quarum natu maiorem, Mariam, Theobaldi Trecenſis Comitis maiori filio, Henrico, Comiti Campaniae, qui ſecum Hieroſolymam adierat; minorem Alipſam, minori, Theobaldo Bleſenſium Comiti, poſtea in matrimonium dedit, teſte Chronico Pictau. apud Marten. Coll. ampliſſ. T. V. p. 1154. Andrea Marcianenſi Lib. III. c. 6. & Neubrigenſi l. c. Vti autem Aquitani tempus connubii in Chartis ſuis notarunt, ita & diſſolutionem eius in iisdem inuenimus. Apud Beslium enim habetur inſtrumentum, quo Aimericus quidam donat omnia illa, quae pauperes domus Dei de Monte Maurilionis quocumque modo acquirere potuerunt in Voazeis vſque ad hunc diem, *ſcilicet vsque ad tempus diſſolutionis Ludouici Regis Galliae ab vxore ſua.* Baugenciaco Regina *Bleſas venit. Sed Theobaldo Comite Bleſenſi eam per vim ſibi habere volente, de nocte fugit, & inde euadens Turones venit. Cumque Gaufridus, frater Henrici Comitis Andegauenſis, ipſam in vxorem ducere, & apud portum de Pilis rapere vellet; ipſa admonita ab Angelis ſuis per aliam viam reuerſa eſt in Aquitaniam.* Ita Chronicon Turonenſe apud Marten. Collect. ampliſſ. T.V. p. 1016. Petrus tamen Olhagaraeus Hiſtor. Fuxenſ. & Bearnenſ. p. 66. affirmat, Alienoram Reginam e conuentu Baugenciacenſi & e Curia iuſſu Regis per Rogerium, Comitem Fuxenſem, Pictauiam eſſe deductam, & ex itinere minas ſparſiſſe, Regis auctoritati & potentiae graues. Quod vel ex eo credibile eſt, quia ipſum Chronicon Turonenſe l. c. ait, Regem imminente iam diuortio cum Regina, in Aquitaniam profectum, munitiones euacuaſſe, militemque ſuum inde reduxiſſe. Anno nondum elapſo Henricus Comes Andegauenſis clam Pictauiam venit, vbi cum Alienora, teſte Neubrigenſi, *pactum coniugale iniit: minus quidem ſolemniter ratione perſonarum; ſed cautiore prouidentia, ne quid ſcilicet impedimenti pareret ſolemnis praeparatio nuptiarum. Mox Ducatus Aquitaniae, — Francorum paullatim ſe ditioni ſubducens, ratione Coniugis in Ducis Normannici poteſtatem tranſiit; Francis quidem inuidia tabeſcentibus, ſed impedire non valentibus eiusdem Ducis profectum.* Henricus ille, nouus Coniux Alienorae, tum viginti annorum adoleſcens, Godofridi Ducis Andegauenſis & Mathildis Imperatricis filius; ex parte patris autem Fulconis, Regis Hieroſolomytani, qui Cenomannenſem Comitatum per nuptias cum Eremburgi, filia Heliae & herede, in domum ſuam intulerat, & ex parte matris Henrici I. Angliae Regis nepos fuit. Per auum &

Angliae, *Ducem Normanniae & Aquitaniae & Comitem Andegauiae.* (h) Geruaſius Tiberienſis Scriptor. Brunſu. T. I. p. 931. Pictauiam *Ducatum Aquita-*

& proauum maternum Dux Normanniae & heres Regni Anglicani, quod interea Stephanus Bleſenſis, ex filia Wilhelmi Conquaeſtoris natus, regebat; per patrem & auum paternum Andegauenſium Dux & Cenomanenſium Comes; per Coniugem autem Dux Aquitaniae & Pictauiae Comes factus, & Anno 1154. poſt obitum Stephani apud Weſtmonaſterium Dominica ante Natale Domini vnacum Alienora Rex Angliae coronatus, maiorem fere Gallici Regni partem, praeſertim cum filiorum natu quartus Gaufridus, ducta Conani filia herede, Britanniae minoris dominium Anno 1172. nactus eſſet, quam ipſemet Rex Ludouicus, tenuit; licet Regi Franciae ob iſtas Gallicas Prouincias clientelae nexu obnoxius eſſet: quae res tantis fortunis poſtea exitium attulit. Imaginem Regis Henrici, a duobus aetate ſupparibus Scriptoribus depictam, reiicimus ad Probationes (N. CCXXXV. & N. CCXXXVI.) vbi quoque (Probat. N. CCXXXVII. & N. CCXXXVIII.) videri poſſunt, quae duo Scriptores eius temporis de numeroſa Regis Henrici ſobole tradunt, a nobis ſtudio breuitatis hic praetermittenda. Iuuat tamen e Radulfi Coggeshale Chronico p. 808. annotare quae ſequuntur: *Henricus ex Alienorde coniuge ſua genuit quatuor* (quinque) *filios, videlicet* Wilhelmum, *qui in puerili aetate mortuus eſt;* Henricum *Regem;* Richardum *Pictauinum & Regem;* Galfridum *Comitem Britonum &* Iohannem *Regem, prius Comitem Gloceſtriae & Moretoniae. Habuit etiam ex ea tres filias: quarum vna tradita eſt Willelmo Siciliae; alia Regi - - - — Hiſpaniae; tertia Henrico Duci Saxoniae: qui Dux poſtmodum rebellans contra Imperatorem Fridericum, auunculum ſuum, Ducatum amiſit; ſed filius eius poſtea recuperauit.* Stemmatis particulam auerſa pagina exhibet, qua cum dicta, tum maxime dicenda, illuſtrantur. Veniam tamen notis numericis poſtulo, quae a librariis tam male ſunt habitae, vt hodie vix duo Scriptores in rerum geſtarum annis conſpirent; plerisque non vno ſolum vel altero, ſed nonnumquam tribus & pluribus annis inter ſe diſſonantibus. Secuti autem prae caeteris ſumus Robertum de Monte Dacherianum, non locis ſolum & temporibus viciniorem; ſed & rebus geſtis praeſentem.

h) Henricus Rex & Regina Alienora liberos ſuos immodice dilexerunt. Wilhelmus primogenitus vix quartum aetatis annum attigerat, cum iuſſu patris ei, veluti in ſpem Regni adoleſcenti, Ordines Angliae fidei ſacramentum praeſtitere. Sed cum mors liuida anno ſequenti eum ſuſtuliſſet, amor parentum in Henricum ſecundo genitum eo vsque proceſſit, vt pater indulgentiſſimus eum Anno 1170. in ſocietatem throni adſcitum Regem coronari iuberet, poſtquam biennio ante Normanniam & Andegauiam & Cenomanniam eius curae commiſiſſet: de quibus feudis Henricus Iunior Ludouico Franciae Regi Anno 1168. ſacramentum dixerat. Sed & is Anno 1182. ſine liberis deceſſit. Interea Alienora Regina, quae tertium filium *Richardum* efflictim amabat, nullum non lapidem mouit, vt Rex Henricus, qui Anno 1168. Iuniori Henrico maiorem feudorum Francicorum partem dederat, Richardo reliqua, Ducatum ſcilicet Aquitaniae & Pictauienſem Comitatum daret. Rex perpendens, Alienorae hereditatem eſſe has Prouincias, & Rege parum dignum arbitratus, extero Regi iureiurando ſe coram obſtringere, quod ius iſtorum feudorum fuit, Reginae precibus denique ceſſit, & Anno 1170. Richardo maternam hereditatem dimiſit. Equidem ſcio, a plerisque hoc in Annum 1168. reiici. Sed iſto tempore Richardus per aetatem Regi Franciae fidelitatem iurare nondum potuit. Malo itaque Robertum de Monte ſequi. Is ad Annum 1170. ait: *Ricardus, filius Henrici Regis Anglorum, fecit homagium Regi Francorum de Ducatu Aquitaniae.* Maternae pietatis memorem Richardum, Alienorae vices rependendi occaſionem nactum eſſe, mox videbimus. Interea Ducatum Aquitaniae & Pictauienſem Comitatum, quem ſuis tamen auſpiciis ante Annum 1176. praeſens moderari non occoeperat, patre eum hoc anno demum in Aquitaniam, quemadmodum fratrem Gaufridum in Britanniam mittente, vti Robertus de Monte teſtatur, magna cum laude rexit. Ex pluribus hoc probantibus documentis duo ſolum diplomata ſeligimus: quorum alterum (Probat. N. CCXXXIX.) Anno 1181. a Gaſtone Vice Comite Bearnenſi datum eſt, Philippo Rege Francorum regnante, ſecundo anno ſui Regni; & *Richardo, filio Henrici Regis Anglorum, Ducatum Aquitaniae obtinente:* coniunctis ita feudi Dominis, directo & vtili,

Digitized by Google

NVS
3.

FVLCO, *Dux Andegauiae, Hieroſolymae Rex* † 1141.
Vx. Eremburgis, haeres Comitatus Cenomanniae.

2.

LVDOVIC
ſeu groſſ
Franciae Re:

GODOFREDVS, *Dux Andegauiae, Cenomannenſium Comes* † 1150.

LVDOVIC
1137. ſolut

Aquitaniae, Cenomannenſium & Picta-

duae fili

WILHELM
n. 1152.
† 1157.

RA.
is VIII.
iiae

IOHANNA.
n. 1165.
Vx. 1. Wilhelmus iunior Rex Siciliae.
2. Raymundus Comes Toſolanus.

IOHANNES *Rex Angliae* poſt fratrem Richardum. 1199.
n. 1167.
† 1216.

HENRICV
Comes Palatii
† 1227.

Digitized by Google

Digitized by Google

Aquitaniae complexam clare indicat, vbi de Regno Troiano agens, addit: *Quoniam ex eodem Troiano excidio Imperium Romanorum, cuius tenes dominationem, Princeps ſereniſſime, regnumque maioris Britanniae, ex cuius vtero prodiiſti, matre tua, illuſtriſſimi Henrici Regis Anglorum vetuſtioris filia; regnumque Francorum, cuius pro parte Aquitanica dominium geſiſti, prodiere: felici trinitatis numero tribus regnis, vt tribus filiis, enaſcentibus: dignum fuit annectere ſeriem Regum Angliae, vt, qualiter cum Imperio & Regno Francorum connexum ſit: aut quibus caſibus, a tua Saxonia, Reges Anglorum cum ipſis Anglis proceſſerint, memorare poſſit Imperialis tua Maieſtas.*

§. 4.

vtili. Altero (Probat. N. CCXL.) ipſemet Richardus Anno 1186. Burdigalenſi Eccleſiae anteceſſorum ſuorum in Ducatu Aquitanico & Pictauienſi Comitatu donationes & priuilegia confirmat. Quae monumenta euincunt, a Pictauienſi Comitatu Ducatum Aquitaniae ſeparatum non fuiſſe, &, cum Richardus Rex quae ante, qua Dux habuerat, nepoti ſuo Ottoni Brunſuicenſi dederit, Ottonis poteſtatem quoque non in Pictauienſes ſolum, ſed & in Aquitanos ſemet extendiſſe. Anno 1187. cum in Germania Fridericus I. Imperator expeditionem in Terram Sanctam Papae Gregorio VIII. promiſiſſet; eiusdem *hortatu Philippus Rex Galliae, Henricus Rex Angliae,* **Richardus Comes Pictauinus** — *& alii complures, nobiles & ignobiles, tam clerici quam laici, quorum non erat numerus, ſignum Sanctae Crucis zelo Dei accenſi in veſtibus ſumſerunt.* Sed cum Philippus nihilominus Henrici Prouincias Gallicas inuaderet, & rara in occupandis confeſtim quam plurimis Caſtellis felicitate vteretur; Henricus Rex Anglorum, *qui armis & potentia, ſeu diuitiis & prudentia de hoſtibus ſuis ſemper triumphare conſueuerat, vehementi triſtitia affectus, & tactus dolore intrinſecus, decidit in ſubitaneam aegritudinem: qua etiam ex hac luce ſubtractus eſt apud Chinum, caſtellum ſuum menſe Iulio, II.* (id eſt) *Nonas Iulii* (1189.) *& apud ſanctimoniales Fontis Ebraldi ſepultus: qui Regnum Anglorum per XXXIV. annos, & ſeptem menſibus & tribus diebus, cum Ducatu Normanniae & Comitatu Aquitaniae & Andegauiae ſtrenuiſſime rexerat.* Ita Monachus Coggeshale l. c. p. 813. ſeq. de vltimis Henrici II. Angliae Regis. Eo tempore, quo pater obiit, Richardus cis mare ſacro itineri ſe accingebat. Audita autem eius morte, in Angliam mandata dedit, vt Regina mater e carcere, cui Rex inter domeſticas diſſenſiones eam Anno 1177. incluſerat, non ſolum illico liberaretur, ſed &, dum ipſe veniret, Regni habenas capeſſeret. Compoſitis itaque cismarinis negotiis, exeunte Auguſto, in Angliam appulit, vbi tertio die Septembris Anni 1189. inter plauſus Procerum & populi ab Archi Epiſcopo Cantuarienſi, Balduino, coronatus, Regiam conſecrationem accepit. Matris pietate & prudentia fretus, anno ſequenti 1190. rediit ad cismarinas Prouincias, quae iam omnes ad ipſum Regem redierant, ſi Britanniam exceperis, quae defuncto Anno 1186. Gaufrido, poſthumo eius, Arthuro, obtigerat. Ibi in comitatu habuit Rex Richardus Henrici Leonis & ſororis Mathildis primogenitum filium, Henricum, decem & ſeptem annorum adoleſcentem. Apud Regulam enim, Aquitaniae ciuitatem, hodie *la Reole* ad Garumnam, cum anno Regni primo, tertia die Februarii, Monaſterio Siluae maioris omnia anteceſſorum dona confirmaret Richardus; inſtrumentum, (Probat. N. CCXLI.) poſt omnes fere Aquitaniae Epiſcopos & potiores Abbates, inter caeteros Proceres, ſolo Helia de Cella, Seneſcallo Vaſconiae praecedente, ſubſcripſit *Henricus, filius Ducis Saxoniae.* Palatinus enim Rheni Henricus tum nondum fuit. At de fratre Ottone hoc tempore in cis & transmarinis documentis altum eſt ſilentium. Ex Germanicis autem ſcimus, Ottonem Annis 1194. & 1195. in cuſtodia Caeſaris egiſſe, tamquam obſidem Regis Richardi e carcere dimiſſi.

Digitized by Google

§. 4.

Cum Anno 1192. e Terra Sancta rediens Richardus Rex captus a Leopoldo Auſtriae Duce & Henrico VI. Imperatori traditus eſſet; liberatus eſt tandem Anno 1193. a captiuitate, magna pecuniae ſumma ſoluta, & pro reſiduo datis obſidibus, inter quos *Otto* noſter eiusque frater *Wilhelmus* fuere. Gerhardus Stederburgenſis id indicat, vbi de Henrico Palatino cum Imperatore Anno 1194. in Apuliam eunte loquitur. *Sicque*, inquit, *Dux* [Henricus Leo] *beato Iob in hoc non diſſimilis, omni orbatus eſt filio: ſiquidem duos minores natu, Ottonem & Wilhelmum, Rex Angliae, auunculus ipſorum, pro multis millibus marcarum argenti, quod pro ſui liberatione debebat, Domino Imperatori dederat in pignore.* Anno demum 1196. Ottonem ab Imperatore dimiſſum (i) ex Walteri Heminfordienſis Chronico intelligimus. Is enim de rebus Anni 1196. agens ſcribit: *Sane Rex Anglorum paulo ante obſides ſuos apud Imperatorem relictos abſolute receperat, perſoluta illi pactae redemtionis ſumma; quibus receptis, dixiſſe fertur: a captiuitate Alemannica nunc ſcio me vere liberatum.*

§. 5.

Obierat interea Anno 1195. Henricus Leo Dux, & per teſtamentum Ottoni tantum Haldenslebienſia bona reliquerat, vt ſupra vidimus; quia nempe iam ab auunculo inſignes in Gallia ditiones teneret, (k) maioraque ſperaret, nec in Germania magnopere terris opus haberet. Poſtquam igitur ad Richardum Regem liber rediiſſet, modo in Anglia, modo in Aquitania commoratus eſt.

§. 6.

Richardus Rex generoſi animi Princeps tunc in Ottonem, quem tenere amabat, gratus eſſe meditabatur. Anno iam 1194. *Wilhelmus Rex Scotorum*, vt Houedenus habet, *aegrotarat in villa ſua, quae dicitur*

i) Quae ſi vera ſunt, vti ſunt veriſſima, qua fronte ſupra §. 3. ſuſtinere potuit Dn. Eccardus, Ottonem inde ab Anno 1190. Aquitaniae & Pictauiae praefectum fuiſſe?

k) Quale teſtamentum, tale quoque argumentum: & quales praemiſſae, talis concluſio. Teſtamentum eſt confictum, & eius defenſio nititur facto conficto. Fictio enim eſt, quod Otto iam Anno 1195. inſignes in Gallia poſſeſſiones tenuiſſe dicitur, vbi ne latum quidem terrae vnguem tenuit, & quae in Anglia Ottoni deſtinauerat Richardus, ea per diſſenſum Procerum in cineres collapſa ſunt. Cum itaque Otto eo tempore *ſine terra* & erat, & dici poterat; Henricus contra Palatinatus ad Rhenum Dominus eſſet; miratio ſubit, cur Ottoni, quam Henrico, inofficioſior eſſe maluerit pater, ſiquidem in teſtamento ad filiorum exteras poſſeſſiones reſpiciendum ſibi eſſe cenſuerat: quo poſito Wilhelmus vtrique fratri ex doctrina Dn. Eccardi praeferendus erat. Sed ſatius eſt, vt dicamus, Henricum Leonem inteſtatum deceſſiſſe.

Digitized by Google

tur Clacmanan, & ſtatuerat Ottonem, filium Henrici Ducis Saxoniae, nepotem Richardi Regis Angliae, ſibi ſucceſſurum in Regnum Scotorum, ita quod ipſe Otto, filiam ſuam primogenitam in vxorem cum Regno duceret; & quamuis Rex plures habuiſſet, qui voluntati ſuae in hoc conſentirent, tamen Comes Patricius & alii multi contradixerant, dicentes, quod filiam ſuam non reciperent Reginam, quia non eſſet conſuetudo Regni illius, vt mulier Regnum illius haberet, quam diu frater vel nepos eſſet in progenie ſua, qui Regnum de iure habere poſſet. Et licet Rex mox conualuiſſet, *manſerat* tamen *in eodem propoſito, quod habuerat de filia ſua maritanda praedicto Ottoni cum Regno ſuo.* Cum igitur Anno 1196. in die Natalis Domini Rex Scotorum Eboraci eſſet, & Rex Angliae apud Pictauiam commoraretur, inde Legatos ſuos Eboracum miſit, *vt loquerentur cum Willielmo Rege Scottorum,* vt idem Houedenus ait, *de matrimonio contrahendo inter Ottonem, filium Henrici Ducis Saxoniae, nepotem Richardi Regis Angliae, & Margaretam filiam ſuam; conuenerat enim inter Richardum Regem Angliae, & Willielmum Regem Scottiae, vt daret praedicto Ottoni & filiae Regis Scottiae & haeredibus eorum, totam Northumbriam & Comitatum Carleoli, & Rex Angliae haberet in cuſtodia totum Loenais cum caſtellis ſuis, & Rex Scottiae haberet in cuſtodia totam Northumbriam, & Comitatum Carleoli, cum caſtellis ſuis; ſed quia Regina Scottorum tum temporis praegnans erat, noluit Rex Scottiae ſtare praedictae conuentioni, ſperans, quod Dominus daret ei filium.*

§. 7.

Rymerus Act. Angl. T. I. p. 94. edidit confoederationem (Probat. N. CCXLII.) Anno 1197. factam (l) inter Richardum Regem Angliae & Baldui-

l) Hoc inſtrumentum & duo reliqua, quae ſequuntur, praeferunt Annum 1197. adeoque non probant, Ottonem noſtrum inde ab Anno 1190. Aquitaniae Ducem & Comitem Pictauienſem fuiſſe. Aquitaniam enim & Pictauiam, quam patre viuente Richardus rexerat, poſtquam Rex factus eſſet, ſibi retinuit vſque ad Annum hunc 1197. quo vtramque Prouinciam coniunctim Ottoni dedit. Vidimus Anno 1196. demum obſides Regis Richardi, & in his Ottonem noſtrum, ad Richardum rediiſſe, Regemque, iis viſis & receptis, dixiſſe: *a captiuitate Alemannica nunc ſcio me vere liberatum.* Gratiam ergo Ottoni nepoti pro tam inſigni praeſtito officio relaturus Rex Richardus, Aquitaniae eum Ducem & Pictauiae Comitem conſtituit. Atque hoc ante Annum 1197. factum non eſſe, cum ex Chronicis eius temporis, tum quam plurimis probari poteſt diplomatibus. Radulfus Coggeshale, qui in Chronico ſuo Anglicano hiſtoriam carceris Regis Richardi, ex ore Anſelmi Capellani eius exceptam, omnium diffuſiſſime proſequitur, cunctaque, quae tum acta, ipſe vidit, vel a fide dignis auctoribus accepit, apud Marten. Collect. ampliſſ. T. V. p. 840. ad Annum 1197. diſerte ſcribit: *Hoc anno Rex Richardus dedit Othoni, nepoti ſuo, filio Ducis Saxoniae, Comitatum Aquitaniae.* Hinc Otto nonnullis diplomatibus, in his Prouinciis hoc anno datis, apponit annum Comitatus ſui primum. Tale eſt, (Probat. N. CCXLIII.) quo *Otto Dux Aquitaniae, Comes Pictauiae Abbati & Fratribus de Sabluncellis, pro amore Dei & pro ſalute animae ſuae & parentum ſuorum, omnes eleemoſynas, dona & conceſſiones, quas ante ſe fecerunt Comites Pictauienſes,* confirmat, nouis quibusdam additis. *Datum*

Digitized by Google

Balduinum Comitem Flandriae de auxilio hinc inde contra Regem Franciae in perpetuum inter eos & inter heredes eorum praeſtando. Iurauerunt tunc,

Datum apud Sulbiſiam (Soubize) *octauo die Martii, Comitatus mei anno primo.* Annus aerae Chriſtianae non additur; colligitur autem ex loco modo adducto. Et quia caetera eius diplomata Aquitanica omnia hoc Anno 1197. data ſunt; apparet ſane, vltra eum imperium eius in iſtis terris non duraſſe, Ottone quippe anno ſequenti in Germaniam ad ſceptrum capeſſendum euocato. Breue Ottonis in Aquitania imperium in cauſa eſt, quod Scriptores Aquitanici eius vel omnino non meminerunt, vel, ſi meminerunt, ignorarunt tamen, quis & vnde eſſet, eumque, tamquam hominem e nubibus delapſum, intuebantur. Io. Buchetus Annal. Aquitan. Part. III. c. 5. p. 156. ait, hiſtoriam Anni 1197. ſibi valde perplexam videri; licet enim Alienoram has Prouincias tenuiſſe pateat ex diplomatibus eius Anno 1199. datis; vidiſſe ſe tamen ait *pancartam authenticam*, qua, vacante Sede Pictauienſi (vacauerat autem Anno 1197.) *Otto Dux Aquitaniae & Comes Pictauiae in caſtro ſuo prope Pictauiam, Montrolium Boninum* (Monſtreuil bonin) dicto, praeſente Gaufrido de Luzingem & aliis, monetarium conſtituit in vrbe Pictauienſi. *Surquoy*, pergit, *je me trouve fort perplex, parce que je ne trouve par aucunes Chroniques, qu'au dit temps, devant, ne depuis, y ait eu aucun Otto Duc d'Aquitanie, ne Comte de Poitou.* Redit tamen paullo poſt in viam, coniecturaturque, Mathildis & Henrici Ducis Saxoniae filium, Ottonem Imperatorem, forſan fuiſſe hunc Aquitaniae Ducem & Comitem Pictauienſem, quem Charta ſua praeferat. Non male igitur faciemus, ſi ſtabiliendo Ottonis Aquitanico imperio alia quaedam monumenta proferemus, ex quibus ſimul conſtet, vtriusque Prouinciae Dominum Anno 1197. Ottonem fuiſſe, cum non ſolum ipſe ſemet Aquitaniae Ducem & Pictauienſem Comitem appellitet; ſed ab aliis etiam ita vocetur. Sic Stephanus, Burdigalenſis Decanus, & Abbas Aureuallenſis, Monaſterio S. Maxentii donationem confirmant *apud Partiniacum anno incarnati verbi MCXCVII. Philippo Rege Franciae, Ricardo Rege Anglorum, Ottone Comite Pictauienſium & Duce Aquitanorum.* (Probat. N. CCXLIV.) Sic Arnaudus Gemo, miles de Valle apud Monaſterium S. Stephani de Vallibus, donatione facta, Monachus fit, *incarnati verbi Anno MCXCVII. Innocente Papa III. Regnante Philippo Rege Francorum. Othone Ducatum Aquitaniae feliciter gubernante.* (Probat. N. CCXLV.) Eodem anno electioni Ademari Pictauienſis Epiſcopi ſemet oppoſuit Otto, qui in documento (Probat. N. CCXLVI.) *Pictauienſis Comes* appellatur. Inter eius aetatis Epiſcopos Aquitanicos falſorum diplomatum fabricatores fuiſſe, demonſtrat teſtimonium, quod in parentheſi adfero. (Probat. N. CCXLVII.) Ad hunc annum quoque pertinet diploma Henrici Palatini hactenus ineditum, quo Friderico Bremenſi Praepoſito confirmat emtionem quarumdam terrarum in Woldeſtorpe, ſuo & duorum fratrum, *Wilhelmi & Ottonis, Comitis Pictauienſis* nomine. (Probat. N. CCXLVIII.) Quid? quod Ottonis memoria Aquitanis & Pictauienſibus diu poſt, quam ex Prouincia diſceſſerat, & in Germania regnaret, tam grata fuit, vt nonnulli nomen eius vel *regnantis* vel *imperantis* documentis ſuis inſcriberent. Sic Wilhelmus de Maloleone, Talemondae Dominus, cum Anno 1210. Monaſterio Fontanellenſi terram quamdam in ſilua ſua de Rocha donaret; factum id eſſe ait, *Regnante Ottone in Alemannia, Philippo in Francia, Iohanne in Anglia.* (Probat. N. CCXLIX.) Simili modo, cum P. A. de Sancto Cyriaco, miles, Dominus de Caſal & de Fontaneres Arnaldo de Bortes Abbati & Monaſterio Sancti Iohannis Baptiſtae de Sordua, Ordinis S. Benedicti, quod ad confluentem vtriusque Gaui, Oleronenſis & Bigorritani ſeu Palenſis ſitum eſt, quamdam donationem faceret, inſtrumento eius, ad quod Auctores Galliae Chriſtianae Tom. I. p. 1063. prouocarunt, ſubiicitur, factum id eſſe *Regnante Othone Imperatore Romano, Philippo Rege in Francia, Iohanne in Anglia.* Viciſſim Philippus Franciae Rex alta mente repoſta habuit, quae regnante Ottone in his Prouinciis contigerant. Admonitus enim a Papa, vt Philippo Sueuo deſerto, in caſtra Ottonis concederet, reſpondit, (Probat. N. CCL.) iure ſe omnibus velificari poſſe, qui Regi Ottoni aduerſentur. *Idem enim Otto*, inquit, *dum eſſet Comes Pictauiae, terram noſtram & Eccleſias terrae noſtrae combuſſit & depraedatus eſt, nec poſtea nobis exinde ſatisfecit - - Vnde mirari non debetis,*

betis,

tunc, praeter Regem eiusque fratrem, *in animas ſuas, idem foedus & eandem Conuentionem bona fide tenendam*, *Otho Comes Pictauiae*, *Baldewinus Comes Albemarlae* & alii, quorum nomina praetermittimus. Eodem Anno XVII. die Octobris apud *Rothomagum* permutationi (Probat. N. CCLI.) de quibusdam locis inter Richardum Regem Angliae & Walterum Archi Epiſcopum Rothomagenſem poſt Iohannem Comitem Moretonium, fratrem Regis, teſtis ſubnotatus eſt *Otho Comes Pictauienſis. Anno incarnati verbi MCXCVIII.* 29. *die Decembris*, hoc eſt, noſtro computandi more, in fine Anni 1197. (Probat. N. CCLII.) *apud Benaon*, Otho *Dux Aquitaniae*, *Comes Pictauiae* certiores facit *homines de Olerone*, quod *in puellis & viduis totius Inſulae Oleronis nuptui tradendis, in ballio Pupillorum & viduarum & poſſeſſionum ad ipſos pertinentium ſaiſiendo*, *ſale & vino proborum hominum capiendo*, *in poſſeſſionibus ſine liberorum procreatione decedentium occupandis*, *etiam aliis violentis huiusmodi impedimentis*, *quae apud Oleronem a Principibus olim ſolebant fieri*, nullam vim aut moleſtiam deinceps inferre velit. Indicat in fine *hoc priuilegium cum aſſenſu & voluntate Domini Regis* [Richardi] *auunculi ſui factum*. Edidit id Rymerus Act. Angl. T. I. p. 105. qui etiam pag. 111. confirmationem huius priuilegii Oleronenſibus ab *Alienora Regina Angliae*, *Duciſſa Normanniae & Aquitaniae & Comitiſſa Andegauiae* Anno 1199. factam adiunxit. (Probat. N. CCLIII.) Vnde concludo, Ottone in Germaniam profecto, auiam eius Ducatus Aquitanici regimen ſuſcepiſſe; an pro ſe ipſa, an potius pro nepote, dubium. (m) Hoc tamen certum eſt ex Charta Iohan-

betis, ſi nos ipſum odio habeamus. Solus enim Deus nobis poteſt inſpirare, vt malefactores noſtros diligamus. Bella philoſophia! In ipſa Germania hoc tempore non niſi *Comes Pictauienſis* Otto appellatus eſt. Sic Chronicon Montis Sereni ad Annum 1198. *Otto*, inquit, *Pictauienſis Comes*, *filius Henrici Ducis de Brunefwich, a Colonienſi Archi Epiſcopo & Principibus Rheni ad Imperium euocatus eſt.* Anonymus Menck. T. I. p. 116. *Electus eſt Otto de Pictauia*, *filius Ducis Henrici de Brunefwich.* Chron. Lobienſe apud Marten. Anecdot. T. III. p. 1426. *Otto Pictauienſis & Philippus Suauienſis de Romano contendunt Imperio.* Auctarium Aquicinctin. ad h. a. *Saxones & Lotharingi Othonem, Comitem Pictauienſem, filium Henrici Ducis Saxonum, in Aquenſi palatio Regem ſublimant.* Godefridus Colon. ad h. a. *Habitoque conſilio, Ottonem, Comitem Pictauiae*, *filium Henrici quondam Ducis Saxoniae, elegerunt.* Quibus ſi iungas fratris Henrici Palatini litteras iam adlatas; Ottonis noſtri adminiſtrationem Aquitaniae & Pictauiae ſatis ſtabilitam & extra omnem dubii aleam poſitam videbis.

m) Ottone Anno 1198. in Germaniam profecto, & Richardo Rege anno ſequenti ſine liberis defuncto, ſucceſſor frater *Iohannes* Aquitaniam & Pictauiam per ſe adminiſtrare coepit: quod docet eius priuilegium, Vernolii Anno 1199. Communiae Oleronenſi *datum per manum H. Cantuarienſis Archi Epiſcopi, Cancellarii noſtri, apud Vernolium viceſimo tertio die Iulii, anno Regni noſtri primo.* (Probat. N. CCLIV.) Mox eodem anno matrem Alienoram in prouinciam miſit cum litteris patentibus, quibus *Aquitanis & Pictauienſibus* notum facit, quod *Kariſſimae & venerabili Dominae & matri ſuae, Alienorae, Dei gratia Reginae An-*

Iohannis Regis Anno 1206. data (Probat. N. CCLXII.) & apud Rymerum l. c. pag. 140. extante, Iohannem voluiſſe, Ottonem noſtrum non pro Duce

Angliae, omnibus diebus vitae ſuae, vel quam diu id ei placuerit, totam Pictauiam cum tota haereditate & acquiſitione, quae eam ex aliqua parte vel quocumque iure contingat, ad habendum & tenendum tradiderit; quibus inſigne hoc & illis temporibus parum vſitatum verborum lenocinium adiicit: *Et non tantum de praedictis terris noſtris volumus quod ſit Domina; ſed etiam de nobis, & omnibus terris & rebus noſtris.* (Probat. N. CCLV.) Hoc documentum omne dubium ſoluit, &, ni fallor, inuicte probat, Alienoram a filio Iohanne Rege Anno 1199. loco Ottonis Ducis Brunſuicenſis, Aquitaniam & Pictauiam regendam accepiſſe, & vtramque prouinciam proprio, & non Ottonis nomine, adminiſtraſſe; licet in diplomatibus ſuis nonnumquam geſta & data Ottonis nepotis ſui confirmet. Quod vt amplius probetur, infra (Probat. N. CCLVI.) diploma exhibemus, *datum apud Niortum Anno ab incarnatione Domini M. C. XCIX. menſe Maio*, quo *Alienor Dei gratia humilis Regina Angliae, Duciſſa Normanniae & Aquitaniae, & Comitiſſa Andegauenſis, Abbatiae de Gratia Sanctae Mariae* confirmat *donum, quod eidem Abbatiae fecit Otho, nepos noſter, tunc Dux Aquitaniae & Comes Pictauienſis, quam fundauit Kariſſimus filius noſter Ricardus, Dei gratia quondam venerabilis Rex Angliae videlicet &c.* Ottonis inſtrumentum intercidit; Richardiani autem diplomatis compendium ſupereſt, dati *per manum Iohannis de Alenconio, Lexouienſi Archidiacono, Vicecancellario, VIII. die Maii apud Coignac, anno primo Regni noſtri.* (Probat. N. CCLVII.) Menſe Iulio eiusdem anni *Alienor Dei gratia* &c. vt ſupra, *Burdigalenſem Eccleſiam de priuilegiis maiorum obſeruandis* ſecuram eſſe iubet. (Probat. N. CCLVIII.) Eodem anno apud Andilliacum eadem Alienor Oleronenſibus duo diplomata dedit: quorum altero *Iuratis Communiae Oleronis perpetuam ſtabilitatem Communiae ſuae iuratae* promittit; (Probat. N. CCLIX.) altero *vniuerſis hominibus de Olerone priuilegia, ab Ottone conceſſa*, confirmat, *abrogatis omnibus prauis conſuetudinibus, quae apud Oleronem impoſitae ſunt, ex quo venerabilis & illuſtris vir noſter, Dominus Henricus, Rex Angliae, nobiſcum matrimonium contraxit.* (Probat. N. CCLX.) Sequentibus annis Arthur, filius Gaufridi, Comes Britanniae, ſucceſſionem Andegauienſem & Aquitanicam affectans, inſtinctu Regis Galliae, auiae bellum intulit, eamque Mirabelli obſedit. At ſuperueniens Rex Iohannes Arthurum, qui ex illo tempore nullibi viſus eſt, cum toto eius exercitu cepit, matremque liberatam & in integrum reſtitutam Pictauienſibus remiſit. Chronicon Turon. apud Marten. Collect. ampliſſ. T. V. p. 1039. Chronicon Sauigniacenſe apud Baluzium Miſcell. T. IV. p. 310. ad Annum 1201. de eo ita ſcribit: *Philippus Franciae Rex, Arturum Ducem Britonum, deſtinat in Pictauiam, qui apud Caſtrum Mirabel auiam ſuam obſidens, a Iohanne patruo ſuo, Rege Angliae, cum toto exercitu captus eſt. Arturus arctae cuſtodiae mancipatur, & modus ſui exitus ignoratur.* Vbi animaduertendum, Caſtrum Mirabel non in Pictauia, vti Chronici auctor tradit, ſed in prouincia Andegauenſi prope Salismurium ſitum eſſe. Pictauiae Alienora Anno 1203. *Reginaldo de Marinis & haeredibus eius, ob obſequia ſibi & filio ſuo bonae memoriae Ricardo Regi, fideliter impenſa, furnum publicum Pictauiae concedit in platea, quae dicitur trium furnorum, hominibusque, hunc furnum frequentantibus, pro fornagio libertatem dat de talliis & exactionibus, & omnibus malis conſuetudinibus*: (Probat. N. CCLXI.) vbi per *malas conſuetudines* pecuniariae praeſtationes intelliguntur, quas Magiſtratus ciuibus pro arbitrio iniungere ſolent. Vltimum hoc eſt Alienorae, quod quidem nos viderimus, diploma in Aquitania & de rebus Aquitanicis datum. Anno enim ſequenti 1204. die triceſimo primo Martii deceſſit, octogenaria. Nam ſupra demonſtrauimus, natam fuiſſe Anno 1124. quia Anno 1137. cum Ludouico VII. Regi Galliae nuberet, annum aetatis tertium ſupra decimum egit. *Annum* mortis indicat breue Chronicon Salmurienſe apud Marten. Collect. ampliſſ. T. V. p. 1146. ita ſcribens: *Anno MCCIV. obiit Alienordis Regina Angliae:* in quo anno etiam Galliae Chriſtianae auctores acquieſcunt. *Dies* obitus in Necrologio noui Monaſterii Pictauienſis apud Io. Beſlium p. 499. ita annotatus eſt: *Secundo Kalendas Aprilis depoſitio Domnae Alienordis Reginae Anglorum.* Obiit igitur triceſimo primo Martii die, anno milleſimo ducenteſimo quarto. Haec in gratiam

Alie-

Digitized by Google

Duce, ſed pro Ducatus ſaltem procuratore haberi. Sahero enim de Malo-Leone ſcribit: *Mandamus vobis, quod habere faciatis Abbati & Monachis Eccleſiae S. Mariae de Chaurrum L. libratas redditus de Pictauia, quas dilectus nepos noſter Dominus Otho, dum haberet balliuam Pictauiae, eis dedit in Rupella & Olerone.* Interim Anno 1297. Otto quoque noſter *Ducem Aquitaniae & Comitem Pictauiae* ſe vocat in litteris *ad Archi Epiſcopos & Epiſcopos alienarumque Eccleſiarum Praelatos in Ducatu Aquitaniae conſtitutos,* (Probat. N. CCLXIII.) quibus indicat, Papam ſibi canoniſationem *S. Geraldi Abbatis primi & fundatoris Monaſterii Syluae maioris* ſignificaſſe, mandatque, vt eam promulgent nouumque Sanctum rite venerentur. Vide Martene & Durandi Theſaur. Anecdotor. T. I. p. *666.*

§. 8.

Obierat interea Meſſanae Henricus VI. Imperator Anno 1297. in vigilia Feſti S. Michaëlis, Godefrido Colonienſi, Houedeno, Vrſpergenſi aliisque teſtibus. Et ingens de ſucceſſore eius controuerſia erat. Filius Imperatoris puerilis adhuc aetatis erat & in Siculo Regno a matre Conſtantia educabatur. Frater defuncti Imperatoris Philippus, Etruriae Dux, vbi, comperta fratris morte in Germaniam tenderet, vix Italorum ipſi infenſorum inſidias euaſit, vbi Hohenſtauficae Familiae fautores quidem plures, multos tamen eiusdem etiam oſores inueniebat. Innocentius, qui ſub initium Anni 1198. Pontificatum adeptus erat, perſecutionum Eccleſiae Romanae ab eadem creatarum memor, & potentiam ſuſpectam habens, totus ab ea gente abhorrebat. Dum igitur ſuperioris Germaniae Principes pro Friderico puero aut eius patruo Philippo ſtudia impenderent; inferior Germania alium circumſpiciebat regia dignitate ornandum. Principes in Terra Sancta conſtituti, audita Imperatoris morte, filio eius Friderico Regnum deberi fatebantur. In Germania exiſtentes Ludouicus Dux Bauariae, Bernhardus Dux Saxoniae, Theodericus Marchio Miſniae, Archi Epiſcopi Magdeburgenſis & Salisburgenſis, caeterique Orientalis Saxoniae Praeſules atque Dynaſtae *Arnſtadii* eadem ſentiebant, & ibi Philippum *Defenſorem Imperii*, vsque dum Fridericus

Alienorae Reginae, Ottonis IV. Imperatoris auiae, Heroinae non ſua aetate ſolum ſed & ad omnem poſteritatis memoriam commendabilis, ex ipſis fontibus congerenda cenſuimus. Qui vitam eius & fata ſine ſpinis citationum & ad captum feminarum gallice compoſitam legere geſtiunt; adeant libellum, a Dn. Larraeo, Potentiſſimi Pruſſiae Regis Legationum Conſiliario, Anno 1691. Roterodami editum, inſcriptumque: *L'Heritiere de Guyenne, ou Hiſtoire d'Eleonor, Fille de Guillaume dernier Duc de Guyenne, femme de Louis VII. Roy de France, & enſuite de Henry II. Roy d'Angleterre.*

dericus adoleſceret, eligebant. Horum enim omnium, ſpoliis Familiae Guelficae ditatorum, magnopere intererat, ne qua Güelfus quiſpiam in ſolium eueheretur. Teſtimonia Ottonis de S. Blaſio, Abbatis Vrſpergenſis, Chronici Halberſtadenſis Leibnitiani hac de re euolui poterunt. Sub Natalitia Domini Principes iterum *Hagenoae* congregati, idem confirmabant. Aduerſa pars ſub Adolfi Colonienſis Archi Epiſcopi (n) directione, vt Philippo aliquem ſtatim opponeret, *Bertholdo Zaeringiae Duci* Regnum offerebat, qui conditionem quoque accepit, exercitum adducturum promiſit, & pro expenſis obſides dedit nepotes ſuos, Conradum & Bertoldum, Comites Vracenſes: qui cum ab auo, interea cum Philippo Sueuo transſigénte, derelinquerentur; in Colonienſi carcere vota monaſtica fecerunt, & aliquanto poſt ſua ſe pecunia liberauerunt: e quibus maior natu ad dignitatem purpurati Sacerdotii emerſit, & in Germania Honorii III. PP. Nuntius fuit. Vrſperg. p. 235. Bertholdo igitur poſteaquam a Philippo ingentem pecuniae ſummam acceperat, Regnum recuſante, cogitatum tandem eſt de *Ottone Duce Aquitaniae*, quem Richardus Rex Angliae enixe commendabat. Merentur audiri Houedeni hac de re verba: *Infra natale Domini venerunt Rothomagum nuncii Archi Epiſcopi Coloniae & nuncii Archi Epiſcopi Maguntini, & nuncii aliorum Magnatum Alemanniae ad Richardum Regem Angliae, dicentes ei, quod omnes Magnates Alemanniae conuenirent apud Coloniam octauo Calendas Martii, ad eligendum Imperatorem, & praeceperunt ei in vi ſacramenti, & fidei, quibus aſtringebatur Imperatori & Imperio Romano, quod omni contradictione & occaſione remota, veniret Coloniam ad praenominatum terminum, vt ipſe, ſicut praecipuum membrum Imperii, eſſet ſimul cum illis ad eligendum Imperio idoneum Deo auxiliante Imperatorem. Quibus auditis Richardus Rex Angliae habito cum ſuis conſilio miſit cum praedictis nunciis Alemannorum Philippum Dunelmenſem Epiſcopum, & Euſtachium Elienſem Electum, & Williehnum de Chimeli Andegauenſem Electum, & Ebroicenſem Electum, & Balduinum de Betum Comitem Albemarliae, & Williehnum de Pratellis, & Williehnum de Leſtang, & Bricium Camerarium, vt ipſi intereſſent electioni Imperatoris loco ipſius. Ipſe enim timebat plurimum illuc ire, & iterum incidere in manus eorum, niſi ſecuritas daretur ei ſaluo conducto eundi & redeundi. Nec mirum. Ipſe enim, quae promiſerat magnatibus terrae ſe daturum pro deliberatione ſua, non ſoluerat, & quia corpus Imperatoris propter eum inhumatum erat. Ipſe vero Rex Angliae modis omnibus nitebatur efficere, quod Henricus Dux Saxoniae, nepos eius, fieret Imperator. Sed quia ipſe nondum*

n) Hic inter eos erat, qui ab electione Friderici II. abhorrentes, ſalua conſcientia alium Regem eligere poterant. Godefridus Colon. ad Annum 1196.

dum de peregrinatione ſua redierat, & mora ad ſe periculum trahebat, praefatus Rex Angliae effecit aduerſus Archi Epiſcopos Colonienſem & Moguntinum, & aduerſus quosdam aliorum Magnatum Alemanniae, quod ipſi elegerunt Othonem nepotem ſuum, fratrem praedicti Henrici Ducis Saxoniae, in Imperatorem. Elegerunt ergo tunc eum *Adolphus Colonienſis. Archi-Epiſcopus; Bernardus Paderbornenſis, Thiedmarus Mindenſis Epiſcopi; Witichindus Corbeienſis, Gerardus Indenſis, Eribertus Werdinenſis Abbates; Henricus Dux Lotharingiae ſiue Brabantiae & Henricus Comes de Kuke*, quibus poſtea acceſſere Conradus Archi Epiſcopus Moguntinus, Henricus Comes Palatinus aliique Proceres numero non paruo. Otto igitur electus in Regem; (o) miſſis Legatis, (p) ex Aquitania accerſitus eſt.

§. 9.

Philippus Rex Franciae, Richardi Angliae Regis ob praereptum Aquitaniae Ducatum, aliaque, inimicus, nec Familiae Guelficae fauens,

o) Caeſarius Heiſterbacenſis, qui hoc tempore vixit, hiſtoriarum memorabilium duodecim libros ſcripſit: in quibus quidem multae nugae, aliqua tamen etiam praeclara continentur, aliis eius temporis Scriptoribus indicta. Lib. VI. c. 10. agit de quodam Engelberto: qui, *dum coëcus natus eſſet, propter varia dona, quibus hominem eius interiorem diuina illuminauerat gratia, in diuerſis prouinciis noſcebatur, & a multis magnisque hominibus vtriusque ſexus magni ſiebat. Inter alia*, ait, *quia cum ſimplicibus ſermocinacio Domini eſt, Deus ei ſpiritum prophetiae dedit, vt damnum luminis exterioris claritate oculorum interiorum compenſaretur.* Id quod circa Ottonem noſtrum apparuit. *Inuitatus* enim *quodam tempore* Engelbertus *a Duciſſa Saxoniae; vxore Henrici Ducis, matrona valde religioſa, inter alia multa, quod vnus ex filiis eius Imperator eſſet futurus, praedixit. Quod poſtea*, addit Caeſarius, *impletum vidimus in Ottone, qui Henrico ſucceſſit in Imperio.* Et L. X. c. 25. rem inſolitam, quae in electione Ottonis contigerit, quamue ipſe viderit, his verbis narrat: *Poſt mortem Henrici Imperatoris cum de ſucceſſore Coloniae in palatio tractaretur, poſt meridiem viſa eſt ſtella lucidiſſima: tunc currentibus nobis in Curiam Epiſcopi, omnes illam vidimus; ſed quid portenderet viſio tam inſolita, ſcire non potuimus.* Idem confirmat Godefridus Colonienſis, Scriptor grauis & per omnia fide dignus, l. c. p. 363. *Circa idem tempus*, aiens, *ſtella Coloniae viſa eſt circa horam nonam, ſumentibus inde omnibus laetum auſpicium de Rege ſuo, qui tertio die poſt viſam ſtellam ibidem electus eſt.*

p) Vrſpergenſis p. 235. Legatos nominat, *Albertum* videlicet *de Dagesburch & de Leiningen Comites.* In eo tamen errat, quod Ottonem ex Anglia adductum ſcribit, qui ex Aquitania accerſitus fuit. Idem grauem de malis ex hoc diſſidio in Germania ſubortis querelam adiungit, in qua Curiae Romanae inſultat hic Praeſul, *Vix*, inquiens, *remanſit aliquis Epiſcopatus, ſiue dignitas Eccleſiaſtica, vel & parochialis Eccleſia, quae non fieret litigioſa, & Romam deduceretur ipſa cauſa; ſed non manu vacua. Gaude, mater noſtra,* Roma, *quoniam aperiuntur cataractae theſaurorum in terra, vt ad te confluant riui & aggeres nummorum in magna copia! Laetare ſuper iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompenſionem tantorum malorum datur tibi pretium! Iocundare ſuper adiutrice tua, diſcordia, quia erupit de puteo infernalis abyſſi, vt accumulentur tibi multa pecuniarum praemia! Habes, quod ſemper ſitiiſti! Decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem, orbem viciſti! Ad te trahit homines, non ipſorum deuotio, aut pura conſcientia; ſed ſcelerum multiplicium perpetratio, & litium deciſio, pretio comparata.* En hominem ſacro ordini adſcriptum, veritatis teſtem vere aureum!

Digitized by Google

quod frater Ottonis, Henricus Palatinus, ipſi ſponſam praeripuiſſet Agnetem Palatinam, hoc limis oculis adſpiciebat, & clam aduerſa Ottoni machinabatur. (q) Vnde ipſi Anno 1198. per Galliam transeunti ſub amici quidem ſpecie occurrit, aduerſi tamen animi ſenſa ſatis prodidit in colloquio, quod tunc cum Ottone habebat, ſi vera ſunt, quae de eo refert Arnoldus Lubecenſis Lib. VII. cap. 17. vbi *Cum Otho*, inquit, *a Principibus de Pictauio ad regalem electionem vocaretur, & conducto Regis memorati Franciam tranſiret, ipſe eum transeuntem vidit & ſalutauit, & inter collationes, quibus ſe mutuo ſalutabant, Rex Franciae in haec verba prorupit: Intelleximus, ait, quod ad Imperium Romanum vocemini. Ad haec ille: Verum eſt, ait, quod audiſtis: ſed in Deo ſit iter meum. Cui Rex: Non credatis, quod tanta vobis proueniat dignitas. Quod ſi vel ſola Saxonia in perſonam veſtram conſenſerit, detis mihi nunc dextrarium, quem peto, & cum creatus fueritis, dabo vobis tres ciuitates meliores Regni mei, Pariſium, Stampes, Aurelianum. Habebat ſane Rex Otho munera multa Regis Angliae, auunculi ſui Richardi, & centum quinquaginta millia marcarum, quae in ſomariis ferebant quinquaginta dextrarii. Inter quos erat vnus nominatior, quem Rex petebat. Dominus ergo Otho, dato dextrario, ibat via, qua coeperat.* Ottoni remanſit alta mente repoſta haec Philippi ſubſannatio.

§. 10.

Interim Legati Principum *Ottonem cum ſummo honore Coloniam vsque per-*

q) Non clam ſolum; ſed & palam. Philippus enim Francicus Philippum Sueuum, initio non niſi pro fratris filio laborantem, eiusque tutelam affectantem, ad ambiendum per ſe Regnum excitauit. Geruaſius Tilberienſis Scriptor. Brunſuic. T. I. p. 943. ea de re ita ſcribit ad Ottonem IV. Imperatorem: *Sane ſucceſſibus felicitatis tuae inuidit hoſtis antiquus* - - Rex Galliae, *metuens Rex Francorum Philippus, ſtrenuitatem auunculi tui maieſtate tuae celſitudinis ad inacceſſibilem potentiam adiuuari, Philippum, Henrici fratrem, Ducem tunc Sueuorum, velut ſuae cogitationis inſtrumentum, mouet ad vindicandum regnum.* Quin ſimulac Philippus Rheno adpropinquaſſet, Sueſſionenſem Epiſcopum in Germaniam miſit, qui Wormatiae id faceret, quod nuper Ludouicum XV. Nymphenburgi facere meminimus, armando Germanos in Germanos, & patriae noſtrae per bellum inteſtinum exitium minitando. Wormatiae enim menſe Iunio Anni 1198. ante Coronationem Ottonis Aquisgranenſem certae conuentiones inter vtrumque Philippum initae ſunt & iuratae, nec non certis fideiuſſoribus firmatae ad ſchiſma in Imperio excitatum perpetuandum. Quid Francorum Rex Philippo promiſerit, licet in apricum non prodierit, facile diuinatu eſt. Philippi autem Sueui inſtrumentum proſtat, quo *omnibus notum facit, quod, propter dilectionem, quam mutuo habuerint erga Dominum Philippum, Regem Francorum, genitor ſuus Fridericus & Henricus frater ſuus, Romanorum Imperatores, propter bonum pacis & publicam vtilitatem cum eodem cariſſimo ſuo amico confoederationem inierit, promiſeritque, quod adiutor eius eſſe velit nominatim contra Richardum Regem Angliae &* Comitem Ottonem, *nepotem eius, & Balduinum Comitem Flandriae & Adolphum Archi Epiſcopum Colonienſem, & contra omnes alios inimicos eius*, & quae ſequuntur. (Probat. N. CCLXIV.) Vbi memorabile, eamdem cantilenam, quae hodie canitur, iam tum cantatam fuiſſe, & conuentionem, quae ad crudeliſſimum bellum in Germania excitandum inita erat, *propter bonum pacis & publicam vtilitatem initam* iactari.

Digitized by Google

perduxerunt. *Nec* (verbis Arnoldi Lib. VI. c. 1. pergo) *defuit inter iſta beneuolentia auunculi ſui Richardi, Regis Angliae, cum maximis copiis theſaurorum ad tantam vocationem eum ampliſſime promouendo. Confirmataque electione Regis Othonis, ipſe collecto robore militum, aſpirantibus ſuis electoribus, obſidione maxima Aquisgranum vallauit, quae contra eum, fidem adhuc ſeruans Imperatori mortuo, ſiue ipſius fratri Philippo, nimis obſtinata erat. Quam tamen non ſine difficultate & expenſis plurimis, ſeptuaginta videlicet marcarum millibus, violenter obtinuit, vnctusque in Regem ab Adolfo memorato Archi Epiſcopo, in ſedem Imperii eſt ſublimatus, & Romanorum Auguſtus ſalutatus. Talis igitur electio ſiue Regis ordinatio, per legatos honoratos a Dn. Colonienſi, ſiue ab aliis Archi Epiſcopis & Principibus primoribus, Dn. Innocentio Romanae Sedis ſummo Pontifici, inſinuata eſt, omnibus obnixe poſtulantibus, vt electionem ſiue ordinationem Regis Othonis approbaret, ipſamque ſua auctoritate confirmaret. Qui nimis gauiſus eſt, & non ſolum ipſius electionem approbauit, ſed ipſum Othonem Imperio digniſſimum iudicauit, eumque filium ſuum dilectum declarauit, miſſisque epiſtolis, omnibus Praelatis, Archi Epiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, regalia tenentibus, obtentu obedientiae, vt Regi electo ſeruirent, mandauit.* Conſentiunt in re ipſa Otto de S. Blaſio, Godefridus Colonienſis, Albertus Stadenſis, Albericus, Robertus de Monte, Chronicon Bigaugienſe, Chronicon Auguſtanum, caeterique Scriptores ſat multi. Houedenus diſtinctius Proceres, qui coronationi interfuerunt, recenſet: *Otto,* inquiens, *ad inſtantiam precum & ſeruitii Richardi Regis Angliae, receptus eſt ab Archi Epiſcopis Colonienſi & Maguntino & ab eisdem coronatus eſt in Regem Alemannorum apud Hays capellam, praeſentibus Ducibus de Lamburc, & de Luuaim, & aliis Ducibus multis, & praeſentibus Baldewino Comite Flandriae, & Henrico Comite de Namur, fratre eius, & aliis Comitibus multis.* Regalia, quae vocant, ſiue Inſignia nouo Caeſari tradi ſolita hoc tempore penes Philippum erant, a fratre defuncto accepta, quae Otto non magnopere deſiderans, *gloriabatur,* ſe, *etiamſi non Regalia, iura tamen & loca regalia tenere,* vt Otto de S. Blaſio cap. 46. teſtatur. Coronationem Ottonis in Regem Aquisgrani *IV. Non. Iulii* factam, indicant Tabulae Adolfi Colonienſis Archi Epiſcopi, quibus foedus inter eum & Widekindum Corbeienſem Abbatem continetur. (Probat. N. CCLXV.) Schatenius eas integras edidit & finis illarum hic eſt: *Teſtes ſunt hi: Theodericus Traiectenſis Epiſcopus, Tictmarus Mindenſis Epiſcopus, Heribertus Abbas de Werthen, Ludewicus maior Praepoſitus, Vdo maior Decanus, Bruno Bunnenſis Praepoſitus, Theodericus Praepoſitus SS. Apoſtolorum, Engelbertus Praepoſitus S. Georgii, Herimannus Chori-*

Epi-

Epiſcopus, *Rodolfus maior Scholaſticus*, *Heinricus Dux de Limburg*, *Heinricus Comes de Seyna*, *Simon Comes de Teckenborg*, *Arnoldus Comes de Altena*, *Albertus Comes de Euerſtein*, *Adolfus Comes de Monte*, *Heinricus Comes de Keſſele*, *Heinricus Comes de Hukeswage*, *Hermannus de Waldeke*, *Henricus de Swalenberg*, *Henricus & Gerardus fratres de Wolmundeſtein*, *Herimannus Colonienſis Aduocatus*, *Herimannus Scultetus de Suſatia*, *& Herimannus filius eius*, *Otto Camerarius*, *Henricus Dapifer*, *Henricus Marſcalcus*, *Adam Pincerna*, *& alii quam plures*. *Acta ſunt haec Anno Dominicae Incarnationis MCXCVIII. Indict. I. datum Aquisgranum IV. nonas Iulii*, *per manus Godefridi Capellarii*, *in die ſcilicet Coronationis Domini Ottonis quarti Romanorum Regis*, *feliciter Amen.*

§. 11.

Eodem die & anno Ottonem Regem grates puto retuliſſe Adolfo Archi Epiſcopo Colonienſi. Habetur enim eius diploma, quod infra (Probat. N.CCLXVI.) producimus. In eodem Praeſuli huic ob praeſtita beneficia *allodium in Saleueld*, nec non *Ducatus allodia*, *feoda ſiue miniſteriales* confirmat, *cum bona voluntate ſua & fratrum ſuorum*, *Henrici Palatini Rheni & Wilhelmi de Brunſwicke & heredum ſuorum.* Promittit etiam *Eccleſiae Mindenſi in iis*, *quae a Colonienſi Eccleſia de bonis tenet eisdem*, *quietam poſſeſſionem.* Abolet penitus *conſuetudinem*, *quam Fridericus Imperator contra iuſtitiam induxerat*, *ſcilicet quod decedentibus Principibus*, *Eccleſiaſticis videlicet perſonis*, *quemadmodum Archi Epiſcopis*, *Epiſcopis*, *Abbatibus*, *Abbatiſſis & Praepoſitis*, *eorum ſupellectilem ſibi violenter vſurparat.* Spondet tandem ſe bona fidê adiuturum Archi Epiſcopum, *vt bona*, *quae Colonienſis Eccleſia a Moſella ſuperius tenet*, *& a quorum poſſeſſione violenter deſtitutus erat Archi Epiſcopus*, *recuperet.* Huius rei teſtes adducuntur, qui etiam in Coronatione praeſentes fuere . . . . . . *Argentinenſis Epiſcopus*, *Dithmarus Mindenſis Epiſcopus*, *Tirricus Traiectenſis Epiſcopus*, *Bernardus Paderbornenſis Epiſcopus* . . . . . . *Xantenſis*, *Bonnenſis Praepoſitus Bruno*, *Mechtildis Duciſſa Brabantiae*, *Baldewinus Comes Flandriae*, *Henricus Dux de Limburg*, *Otto Comes Geldrienſis*, *Arnoldus Comes de Cliuo*, *Tirricus Comes Hollandiae*, *Henricus de Kuick*, *Henricus Comes de Seyn*, *Simon Comes de Teclenburg*, *Arnoldus Comes de Altena*, *Wilhelmus Comes Iuliae*, *Gerhardus Comes de Are*, *Henricus Comes de Hockeſwagen*, *Henricus Comes de Ceſſele*, *Rutgerus de Merheim*, *Conradus de Dicka*, *Giſelbertus & Rutgerus de Brempt*, *Otto de Wikerothe*, *Henricus & Gerhardus de Wolmunſtein*, *Hermannus Aduocatus Colonienſis*, *Hermannus de Aluetre Mareſcalcus*, *Otto Camerarius*, *Reymarus de Rothe*, *Giſelbertus de Cerreke & alii quam plures viri honorati.*

§. 12.

§. 12.

Houedenus addit: *Praedictus Otho duxit ſibi in vxorem filiam Ducis de Luvain, quae die Coronationis praedicti Othonis ſedit ſimul cum eo in cathedra regali, ſed non tunc coronata.* Deſponſata enim nunc ſolummodo fuit Ottoni, & nuptiae ob teneram virginis aetatem dilatae. Godefridus Colonienſis deſponſationem MARIAE; hoc enim nomen ſponſae erat, filiae *Henrici Ducis Lotharingiae ſiue Brabantiae,* qui & *de Louanio* dicebatur, non recte in Annum 1199. refert. Errat etiam Abbas Vrſpergenſis, dum tradit, eam poſtea repudiatam. Ex Innocentii enim Papae Epiſtola XXVIII. intelligimus, eam poſtea Ottoni a patre ipſo denegatam. Verba Papae ſunt: *Cum inter te ac dilectam in Chriſto filiam, natam Ducis Brabantiae, ſponſalia fuerint, approbante Legato noſtro, contracta, noſtrae voluntatis exiſtit, vt quod initiatum eſt legitime, niſi per alium ſteterit, compleatur. Cum ergo puella ipſa aetati nubili ſit vicina, monemus Serenitatem tuam & exhortamur attentius, quatenus vsque ad nubilem eius aetatem expectes, & ſi pater eius eam tibi tradere noluerit requiſitus, ex tunc libere cui volueris, in Domino tamen, nubas.* Epiſtola CLIII. idem ad Ottonem: *Si vero,* inquit, *tibi videris expedire, ad conſummationem matrimonii iam tractati ſecure procedas; ſuper quo nos matri puellae, Patriarchae Aquilegenſi, & Henrico de Calandrino, nec non & Henrico de Maſſech, noſtras litteras deſtinamus. Super altero vero coniugio, ſi tibi & imperio expedire cognoueris, tuum nobis non differas beneplacitum intimare, de plenitudine gratiae noſtrae ſecurus, quod ad omnia, quae tibi nouerimus profutura, diligens ſtudium impendemus & operam efficacem.* Patri vero Mariae ſcrupulum mouere potuere rumuſculi quorundam, qui eam Ottoni cognatam eſſe aſſeruerunt, vt, pro more ſaeculi, in matrimoniis ex capite nullitatis ſub conſanguinitatis praetextu reſcindendis valde procliuis, eam iterum ab Ottone eo facilius deinde abſtrahere poſſent. Concludo hoc ex Papae Epiſtola apud Baluzium T. II. pag. 696. qua *nobili viro Duci Brabantiae & vxori eius* in hunc modum ſcribit: *Ad noſtram noueritis audientiam perueniſſe, quod quidam genealogiam veſtram a longe calculantes, dilectam in Chriſto filiam noſtram, nobilem mulierem,* [Mariam] *filiam veſtram, cariſſimo in Chriſto filio noſtro Ottoni, filio quondam illuſtris memoriae* [Henrici] *Ducis Saxoniae, ſponſo ſuo, electo & coronato in Regem affinitatis linea vltra quartum gradum, quod vos non recognoſcitis, muſſitant pertinere, licet matrimonium ipſum nullus accuſet. Vt autem conſcientia veſtra non tam purgetur, quam conſolidetur, fuit poſtulatum a nobis, vt ſuper hoc dignaremur miſericorditer diſpenſare. Si ergo res ita ſe habet, ſecure, propter multam & magnam vtilitatem, quae de ipſo matrimonio prouentura ſperatur, ad conſummationem ipſius cum diuini nominis reuerentia procedatis. Datum Laterani.*

Digitized by Google

§. 13.

Coronatione peracta, Proceres mox Legatos ad Papam miſerunt, eique litteris hiſce a Baluzio Epiſt. Innocentii Papae T. I. pag. 689. editis, electionis ſuae rationes reddiderunt. *Sanctiſſimo Patri ac Domino Innocentio, ſacroſanctae Romanae Sedis ſummo Pontifici, Principes & Barones Alamanniae, Clerici & Laici, debitam in Chriſto reuerentiam & ſinceritatem obſequii. Cum placuiſſet ei, qui aufert ſpiritum Principum, & magnus & terribilis eſt ſuper Reges terrae, Dominum Henricum Imperatorem de medio auferre, neceſſarium nobis viſum fuit de ſubſtituendo Rege tractatum & colloquium habere. Conuenimus ergo ſaepius, & miſerias & oppreſſiones, quas hactenus ſuſtinueramus, recenſentes, per vniuerſos Principes Regni animos noſtros ereximus, & quid honori Eccleſiae Dei & paci ac quieti ſubiectorum potiſſimum expediret, deliberantes, nunc vnum, nunc alium quaſi finaliter eligere putabamus. Verum quia non eſt prudentia, non eſt potentia, non eſt conſilium, niſi per Deum, placuit ei, qui Abrahae filium immolare volenti victimam prouidit, & Dauid fratribus iuniorem de poſt foetantes accepit, atque Matthiam ex diſcipulorum numero ad ſortem apoſtolatus elegit, Sereniſſimum Dominum noſtrum Ottonem, quondam Henrici Ducis Saxoniae filium, ad regimen Romani Imperii de terra peregrinationis ſuae ex inopinato offerre nobis. Inuocata itaque Sancti Spiritus gratia, praedictum Dominum Ottonem, Chriſtianae fidei cultorem deuotiſſimum, atque ſanctae Romanae Eccleſiae Aduocatum & defenſorem fideliſſimum, de longa & antiqua Regum proſapia ex vtraque linea ſpectabiliter editum, ad Romani Regni faſtigium iuſte ac rationabiliter elegimus, & ſicut debuimus, ipſius electioni conſenſimus, ipſumque in Auguſtorum ſede a Karolo Magno apud Aquisgranum huic dignitati deputata locauimus, & corona & Regni diademate per manum Domini Adolfi Colonienſis Archi Epiſcopi, ea qua decuit, ſolemnitate feliciter decorauimus. Nos autem Principes, qui iam dictum Dominum Ottonem in Regem elegimus, feoda noſtra, quae ab Imperio tenemus, a manu ipſius recipientes, hominium ſibi fecimus & fidelitatem iurauimus. Tantae igitur dignitatis munus excellentiſſimus Princeps diuinae potius gratiae, quam ſuis meritis adſcribens, primitias huius honoris offerens Domino, propria voluntate iuramento firmauit in primis ſacroſanctae Romanae Eccleſiae, deinde omnium Eccleſiarum iura bona fide ſeruare ac manutenere, & ſubiectos Imperii exheredatos, maxime a ſuis poſſeſſionibus violenter eiectos, in ſua iuſtitia pro poſſe iuuare & conſeruare. Prauam inſuper illam conſuetudinem, quam Imperatores anteceſſores ſui in occupandis rebus mobilibus vel ſeſe mouentibus decedentium Epiſcoporum vel Abbatum Principum huc vsque ſeruauerant*

Digitized by Google

uauerant, penitus extirpans, nos Eccleſiaſticos Principes ab hac indebita vexatione regali beneuolentia liberos dimiſit, & decedentium bona ſuis ſucceſſoribus ſeruanda liberaliter ſtatuit. Paternitati ergo veſtrae dignum ſupplicare duximus, quatenus fidem & deuotionem Domini noſtri Regis attendentes, merita quoque illuſtriſſimi patris ſui, Henrici Ducis Saxoniae, qui ab obſequio ſacroſanctae Romanae Eccleſiae nunquam receſſit, memoriter tenentes, paci & quieti veſtrae & noſtrae intuitu Dei ac noſtri obſequii prouidentes, ipſius electionem & conſecrationem auctoritate veſtra confirmare & imperiali coronationi annuere paterna pietate dignemini. Sanctitatem inſuper veſtram obnixe rogamus, quatenus Principes ac Barones a tam rationabili electione diſcordantes, eccleſiaſtica cenſura ad concordiam reuocetis, & ab illicita fidelitate partis aduerſae claue Petri reſolutos ad praeſtandam Domino noſtro Regi fidelitatem & ſubiectionem auctoritate veſtra compellatis. Vt autem a Domino Rege noſtro iura Romanae Eccleſiae, vt praedictum eſt, integra & illibata ſeruentur, nos in bona fide ſpondemus, & pro Domino Rege noſtro fideiubemus. † Ego Adolfus Colonienſis Archi Epiſcopus elegi & ſubſcripſi. † Ego Gerardus Indenſis Abbas elegi & ſubſcripſi, † Ego Heribertus Vuerdenſis Abbas elegi & ſubſcripſi. Ego Henricus Dux Lotharingiae, qui & Brabantiae, Marchio Romani Imperii, elegi & ſubſcripſi. Ego Henricus Comes de Kuke conſenſi & conſcripſi. † Ego Berhardus Padeburnenſis Epiſcopus elegi & ſubſcripſi. † Ego Thietmarus Mindenſis Epiſcopus elegi & conſecrationi cooperatus fui. † Ego Vuidikindus Corbeienſis Abbas elegi & ſubſcripſi. In fauorem Ottonis pariter Adolfus Archi Epiſcopus, Richardus Rex Angliae, Balduinus Comes Flandriae, A. Comes de Dachsburg & Metenſis, ac Iohannes Ruſca Mediolanenſis Poteſtas Pontifici ſcripſere Epiſtolas a Baluzio l. c. pag. 688. ſeq. publicatas. Ipſe Rex Otto eidem Pontifici ſe hac Epiſtola, ibidem pag. 687. euulgata, commendauit: *Sanctiſſimo in Chriſto Patri ac Domino ſpirituali Innocentio ſacroſanctae Romanae Eccleſiae ſummo Pontifici, Otto diuina fauente gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus, ſalutem ac filialis deuotionis affectum cum debita reuerentia. Nauicula Petri quibusdam retro temporibus perſecutionum fluctibus eſt agitata, & niſi Eccleſia Dei in petra Chriſto fundata fuiſſet & ſolidata, iam prauorum perſecutionibus inclinata funditus corruiſſet. In ipſa etenim perſecutione progenitor noſter Henricus Dux Saxoniae in fide ſanctae Romanae Eccleſiae indeſinenter perſeuerans, & voluntati atque iniquae dominationi Friderici quondam Imperatoris nullatenus acquieſcens, matrem ſuam ſpiritualem, ſanctam videlicet Romanam Eccleſiam, in omnibus eſt imitatus; ideoque praeualente impiorum perſecutione, honoris ſui dignitate priuatus, exilio cum liberis & familiaribus ſuis addictus fuit &*

 expoſitus.

Digitized by Google

expoſitus. Volens igitur Dominus Eccleſiae ſuae ſtatum in melius reformare, & fidem ac deuotionem iam dicti patris noſtri in ſuis poſteris remunerare, ſua ineffabili clementia effecit, quod nos ab Optimatibus & Principibus Imperii, ad quos de iure ſpectat electio, ad Regni gubernacula ex inopinato vocati ſumus & electi; in ſede quoque Auguſtorum apud Aquisgranum locati, conſecrationem & coronationem a manu Adolfi Colonienſis Archi Epiſcopi, praeſentibus Principibus, ea qua decuit ſolemnitate, cum plenitudine Regiae dignitatis accepimus. Cupientes igitur greſſus noſtros ab ipſo dirigi, per quem Reges regnant & potentes ſcribunt iuſtitiam, dignum duximus ipſa electionis noſtrae hora iuramento firmare, quod poſſeſſiones & iura Romanae Eccleſiae aliarumque Eccleſiarum Imperii firma & illibata ſeruabimus, & quod conſuetudinem illam deteſtabilem, qua Epiſcoporum & Abbatum Principum de hac vita migrantium, bona tempore mortis relicta quidam noſtri anteceſſores hactenus occupabant, omnino inpoſterum dimittemus; & de beneficientia noſtra Principibus Eccleſiaſticis in perpetuum relaxamus. Petimus ergo & cum inſtantia paternitati veſtrae ſupplicamus, quatenus fidem ac deuotionem noſtram conſiderantes, merita quoque patris & auunculi noſtri Regis Angliae, qui nunquam ab obſequio Eccleſiae Romanae receſſerunt, ad memoriam reuocantes, iniurias etiam Philippi Ducis Sueuiae, quondam Ducis Tuſciae, & patris & fratris eius non diſſimulantes, nos Regiam dignitatem adeptos ad Imperii conſecrationem vocare dignemini, illos inſuper Epiſcopos & Abbates ac Laicos Principes, qui iam dictum Philippum Ducem Sueuiae, in excommunicatione veſtra detentum, in Regem nominare & fidelitatem ei iurare praeſumpſerunt, ab obſeruatione illiciti iuramenti abſoluatis, & maieſtati noſtrae obedire eccleſiaſtica cenſura compellatis; & excommunicationem ipſius Ducis Sueuiae per Theutoniam & vniuerſos fines Imperii publice denuntiari faciatis. Veſtris quoque precibus, pater ſanctiſſime, altiſſimum exoretis vt vias & actus noſtros in pace & tranquillitate dirigat, & quod iuſtitia, conſtantia, & veritas in corde noſtro vigeat; vt per ipſius auxilium de vultu Domini iudicium noſtrum prodeat, & promiſſum noſtrum perpetua & inuiolabili firmitate ad honorem Dei & Eccleſiae ipſius nobis adimplere & conſeruare concedat. Ad haec, paternitati veſtrae ſignificamus, quod dilectos & fideles noſtros Legatos, videlicet G. Principem noſtrum Abbatem Indenſem, B. Praepoſitum Bunnenſem, H. Sancti Gereonis in Colonia Scholaſticum, H. Priorem Vuerdinenſem, & H. Aquilegienſem glorioſiſſimi Regis Angliae auunculi noſtri Capellanum, & fidelem noſtrum M. de Villa Ciuem Mediolanenſem, pro conſummatione honoris noſtri ad veſtram transmittimus ſanctitatem. Quicquid igitur cum praefatis Legatis noſtris a veſtra tractatum vel ordinatum fuerit prouidentia, id maieſtatem noſtram in omnibus &

per

Digitized by Google

per omnia ratum & firmum habituram praeſentibus litteris ſanctitati veſtrae ſignificamus.

§. 14.

Philippus interea ſuas etiam res ſtrenue vrſerat, profuſisque immenſis Hohenſtauficae Familiae theſauris plurimos Magnatum in ſuas partes pertraxerat, qui *Mulhuſii* conuenientes ipſi Imperium detulere; de quo Otto de S. Blaſio c. 46. & Abbas Vrſpergenſis videndi. Inde in feſto Paſchalis *Wormatiae* a banno abſolutus, & coronatus eſt ab Archi Epiſcopo Tarantaſienſi; quod tamen Innocentius Papa diuerſis epiſtolis a Baluzio exhibitis improbauit. Electionis & coronationis modus per Epiſtolam eidem Papae indicatus eſt, quae l. c. apud Baluzium pag. 690. ſq. extat. Philippus quoque Galliae Rex pro eodem Philippo, Richardi & Ottonis Regum odio inductus, apud Papam interceſſit epiſtola a Baluzio l. c. pag. 690. producta: *Cum Rex*, inquit, *Angliae per fas & neſas, pecunia ſua mediante, nepotem ſuum ad imperialem apicem conetur intrudere, vos nullatenus intruſionem illam, ſi placet, debitis admittere, quod in opprobrium & detrimentum coronae noſtrae cognoſcitur redundare; nec nos credimus, quod vos quicquam in praeſenti ſtatu in praeiudicium noſtrum debeatis ſuſtinere, cum nos vel noſtri nihil vnquam contra Romanam Eccleſiam attentauerimus, nec vnquam per Dei gratiam curabimus attentare. Porro de Philippo Rege Alemanniae nouerit ſanctitas veſtra, quod ſi aliquando pater eius vel frater Romanam Eccleſiam in aliquo offenderint, nos dolemus. De querelis autem quae inter Eccleſiam & Imperium diutius actitatae ſunt, praedictus Rex Alemanniae Philippus conſilio noſtro, ſicut aſſerit, paratus eſt acquieſcere, & pro veſtra gratia & Eccleſiae obtinenda in terris, caſtellis, poſſeſſionibus, pecunia etiam competenti, de conſilio noſtro ſe perpetuo foedere vobis & Eccleſiae obligare. Quodſi ipſe in hoc conſilio noſtro non acquieſceret, ipſe nos nullatenus amicum inueniret.* Impellebatur etiam ad hanc pro Philippo Sueuo apud Papam interceſſionem Rex Franciae per confoederationem cum illo initam hoc Anno 1198. tertio Kalend. Iulii, quam Rymerus Act. Angl. T. I. pag. 107. edidit, & nos infra in Probationibus (N. CCLXIV.) exhibemus.

§. 15.

Papa vero, reiecto Philippo, vt patet ex reſponſione Legatis eius in Conſiſtorio facta apud Baluzium l. c. pag. 692. pronus Ottoni fauit, & electionem eius approbauit litteris Colonienſi & Bremenſi Archi Epiſcopis, Mindenſi & Paderbornenſi Epiſcopis, Abbati Werdinenſi, Duci

 Lotharin-

Lotharingiae & Brabantiae, Comiti Palatino Rheni, Comiti Flandriae, Comiti Dachsburgenſi aliisque Germaniae Principibus ſcriptis, quae apud Baluzium l. c. pag. 690. habentur. Extat ibidem pag. 697. *deliberatio Innocentii Papae ſuper facto Imperii de tribus Electis,* (r) Philippo nempe, Friderico puero & Ottone Saxone. De Philippo ibi fatetur, *cum in electionibus circa Electores zelus, dignitas & numerus attendatur, & de zelo non ſit facile iudicare, cum ipſe a pluribus & dignioribus ſit electus & adhuc plures & digniores Principes ſequantur, eundem, iuſte videri electum.* Sed mox reprobandi eum hanc rationem addit: *Cum,* inquiens, *potens ſit tam terra, quam opibus & perſonis, non videtur expedire, vt contra torrentem brachia dirigamus, tam potenti nos taliter opponentes, vt eum reddamus nobis & Eccleſiae inimicum, & ne maiorem videremur diſcordiam ſuſcitare, fieretque nouiſſimus error peior priore, cum nos potius pacem inquirere & perſequi & euangelizare aliis debeamus, quae fouendo illum poſſet de facili prouenire. Verum contra videtur, quod liceat nos ei opponere. Fuit enim excommunicatus iuſte, quia B. Petri patrimonium partim per violentiam occuparat, partim damnificarat incendiis & rapinis, & ſuper hoc commonitus ſemel & iterum per fratres noſtros ſatisfacere non curarat, fuit excommunicatus, ſolenniter, quoniam in celebratione Miſſarum, in Eccleſia beati Petri, in feſtiuitate non parua; quod ipſe poſtmodum recognouit, cum pro abſolutione ſua nuntium ad Sedem apoſtolicam deſtinauit, & cum tandem per delegatos noſtros, contra formam mandati noſtri, poſt electionem ſuam ſe fecit abſolui. Vnde patet, quod fuerit excommunicatus electus.* De Ottone dicit, eum *a paucioribus electum* quidem; conſenſiſſe tamen poſtea in electionem eius tot vel plures ex his, *ad quos principaliter ſpectet Imperatoris electio,* quot in alterum conſenſerint: & in talibus *idoneitatem ſeu dignitatem electae perſonae plus quam eligentium numerum eſſe attendendum; nec tantum pluralitatem, quoad numerum, ſed ſalubritatem, quoad conſilium, in eligentibus requiri:* Ottonemque magis eſſe idoneum ad regendum Imperium, quam Philippum; in cuius progenitores deinde inuehitur. Concludit tandem: *Cum*

r) Hic mihi rurſus in mentem venit Caeſarius Heiſterbacenſis, qui Lib. X. c. 23. ſcribit, Anno 1207. Philippo Rege celebrante Curiam ſolemnem cum Principibus, ſignum magnum apparuiſſe in Sole. *Sol quippe,* ait, *in tres partes diuiſus eſt, ita vt interualla eſſent inter partem & partem, ad inſtar lilii, tres flores habentis. Quod vbi notari coepit, multi concurrerunt ſuper tanto miraculo diſputantes. Hermannus vero Landgrauius interpretatus eſt, quod vnus de Principibus Imperii eodem anno moriturus eſſet: nec erat idonea eius interpretatio. Poſt multam horam coierunt partes, & redintegratum eſt corpus ſolare. Facta eſt haec viſio tertio Kal. Februarii.* Ipſe Caeſarius rem ita interpretatur. Sol ipſi deſignat Romanum Imperium: triplex Solis diuiſio, ſchiſma Imperii, in tres Principes diuiſi: *quorum vno occiſo, altero depoſito, tertius ſolus regnare coepit; ſub quo quaſi ad ſuam plenitudinem Sol diuiſus rediit.*

Digitized by Google

Cum Otto & per ſe deuotus exiſtat Eccleſiae, & ex vtraque parte trahat originem ex genere deuotorum, ex parte matris de Domo Regum Angliae, ex parte patris de proſapia Ducum Saxoniae, qui omnes Eccleſiae fuere deuoti, & ſpecialiter Lotharius Imperator, proauus eius, qui bis pro apoſtolicae Sedis honore Apuliam eſt ingreſſus, & in obſequio Eccleſiae Romanae deceſſit, ei manifeſte fauendum, & ipſum recipiendum in Regem, & praemiſſis omnibus, quae pro honorificentia Eccleſiae Romae debent praemitti, ad coronam Imperii euocandum eſſe. Conradus Vrſpergenſis meminit, *ſe eo tempore audiuiſſe, quod dixerit Papa, quoniam ablaturus eſſet Philippo diadema Regium, aut ipſe ſibi Papae inſigne Apoſtolicum.*

§. 16.

Otto Rex Aquisgrani pauliſper poſt coronationem ſubſtitit, & *Anno* 1198. *Indictione I. anno Regni ſui I. IX. die menſis Auguſti* remuneratus eſt ſtudia Widekindi Abbatis Corbeienſis, eique & Eccleſiae ſuae tradidit *feodum foreſti, quod Soligo dicitur, eo tenore, vt in eo vſum venandi habeat, & ius, quod vulgariter Wiltban appellatur, ſine qualibet contradictione exerceat;* reliqua etiam Eccleſiae bona confirmauit diplomate, quod Schatenius in lucem emiſit, & nos ex eo infra repetiimus. (Probat. N. CCLXVII.) (s)

§. 17.

Philippus vt adeptam dignitatem aduerſus Ottonem defenderet, Premislao Bohemiae Duci foederatus eſt, nomine Regio ei indulto; eiusque copiis adiutus Alſatiam petiit, ac Argentinenſes ciues obſidione premens eo adegit, vt fidelitatem iurarent. Otto Rex cum exercitu Spiram vſque adſcendit; ſed viribus inferior Philippo, retrocedere coactus eſt ob perfidiam eorum, qui prius ipſi iuris iurandi religionem fecerant. *Haec enim,* vt Godefridus Colonienſis ratiocinatur, *infirma erant & infidelia. Nam plures ex Principibus in exiguo ponentes mendacium aut periurium, contra conſcientiam ſuam venire non timebant: ore quidem ſacramenta praeſtantes, & fidem iurantes Regi Ottoni, cum cor eorum longe ab eo remotum, cum Philippo Rege magis rectum videretur, quam ſecum.* Nec circa Moſellam

s) Hoc Ottonis diploma pro Abbatia Corbeienſi, neſcio vnde acceptum, Chartulario ſuo inſcripſerunt Monachi S. Iacobi Erfordienſes, ex quo nuper in lucem protractum eſt; (Probat. N. CCLXVIII.) etſi ad Monachos Erfordienſis non pertineat. Fraus in eo tralucet, quod, cum in diplomate Corbeienſi foreſtum, in quo ius venandi confirmatum eſt, nominatim exprimatur & *Soligo* vocetur, Iacobitae illi impoſtores, quia foreſtum, in quo venarentur, nullum habuerunt, omiſſo Soligo, poſuerunt *feudum foreſti, quod vulgo dicitur;* cum nomen foreſti exprimere non poſſent. Quae obſeruatio cautos & circumſpectos reddere debet diplomatum editores & tractatores.

ſellam in concertationibus aliquot felicior fuit. Saxoniam igitur adiit *Goslariam* occupaturus, argenti venis diuitem; ſed ſuperueniens Philippus, hic quoque conatus eius irritos reddidit. Godefridus Colonienſis, Abbas Vrſpergenſis & Arnoldus Lubecenſis haec fuſius enarrant. Atque hoc demum tempore *Henricus Palatinus Comes Rheni, frater Ottonis Regis, & Landgrauius & Dux Brabantiae de Hieroſolymis, infecto omni negotio apud Ethnicos, reuertuntur*; vt idem Godefridus Colonienſis ad Annum 1198. notat.

§. 18.

Sub finem etiam Anni 1198. Brunſuici forte exiſtens *Monaſterium Riddageshuſanum* in ſuam tutelam ſuſcepit Otto. Teſtes diplomati a Meibomio T. III. p. 158. edito (Probat. N. CCLXIX.) additi ſunt *Borchardus Praepoſitus S. Blaſii, Walterus de Baldenſele, Conradus de Hagene, Baldewinus Aduocatus, Baſilius de Oſterode, Anno de Blanckenborg.* Eadem in ciuitate ſua Brunſuicenſi degens Anno 1199. menſe Ianuario Otto Rex ciues Brunſuicenſes inſigni Priuilegio (Probat. N. CCLXX.) ſibi deuinxit. Dicit in eo: *deuotionem ac fidei ſinceritatem familiarium Burgenſium noſtrorum de Bruneſwic progenitori noſtro felicis memoriae, Heinrico Duci Saxoniae, exhibitam attendentes, multimoda quoque obſequia nobis & fratribus noſtris ab eis impenſa memoriae reuocantes, perſonas eorum & res in noſtrae Serenitatis defenſionem ſuſcipimus, eosque ab omni exactione ac telonio per vniuerſos imperii fines regali munificentia liberos & abſolutos eſſe volumus.* Autographum in Archiuio Senatus Brunſuicenſis ipſi vidimus.

§. 19.

Conradus vero Moguntinus Archi Epiſcopus, Anno 1199. ex Italia veniens, Innocentii Papae iuſſu, diſcordiam inter Principes nunc ſedare ſtuduit. Eo fini vna cum Marchione Montisferrati Bonifacio colloquium Bopardiae Principibus diſſentientibus indixit, *vt* (verbis Godefridi Colonienſis vtor) *diſcordiam, quae in Regno orta fuerat ex electione Ottonis & Ducis Philippi, ſedarent, & ſi nequirent iſtud efficere, vt alteruter eorum ceſſaret, ex conſilio Principum per quinqennium pax firmaretur, & hoc elaboraretur, vt alter cederet. Sed quid intenderint, vel quid contulerint cum Philippo, licet non innotuerit; Rex Otto inuitatus a Marchione, vt Bopardiam veniret, renuit, quoniam quidem dedecoroſum arbitratus, ſi vllo pacto Regno cederet, cum legitime in Regem conſecratus eſſet.* Ipſe Otto Rex Pontifici ſucceſſum colloquii diſtinctius retulit in epiſtola a Baluzio T. II. p. 694. ſq. edita: *Sanctitati*, inquit, *veſtrae grates referimus*

vberrimas,

Digitized by Google

vberrimas, [de ſolicitudine nempe circa res eius] *notificantes, quod inter Principes inferiores & ſuperiores, qui ſunt circa Rhenum, tam ex parte noſtra, quam ex parte Ducis Sueuiae, mediante Maguntinenſi Archi Epiſcopo, qui ad hoc plurimam adhibuit operam, quo tamen nondum plene nouimus, affectu, vsque ad feſtum beati Martini treugae ſunt firmatae. Inter Principes tamen Saxoniae tam nobis, quam Duci Sueuiae adhaerentes (quam cum feſtinatione intrare diſpoſuimus, vt Regi Dacorum, dilecto ſororio noſtro, occurramus, qui in auxilium noſtrum ad debellandos inimicos noſtros eandem terram procul dubio intraturus eſt,) nullae treugae ſunt factae. Ad hoc etiam Maguntinenſem Archi Epiſcopum elaboraſſe, noſtroſque conſenſiſſe iuxta admonitionem veſtram, vt colloquium eſſe debeat inter Andernacum & Confluentiam in proxima ſexta feria poſt feſtum beati Iacobi Apoſtoli, veſtram nolumus latere pietatem; in quo debent conuenire, ſecundum quod inter eos condictum eſt, ex parte noſtra Colonienſis Archi Epiſcopus, Monaſterienſis Epiſcopus, Leodienſis Electus, Traiectenſis Epiſcopus, Paderburnenſis Epiſcopus, Abbas Corbeienſis, Dux Brabantiae, & Comes Flandriae; ex parte vero Ducis Sueuiae, Salzburgenſis Archi Epiſcopus, Epiſcopus Friſingenſis, Epiſcopus Baſilienſis, Argentinenſis Epiſcopus, Treuerenſis Archi-Epiſcopus, Dux Meraniae, Marchio Corradus de Landisberc, B. Dux Ceringiae, & ipſe Maguntinus, tamquam mediator, qui huic rei hactenus ſollicitudinem, quam potuit, impendit; qui Principes finaliter de facto Imperii in eo colloquio tractare debent, & praeſentibus diſſidiis omnino finem imponere; & quod a maiori parte ipſorum de corona Romani Imperii ſtatutum fuerit, hoc ab ipſis caeteriſque Alamanniae Principibus inuiolabiliter volunt obſeruari. Inde eſt, quod, licet de praedictorum Principum noſtrorum fide ac deuotione nullatenus dubitemus, ac de voluntate eorum, qui ex parte Ducis Sueuiae in eo debent intereſſe colloquio, pro maiori parte bene confidamus; tamen, quia paternitatis veſtrae protectionem ac Romanae Eccleſiae auxilium & auctoritatem in omnibus noſtris deſideramus negotiis, cogitantes vtilius eſſe pietatem veſtram in tempus occurrere, quam poſt cauſam vulneratam remedium quaerere, cognoſcentes etiam, conceſſum fore medentibus, aegrotantibus ſubuenire, non tamen eos a mortuis ſuſcitare; a Sanctitate veſtra petimus, & deuotiſſime ſupplicamus, quatenus, dum ſe temporis offeret oportunitas, ſupradictis omnibus Principibus tam eccleſiaſticis, quam ſecularibus, aliiſque, ſi quos praedicto colloquio intereſſe contigerit, auctoritate apoſtolica magnificentiae veſtrae a Deo collata ſub poena & interminatione, qua poteſtis, praecipere dignemini, vt ipſi negotium noſtrum promouere nobiſque adhaerere nullatenus poſtponant, & coronam Alamanniae, quam nos iuſte adeptam indubitanter exiſtimamus ab eo, qui debuit,*

& in loco, quo debuit, nobis impoſitam, defendere & manutenere totis viribus adiuuent; ac nitantur, ne praedicta admonitio, quam ad Imperii concordiam noſtramque vtilitatem a manſuetudine veſtra factam intelligimus, ad noxam tendat noſtramque incommoditatem non modicam. Nos enim paratos in totum & ex toto ea omnia adimplere, quae a nuntiis noſtris cum Sanctitate veſtra ſunt condicta & conſcripta, & eorum ſigillis ſigillata, praeſentibus ſcriptis paternitati veſtrae ſignificamus, & in perpetuum nos obſeruaturos promittimus. Clementiae inſuper veſtrae notificandum duximus, quod, ex quo coronam Regni adepti ſumus, nunquam adeo fortes fuimus, ſicut in praeſentiarum exiſtimus, nec Principes noſtrique Barones nobis vnquam fidelius aſtiterunt, quam nunc in praeſenti aſſiſtunt. Praeterea paternitati veſtrae notificamus, nos praeſentium latoribus dediſſe licentiam iurandi in noſtram animam, quod ea vera eſſe credimus, quae de colloquio, quod fieri debet proxima ſexta feria poſt feſtum beati Iacobi Apoſtoli inter Andernacum & Confluentiam, ſuperius ſcripſimus. Sed non diu poſt Moguntinus Anno 1200. obiit, & eius in loco in ſchiſmate Lippoldus a fautoribus Philippi, Sifridus vero ab amicis Papae & Ottonis Regis electi ſunt.

§. 20.

Philippus interea arma in Saxoniam vertit, & *Brunſuicum* Anno 1200. obſidet, ab Henrico Palatino, Ottonis Regis fratre, egregie defenſam, ita vt infecto negotio retrocedere cogeretur. In velitationibus prope Brunſuicum tunc Philippus ab Ottonis copiis non parum afflictus eſt. Houedenus ad hunc annum: *Paulo*, ait, *ante feſtum S. Petri ad Vincula habitum eſt campeſtre bellum inter praedictum Ottonem Regem Alemannorum & Philippum Ducem Swawiae apud Bruneswich: in quo praelio Otto extitit victor, & cepit plus quam ducentos milites de familia Ducis Swawiae.*

§. 21.

Sed antequam haec gererentur, grauiſſimus caſus Ottoni Regi Anno 1199. acciderat. Caſtrum enim Gayllardum, a Gallis interceptum, dum luſtraret Richardus Rex Angliae, ſagitta in brachio percuſſus eſt, & ex vulnere praematura morte deceſſit, (t) ſepultus iuxta patrem ſuum in Monaſterio Fontis Ebraldi

t) Dignus eſt Richardus Rex, cuius triſtis exitus pluribus memoretur. Teſte Coggeshalio, quem prae caeteris fide dignum aduocare amamus, hoc anno circa tempus Quadrageſimale inter Richardum Angliae & Philippum Franciae Reges induciae vsque ad quoddam tempus praefinitum initae ſunt. His Richardus caſtigando Vicecomiti Lemouicenſi, qui inuentum ac ſibi oblatum inaeſtimabilis pretii theſaurum reddere recuſabat, vſurus, *caſtrum eius Chaluz obſedit: ad quod cum quarto obſidionis die Richardus*

Digitized by Google

Ebraldi menſe Aprili Anno 1199. vt Walterus Hemingfordius in Chronico cap. 93. teſtatur. Houedenus refert, Regem ſagitta ſauciatum eſſe in

poſt prandium inermis, excepto capello ferreo, confidenter cum ſuis acceſſiſſet; quidam armatus tetendit arcubaliſtam, percuſſitque Regem ſuper humerum ſiniſtrum iuxta colli ſpondilia, ſicque arcuato vulnere telum delapſum eſt deorſum, & lateri ſiniſtro immerſum. Ex hoc vulnere Rex, audacia ſemper praedicabilis, nulla cordis ſuſpiria, nullam plangentis vocem emittebat, nullam triſtitiam in vultu aut in geſtu tunc ad praeſens praeferebat, ne ſuos triſtes aut timidos redderet, atque inimicis de illato vulnere maiorem audaciam praeberet. Poſtea vero, quaſi nihil mali perpeſſus fuiſſet, pluribusque ignorantibus, quid infortunii accidiſſet, hoſpitium ſuum, quod e vicino erat, ingreditur, lignumque ferro infixum de corpore extrahens confregit; ſed ferrum, vnius palmi longitudinem habens, in corpore remanſit. Rege itaque in conclaui procumbente, quidam chirurgus ex nefanda illa familia impiiſſimi Marcaderi corpus regium ſecando, grauiter, immo lethaliter ſauciauit, lucernis in domo accenſis, nec potuit ferrum, in corpore nimis obeſo immerſum, leuiter reperire, aut ſecando repertum ſine magna violentia extrahere. Appoſitis igitur diligenter medicaminibus & emplaſtris, poſtmodum coeperunt vulnera inflicta deteriorari & increſcere, atque de die in diem amplius intumeſcere, tandemque mortem minari; Rege incontinenter ſe habente, & praecepta medicorum non curante. Arcebantur omnes ſui ab introitu cubiculi, in quo decumbebat, exceptis quatuor de nobilioribus, qui ad eum viſitandum libere introibant, ne fama aegritudinis eius per publicum diuulgaretur. Rex autem, de ſoſpitate conſequenda nimis incertus, matrem, quae apud Fontem Ebraldi morabatur, litteris accerſiuit, exitum ſuum viuifico ſacramento Dominici corporis muniuit, confeſſione praemiſſa a quodam ſuo capellano; a cuius ſacramenti perceptione, ob tanti myſterii reuerentiam, fere ſeptennium, vt dicunt, abſtinuerat, eo quod mortale odium erga Regem Galliae in corde geſtauerat. Mortem etiam ſibi illatam percuſſori ſuo libenter indulſit, ſicque VII. Idus Aprilis, ſcilicet XI. die a vulnere ſibi illato, oleo ſacro inunctus, cum iam dies clauderetur, diem clauſit extremum; cuius corpus exenteratum & apud Sanctimoniales Fontis Ebraldi delatum, Dominica in Palmis iuxta patrem ſuum regio honore ab Epiſcopo Lincolnienſi humatum eſt.

Regnauit autem ſatis laborioſe IX. annis & VII. menſibus ac XX. diebus, ſi recte computes a die coronationis ſuae, ſcilicet a tertio Nonas Septembris, quo a Domino Baldewino Archi Epiſcopo coronatus eſt; qui praeclarum ac merito praedicabile cunctis Principibus in hoc reliquit exemplum, quod reditus vacantium Epiſcopatuum vel Abbatiarum, ſiue Eccleſiarum donationem in proprios vſus, ſicut praedeceſſores ſui fecerant, diutius minime retinuit; ſed confeſtim liberaliter donauit. Circa diuinum officium in praecipuis ſolemnitatibus plurimum delectabatur, veſtibusque pretioſis capellam ſuam ſollicite adornabat, Clericosque ſonora voce modulantes donis & precibus ad cantandum feſtiuius exſtimulabat, atque per chorum huc illucque deambulando voce & manu, vt altius concreparent, excitabat. In ſecreto Miſſae vsque poſt communionem ſilentium tenebat, orationibus vacans; etiamſi de aliquo negotio fuiſſet interpellatus. Vnam Abbatiam Ordinis Ciſtercienſis conſtruxit, quae vocatur Bonus Portus, & quamdam domum Canonicorum Praemonſtratenſium in Aquitania. Abbatiam etiam de Pinu fere adnihilatam reparauit, & magnis reditibus ampliauit. Mox etiam vt coronatus fuerat, noui ſigilli ſui primaria impreſſione confirmauit, & dedit generali Capitulo Ciſtercienſi reditum centum viginti marcharum in Eccleſia Scardeburgh. Poſt coronationem etiam ſuam S. Edmundum orationis cauſa deuotus expetiit, & cum oblatione ſua obtulit ſanctiſſimo Regi & Martyri reditum XV. marcharum ad incendendum duos cereos, qui iugiter ardeant diebus & noctibus circa corpus ſanctiſſimi Regis. Monaſterium Pontiniacenſe & plura Monachorum aedificia non ſine magnis ſumtibus laminis plumbeis cooperire fecit. Haec ergo & huiusmodi pietatis opera, cum prauis actibus ſuis compugnantia, maximam poenarum ſuarum alleuationem, Deo miſericorditer cum illo agente, vt ſperamus, praeſtabunt; praecipue cum in fine confeſſus & poenitens fuerit, & ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Dominum Milonem, Abbatem de Pinu, in Curia ſua ex licentia Capituli Ciſtercienſis ſecum aſſidue retinuit, eleemoſynarium ſuum illum conſtituens, vt de eleemoſynis regiis & de pauperibus cum omni ſollicitudine curam gereret. Cuius venerabilis viri affabilitatem & munificam liberalitatem nonnulli reli-

in obſidione caſtri Chaluz dicti. De obitu vero eius haec habet: *Rex commiſit ſe manibus cuiusdam medici Marchadei, qui, cum conaretur ferrum extrahere, ſolum lignum extraxit, & ferrum remanſit in carne; & cum carnifex ille circumquaque brachium Regis minus caute incideret, tandem ſagittam extraxit. Cum autem Rex de vita deſperaret, diuiſit Iohanni fratri ſuo Regnum Angliae, & omnes terras ſuas; & fecit fieri praedicto Iohanni fidelitates ab illis qui aderant, & praecepit, vt traderentur ei caſtella ſua; & tres partes theſauri ſui; & omnia baubella ſua diuiſit Othoni nepoti ſuo, Regi Alemannorum, & quartam partem theſauri ſui praecepit ſeruientibus ſuis & pauperibus diſtribui.* Obitus diem idem in *VIII. Id. Aprilis* refert. Videtur & moriens Richardus noſtro Ottoni *Comitatus Pictauienſem* & *Eboracenſem* in teſtamento confirmaſſe; nam hos Ottonem a Iohanne expetiiſſe mox videbimus. Iohannes autem ab Ottonis amicitia alienior, (u) nihil horum impleuit; imo cum iam in eo eſſet, vt Anno 1199. pacem faceret cum Philippo Franciae Rege, rogatus ab Ottone, *vt modicum adhuc tempus pacem illam differret, quia* vt Houedenus ſcribit, *ipſe, Deo volente, faceret illi in proximo ſuccurſum bonum, qualem Imperialis Celſitudo facere poſſet meliorem;* non audiuit oblatas ſibi ab Ottone conditiones; ſed Anno 1200. poſt Natalem Domini cum Philippo inter Andelum & Gwallum conuenit, *quod Ludowicus, filius Regis Franciae, duceret in vxorem filiam Aldefonſi Regis Caſtellae, neptem*

religioſorum experti ſunt, qui curiam Domini Regis pro diuerſis negotiis frèquentabant. Hic autem Abbas, cum Domino Rege in expeditionem Ieroſolymitanam profectus, milites inſtanter hortabatur, vt contra inimicos Crucis Chriſti viriliter decertarent, nec mortem pro Domino ſubire formidarent. Infirmanti Regi in fine affuit, quem de confeſſione criminum pie ammonuit, ipſumque ante exitum ſacra vnctione perungi fecit, os atque oculos morienti clauſit, caputque regium cum manibus balſami liquore perfudit. Diſcimus ex hac narratione, quae tunc praecipua religionis capita fuerint, & qua via regia ad beatorum ſedes duci ſe poſſe miſere decepti mortales exiſtimarint. Scilicet de Monachis beno mereri, tum omnium bonorum operum apex fuit. Aliud Richardi elogium Chronicon Turonenſe habet p. 1037. his verbis conceptum: *Vir fuit animoſus ac bellicoſus, donis largiſſimus, armis ſtrenuiſſimus, in militari negotio circumſpectus, a militibus dilectus, & a Clero & populo honoratus, Eccleſiae patronus & diuini officii auditor indefeſſus: cuius bella & facta in libro dierum Regum Angliae ſunt conſcripta.*

u) *Iohannes*, vt ait Chronicon Turonenſe ad Annum 1199. *frater Richardi Regis, iuuenis fuit remiſſioris animi, amans quietis, & ob hoc pacem cum Rege Franciae quantocyus reformauit. Hic audita morte fratris ſui, cuius curiam paullo ante reliquerat, ſtatim Chinum caſtellum adiit, vbi theſaurus Regius ſeruabatur, traditoque ſibi caſtello & theſauro a Roberto de Turneham, mox alia caſtella & ciuitates Normanniae occupauit, ſicque in Octauis Paſchae apud Rotomagum Dux Normanniae effectus eſt. Deinde latenter in Angliam applicuit, vbi in die Aſcenſionis ab Huberto Cantuarienſi Archi-Epiſcopo coronatus eſt.* Ita Coggeshale p. 859. Ante tamen coronationem ſuam, & ante foedus cum Gallo ictum, nomina, quae Richardus Rex pro negotio Regis Ottonis promouendo in Curia Romana contraxerat, ſcilicet bis mille centum & viginti quinque marcarum, expunxit Iohannes inſtrumento, quod ſupereſt. (Probat. N. CCLXXI.)

Digitized by Google

neptem Iohannis Regis Angliae, & Iohannes Rex Angliae daret, & quieta clamaret praefato filio Regis Franciae, cum nepte ſua, ciuitatem Ebroicarum cum toto Comitatu, & omnes munitiones, & Caſtella, quae Rex Franciae habuit in Normannia, die, qua Richardus Rex Angliae fuit viuus & mortuus; & inſuper daret ei triginta millia marcarum argenti: & iurauit, quod nullum auxilium faceret Othoni nepoti ſuo neque de pecunia, neque de hominibus, ad Imperium Romanum adquirendum. Et cum hoc eodem anno (verba Houedeni iterum profero) *Otho Rex Alemannorum, electus Romanorum Imperator, miſiſſet Henricum Ducem Saxoniae & Wilhelmum Wintonienſem, fratres ſuos, ad Iohannem Regem Angliae, auunculum ſuum, petens ab eo Comitatum Eboraci & Comitatum Pictauis, quos Richardus Rex ei dederat, & duas partes totius theſauri Richardi Regis Angliae, & omnia exenia ſua, quae idem Rex Angliae ei diuiſerat, Iohannes Rex Angliae nihil horum, quae petebat, facere volebat, propter iusiurandum, quod iurauerat Regi Franciae, videlicet, quod nullum auxilium faceret ipſi Othoni contra Ducem Suawiae.* Otto Pontifici de hac auunculi ſui iniuſtitia querulas litteras miſit, quibus is commotus, Iohanni Angliae Regi inter alia epiſtola a Baluzio l. c. pag. 697. edita ſcripſit: *Quid egeris circa cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ottonem, nepotem tuum, tua te conſcientia conueniat & accuſet; & vtinam ita ſatagas ſuper hoc tuum errorem corrigere, vt infamiam aboleas & iacturam. Quia vero, quantumcunque tibi deferre velimus, poſtulantibus iuſticiam nolumus denegare, cum ſecundum Apoſtolum ſapientibus ſimus & inſipientibus debitores; ad grauem praenominati nepotis tui querelam paternum reſpectum habentes, Serenitatem tuam, monemus attentius & exhortamur in Domino, per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus pecuniam, quam inclytae recordationis Richardus Rex, frater tuus, ei teſtamento legauit, & ad cuius ſolutionem iuramento diceris obligatus, ipſi ſoluere non omittas, vt ſua ſaltem illi reſtituas, qui de tuis ei debueras ſubuenire. Alioquin nos in ſua ſibi iuſtitia nulla deerimus ratione, quo minus ſecundum officii noſtri debitum procedamus.* Iohannes Rex Papae reſpondiſſe videtur, ſe, quo minus Ottoni hereditatem extradat & auxilium ferat, iuramento teneri, Philippo Galliae Regi praeſtito. Hinc enim Pontifex ei reſcribit apud Baluzium pag. 714. ſq. *Cum cariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Francorum illuſtris non potuerit te abſoluere a debito, quo teneris inclito Regi Ottoni, nepoti tuo, in Romanorum Imperatorem electo, quemadmodum nec ipſe Rex Otto te poſſet abſoluere a debito, quo teneris praefato Regi Francorum, cum & ratio dictet & natura depoſcat, vt auunculus debeat ſubuenire nepoti; profecto iuramentum, quod eidem Regi Francorum diceris praeſtitiſſe, ne vide-*

licet ſubuenires praenominato Regi nepoti tuo, debet illicitum iudicari. Addit, ſe igitur, *quantum ad hunc articulum ſpectet, illum tam a Rege, quam ab iis, qui pro Rege taliter iurauerint, decernere non ſeruandum.* Sed Iohannes Rex ad haec & alia Pontificis monita iterum ſurdus fuit. Baluzius alias Innocentii litteras ad eundem Iohannem Regem pag. 709. producit, in quibus ei proponit, quam glorioſum ei ſit, ſi Ottonem iuuet, pecuniamque debitam ſoluat. *Quod,* inquit, *promotio cariſſimi in Chriſto filii noſtri, illuſtris Regis Ottonis, nepotis tui in Romanorum Imperatorem electi, ad tuum pertineat incrementum, & exaltatio eius tibi proueniat ad honorem, nullus dubitat ſanae mentis. Cum enim de domo deſcenderit Anglicana, & vsque adeo te proxima linea conſanguinitatis attingat, vt, etſi alios conſanguineos habeas & propinquos, nullum tamen propinquiorem habere noſcaris; ad promouendum negotium eius tanto libentius deberes tam res exponere, quam perſonam, quanto genus tuum facilius magnificare potes in eo, & per eum amplius extendere memoriam tui nominis, & tibi perpetuae laudis titulos comparare.*

§. 22.

Vt Galliae Regem Ottoni conciliaret idem Pontifex Innocentius III. eidem epiſtola apud Baluzium pag. 708. ſcribit, *ipſum non leuem maculam in gloriam ſuam poſiturum, ſi ſuper ordinatione Imperii Romani, quod ad ſe principaliter & finaliter noſcatur pertinere,* ſuae non ſequeretur beneplacitum voluntatis: ſe inuenire, quod, aliis rationibus inſuper habitis, quibus promotio Philippi debeat impediri, nec ipſi, nec Regno Franciae expediat eum regnare, *cum ſi Imperium obtineret, ſaltem occaſione Friderici nepotis,* ad Regnum Siciliae *ardentius ſit aſpiraturus, cum ad illud iam manifeſtis indiciis ardenter aſpiret. Quod autem,* pergit, *huiusmodi vnio, vel confuſio potius, non expediat Regno tuo, ſatis intelligit Regia Serenitas per ſe ipſam. Promotionem autem alterius* [Ottonis] *ad honorem & commodum Regni tui credimus pertinere, cum inter eum, & cariſſimum in Chriſto filium noſtrum, Lodouicum, filium tuum, affinitatis vinculum ſit contractum, & inter te & cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Iohannem Anglorum Regem illuſtrem per Dei gratiam plenae pacis ſit concordia reformata. Praeterea nos tam ſumus certi de ipſo, quod pro formanda & ſeruanda tecum concordia mandatis noſtris & conſiliis acquieſcet; nec nos, vt fideiuſſores, ſi neceſſe fuerit, inter te & ipſum conſtituere recuſamus.* Ipſa Pontificis verba libenter exhibemus, (x) vt artes eius eo

x) Innocentium III. omnium Pontificum doctiſſimum, ſolertiſſimum & maximum, immo ipſo Alexandro III. maiorem fuiſſe exiſtimo. Quae enim deceſſores eius, non ſatis

Digitized by Google

eo melius pateant, & arrogantia, qua Imperii collationem ſibi vni tribuebat. Philippus tamen Franciae Rex Innocentii perſuaſionibus non commotus eſt, & in odio aduerſus Ottonem perſeuerauit, *vtpote qui per domum Anglicanam ſibi multa eueniſſe grauamina recolebat*, vt percipimus ex litteris Pontificis ad Oſtienſem Epiſcopum, Apoſtolicae Sedis in Gallia Legatum apud Baluzium p. 709. quibus eum hortatur, vt Regem omnibus modis in ſuam ſententiam perducere conetur; & indicat, ſe eum, ſi a negotiis Francicis ſe expedire poſſit, in Germaniam cum Guidone Epiſcopo Praeneſtino proxime miſſurum.

§. 23.

Otto inter haec prudenti conſilio Thuringos ſibi An. 1200. attraxit, *Hermanno Landgrauio* villis Regiis *Northuſa* & *Muhlhuſa* donato, vt Arnoldus Lubecenſis L. VI. c. 5. habet. Landgrauius tamen mox iterum reſiliit, ingratior in Ottonem benefactorem; vnde Pontifex ad Conradum Archi Epiſcopum Moguntinum, Epiſcopum Sabinenſem, hoc ipſo temporis momento defunctum, apud Baluzium p. 697. ſcribit: *Cariſſimus in Chriſto filius noſter Otto, de quo in Regem electo & coronato quid nobis complaceat, tua, ſicut credimus, fraternitas non ignorat, grauem nobis querelam contra Landtgrauium Thuringiae deſtinauit, quod cum ei feciſſet hominium & fidelitatem iuraſſet, de manu eius, multis praeſentibus, regalia recipiens cum vexillo, & vt plenius & firmius, quod iurauerat, obſeruaret, certam illi dediſſet pecuniae quantitatem & Northuſiam contuliſſet in feudum; ipſe tamen &, quod iurauerat, non ſeruauit, & adhuc detinet, quae recepit. Nos autem in hoc fraternitati tuae cupientes deferre, quam ſincera diligimus caritate, cum idem Landgrauius neptem tuam habeat in vxorem, fraternitati tuae per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſum ex parte tam noſtra, quam tua, moneas attentius & inducas, vt, ſi forte iuramenti religionem contra ſalutem & famam ſuam transgredi non veretur, ſaltem reſtituat, quae recepit.*

§. 24.

Bohemus hoc interea tempore a Philippo alienatus eſt. Is enim cum legitimam vxorem repudiaſſet, & aliam de Vngaria duxiſſet, repudiatae fratrem Theodericum, Miſniae Marchionem, grauiter offendit. Theodericus igitur vna cum Bernardo Saxoniae Duce Regem Philippum

ſatis callidi, aperte iniuſta & iniqua perpetrauerant, tenebris ſuorum temporum abuſi, ipſe, multo maiore ciuili prudentia tinctus, Regumque ac Principum & Magnatum animos pro lubitu inflectere haud neſcius, per cuniculos egit, Curiaeque Romanae primus eam communis & paternae ſollicitudinis faciem induit, quam inſecuti Pontifices ſtudioſe conſeruare allaborarunt; licet nonnulli eorum affectui, quam rationi obſequioſiores, ex hoc numero excipiendi ſint.

Digitized by Google

pum adiit, obtinuitque ab eo, vt Regnum Bohemiae *Premiſlao* aufferret, atque ad *Theobaldum* puerum, qui tunc Magdeburgi ſtudiis operam dabat, Theobaldi filium, transferret. Commotus hinc Premislaus Ottonis partibus acceſſit, & clam cum Hermanno Landgrauio, Philippo coacte nec ex animo fauenti, Pontificis etiam hortatu ab eo abhorrenti confoederatus, vna cum eo plura aduerſus Philippum machinari coepit. Otto haec ſciens, auxiliis Archi Epiſcoporum Colonienſis & Moguntini, nec non Henrici Palatini adiutus, tunc Philippum media hyeme in Franconiam *Herbipolim* vsque perſecutus eſt, vt ex Godefrido Colonienſi intelligimus.

§. 25.

Hoc tempore iterum inſigne priuilegium Adolfo Archi Epiſcopo Colonienſi dedit Otto Rex, Weſtphaliae Ducatum, magno Familiae ſuae praeiudicio, ei cedens. (Probat. N. CCLXXII.) *Notum facimus*, inquit, *quod nos pro fideli & praeclaro ſeruitio dilecti & fidelis Principis noſtri Adolphi Venerabilis Colonienſis Archi Epiſcopi & totius Colonienſis Eccleſiae, nobis ſaepius exhibito, dilectos fratres noſtros Henricum Comitem Palatinum Rheni, & Wilhelmum, ad hoc induximus, quod vniuerſa illa bona, quae Philippus quondam Colonienſis Archi Epiſcopus de Ducatu quondam Patris noſtri, illuſtriſſimi Ducis Saxoniae, ſiue in allodiis ſiue in feodis, ſeu in miniſterialibus, aut in ſeruis obtinuerat, de bona voluntate Colonienſi Eccleſiae dimiſerunt perpetualiter in pace ſine conditione qualibet poſſidenda, iuramento firmantes, quod neque per ſe, neque per ſuos Colonienſem Eccleſiam ſuper eorundem bonorum poſſeſſione vllo vnquam tempore debeant moleſtare, ponentes quoque obſides tales: Comitem de Liuinken, Comitem Conradum de Regenſtein, Georgium Comitem de Witha, Henricum de Iſenberg; qui iurauerunt, quod ſi praedicti fratres noſtri contra conſtitutionem iſtam venire attentauerint, de bonis, quae a Palatino Comite Rheni tenent in feodo, Eccleſiae Colonienſi contra Palatinum ſeruient, quousque eos ad ſatisfactionem inducant. His etiam tales adiunxerunt: Giſelbertum de Brunshorn, Henricum de Mirwaldt, Thidmarum de Vlogelinken Mareſchalcum, Wernerum Dapiferum, Iuſarium Pincernam, Henricum de Wonenberg, qui iurauerunt, quod ſi fratres noſtri contra hoc ſacramentum venire tentauerint, Coloniam accedant ad vocationem Colonienſis Eccleſiae Archi Epiſcopi, omni ceſſante contradictione, inde ſine licentia Colonienſis Eccleſiae nullatenus receſſuri.* Ex teſtium numero addito cernimus, quinam Ottonem in expeditionem Franconicam comitati fuerint. Ii vero ſunt *Siffridus Moguntinus Electus, Hermannus Monaſterienſis Epiſcopus Imperialis aulae Cancellarius, Bruno Bonnenſis Praepoſitus, Henricus*

Comes

Digitized by Google

Comes Seien. Simon Comes de Tecklenburg, Gerardus Comes de Are, Henricus Comes de Ceſſele, Godefridus Comes Arnsbergenſis, Adolphus Comes de Monte, Bernardus de Wilepa, Burckardus Comes de Aldenberg, Hermannus de Lippa, Godeſcalcus de Pirremunt, Godefridus de Eppenſtein, Wulframus Comes Rheni, Rutgerus de Merheim, Rutgerus de Brempt, Wernerus de Bolant & frater ſuus Philippus, Hermannus Aduocatus Colonienſis, Hermannus de Aluetre Mareſcalcus, Otto de Schonenberg, Reymarus de Rothe, Cunradus de Wilre, Simon Aquenſis & alii quamplures. Acta ſunt haec Anno Dominicae Incarnationis milleſimo ducenteſimo. Datum apud Wirzenberg, tertio nonas Febr. per manum Hermanni Venerabilis Monaſterienſis Epiſcopi Imperialis Aulae Cancellarii. Annus more Gallico 1200. hic ponitur; cum tamen noſtra computandi ratione iam Annus 1201. cucurrerit.

§. 26.

Hoc vero anno 1201. Guido Epiſcopus Praeneſtinus, Innocentii Papae Legatus, tandem in Germaniam venit, Ottonem in Regno confirmaturus, eique Principes conciliaturus. Is quantum ex ipſius relatione ad Papam miſſa apud Baluzium p. 710. percipimus, per Gallias profectus, ſed heic, vti ſperauerat, exceptus non eſt. Trecis tandem Leodium perrexit, vbi nuntii Ottonis occurrere, rogantes, vt cum omni feſtinatione acceleret. Venit inde *Aquisgranum*, vbi Regem inuenit, cum quo *Coloniam* pergens, Principes ibi quosdam inuenit congregatos; plurimis & praecipue Moguntino, Spirenſi & Wormatienſi Epiſcopis, eo pergere nolentibus. Feſtinatione opus fuiſſe prodit, ne ab exacerbatis animis *in odium Eccleſiae Romanae tertius eligeretur. Quare*, pergit, *accepto conſilio ab his, qui honorem Eccleſiae ac veſtrum diligunt, in conſpectu omnium, qui conuenerant, litteras Veſtrae Sanctitatis Regi & de ipſius receptione & approbatione cunctis exhibuimus, & eum de cetero auctoritate veſtra publice denuntiauimus Regem Romanorum & ſemper Auguſtum, excommunicatis omnibus, qui ſe ei ducerent opponendos.* Litteras ad plerosque Germaniae Principes attulerat Praeneſtinus in fauorem Ottonis ſcriptas, quae apud Baluzium longo ordine poterunt videri. Non tamen gratis tantam Ottoni operam impendit Aula Romana; ſed a Rege in arctis poſito ingentia dona extorſit, eumque etiam adegit, vt talia ſibi ſtipulatus ſit, quae largiri Imperioque auferre neutiquam in priuata eius poteſtate erat. Credibile eſt, Regem haec tunc temporis non ſatis conſideraſſe, aut ineuitabili neceſſitate coactum promiſiſſe, quae ſeruare non poſſet. Interim iuramentum, quod apud Baluzium p. 723. exſtat, Pontifici nunc praeſtitum hoc eſt: *Ego Otto Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus tibi Domino meo*

Innocentio Papae tuisque ſucceſſoribus, & Eccleſiae Romanae ſpondeo, polliceor, promitto, & iuro, quod omnes poſſeſſiones, honores, & iura Romanae Eccleſiae pro poſſe meo bona fide protegam & ſeruabo. Poſſeſſiones autem, quas Eccleſia Romana recuperauit, liberas & quietas ſibi dimittam, & ipſam ad eas retinendas bona fide iuuabo; quas autem nondum recuperauit, adiutor ero ad recuperandum, & recuperatarum ſecundum poſſe meum ero ſine fraude defenſor, & quaecunque ad manus meas deuenient, ſine difficultate reſtituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quae eſt a Radicoſano vsque Ceperanum, Exarchatus Rauennae, Pentapolis, Marchia, Ducatus Spoletanus, terra Comitiſſae Mathildis, Comitatus Brittenorii, cum aliis adiacentibus terris, expreſſis in multis priuilegiis Imperatorum a tempore Lodoici. Has omnes pro poſſe meo reſtituam & quiete dimittam cum omni iurisdictione, diſtrictu, & honore ſuo. Veruntamen cum ad recipiendam coronam Imperii vel pro neceſſitatibus Eccleſiae ab Apoſtolica Sede vocatus acceſſero, de mandato ſummi Pontificiis recipiam procurationes ab illis. Adiutor etiam ero ad retinendum & defendendum Eccleſiae Romanae Regnum Siciliae. Tibi etiam Domino meo Innocentio Papae & Succeſſoribus tuis omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo, quam deuoti & catholici Imperatores conſueuerunt Sedi Apoſtolicae exhibere. Stabo etiam ad conſilium & arbitrium tuum de bonis conſuetudinibus populo Romano ſeruandis, & exhibendis, & de negotio ſocietatis Tuſciae ac Lombardiae. Similiter etiam conſilio tuo & mandato parebo de pace vel concordia facienda inter me & Philippum Regem Francorum. Et ſi propter negotium meum Romanam Eccleſiam oportuerit incurrere guerram, ſubueniam ei, ſicut neceſſitas poſtulauerit, in expenſis. Omnia vero praedicta tam iuramento, quam ſcripto firmabo cum Imperii fuero coronam adeptus. Actum Nuxiae in Colonienſi Dioeceſi Anno Incarnati verbi MCCI. VI. Idus Iunii, in praeſentia Philippi Notarii, Aegidii Acolyti, & Riccardi ſcriptoris praefati Domini Papae. Approbatus igitur eſt Otto Coloniae a Principibus, qui praeſentes erant. Praeneſtinus vero, vt ipſe indicat, quo melius facta ſolidarentur, aliud *colloquium apud Corbeiam* indixit. Habitum hoc eſſe hoc ipſo anno Annales Corbeienſes indicant his verbis: *In curia ſolempni Corbeiae Otto Rex electus, Philippo reiecto; ideo multae & magnae eius eleemoſynae.* Praeneſtinus & Philippus Notarius Papae apud Baluzium p. 710. ſatis manifeſtant, iam pridem res Ottonis meliores fore, *ſi ſoli Eccleſiaſtici Principes a principio ei fideliter adhaeſiſſent.* Sed hoc hominum genus, in horas mutabile tot donis beneficiisque affectum, vbi recepiſſet, quae voluerat, ad alium conuertebatur, maiora promittentem.

§. 27.

Digitized by Google

§. 27.

Vbi Legatus Papae Corbeia Coloniam rediiſſet, de matrimonio quoque Mariae Brabantinae cum Ottone Rege de nouo actum, eique ſocer futurus conciliatus eſt. Sic enim ea de re Philippus Notarius Papae ſcribit: *Poſt pronuntiationem excellentiſſimi Domini Ottonis, Dei & veſtra gratia illuſtris Romanorum Regis ſemper Auguſti, Coloniae in multorum praeſentia ſolemniter celebratam, quia & nobis & Domino Colonienſi Epiſcopo ac aliis, qui de conſilio noſtro erant, videbatur quaſi modicum profeciſſe, niſi matrimonii negotium, quod inter eundem Regem illuſtrem & nobilem virum Ducem Brabantiae olim initiatum fuerat, per vigilantiam noſtram & ſollicitudinem compleretur, acceſſimus & Dominus Praeneſtinus & ego apud Traiectum ſuperius ſuper Moſam; vbi multorum Principum, Comitum, Baronum & nobilium ex remotis partibus multitudine congregata, pronuntiatio illa, quae Coloniae ſolemniter facta fuerat, ibidem fuit fere ſolemnius repetita, &, diſpenſatione praemiſſa, per iuramenta nobilium ex vtraque parte matrimonii fuit negotium confirmatum. Ex tunc autem praefatus Dux, qui cum Domino Rege non aequis paſſibus ambulabat, ita per gratiam Dei & merita veſtra fuit in dilectione ipſius & beneuolentia ſolidatus, vt & in filium ſuum Regem ipſum aſſumpſerit, & negotium imperii apud quoslibet eſſe proprium ſub voce praeconia proteſtetur dicens: Quicunque me diligit & meus eſſe voluerit conſanguineus & amicus, in huius mihi totis viribus articulo neceſſitatis aſſiſtat; ita quod ex hoc de Los & Gelren Comites, viri nobiliſſimi & potentes, qui nobis ſe manifeſtiſſime opponebant, & partem Sueui totis viribus tuebantur, in continenti, vbi eis innotuit de hoc verbo, ad mandatum Domini Regis & beneplacitum ſunt reuerſi.* Addit Ducem Brabantiae magnum exercitum pro Ottone congregare: *Omnes etiam amicos ſuos & conſanguineos inuitaſſe ad bellum, ita vt Rex tam a Duce, quam cum Archi Epiſcopo Colonienſi & Comite Palatino fratre ſuo, qui in omnibus potior pars conſilii Regis & eorum exiſtat, & aliis Epiſcopis, Comitibus & magnatibus terrae expeditionem producturus ſit centum millia armatorum.*

§. 28.

Nec dubium, Sueuos his penitus deuicturum Ottonem. *Nam de Sueuo*, idem Papae Notarius pergit, *vt verum fatear, mentio non habetur, niſi quod aliquando, adſcitis aliquibus Epiſcopis, quos poteſt difficulter habere, Wormatienſi videlicet, Spirenſi, & Cancellario ſuo, Lantgrauio etiam, & quibusdam Comitibus, qui cum eo non ambulant recto corde. Nam Dux Boëmiae, potior pars auxilii ſui, & Dominus Argentinenſis, ac plures de ſuperioribus nobiscum ſunt per illius gratiam, qui recte cuncta diſponit. Conqueritur autem de*

vobis idem Dux Sueuiae & de Romana Eccleſia coram ipſis, dicens, quod ea ſola ratione inuehimini contra ipſum, quia ſine licentia veſtra voluerit imperare, eos intelligere faciens, quod ex hoc deperit libertas eorum, & nemo praeter voluntatem Romani Pontificis poterit imperare. Sed, ſicut per illos, qui in conſilio ſunt ipſius, frequenter accepimus, in nullo per Dei gratiam nec proficit, nec profecit, nec poteſt exercitum congregare. Caeterum Dominus Praeneſtinus & ego cum magiſtro Aegidio in itinere ſumus Bingam, quae ciuitas eſt prope Maguntiam, accedendi; vbi credimus Maguntinum, Warmacienſem, multos Comites & Barones ad mandata ſacroſanctae Romane Eccleſiae & ad veſtrum & ad Domini Regis ſeruitium facile per amicos noſtros inducere. Ex iis, quae de *Bohemo* & *Landgrauio* dicuntur, videmus, Landgrauium iam Ottoni per regias villas Northuſam & Mulhuſam conciliatum, palam quidem eius partibus nondum acceſſiſſe; hoc tamen, vt ſupra audiuimus, a Pontifice monitum, mox feciſſe. Bohemus autem aperte ad Ottonem tranſierat ex cauſis ſupra dictis, & quod ſperaret, ſe in cauſa diuortii Papam hoc modo fautorem habiturum. Acceſſere Papae ipſius litterae, quae apud Baluzium pag. 707. extant: His Ducem Bohemiae reprehendit, *quod ab eo imponi ſibi petierit Regium diadema, qui ipſemet nondum legitime dignitatem Regiam ſit adeptus. Qualiter enim*, inquit, *poſſet nobilis vir Philippus Dux Sueuiae conferre alii, quod nondum ipſe accepit.* Hortatur deinde, vt *illuſtri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo & a ſe opportuno tempore, dante Deo, coronando fideliter & conſtanter adhaereat, & ab ipſo imponi ſibi poſtulet Regium diadema.* Vbi Otto domum tandem rediiſſet, coniunctus eſt *Bohemo* & *Landgrauio*; Philippi aſſeclae in Thuringia perſecuti; Marchionis Miſniae terra vaſtata. Bohemus *Halam* vsque proceſſit. Otto deinde *Herlingsbergam* Caſtrum firmiſſimum aduerſus Goslarienſes aedificare, & inde iis damna ingentia inferre coepit; Caſtro etiam *Lichtenberga* ab occidente incluſis. Hoc tamen per inſidias hoc ipſo tempore *Hermannus Comes Hartzburgicus* Ottoni eripuit, quo factum, vt obſidio vrbis aliquatenus ſuſpenderetur, vt Arnoldus Lubecenſis Lib. VI. c. 5. refert. Chronicon Montis Sereni haec male in Annum 1203. differt.

§. 29.

Dum haec gererentur in Germania, Rex Galliarum, vix pace facta, iterum aduerſus Iohannem Angliae Regem, leues ob cauſas inſurrexit, eique Comitatus Pictauienſem & Andegauenſem eripuit. Bellum acriter vtrinque agebatur. Iohannes igitur cum amicis indigeret, non illubenter oſtendere voluit, ſe Pontificis monitis obſecuturum, & Ottoni aliquid

Digitized by Google

aliquid ſubſidii impertiturum. Hoc enim hoc anno 1202. Pontifex litteris *V. Kal. Aprilis Pontificatus anno quinto* datis, quae apud Baluzium p. 720. reperiuntur, vrſerat. Foedus itaque Iohannes cum Ottone iniit, vt patet ex Reſcripto illius ad Archi Epiſcopum & Clerum Cantuarienſem (Probat. N. CCLXXIII.) in Rymeri Act. Angl. T. I. p. 130. publicato, quo eos rogat, vt ſubſidium Ottoni ex promiſſo mittendum conferant. *Vniuerſitati*, inquit, *veſtrae ſatis credimus innoteſcere, qualiter dilecti & venerabilis nepotis noſtri, Othonis Regis Romanorum, promotionem diuina procreauerit clementia, & ad imperialis honoris culmen euocauerit ſublimandum; cuius, antiqui hoſtis dudum praepediti verſutia, promotioni inſiſtere, & eidem ea, qua tenebamur & debuimus, affectione ſubuenire, quod dolentes dicimus, minus plene potuimus. Quanto itaque eius ſubſidium, de impotentia noſtra ab vniuerſis ſingularius erat condolendum, tanto, reformato inter nos & eum cum debito & deſiderato ſtatu confoederationis, a ſingulis vniuerſalius credimus fore congratulandum; cum per eam, non ſolum inter Regnum noſtrum & Imperium vnitatis vinculum indiſſolubile contrahatur, verum etiam Anglicanae Eccleſiae tranquilitati & promotioni plurimum conſulatur. Noſtis enim, quod confoederato nobis tanto viro, & in auxilium debitum conuocato, & via nobis hoſtibus reſiſtendi potentior aperiatur; & nobis & Eccleſiae Anglicanae ad Eccleſiae Romanae, quae eiusdem Othonis promotionem ſpecialius affectat, fauorem & patrocinium optinendum cauſa efficacior generetur. Cum & praeterea, in huius Confoederationis connexione, Regnum Anglicanum quaſi Imperio adaequetur, & Eccleſia Anglicana a Romanae Sedis patrociniis affectuoſius mereatur. Ad huiusmodi itaque promotionem, quae, per Dei gratiam, iam in magna ſui parte laudabiliter proceſſit, conſummandam, dictante naturalis ſtimulo connexionis, perſuadente deſiderato & ſperato noſtro & Regni noſtri commodo, mentem & manum duximus erigendas; ad quod omnes, qui fideles nobis exiſtunt, aut noſtrum & Regni noſtri honorem affectant & vtilitatem, vna nobiſcum viriliter debent aſſurgere. Et, quia res eatenus proceſſit, quod in proximo, volente Domino, debitum poſſit ſortiri effectum; & nos, propter werram, quam, vt ſcitis, ſuſtinemus, nobis & illi in expenſis, ad praeſens, plene non ſufficimus, vniuerſitatem veſtram humiliter & deuote rogamus, & ea, qua poſſumus, affectione obnixius obſecramus, quatenus, diuini amoris intuitu & precum noſtrarum interuentu, nobis & illi liberaliter ſubuenire & tantae rei conſummationem, & auxilium efficax velitis conferre.* In Archiuio Ducum communi Brunſuici ipſae Tabulae *Iohannis Dei gratia Regis Angliae, Domini Hiberniae, Ducis Normanniae, Aquitaniae, Comitis An-*

Digitized by Google

degauenſis reſtant, (y) (Probat. N. CCLXXIV.) in quibus notum facit, quod *confoederatus ſit dilecto nepoti ſuo Othoni, illuſtri Romanorum Regi & ſemper Auguſto, de Regno ſuo contra omnes homines ad ipſum & Imperium eius & iura eius cuſtodienda & defendenda, & ad impendendum ei fidele conſilium & auxilium ad iura eius perquirenda & manutenenda.* Pergit: *per hanc confoederationem remiſſae ſunt hinc inde & perdonatae omnes querelae & omnes indignationes, ſi quae fuerint inter nos, antequam fieret iſta confoederatio.* Adduntur deinde longo ordine Proceres illi, qui iſtam confoederationem firmauere iuramentis. Datum *apud Suſam VIII. die Septembris anno Regni Iohannes IV.* Hic vero dignum omnino quaeri, an Otto Rex hoc pacto remiſerit Iohanni Regi ius ſuum in partem hereditatis Richardi ſibi, vt ſupra audiuimus, legatae. Etenim verba excitata *pactum de non petendo* inuoluere videntur. Verius tamen dicitur, Ottonem ius ſuum ſibi reſeruaſſe, quia ad Annum 1205. vbi Pontifex acriter inſtat, vt legatum Richardianum Ottoni tandem aliquando ſoluatur, ipſemet Iohannes *exceptionem pacti de non petendo* obmouere Pontifici auſus non eſt.

§. 30.

Otto interea aliam ab ea, quam pater conſtituerat, terrarum auitarum diuiſionem cum fratribus, Palatino praeſertim, menſe Maio Paderbornae conſtituit, per quam *Brunſuicum* nactus eſt, vt Tabulae demonſtrant, in Henrici Palatini rebus ſupra iam relatae. Hinc Coloniam repetiit, & inde abiens colloquium habuit Traiecti ad Moſam cum Adolfo Colonienſi Archi Epiſcopo aliisque Principibus. Deliberatum eſſe de republica & diuerſis negotiis, quae tunc temporis ipſos vrgebant, Godefridus Colonienſis prodit. Compoſitae etiam controuerſiae, quae inter Ducem Brabantiae & Comitem Geldriae in bellum pene eruperant. (Probat. N. CCLXXV. & N. CCLXXVI.) Coloniae redditus Otto, cum Adolfo Archi Epiſcopo colliſus eſt. Grauiſſimam contentionem de teloneis, moneta, iniuſtis vectigalium exactionibus, & violata negotiantibus pace per triduum inter vtroſque fuiſſe indicat idem Godefridus. Praeneſtinus tamen Cardinalis, Priores & Burgenſes Colonienſes eam ita diremerunt, vt *omnis violenta actio ceſſaretur & pax firmiſſima negotiantibus ſtabiliretur.* Significat hinc Otto Rex Papae apud Baluzium p. 726. *quod Colonienſis Eccleſia Colonienſem Archi Epiſcopum ita ſibi in fidelitate alliga-*

y) Ordo rerum hic, vt alibi ſaepius, à Dn. Eccardo peruertitur. Tabulae enim illae confoederationis, & litterae Regis ad Clerum Anglicanum pro ſubſidio pecuniario Ottoni Regi conferendo, vno & eodem anno & die, & in eodem loco datae ſunt. Vnde procul dubio iſtis litteris praemittendae, non autem poſtponendae erant; pecunia ſcilicet vi foederis indicta.

Digitized by Google

alligauerit, quod ipſum nunquam firmiorem & ſtabiliorem habuerit, quam nunc habeat, quia ſi a promiſſione facta reſilire vellet, non poſſet. Indicat ſimul Papae, *quod cum cariſſimo auunculo ſuo Rege Angliae ſit confoederatus, ita quod ipſe contra omnes homines in rebus & in pecunia ſibi ſubuenire teneatur vna cum Regno ſuo; & ſe viciſſim, ſaluo honore & honeſtate Romanae Eccleſiae. Tenetur enim,* pergit, *auunculus noſter cum Rege Franciae pacem facere, ſicut & nos de mandato veſtro tenemur: alioquin pacem & concordiam cum ipſo non feciſſemus, niſi vobis & Eccleſiae Romanae expedire videremus. Nihil etiam, teſte Legato, fecimus in praeiudicium Regis Franciae.* Adiicit, ſe hoc rerum ſtatu *in ſpe eſſe magnae cuiusdam ſuae promotionis.* Rogat denique, vt ea, quae pro ſe in Germaniam ſcripſerat, etiam in Italia nota facere velit. Rata haec habuit Papa in epiſtola apud Baluzium pag. 726. anni ſequentis *Idibus Ianuarii* ſcripta. Interea quoque dum Otto Coloniae haereret, Guncelinus, eius Dapifer, *Caſtro Lichtenbergenſi* fruſtra obſeſſo, impetum in *Goslariam* vertit, quam Hermannus Comes Hartsburgenſis cum paucis defendebat. Ciuitas ſubito capta & direpta eſt tantopere, vt ſpolia per octo dies deferrentur. Inter quae tanta erat copia piperis & aromatum, vt modiis ea & aceruis diuiderentur; certiſſimo indicio, Germaniam tunc non magis frugalem fuiſſe, quam hodie, illaque luxuriae inſtrumenta ex remotiſſimis orbis regionibus haut inuitam ſibi obtrudi paſſam eſſe. Domibus tamen & Eccleſiis parcitum: obſides a ciuibus recepti, ipſique vsque ad reditum Regis ſibi relicti. Placuit hoc Regi, & cum eam ſecurius poſſideret, quaedam ablata ciuibus reddidit, & *ipſam de cetero ſubiectam tenuit,* vt verba Arnoldi Lubecenſis Lib. VI. c. 7. habent.

§. 31.

Anno 1203. *Iohannes Rex Angliae* die II. Aprilis Wintoniae litteras dedit ad Ciues Colonienſes, quas Rymerus Act. Angl. T. I. edidit, gratias eis agens, quod Ottoni Regi auxilium & conſilia ſua impenderint. (Probat. N. CCLXXVII.) Rogat, vt pergant in incoepto, & negotiatoribus protectionem ſuam promittit. Otto Rex eodem tempore Angliae Regi ſcripſit, (Probat. N. CCLXXVIII.) ſe, ſi placeat, *inducias per vnum vel duos annos cum cognato ſuo Duce Sueuiae capturum,* Regique ſuccurrere velle, & vna cum fratre ſuo *Duce Saxoniae verſus Remenſes aut verſus Cameriacenſes partes proficiſci paratum eſſe.* Miſerat ei Iohannes, debitae hereditatis loco, munuſcula quaedam, fateturque Otto, ſe accepiſſe *de Ludicris ſuis 60. cuppas & 4. corngas, & 8. firmaria, & 18. annulos, duas pelues & 3. iuſculorum ſcutellas.* Hanc Ottonis epiſtolam Rymerus immortali Operi ſuo l. c. pag. 133. inſeruit.

Digitized by Google

§. 32.

Reſilierat quidem ab obedientia Ottonis, quam iurarat, Archi Epiſcopus Treuirenſis, vt coniici licet ex Innocentii Papae epiſtola apud Baluzium pag. 720. atque ad monita Papae reſponderat, *ſe, cum iuraſſet, perſonam Ottonis in Romanorum Regem electi excepiſſe*; ſed Pontifex, qui hactenus nihil non Ottonis cauſa egit, mox iuſſit, vt contumax excommunicaretur, litteris *Laterani VI. Kal. Martii Pontificatus ſui anno ſexto* datis & a Baluzio l. c. pag. 726. inſertis. Idem Pontifex Cardinali Praeneſtino eodem die, Epiſtola apud Baluzium pag. 727. gratulatur de officiis Ottoni Regi impenſis, indicatque, ſe *Regi Danorum* ſcripſiſſe, vt, *cum confoederationis inter eum & Regem Ottonem initae mediator & confirmator extiterit*, ſi propter hanc vel aliam cauſam ad eum proficiſci oportuerit, illum, ſicut Legatum Apoſtolicae Sedis, benigne recipiat. Eodem anno V. Idus Septembris Innocentius Salzburgenſi Archi Epiſcopo conqueritur, quod *Philippus Sueuiae Dux, vt corda Principum Ottoni fauentium infirmaret, fecerit per Theutoniam diuulgari, quod ipſe Priorem Camaldulenſem ad eius praeſentiam miſerit, eumque ad coronam Imperii euocarit:* falſumque hoc eſſe aſſerit. Ipſi Ottoni ſcrupulos eius rei cauſa eximit Epiſtola Anagniae XVII. Cal. Ianuarii ſcripta, quae apud Arnoldum Lubecenſem Lib. VII. c. 4. extat. Recenſet in ea Papa verbis ſat ambitioſe conceptis officia Ottoni praeſtita, eumque hortatur, vt res ſuas ſedulo curet, Principesque ſibi conciliet & fauentes foueat. Inter caetera: *Sane*, ait, *praeter opinionem plurium & multorum conſilia, ſuſcepimus ab initio cauſam tuam, de cuius promotione omnes pene penitus deſperabant, & ſtuduimus efficaciter promouere. Nec te in articulo illo reliquimus, quo per obitum inclytae recordationis Richardi Regis Anglorum, auunculi tui, videbaris ab omnibus derelictus. Licet enim non defuerint, qui multipliciter nos tentarent, & muneribus & promiſſis nos vellent a fauoris tui propoſito reuocare; nec prece tamen, nec precio, nec minis, nec monitis potuerunt aliquatenus flectere mentem noſtram, quin de die in diem amplius in tua dilectione ferueret, & ad exaltationem tuam propenſius aſpiraret.* Maiori autem ſtudio Ottonem hoc anno idem Pontifex Italis commendauit, vt litterae a Baluzio pag. 728. ſqq. editae oſtendunt. Mediolanenſibus pag. 729. ſpeciatim ſcribit: *Cum ſuper facto Imperii iam pridem noueritis mentem noſtram, & conſilium veſtrum nobis per litteras veſtras duxeritis exponendum, miramur, quod adeſſe nobis hactenus neglexiſtis; praeſertim cum pro certo noueritis, quod nobilis vir, Philippus Dux Sueuiae, progenitorum ſuorum inhaerens veſtigiis, ad depreſſionem ciuitatis Mediolanenſis intendat; & cariſſimus in Chriſto filius noſter, illuſtris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus, inclitae recordationis Henrici Ducis Saxoniae patris ſui, qui etiam*

contra

Digitized by Google

contra mandatum imperii, veſtram dilexit pro viribus ciuitatem, ſicut plenius id nouiſtis, exempla ſecutus, ad honorem veſtrum & augmentum aſpiret. Non ergo deberetis finem negotii, quaſi ſedentes a longe, taciti expectare, ne inde admittatis gratiam Regis ipſius vnde non poſſitis Ducis beneuolentiam obtinere, quodque Rex vobis ad negligentiam, Dux imputet ad vindictam, vtpote qui veſtram nouit plenius voluntatem.

§. 33.

Philippus Dux Sueuiae, vltionem deſertionis ab Hermanno Landgrauio tandem ſumpturus, ſimulque vindicaturus, quod Sifridum ArchiEpiſcopum Moguntinum foueret, & Lippoldo Moguntina bona in Thuringia ſubtraheret, valido exercitu congregato Thuringiae ſe infudit. Sed aderant Landgrauio Dux Bohemiae & Comes Palatinus Rheni, faciebantque, vt praeter vaſtationem agrorum, quos tranſibat, Philippus nihil magnopere efficere poſſet. *Erfurtum* tandem ſe contulit; ſed & hac vrbe a Bohemo & Palatino vallata, noctu effugiens, ſe ad Marchiones Orientalis Saxoniae recepit. Horum ideo regio a confoederatis igne & ferro depopulata eſt. Otto Rex cum ſuo quoque exercitu ſuperuenit, & omni fauore a cunctis exceptus eſt. Bohemus tunc, fidelitate promiſſa, a Rege coronatus, & in feſto S. Bartholomaei Apoſtoli a Guidone Praeneſtino, Eccleſiae Romanae Legato, *Merſeburgi* in Regem ſolenniter conſecratus eſt. Ibidem quoque Landgrauius Ottoni fidelitatem, quam pridem fecerat, iterauit, & cunctis, qui aderant, Principibus praeſentibus confirmauit. Haec Godefridus Colonienſis. Relata haec ſtatim fuere Pontifici, isque, cum Longobardiae Proceres litteris Anagniae 3. Idus Decembris ſcriptis & a Baluzio p. 730. euulgatis, vt deſerto Philippo, Ottoni accederent, hortaretur, hac relatione vſus eſt. *Cum,* inquit, *hoc anno Dux Sueuiae ſupradictus terram nobilis viri Landgrauii Turingiae fuiſſet ingreſſus, & quandam ciuitatem ipſius cum ſuis fautoribus obſideret, Rex ipſe, nutantibus etiam quibusdam ex ſuis, cum Duce Boëmiae & aliis, qui auxiliabantur eidem, in auxilium Landgrauii properans, obſidentes obſedit; & faciente cum eo Domino ſignum in bonum, Philippus de Turinga in Saxoniam ad maiorem exercitum colligendum aufugit; ſed nec ibidem illum expectare praeſumpſit, immo ad ciuitatem, in qua ſui obſidebantur, occulte reuertens, relicto exercitu & diſperſo, cum paucis in Sueuiam latenter abſceſſit. Caeterum Rex praedictus non paucis caſtris & terris, quae Duci fauerant, potenter acceptis, in locis, quae ipſe prius habuerat, ſolemnes curias celebrauit, tam a Landgrauio, quam Duce Boëmiae, quem ipſi Regem appellant, & fratre ipſius Marchione Morauiae, a multis quoque Comitibus*

tibus Suppanis fidelitatis iuramenta recepit, & eos de feudis ſuis ſolemniter iuxta imperii conſuetudinem inueſtiuit. Otto Rex vero, vt gratum pro felicibus rerum ſuarum ſucceſſibus animum piis operibus comprobaret, & vlteriorem diuinum fauorem promereri videretur, huius ipſius Anni 1203. media aeſtate, Riddageshuſano Coenobio donauit *proprietatem octo manſorum in Dalem, cum adiacente ſilua & omnibus attinentiis, quos Ludolfus miniſterialis eius iure beneficii poſſederat.* (Probat. N. CCLXXIX.) Charta in Archiuio Riddageshuſano a nobis reperta, atque etiam apud Meibomium T. III. p. 158. edita eſt, apud quem tamen teſtes quatuor omiſſos video.

§. 34.

Eadem tempeſtate, Godefrido Colonienſi teſte, mortuus eſt Theodericus Comes Hollandiae, & Prouinciam eius Ludouicus Comes Loſſenſis, filiae eius Adelae maritus, accepit. Sed frater defuncti Wilhelmus hoc aegre ferens, militibus congregatis, eundem Comitem Ludouicum de Hollandia expulit, filiamque fratris ei abſtulit. Theodericus hic & Wilhelmus orti erant a fratre Hermanni Billingi Saxoniae Ducis, Wichmanno, vt tabella, quam ex coaetaneis auctoribus & diplomatibus congeſſimus, & Lectori hic exhibemus, ob oculos ponit, qua ſimul poſteros illius Wichmanni, Hollandiae Comites, vsque ad interitum Familiae enarramus.

§. 35.

Philippus Sueuus, ex malo expeditionis Thuringicae ſucceſſu efferatus, Anno 1204. arma Saxoniae intulit, *Herlingsbergam* deſtructurus, ciuesque Goslariae liberaturus. Brunſuico tunc ipſi imminebat; ſed ab Ottone Rege repulſus, arte tamen effecit, vt Henricus Palatinus, frater Regis, in eius partes tranſiret, magno, vt ſupra oſtendimus, Ottonis Regis damno. Meibomius T. III. Opp. pag. 159. diploma Ottonis habet, datum hoc anno, antequam Henricus frater ab eo receſſiſſet. (Probat. CCLXXX.) Per illud Eccleſiae in Riddageshuſen pretio ſexaginta ſex marcarum ſex manſos in Maſcerot (z) cum adiacenti ſilua, quae dicitur Coloholt, vendidit cum conſenſu duorum fratrum ſuorum. Teſtes ſunt: *Henricus Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni, Bernhardus Comes de Wilepe, Luthardus de Meinerſen, Ludolphus de Esbeke, Eckebertus de Wulſerbutle, Walterus*

z) Hos poſt obitum Ottonis Fridericus Halberſtadienſis Epiſcopus, tamquam rem alienam, venditos cauſatus, Riddageshuſanos eo adegit, vt aliis quatuor manſis, viginti marcis emtis, Eccleſiaeque Halberſtadienſi in feudum oblatis, Epiſcopo ſatisfacerent. (Probat. N. CCLXXXI.)

Digitized by Google

ꝟs, *Dux Saxoniae*, Sator Ducum
Billinganorum.

ſa,
ad.

FREDERVNA, Abbat.
& fund. Kemnad.

88.
s

ERLINDA,
Vxor Euerardi.

GERTRVDIS,
Vx. Ludolfi Principis
Brunſuicenſis.

TH

SYMON.
Hinc Teylingii.

TH

FLORENTIVS.

PETRVS.

s, Hartenii ſepulta,
rdi I. Gelr. Comitis.

THEOD
puer. †

A
eins-
s.

HADWIGIS
Sanctimon.

PETRONELLA
Domicella.

ROBERTVS
fil. naturalis.

THEO
Hollandia
Vx. Adel
dericis n

ABETH.

ADELHEIDA.

MARGARETA,
Vx. Theodoric.
Com. de Cleue.

ADELHE
Sponſa H
Com. Gel
Com. Oth

RICHARDIS
fundatrix Coninexfel-
denſis prope Delfos
Batauorum.

annon. Comitis
ienſium, a qui-
andem ad Bur-

MARGARETA,
Hermanni Com.
Henneb. vxor.

Digitized by Google

terus de Ganderſem, Godefridus de Sommerſenborg, Bertholdus de Bornem. Idem Meibomius l. c. aliud huius anni diploma produxit, (Probat. N. CCLXXXII.) quo de conſenſu fratrum S. Cyriaci in Brunſwick duos manſos in villa Tueluen *Eccleſiae ad Fontem Mariae, quae antiquitus Mortdal, dicebatur*, donauit. Initia Monaſterii huius ad Fontem S. Mariae, hodie Marienborn, vide Scriptor. Brunſuic. T. II. p. 431. vbi locus *Mortdal* a latrociniis, quae ibi frequenter fiebant, nominatus fuiſſe dicitur, *vallis* ſcilicet *latronum* vel latrocinantium. Maioris momenti beneficium eſt ab Ottone Rege hoc anno ciuibus Brunſuicenſibus collatum, quibus comparauit ius patronatus Eccleſiae Sancti Martini, dato Canonicis Sancti Blaſii, quorum id erat, ſacello S. Georgii in reſtaurum: quod Charta fuſius ediſſeret. (Probat. N. CCLXXXIII.) Sed ad Philippum reuertamur, qui iam conciliato ſibi Henrico Palatino, Regis fratre, meliora de rebus ſuis ſperare poterat. Vnde iterum Thuringiam aggreſſus, *Weiſſenſeam* circa Iulium menſem obſidione cingit, Bohemum Landgrauio in auxilium venientem fugat, & omnia per circuitum igne ferroque delet. Landgrauius furori Philippi impar, ſuaequae ditionis miſeria compulſus, interuentu Principum ſupplex ad victorem venit, atque ab eo in gratiam receptus eſt. Godefridus Colonienſis ad h. a. & Arnoldus Lubecenſis Lib. VI. c. 8. haec fuſius enarrant. Hic addit, Premislaum, ſiue, vt alias vocabatur, *Ottocarum* aufugientem a Philippo adeo humiliatum eſſe, vt dimidium Ducatus vix obtineret, & reliquam partem Theobaldo traditam fuiſſe. Audita rerum Ottonis mutatione, Innocentius Landgrauio apud Baluzium p. 743. ſcribit, non credere ſe, *quod violentia Ducis Sueuorum ipſius mutauerit voluntatem & animum variauerit*, hortaturque, vt ad Ottonis obedientiam reuertatur. Viribus interim, non animo ſuperior Ottone fuerat Philippus, nec artibus parcebat; quae niſi accedant in rebus perplexis, fruſtra vinces. Henricus frater iam ſeductus erat; Landgrauius ad obſequium coactus; vnicus Ottonis amicus ex potentioribus ſupererat Adolfus Archi Epiſcopus Colonienſis. Huic, cum aduerſaretur, *Saleuelde allodium* & alia quaedam bona abſtulerat. Nunc eum ſub ſpe haecce ei & multo ampliora reddendi ineſcauit, & tandem *affinitate*, neſcio qua, obiecta in partes ſuas pertraxit. Godefridus Colonienſis, & quaedam Pontificis epiſtola ad Adolfum apud Baluzium p. 725. haec nobis detegunt. Pontifex ibi Adolfum grauiter obiurgat, quod Ottonem deſeruerit & Philippo acceſſerit. *Quis*, ait, *crederet ſanae mentis, quod, occaſione contrahendae affinitatis vel obligationis cuiuslibet, eum desereres & abiiceres, quem creaſti; & illi adhaereres pariter & faueres, qui in Colonienſis Eccleſiae ac tuae perſonae contemptum, ad quam ſpe-*

 cialiter

cialiter inter reliquos Principes electio Regis ſpectat, per intruſionis vitium, nomen ſibi regium vſurpauit, & in maius tui honoris diſpendium & perſonae deſpectum, cum tu ſolummodo Reges in Imperatores electos coronare debeas ex antiqua Colonienſis Eccleſiae dignitate, per Tarantaſienſem Archi Epiſcopum imponi ſibi fecit regium diadema? Alia multa, quae aduerſus Philippum ſtomachabundus Pontifex congeſſit, praeterimus. Seductor Adolfi fuerat Guilielmus Comes Iuliacenſis, a Sueuo curia quadam DC. Marcas perſoluente eique in beneficium conceſſa, aliisque muneribus aſtrictus, vt Arnoldus Lib. VII. c. 1. meminit. Godefridus Colonienſis in Adolfo peruertendo etiam Praeſules Treuirenſem, Spirenſem & Conſtantienſem operam Philippo nauaſſe tradit. *Vt Ducem Brabantiae* & reliquos Lotharingiae nobiles fideles ſibi efficeret, nouem huic millia marcarum Philippus donauit, vt idem Godefridus tradit. Sed diſtinctius praemia perfidiae Henrici Ducis Lotharingiae & Brabantiae ex diplomate ipſius Philippi Regis percipimus, quod Anno 1204. II. Idus Nouembris *Confluentiae* datum, & a Butkenio in Probat. Throphaeorum Brabant. p. 55. editum eſt. (Probat. N. CCLXXXIV.) In eo enim dicitur; Ducem *hominium* Philippo feciſſe, & de manu eius recepiſſe *feodum quod ab Imperio tenere debeat*; Philippum vero, *vt ipſe pro exaltatione eius operoſa voluntate deſudaret, & vbique imperiale commodum procuraret*, dediſſe Duci *in feodum Abbatiam Niuellenſem, ciuitatem Traiectenſem*, ibique *Eccleſiam S. Seruatii*; promiſiſſe porro, ſe *Nouiomagum*, quod ad ſe receperat, aliis bonis compenſaturum; conceſſiſſe *ſucceſſionem in omne feudum, quod patruus Henrici, Comes Albertus de Dachsburg, ab Imperio obtineat*; hominibus Ducis, *in ciuitate Orten*, quae nunc Silua Ducis dicitur, & *Thielae* conſiſtentibus, largitum eſſe in exactione telonii eandem libertatem, quam ſub anteceſſoribus habuerant; ſtatuiſſe, *vt filiae Ducis, ſi maſculum heredem non habuerit, in feudis eius libere ei tanquam maſculi ſuccedant*; conceſſiſſe eidem in rectum feudum annuatim LX. carratas vini, quarum media pars apud Bopardiam, reliqua pars apud Baldebern in Alſatia tempore vindemiae ei perſoluenda eſſent; & mutuum tandem auxilium vtrinque promiſſum. Praeterea eidem Duci ſpem fecit de filia, Ottoni deſponſata, Frederico Siciliae Regi in matrimonium danda. Apparet hoc ex epiſtola Papae Innocentii apud Baluzium pag. 738. ſq. ad Henricum Brabantiae Ducem *data Romae VI. Kal. Nouembris Pontificatus ſui anno ſeptimo*, id eſt, hoc ipſo Anno 1204. Ea haec eſt: *Olim ſi bene recolimus, pro conſummanda copula inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum, illuſtrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum, & dilectam in Chriſto filiam* [Mariam] *natam tuam, nobis humiliter ſupplicaſti, vt diſpenſationem, quam venera-*

bilis

bilis frater noſter Praeneſtinus Epiſcopus, apoſtolicae Sedis Legatus, de ſpeciali mandato Sedis apoſtolicae fecerat inter ipſos, auctoritate dignaremur apoſtolica confirmare. Cui petitioni, propter multam vtilitatem, quae noſcitur ex hoc Imperio prouentura, conſenſum praebuimus pariter & fauorem. Nunc autem, quod graue gerimus & moleſtum, occaſionibus friuolis adinuentis ipſam eidem Regi, ſponſo ſuo, tradere malitioſe recuſas, cum ſolemniter inter ipſos ſponſalia ſint contracta, & hinc inde tam per te, quam per homines tuos, praeſtita iuramento firmata, illicitum habens, vt dicitur, cum nobili viro Philippo Sueuiae Duce tractatum, vt eam chariſſimo in Chriſto filio noſtro Frederico, illuſtri Regi Siciliae, nepoti ſuo, copules in vxorem. Quod vtique tanto grauius reputamus, quanto magis ex hoc & animae tuae periculum & famae diſpendium procuratur. Cum enim praedictus Rex Siciliae ſororem cariſſimi in Chriſto filii noſtri, illuſtris Regis Aragonum, germanam, vxorem quondam illuſtris Regis Vngariae, accipere debeat in vxorem, & iam inter ipſos per dilectum filium Roffridum, tituli Sanctorum Marcellini & Petri Presbyterum Cardinalem, Caſinenſem Abbatem, tunc apoſtolicae Sedis Legatum, de mandato noſtro, mediantibus & iurantibus familiaribus vtriusque, ſponſalia ſint contracta, praeter id quod dicta filia tua ipſum Regem Siciliae linea conſanguinitatis attingit, quare non poſſet eidem matrimonio copulari, ſuſtinere non poſſemus aliqua ratione, vt contra hoc, quod hinc etiam nobis approbantibus eſt firmatum, temeritate qualibet veniretur. Nos autem, ne ſanguis tuus de noſtris manibus requiratur, qui tenemur ex iniuncto nobis officio de ſalute animae tuae ſollicite cogitare, nobilitati tuae per apoſtolica ſcripta mandamus, & in virtute Spiritus Sancti diſtricte praecipimus, quatenus vſus conſilio ſaniori, eandem filiam tuam praedicto Regi, ſponſo ſuo, ſicut praeſtito iuramento teneris, tradere non differas in vxorem, famae tuae conſulens & ſaluti. Nos enim venerabilibus fratribus noſtris, Maguntino Archi Epiſcopo & Epiſcopo Cameracenſi, noſtris damus litteris in mandatis, vt, ſi venerabilis frater noſter Colonienſis Archi Epiſcopus requiſitus praefatam filiam tuam infra menſem noluerit coronare, ipſi, vel eorum alter, ſi ambo nequeunt intereſſe, auctoritate noſtra ſuffulti, eam omni contradictione, occaſione & appellatione ceſſante coronent. Si vero, quod non credimus, aliud duceres faciendum, noueris quod in perſonam tuam, vxoris tuae, ac terram tuae dominationi ſubiectam eccleſiaſticae ſeueritatis gladium exerceremus, cum propter ſimilem culpam in quosdam Reges & Regna eccleſiaſticam iam duxerimus ſententiam proferendam, ſicut tua nobilitas non ignorat. Praeterea quicquid de ipſa filia tua contra mandatum noſtrum feceris in derogationem canonicae ſanctionis, irritum decernimus & inane; praedicto Cameracenſi Epiſcopo & dilecto filio Praepoſito Bunnenſi & maiori

Digitized by Google

Decano Colonienſi noſtris dantes litteris in mandatis, vt ea quae praemiſimus non differant publicare. Nuptiae quidem Mariae cum Friderico Siculo non proceſſerunt; pater tamen eius Henricus Brabantinus ex hoc tempore in fide Philippi conſtanter permanſit.

§. 36.

Colonienſis tandem *Archi Epiſcopus ſacramentum, quod dudum Ottoni fecerat*, vt verbis Godefridi vtar, *paruipendens, & periurium & excommunicationem Apoſtolici non metuens, poſt feſtum S. Martini ad eundem Philippum cum Duce Brabantiae Confluentiam venit, & ei iuramentum fidelitatis cum Duce ibidem fecit. Ibi etiam Rex Philippus celebrem Curiam omnibus, qui aderant Principibus in Epiphania Domini Aquisgrani indicit, & Colonienſis eum ibidem in Regem conſecrari & vngi promittit. Quod & factum eſt. Rex ergo, vt propoſuerat cum pluribus Regni Principibus Aquisgranum venit: vbi cum maximo apparatu Colonienſis ei occurrit. Ibi Rex, conſilio cum ſuis habito, vt Principes ſuam liberam electionem; Sedis antiquitatis inſtitutum, non perdant, regium nomen & coronam deponit, & vt concorditer ab omnibus eligatur, precatur. Quod & factum eſt, & a Colonienſi Archi Epiſcopo cum Maria vxore ſua vngitur & conſecratur.* Otto Rex tantis & nec praeuiſis malis deiectus, omnique auxilio deſtitutus, *Coloniae* languore detinebatur, commorantibus apud eum Sifrido Moguntino & Cameracenſi Epiſcopis, Adolfo ob iniuſtam Philippi conſecrationem excommunicationem fruſtra intentantibus. Philippus enim Anno 1205. Aquisgrani Dominicae natiuitatis feſtum celebrauit, & in Epiphania ibi coronatus, Adolfo Archi Epiſcopo mox perfidiae in Ottonem Regem commiſſae praemia elargitus eſt duobus diplomatibus (a) a Gelenio in Hiſtoria S. Engelberti pag. 31. ſqq. editis, & datis, vt in fine eorum habetur, *anno incarn. Dom. MCCIV. Indictione VIII. regnante Domino Philippo Rom. Rege inclyto, anno Regni eius ſexto. Aquisgrani, per manum Sifridi Regalis aulae Protonotarii ſecundo Idus Ianuarii.* Hos temporis characteres ſi conferas, manifeſtum eſt, annum ſecundum Lotharingorum conſuetudinem hic computari, cum noſtro calculo fuerit iam Annus 1205. In priori autem diplomate *Philippus Romanorum Rex & ſemper Auguſtus* allodium *in Saluelt, quod Pater eius Fridericus Imperator a Philippo Colonienſi Archi Epiſcopo per concambium Imperio contraditum acceperat*, cum omnibus ad id pertinentibus, *fideliſſimo Principi ſuo Adolpho Colonienſi Archi Epiſcopo, omnibusque ſucceſſoribus ſuis reſtituit in perpetuum,*

a) Haec duo diplomata Dn. Eccardus anticipando retulit ad res Henrici Palatini; vbi habentur N. CL. & CLI. vt igitur opus non fuiſſet taedioſa rei iam antea narratae repetitione.

tuum, per fidelitatis eius conſtantiam ad hoc inuitatus. In altero *attendens ſinceram deuotionem dilecti Principis ſui Adolphi Colonienſis Eccleſiae Archi-Epiſcopi, quam ad ſublimitatis eius promotionem feruenter exhibuerit, ad dignam fidelitatis ſuae remunerationem, ipſi & Eccleſiae Colonienſi concedit & confirmat Ducatum Weſtphaliae & Angariae; in Andernaco* & *Eckenhagen quicquid iuris habuerat; monetas item, telonea & nundinas; curtem tandem in Brakele & Kerpene.* Quinam Proceres Aquisgrani in coronatione adfuerint ex teſtium ſubnotatione aliquatenus patet. Fuere vero hi *Dyethelmus Conſtantienſis Epiſcopus, Conradus Spirenſis Epiſcopus, Henricus Wirtzeburgenſis Electus, Henricus Argentinenſis Electus, Gerhardus Praepoſitus Xantenſis, Theodericus Werdenſis Praepoſitus, Ludewicus Dux Bauariae, Henricus Dux Louaniae, Bernardus Dux Saxoniae, Simon Dux Lotharingiae, Henricus Palatinus Comes Rheni, Otto Comes Geldrienſis, Wilhelmus Comes Iuliacenſis, Lotharius Comes de Hoſtaden, Geuehardus Burgrauius de Magdeburg, Henricus Marſchalcus de Kallendin & alii quamplures.* Praeter hos priori diplomati adhuc ſubſcripti ſunt: *Godefridus Comes de Arnisberge, Otto de Wicrode, Hermannus Colonienſis Aduocatus, Cuno de Minzenburc, Henricus de Smalinecki, Henricus Dapifer de Waltpurc, Walterus Pincerna de Scipſen, Henricus Camerarius de Rauinsperg.* Miror vero, *Henricum Palatinum* adeo fraterno nunc odio flagraſſe, vt his Philippi priuilegiis, in ſe ipſum iniuriis, & fratri eiusque poſteritati non proficuis ſubſcripſerit; cum ſub *Saxonia*, cuius *Ducatus* axioma ad mortem vsque mordicus retinuit, Weſtphalia & Angaria omnino contineantur. Otto Rex easdem quidem Prouincias iam Adolfo conceſſerat, vt ingluuiem hominis ſacri ſatiaret; ſed requiſierat antea fratrum ſuorum conſenſum & aſſenſum, vt in priuilegio eius ſupra exhibito cernere licet, & ſic iura eorum in hos Weſtphaliae & Angariae Ducatus, praeſentibus Imperii Principibus, ſolenniter agnouerat. Vnum, quod forte pro excuſando eo dicere poſſis, foret, ſi credere liceret, ipſum Principem, quam rem atteſtaretur, forte ignoraſſe, aut, maioris lucri ſpe iniecta delinitum, ſuis iniuriam hanc fieri permiſiſſe, iurium Familiae non curioſum, licet, vt verum fatear, nec hoc multum excuſationis haberet. Perfido tamen Adolfo beneficia Philippi mox care admodum venere. Pontifex enim Innocentius perfidiam eius excommunicatione & depoſitione ab officio vltus eſt, ſuique mandati executionem Moguntino & Cameracenſi Praeſulibus ac Scholaſtico S. Gereonis commiſit litteris, quae apud Arnoldum Lib. VII. c. 3. inueniuntur. Iis recenſitis, Arnoldus addit: *Taliter, vt meruit, Adolphus de dignitate ſua eſt deiectus, & Bruno memoratus in locum ipſius eſt ſublimatus. Qui a Domino Apoſtolico inſignia Archi Epiſcopatus ſuſcipiens, & cum Othone, quae pacis*

ſunt

Digitized by Google

ſunt ſentiens, in ciuitate quidem ſubditis ſuis praeerat; Adolſus vero, vtpote vir parentatus, quae foris erant, violenter inueſtare non ceſſabat. Fuſius haec, & mala inde ciuibus Colonienſibus, fidis hactenus Ottonis amicis, enata recenſet Godefridus Colonienſis.

§. 37.

Innocentius Papa apud Baluzium varias litteras in Germaniam hoc anno adhuc ſcripſit, quibus monuit, vt aut in fide Ottonis maneant, aut, ſi diſceſſerint, ad eum reuertantur. Iohannem quoque Angliae Regem ibidem pag. 745. hortatus eſt, vt tandem Ottoni ſubueniat, &, ſi de ſuo id facere renuat, ſaltem ipſi tradat, *quod ex teſtamento Richardi Regis, germani ſui, ipſi ſoluere ſine dubitatione teneatur.* Epiſcopis Angliae iniunxit, vt ad hoc Regem ſuum ſub diſtrictione eccleſiaſtica compellant, *non obſtante compoſitione, quae facta erat inter ipſos, praeſertim cum in ea de relaxatione pecuniae, Ottoni teſtamento legatae, nulla mentio habeatur.* (Probat. N. CCLXXXV. & N. CCLXXXVI.) Vnde concluditur, Iohannem ſubſidia, quae ex foedere Ottoni dare obligatus erat, pro pecunia ex hereditate ipſi debita computare, atque ita conſanguinei Principis poſtulata eludere voluiſſe. Godefrido, Archi Epiſcopo Eboracenſi, Henrici II. Angliae Regis ex amica Roſemunda filio naturali, ſcribit apud Baluzium pag. 746. *cum Rex Otto, nepos eius, ipſius & aliorum conſanguineorum ſuorum adminiculo ad praeſens indigeat, mirari ſe non modice, quod ita tepidus & remiſſus hactenus extiterit ipſe, & quod nullum vel modicum ei curauerit ſubuentionis vel fauoris auxilium exhibere; cum tamen Ottonis negotium, ſi ad optatum perducatur effectum, quantum honoris & gloriae ipſi & Iohanni Regi Anglorum ac Regno eius accreſcat, non opus ſit litteris explicare.* Sed ſurdis fabula cantata eſt. Philippus Rex Ottonem, a ſolis Coloniae ciuibus defenſum, & hinc eiicere ſuſcipit. Vnde, Henrico Duce Limburgenſi, Coloniae Praefecto, pecunia ſeducto, Colonienſes per inſidias caedit, Ottonem Regem vix manibus eius elapſum Waſſerburgum perſequitur, (b) ibi Brunonem ArchiEpiſcopum

b) Contra mentem Godefridi hic fingitur, ac ſi Philippus Ottonem & Brunonem Colonia aufugientes Waſſerburgum vſque perſecutus eſſet. Godefridus ait: *aduentante cum exercitu Philippo, Otto & Bruno, praeſentibus duobus Epiſcopis de Britannia a Rege Angliae miſſis, cum quadringentis militibus & duobus millibus peditum de Colonia exeuntes, cum eodem confligere ſtatuerunt. Sed traditione Heinrici de Limburg ad Caſtrum, quod dicitur Waſſinburg, eum proſecuti, & in paluſtria loca deducti, ab hoſtibus circumuenti ſunt. Ibi res ad praelium venit, quo plurimi capti ſunt quidem. Otto vero,* addit Gelenius ad vitam S. Engelberti p. 40. *per medios hoſtes, multis eorum occiſis, erupit; vix tamen ſui comitatus dimidia pars euaſit.* Audito huius pugnae nuntio Pontifex Ottonem Regem ab huiusmodi periculoſis conflictibus dehortatus, inſignem ei fortitudinis laudem tribuit Ep. 51. ita ad eum ſcribens: *Licet in te ſtrenuitatis virtutem plurimum commendemus: quia tamen audacia nonnumquam in Principe ſolet eſſe damnoſa,*

Digitized by Google

pum capit & cuſtodiae mandat. Colonienſes, ab vniuerſo pene Imperio impugnati, coguntur tandem Philippum ſupplices adire, & ſe ſuamque ciuitatem ipſius gratiae committere. Haec Godefridus Colonienſis & Arnoldus Lib. VII. c. 5. memoriae prodiderunt.

§. 38.

Poſt haec, eodem Godefrido referente, Anno 1206. Henrico de Kalentin mediatore, ambo Reges, turbarum pertaeſi, colloquium iuxta Coloniam habuerunt. Quid ibi actum ſit Otto de S. Blaſio cap. 48. indicat, quanquam in eo erret, quod putet hic iam Pontificis Legatos interfuiſſe, qui poſtea demum venerunt. *Die*, inquit, *condicta in inferioribus Rheni partibus, non procul a Colonia, conuenientes, poſt multa paſſim tractata, Ottoni a Philippo per Cardinales offertur, vt accepta in vxorem filia eius cum Ducatu Alemanniae, aliorumque praediorum ſuorum reditibus, regio nomine depoſito, ipſi de caetero vt Regi pareret, Philippo ex hinc ſine controuerſia regnante. Ad haec Otto, quamuis iam deſperatus, indigne ferens, aliqua ſibi pro Regno offerri, ſe Regnum non niſi cum morte depoſiturum proteſtatus, Philippo, vt ſibi cederet, multo maiora obtulit. Talique ambitione non conuenientes, infecto negotio ab vtroque, diſceſſum eſt.* Ottoni in anguſtiis aliqua adhuc auxilii Anglicani ſpes tunc ſedit. Vnde, Colonia diſcedens, Brunſuicum venit, & rebus ſuis ibi ordinatis, ex Albi ſoluens, in Angliam perrexit. (c) *Vbi* inquit Godefridus, *a Rege Angliae, auunculo ſcilicet ſuo, & cunctis eius Baronibus, cum magno honore ſuſcipitur, & per aliquot tempus detinetur, & poſtea dimiſſus ab eodem, accepta magna pecunia, reuertitur.* Haec forte pars pecuniae ex hereditate Richardi Ottoni debitae fuit, poſt tot admonitiones demum ſoluta.

§. 39.

damnoſa, ſi perſonam ſuam exponat improuide periculis & fortunae, ſicut nuper fuiſſes expertus, niſi tibi manus Domini adſtitiſſet; perſonae tuae ſollicite ſtudeas praecauere, nec vsque adeo ſis prodigus vitae tuae, vt qui victoriam velis morte mercari; cum noris, vt credimus, quod multi deficientibus viribus redierunt ad fraudes, & cum per potentiam nequeant, ſtudent ſaltem per nequitiam praeualere. Quamuis enim totum negotium tuum ſimul expedire non poſſis; non debes tamen vsque adeo feſtinare, vt perſonam tuam fortunae committas, ſed exſpectare potius, vt, qui coepit, in te perficiat opus bonum, & qui honori tuo dedit principium, ipſe quoque conſummationem apponat.

c) Incertum, ex quo portu Otto ſoluerit, in Angliam traiecturus. Ex Albi ſoluiſſe, nemo veterum dicit; licet Dno Eccardo id veriſimile videatur. Danici Scriptores, & in his Pontanus Lib. VI. p. 299. ait, Ottonem Regem in Daniam abiiſſe, ac Ripis, quod Cimbricae Cherſoneſi maritimum eſt oppidum, Oceanum Britannicum proſpectans, claſſe a Rege Waldemaro II. accepta, ad auunculum ſuum *Richardum* in Angliam enauigaſſe. Sed & is Scriptor apocryphus eſſe videtur, praeſertim cum Richardum hic nobis commemoret, Ottonis auunculum, ad quem viſendum ad inferos potius abeundum fuiſſet. Mihi nihil obſtare videtur, quo minus Otto e Batauis ſoluiſſe, atque breuiſſima via maritima in Angliam iuiſſe credatur.

§. 39.

Per hyemem ab armis quidem ceſſatum; ſed conſilia vtrimque in futuros euentus ſumta. Otto Waldemarum Daniae Regem ſibi arctius deuinxit & confoederauit. Philippus Pontificem ipſum ſibi conciliare, atque ita res Ottonis penitus euertere decreuit. Scripto itaque, quod extat apud Baluzium l. c. p. 746. ſq. omnia, quae obiiciebantur, comprehendit, eaque diluit, obedientiamque Eccleſiae promſit. Miſit etiam Romam Walterum, Aquilegienſem Patriarcham, Geuehardum Burggrauium Magdeburgenſem, Henricum de Smalinck & Euerhardum de Lutra, vt Papae eum conciliarent, & concordiam inter Eccleſiam & Imperium reſtituerent. Hi, aſſumtis de Cremona viris quibusdam negotiorum peritis, ad Curiam Romanam veniunt, Papamque, qui numquam inexorabilis eſſe ſolet, donis & muneribus facile inducunt, vt regnare permitteret Philippum. Promiſerunt enim ei, ne id gratis faceret, *quod filia Regis daretur in vxorem filio fratris ſui, Richardi; qui Papae ſuffragio iam Comes erat effectus.* Papa igitur ſtudio a Philippo non requiſiuit *terras, quas anteceſſores eius toties ab Imperatoribus repetere conſueuerant, in Tuſcia, Spoleto & Marchia Anconitana ſitas, ſperans, eas in poteſtatem nepotis ſui praedictarum nuptiarum cauſa venturas.* Haec Abbas Vrſpergenſis *ex veridici viri* relatione ſe ſcire affirmat. Mittuntur itaque Anno 1207. in Germaniam Pontificis Legati, Hugolinus Oſtienſis & Veletrenſis Epiſcopus, & Leo tituli S. Crucis in Hieruſalem Presbyter Cardinalis, vt Reges vtrosque ad concordiam reuocent, pacemque confirment. Philippus Paſcha Coloniae celebrarat; vbi vero de aduentu Legatorum audiuit, *Spirae* eos, Vrſpergenſi teſte, excepit. Baluzius pag. 750. proceſſum Legatorum Papalium inſeruit, ex quo ordinem rerum geſtarum perſpicimus. Is vero hic fuit: *Primo receperunt publice iuramentum a Philippo Duce Sueuiae, quod pareret vniuerſis mandatis Domini Papae ſuper omnibus, pro quibus erat excommunicatus, & ſic eum, ſecundum formam Eccleſiae, ſolemniter abſoluerunt. Secundo iniunxerunt eidem, vt dimitteret Brunonem Colonienſem Archi Epiſcopum, quem in captione tenebat; quem libere abſolutum aſſignauit eisdem ad Sedem apoſtolicam perducendum. Tertio induxerunt illum ad hoc, quod ipſe accepit Regalia, licet inuitus, a Luipuldo Maguntino intruſo, & idem intruſus ſpiritualia reſignauit in manibus Legatorum. Quarto apud ipſum obtinuerunt cum difficultate non parua, vt permitteret Siffridum Maguntinum Archi Epiſcopum per procuratorem ſuum in ſpiritualibus miniſtrare. Quinto fecerunt ipſum dimittere magnum exercitum, quem congregauerat aduerſus Regem Ottonem. Sexto bis eos ad colloquium perduxerunt, tractantes cum ipſis de pace, quam cum conſummare non poſſent, ſeptimo ſtatuerunt inter eos*

treugas

Digitized by Google

treugas vnius anni; & ſic tractatum pacis redigentes in ſcriptis, ad Sedem apoſtolicam redierunt cum nuntiis vtriusque. Spirae igitur Philippus abſolutus eſt; Bruno tamen, vt Legati, Philippi pecunia corrupti, Papae falſo referunt, non ibi, ſed poſtea demum Auguſtae, vt videbimus, ex captiuitate dimiſſus eſt. Nec reliqua ſtatim executioni mandata, ſed promiſſa ſaltem fuerunt. *Primum* de quo loquuntur, de conciliatione Regum *Colloquium*, habitum eſt *Northuſae.* Abbas Vrſpergenſis de eo: Spirae *habito Concilio, condicit* [Philippus] *Curiam Principum* apud Northuſin, *in confinio Thuringiae & Saxoniae, vbi Philippus deduci fecit Legatos. Ipſe quoque cum Principibus peruenit illuc. Otto quoque prope erat ibidem in quodam Caſtro. Vadunt & redeunt Legati & Patriarcha* [Aquileienſis] *cum quibusdam aliis Principibus, inter vtrosque Reges pacem compoſituri; ſed ibidem compoſitio fieri non poterat: vnde procedunt in Saxoniam.* De hoc colloquio Northuſano intelligendus quoque eſt Arnoldus Lubecenſis Lib. VII. c. 6. vbi ſcribit: *Poſthaec ad bonum compoſitionis Dominus Apoſtolicus duos Cardinales delegauit (nomen vnius Hugo Epiſcopus, & alterius Leo) vt Philippum ab excommunicatione ſoluerent, ſi forte per diſpenſationem bonorum & religioſorum Patrum, ſiue conſilio Principum, vnitas pacis inter eos reformari poſſet: ea tamen conditione, vt Bruno captiuus liberrimus ab omni captiuitate laxaretur. Venientes igitur Legati Domini Apoſtolici ad Philippum, ipſi legationis ordinem, qua fungebantur, expoſuerunt. Cui in his, quae audierat, bene placuit; ſed Archi Epiſcopum abſoluendum omnino negauit. Dicebat enim in abſolutione Archi Epiſcopi nimiam ſe incurſurum offenſam, Adolfi videlicet, & omnium illorum, quorum gratia ad faſtigium Imperii per ſecundam conſecrationem erat ſublimatus. Cardinales igitur caecitate percuſſi, immemores mandatorum Domini Papae, propter munera Philippi, qui eos argento & auro ditabat, & bene indutos lautiſſime procurabat, Philippum quidem abſoluerunt; ſed Archi Epiſcopum vinctum reliquerunt. Dixerunt ergo Othoni Regi: Nos aemulum tuum abſoluimus, vt cum eo, ſicut mandauit Apoſtolicus, ſi fieri poteſt, ad pacis concordiam tendas. Quibus Rex: Si feciſtis, inquit, mandatum Domini Papae, iſtas perſpiciatis litteras. Miſerat enim Apoſtolicus Othoni Regi litteras clanculo de abſolutione Philippi & liberatione Brunonis Archi Epiſcopi, eundem tenorem continentes. Cumque ſolutis litteris tenorem earum perſpexiſſent, exterriti ſunt valde. Quibus Otho minas terribiles intulit; a quibus tamen pro reuerentia ſummi paſtoris abſtinuit. Illi autem ad Philippum reuerſi, ſe erraſſe confeſſi ſunt, dicentes, ſine liberatione Brunonis Archi Epiſcopi eius abſolutionem ſtare non poſſe. Qui neceſſitate compulſus, Brunonem bene tractatum a captiuitate ſoluit; ipſe*

vero ad colloquium Regis Othonis ſe praeparauit. Northuſae igitur Reges ipſi nondum conuenerunt, ſed cuncta per Legatos acta ſunt. *Quedlinburgi* vero id demum contigit. Arnoldus l. c. pergit: *Cumque Philippus conſiſteret Quedelingeburg, & Otho Harlingeburg, ad colloquium Reges cum Cardinalibus & admodum paucis conuenerunt; ſed in nulla forma pacis ab inuicem diſceſſerunt.* Abbas Vrſpergenſis eadem de re: *Rex* inquit, *in Kutilimberg recipitur; Otto prope manet in caſtro. Ibi tandem taxata eſt forma compoſitionis. In qua ſtatutum fuit inter caetera, quod & poſtea completum fuit, videlicet, vt Otto filiam Philippi accipiat vxorem: quae tamen quarto gradu conſanguinitatis ſibi attinebat: fieretque diſpenſatio per Sedem apoſtolicam pro bono pacis.* Ottonem tamen propoſitas conditiones non accepiſſe, ex Arnoldo & his Alberti Stadenſis verbis concludo: *Philippus & Otto habito conuentu in Quedlinburg, duobus Cardinalibus praeſentibus, de reconciliatione tentantes, nihil profecerunt. Treugas tamen dederunt vsque ad feſtum Iohannis Baptiſtae*, anni nempe ſequentis, vt mox ex relatione de morte Philippi anno ſequente videbimus. Otto de S. Blaſio quoque Cap. 48. prodit *infecto negotio ab vtroque diſceſſum eſſe, Cardinalibus ad Regem Philippum ſe conferentibus, eique fauorem Domini Apoſtolici offerentibus.* Papa vero inſignem in Ottonem perfidiam, quam diu occultauerat, tandem ipſe detexit, amica Philippo epiſtola hoc anno 1207. Kalendis Nouembris perſcripta apud Baluzium p. 750. Ne tamen, ea intercepta, animus eius in Philippum penitus pateret, eum *Ducem Sueuiae* vocat, & breuiter ſaltim Priorem Domus Camaldulenſis, portitorem epiſtolae, commendat, *ſicut expedire credidit ad cautelam;* ad Priorem illum prouocans, plura viua voce indicaturum. Incipit illa epiſtola: *Poſtquam abſolutionis gratiam per Apoſtolicae Sedis Legatos ſecundum formam Eccleſiae percepiſti, ſalutationis & benedictionis tibi litteras deſtinamus, grates referentes ſuper iis, quae ad exhortationem noſtram prompta deuotione feciſti.* Fuit hoc ſine dubio negotium nuptiarum filiae Philippi cum Pontificis ex fratre Richardo nepote. Adhortatur denique Philippum, *vt ad pacem Imperii reformandam diligenter intendat.* Conſilia autem per Priorem Camaldulenſem Philippo hanc in rem nomine Pontificis ſuppeditata, violenta in Ottonem fuiſſe, maximus Philippi ad bellum anno ſequenti ſuſcipiendum apparatus oſtendit.

§. 40.

Promiſerat quidem Philippus, ſe Brunonem Archi Epiſcopum Colonienſem e captiuitate dimiſſurum; ſed verbis non prius ſtetit, quam iterum iterumque a Pontifice Legatiſque eius admonitus, *Auguſtam Vindelicorum*

corum veniſſet. Godefridus Colonienſis: *Philippo Rege circa feſtum S. Andreae Apoſtoli apud Auguſtam, ciuitatem Sueuiae, celebrem curiam habente, praefati Cardinales affuerunt, vbi plurima coram eis & Principibus de pace & compoſitione regni inter Reges tractata ſunt. Ibi etiam Adolfus, Colonienſis quondam Archi Epiſcopus, eosdem Cardinales adiens, interuentu Regis a banno ſoluitur; & vt ad ſatisfactionem Romam procedat, ipſi indicitur. Rex autem conſilio & petitionibus Cardinalium adquieſcens, Brunonem vinculis abſoluit, &, ipſis reuertentibus, ad gratiam ſummi Pontificis eum Romam transmiſit.* Arnoldus circumſtantias aliquas his addit Lib. VII. c. 7. ſcribens: *Philippus placere volens Adolfo Archi Epiſcopo & caeteris amicis, necdum ſe a captiuitate Brunonis abſtinuit; ſed eum comprehenſum miſit ad caſtrum firmiſſimum Rodenburg, ibique eum in captiuitate tenuit. Quod cum ſignificatum fuiſſet Domino Papae, denuo ei litteras miſit, diſtricte praecipiens, vt Archi Epiſcopum Brunonem de captiuitate ſolutum, cum honore ad ipſum transmitteret: quod ſi non faceret, ſciret ſe excommunicationi velut transgreſſorem ſubiacere. Philippus igitur Rex, timens ſententiam excommunicationis, Archi Epiſcopum cum honore ad Dominum Papam transmiſit: Qui tam diu ibi ſtetit, quousque omnem dignitatem ſuam, Adolfo humiliato, cum plenitudine poteſtatis perciperet. Denique de Adolfo diſpenſatum fuerat, vt CC. marcas de telonio Duicenſi perciperet, & totidem de Colonienſi, & Otho ſtipendia in ipſa ciuitate; & his contentus, Brunonem Archi Epiſcopum non inquietaret.* Pauculum ergo hoc tunc pro Ottone Rege effectum, vt, omnibus denudatus praeſidiis, ſtipendiis Colonienſis ciuitatis frueretur. Domi tamen is Deum placare ſibique pro captu ſaeculi propenſiorem reddere non neglexit; atque hinc hoc anno, ni fallit epocha diplomatis, Monaſterio Virginum de *inſula Sanctae Mariae* infra Limbere ad Leinam manſum donauit in villa Garboldeſſem; (Probat. N. CCLXXXVII.) quam poſt obitum eius Praepoſitus vendidit Hildenſemenſi Eccleſiae, (Probat. N. CCLXXXVIII.) idque conſentiente dioeceſano Mindenſi Epiſcopo. (Probat. N. CCLXXXIX.)

§. 41.

Probant hactenus dicta Ottoni vitam prius, quam Imperium perdere animum fuiſſe. Philippus vero idem ſibi acquirere omni virium intentione nitebatur. Arnoldus Lubecenſis Lib. VII. cap. 14: *Philippus*, inquit, *contracto innumero exercitu* [anno nempe 1208.] *de omni Imperio, vbi aderant innumeri de Vngarorum finibus, contrahens ſecum auxilia peſſimorum, qui dicuntur Value* [Walachi] *cum innumera virtute baliſtarum & omni genere armorum, conſiſtebat in Bauenberg, coadunationes exercituum expectans.* Non ſegnior Otto, Waldemaro Daniae Regi foedere coniunctus, ad defen-

ſionem ſe praeparabat. *Hoc*, pergit Arnoldus, *intelligens Rex Otto, quem tantae machinationes non latebant, coepit innumeris victualibus & armis communire ciuitates & caſtra, & contra tantos inſultus vere imperterritus ſe praeparare. Nec defuit Rex Waldemarus, in manu militari, vel etiam impenſis theſaurorum ei ſubueniendo; ſciens, ſi contritum fuiſſet cornu dextrum, ipſum procul dubio exſpectare ſiniſtrum.*

§. 42.

Inſtabat feſtiuitas S. Iohannis Baptiſtae, qua induciae inter Reges exſpirare debebant, & Philippus omnia expeditioni Saxonicae praeparabat, cum XI. Kal. Iulii ab Ottone Witelsbachio, Comite Palatino Bauariae, in cubiculo interficeretur. Cauſam & modum caedis prolixe ſatis exponunt Abbas Vrſpergenſis, Arnoldus Lubecenſis, Godefridus Colonienſis, Albertus Stadenſis, Chronicon Montis Sereni & alii plures. Nos Hugolini Legati Pontificii, de eadem caede relationem ex epiſtola ad Innocentium hoc tempore exarata, & apud Baluzium p. 752. lecta inſerimus, quoniam is ipſe ſe eam a nuntio Luipoldi Wormatienſis Epiſcopi, Bamberga venientis, accepiſſe profitetur, atque hinc illa fide digniſſima eſt. *Nuntius is*, vt verba Hugolini habent, *dixit, quod Sabbatho proximo ante feſtum S. Iohannis Baptiſtae, quo treugas interpoſitas Dominus praeuiderat non ſine alterius exterminio terminari; Dominus Philippus cum paucis de familia ſua, exercitu in campo dimiſſo, ciuitatem Papenbergenſem intrauit, eoque hora nona in palatio Epiſcopi quieſcente, dictus Palatinus Comes, cui Dominus Philippus filiam dederat & abſtulerat, cum Duce Bauariae & Marchione Iſtriae, fratre eiusdem Epiſcopi, & aliis decem viris armatis, palatium, in quo Dominus Philippus erat, ingreſſus, pulſansque ad oſtium Camerae, more admittitur conſueto. A quo cum Dominus Philippus verba iucunda & ioculatoria, ſicut conſueuerat, expectaret; ille ſtatim cultellum, quo erat accinctus, exſeruit, & Domino Philippo, gladio ludere prohibenti, reſpondit: Non erit hic tibi ludus; & in continenti, Dei timore poſtpoſito, ipſum transfodit gladio, & Henrico, Imperii Seneſcalco, facinus prohibere volenti, lethale vulnus infligens, eum, quem iam occiderat, timens viuere, iugulauit; & ſic homicida, fautorum ſuorum auxilio munitus, exiliit, ac piaculare flagitium, toto iam diſſoluto exercitu, adhuc, ſicut Domino placuit, extitit impunitum.* Conſentit cum his Conradus Abbas Vrſpergenſis p. 237. magnus Guelficae Familiae obtrectator, qui rem ſuccincte ita narrat. *Rex venit in Babenberg. Aduenerat quoque illuc nefarius ille Otto Palatinus de Wittilisbach. Rex vero minutionem ſanguinis fecit ibi de venis vtriusque brachii: plurimi quoque de ſuis minuebant ſanguinem. Tunc ſceleratus Otto, aſſumptis militibus Epiſcopi Eggiberti, & Marchionis de Andebſe, Heinrici,*

Digitized by Google

Heinrici, fratris praefati Epiſcopi, venit in palatium. Ille vero impius acceſſit ac oſtium camerae, in qua Rex quieſcebat: pulſabat, vt intromitteretur: quem Rex iuſſit intromitti, nihil mali ſuſpicatus. Cumque cerneret, neminem eſſe in camera, praeter Regem & Cancellarium, & Henricum Dapiferum, qui erant in conſilio, rediens aperuit ianuam camerae, accipiens gladium a ſeruiente, quem vibrare coepit in collum Regis. Sed Dapifero exclamante territus, vix plagam perfecit, & paruulum vulnus in collo Regis dedit; ſed venam vnam organicam amputauit. Cumque praefatus Dapifer exitum ianuae ſibi intercludere voluiſſet, maxillam ipſius eodem gladio vulnerauit: quam laudabilem cicatricem vsque ad mortem habuit. Oritur vndique tumultus. Rex quoque paululum procedens exſpirauit. Ille vero malignus ad praefatos Epiſcopum & Marchionem confugit: vnde & illi rei habiti ſunt de tali mordo. Fuit autem occiſus X. Kalend. Iulii hac ſola cauſa, quia, cum deſponſaſſet vnam de filiabus ſuis praefato ſceleroſo, idem quendam liberum, familiarem Ducis Bauariae, perfide interfecit: de qua perfidia coram Principibus notatus fuit, & ideo Rex filiam ſuam ſibi tradere denegauit. Immo omnes eius temporis Scriptores hoc regicidium pari modo enarrant; nemo autem neque vetuſtiorum, neque recentiorum vmquam Ottonem Regem, vel amicos eius tanti ſceleris inſimulauit, vel minima ſuſpicione onerauit. Id quod iſtis temporibus, vbi Principum mores dicteriis & ſatyris patebant, memoratu digniſſimum eſt. Guelfica enim gens non ſicariis, non fraudibus, non inſidiis inimicos debellare, ſed aperto Marte vincere & ſuperare omni tempore aſſueuit. Deceſſor Ottonis, Henricus VI. Imperator, frater Philippi occiſi, parum penſi habuit, leuioribus de cauſis e medio tollere eos, quibus parum fauebat; vt in homicidio Epiſcopi Leodienſis ſupra vidimus: ne quid de exercita eius per Siciliam tyrannide dicamus. Alii noſtrorum Principum mores fuerunt, ſunt, eruntque perpetuo. Domus Ottonis, vt domus Iulii Caeſaris, non crimine ſolum, ſed & ſuſpicione criminis caruit, quia inter tot tam diuerſorum Regnorum & Germaniae Prouinciarum Scriptores ne vnus quidem inuentus eſt, qui vel leuiſſimae ſuſpicionis mentionem inieciſſet.

§. 43.

Flebile profecto hoc erat fatum, quod in flore aetatis e medio ſuſtulit Principem caetera laudandum, & ad magna gerenda aptum. Nondum quidem conſtat, quot annos tunc habuerit Philippus, filiorum Friderici I. Imperatoris poſtremus. Anno tamen 1181. natum fuiſſe, alicubi ſe reperiſſe ſcribit Cruſius Annal. Sueu. Part. II. p. 474. in quo ſi non errauit, quod tamen vehementer ſuſpicamur, annum aetatis viceſimum ſeptimum vix egreſſus eſſet. Frater natu maximus, Henricus VI. Imperator, Anno 1196. ei Ducatum Sueuiae ſimulque coniugem dedit Irenem, Iſaaci Angeli Comneni, Conſtantinopolitani

nopolitani Imperatoris filiam, Rogerio, Tancredi Siculi filio, ante deſponſatam, cum qua in Pentecoſte nuptias celebrauit in celeberrima planitie ad Auguſtam Vindelicorum, quam veteres *Conciolegum* vocarunt. Otto de S.Blaſio c. 44. Haec *audita coniugis Philippi morte*, vti fragmentum incerti auctoris, Alberto Argentinenſi praemiſſum ad Annum 1208. habet, & *ſentiens*, *vnicum ſolatium in eo*, *quia peregrina erat*, *perdidiſſe*, *& cum eſſet praegnans*, *dolorem dolori cumulans*, *ad Stouph caſtrum deducta eſt cum feſtinatione: vbi poſt modicum tempus abortum fecit, & ſic vitam cum foetu finiuit*, (d) *& ad Monaſterium Lorche deportatur*; *& ibi glorioſe ſepelitur.* Arnoldus Lubec. Lib. VII. c. 14. breuius: *Regina audito tam triſti nuntio contabuit*, *& quia praegnans erat*, *gemino dolore ad mortem vsque afflicta eſt*

Morte preſſa viri, *nimioque grauamine torta*
Prolis: *ſicque duo vita priuantur in vno.*

Quo die, menſe & anno obierit, nuſpiam ſe cognoſcere potuiſſe dolet Cruſius l. c. p. 561. Putat tamen id factum eſſe Ianuario ſequentis mox anni: *ſicut mihi*, iucunde addens, *ante biennium frequens opinio in ſomnis* (e) *obuerſabatur*, *VI. Kal. Febr.* 1209. *obiiſſe.* Epitaphia ex Laureacenſi Monaſterio, vbi Maria ſepulta iacet, a Cruſio adducta, vel ab ipſomet Cruſio, vel ab aliis ſui temporis viris doctis compoſita exiſtimo, proinde hic ſilentio praetereunda. Caeterum, vt & hoc ex Vrſpergenſi p. 237. addamus, Rex Philippus fuit *animo lenis*, *mente mitis*, *eloquio affabilis*, *erga homines benignus*, *largus ſatis & diſcretus*, *debilis quidem corpore*, *ſed ſatis virilis*, *in quantum conſiderc poterat de viribus ſuorum*; *facie venuſta & decora*, *capillo flauo*, *ſtatura mediocri*, *magis tenui*, *quam groſſa.*

§. 44.

Concidere hoc Principis obitu ſpes Papae de matrimonio cum conſanguineo conceptae; euanuere Principum Germaniae, Ottoni aduerſorum,

d) Non tamen illico poſt maritum exſpirauit, ſed ei per *modicum tempus*, vt Monachus ait, ſuperuixit; licet feſtum S. Martini Comitiaque Francofurtenſia non attigerit, in quibus alias ipſa potius, quam filia, Caeſaris & Ordinum Imperii vindictam inuocaſſet. Die enim XVIII. Auguſti donationem Curiae in ſuperiori Eslingen, quam maritus Eccleſiae Adelbergenſi deſtinauerat, ipſa perfecit; vti ex diplomate eius (Probat. N. CCXC.) patet. Nec eſt, quod Mariae nomen fronti harum litterarum adſcriptum te feriat. Nam & Godefridus Colonienſis ad Annum 1204. vbi Philippum *cum vxore* Aquisgrani coronatum narrat, hanc *Mariam* vocat. Abiecto itaque Graeco Irenes nomine, in Germania Mariae nomen adſumſit; quemadmodum Graeci Adelheidibus & Mariabus noſtris Irenes nomen indiderunt.

e) En! hiſtoricum ſomniantem, ſeu ſomnia ſua cordate enarrantem! Et reuera ſomnia ſunt, quae profert. Etenim, vti iam diximus, ſi mater Irene vel Maria XI. Nou. 1208. ſuperſtes fuiſſet; ipſa ſane Francofurti Regicidam accuſaſſet, & tenerae filiae pudori pepercisſet.

ſorum, meditationes. Henricus Palatinus, vbi vix mortem Philippi accepiſſet, ad ſe rediit, fraterno odio renuncians, eiusque & Familiae propriae commoda cordi habuit. Indicauit hoc ipſe Otto mox Pontifici, ad eum apud Baluzium pag. 754. ſcribens: *Frater noſter, Palatinus Comes Rheni, Deo gratias ad noſtram integre rediit caritatem, & ex quo mortuus fuit conſanguineus noſter, nobis etiam ignorantibus, nos in omnibus, quibus promouere potuit, non ceſſauit.* Secuti eum Archi Epiſcopus Magdeburgenſis; Halberſtadenſis, Mindenſis & Spirenſis Epiſcopi; Bernhardus Dux Saxoniae, multique alii Sueuiae & circa Rhenum Epiſcopi, vt ipſemet eadem epiſtola, & aliqua etiam ex parte Arnoldus Lib. VII. c. 15. prodit. Pontifex ipſe, ſpe de Philippo concepta fruſtratus, noluit videri aduerſus fuiſſe Ottoni; ſed vti erat inſignis ſimulandi & diſſimulandi artifex, dulces ei litteras miſit, quas apud Baluzium pag. 752. legimus. In iis: *Nouit*, inquit, *ille, qui ſcrutator eſt cordium & cognitor ſecretorum, quod perſonam tuam de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta diligimus, & ad honorem & profectum tuum efficaciter aſpiramus, ſicut opera manifeſtant, quae pro te non dubitauimus exercere. Licet autem te deſeruerint quaſi ſolum amici pariter & propinqui, nos tamen in tua dilectione conſtantes, ea ſtudio diligenti non deſtitimus operari, quae ſecundum tempus tibi credimus expedire, vigilantes pro te, quando tu forſitan dormiebas; quin etiam propter te multa paſſi ſumus aduerſa, quae nec etiam tibi voluimus intimare, cum aduerſitas te premebat. Quidam enim ciuium Romanorum, aduerſarii tui, corrupti pecunia grauem ſeditionem aduerſus nos commouerunt in vrbe, conſanguineis noſtris multa damna & opprobria inferentes; nosque non ſine multis & magnis expenſis ſeditionem populi potuimus mitigare. Nunc autem aduerſario tuo ſublato de medio, ne contra te alius ſuſcitetur, quamuis nepos ipſius iam tibi aduerſarium ſe opponat, diligenti ſtudio praecauemus, ad promotionem tuam efficaciter intendentes.* Monitis inde quibusdam inſertis, addit: *Si vero tibi videris expedire, ad conſummationem matrimonii iam tractati ſecure procedas; ſuper quo nos matri puellae, Patriarchae Aquilegenſi, & Henrico de Calandrino, nec non & Henrico de Maſſech noſtras litteras deſtinamus. Super altero vero coniugio, ſi tibi & Imperio expedire cognoueris, tuum nobis non differas beneplacitum intimare.* Veterem ergo ſponſam & nouam, Brabantinam nempe & Philippo natam, ei proponit Papa, liberamque electionem permittit. Ad ſingulos etiam Germaniae Proceres peculiaribus litteris, quae loco citato apud Baluzium extant, eundem denouo commendauit. Regem etiam Anglorum ibidem pag. 754. monuit, vt iam deſinat *circa ſubuentionem Ottonis durum ſe & auarum exhibere.*

Digitized by Google

§. 45.

Otto vero Rex vindictam iam in aliquos aduerſariorum praeparabat, cum eum inde diſſuaderent Archi Epiſcopus Magdeburgenſis & Dux Bernhardus. Obſequebatur ſanis eorum conſiliis Otto, & in Curia Halberſtadii indicta a maxima parte Praelatorum Saxoniae & Thuringiae, nec non Epiſcopo Herbipolitano denuo Rex electus eſt. *Omnes igitur* (verba ſunt Arnoldi Lib. VII. c. 15.) *Principes, qui conuenerant, ac ſi diuinitus inſpirati, pari voto & vnanimi conſenſu Othonem in Romanum Principem & ſemper Auguſtum elegerunt, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti; Archi Epiſcopo, qui primam vocem habere videbatur, inchoante; proſequente vero Bernhardo Duce cum Marchione Myſnenſi, & Landgrafio Turingiae, cum aliis, ad quos electio Regis pertinere videbatur.* Reuerſi etiam ſunt Roma Archi Epiſcopi, Sifridus Moguntinus & Bruno Colonienſis: & ille eiecto Lippoldo in Sedem priſtinam receptus; hic vero pariter reſtitutus paulo poſt deceſſit, cui ſuffectus eſt *Theodericus* anno ſequenti.

§. 46.

Hoc etiam anno 1208. ad feſtum S. Martini Francofurti celeberrimus Principum conuentus celebratus, & Otto iteratis vicibus ab omnibus in Regem electus eſt. Inſignia quoque regalia, quae Conradus Epiſcopus Spirenſis in caſtro *Triuels* cuſtodita tenuerat, *coronam* nempe & *Crucem*, vt Vrſpergenſis habet; ſiue *Diadema* & *Lanceam Imperialem*, vt Godofridus Colonienſis ſcribit, hic accepit. *Aderat* ibi, vt Arnoldi verba adhibeam, *BEATRIX, filia Philippi Regis cum ſuis, ſubmittens ſe gratiae Domini Regis; quam produxit Dominus Spirenſis. Quae eleuata voce, cum gemitu & ſuſpiriis & lachrymis multis conqueſta eſt Domino Regi & Principibus praeſentibus, & in commune toti orbi Romano de impia morte patris ſui, & de impia conſpiratione Othonis Palatini, qui eum inſidioſe, nihil tale ſuſpicantem, in propria domo occidit. Cum haec dicerentur, facta eſt preſſura magna coram Rege, condolentium querimoniis Reginae; qui omnes obortis lachrymis tantam miſeriam deflebant, & iuſtitiam Reginae fieri poſtulabant. Clamabant ſane, ſi ſcelus perpetratum inultum maneret, quod neque Rex, neque quilibet Principum ſecure viuere poſſet.* (f) *Ad voluntatem*

f) Philippus cum occideretur, viceſimum nonum aetatis annum egit, & natu maxima filia Beatrix, cuius hic mentio fit, non niſi vndecimum. Vnde etiam ratio patet, cur Otto noſter ſuas cum ea nuptias poſt reditum ex itinere Romano reiecerit, probabileque fit, orationem, quae hic ei affingitur, in tam celebri Principum conuentu non ab vndecennali puella, ſed ex Spirenſis Epiſcopi ore profectam fuiſſe. Mater Irene hoc tempore, id eſt, in feſto Martini, quod Arnoldus Lubec. Lib. VII. c. 16. diſerte exprimit, non amplius in viuis fuit, vt ſupra iam diximus.

Digitized by Google

tem igitur omnium Dominus Rex proſcriptione publica damnauit homicidam illum; quem tamen poſtea Henricus Caletinus cum filio Wolff, ſupra memorati, quem idem occiderat, occidit, caputque reſectum in Danubium proiecit. Fuit autem regicida ille, Otto Comes de Wittelsbach, Palatinus Bauariae, Ottonis maioris, primi ex hac Familia Bauariae Ducis, fratris filius, & Ludouici tum regnantis conſobrinus. Complices ſceleris, proſcriptionem publicam metuentes, ſolum Germanicum mox reliquerunt; ſolus Otto in quadam curte Monachorum Ebracenſium, quae curtes vulgo *grangiae prioratusque* vocantur, & per Monachum eo miſſum gubernantur, ad Danubium poſita, veluti in ſolitudine, ſe abdit, ſui ſecurus. Proditus tamen Henrico de Caletin, cui diligentiſſima perquiſitio, quae ad Submareſchalli Imperialis officium ſpectat, mandata fuerat, & mox a militibus eius circumuentus, cum metu ignominioſi ſupplicii dedere ſe nollet, crudeliter occiditur, &, vt decuit, digna morte vitam finiuit. Ita praeter Arnoldum, quem iam audiuimus, Godefridus Colonienſis ad Annum 1208. rem narrat. Caput, vt dictum, reſectum a corpore in Danunubium proiectum; corpus autem Familiae redditum terrae mandari non potuit ante, quam Caeſarea proſcriptio & Pontificiae dirae ſublatae eſſent. Quo pacto Anno 1217. in Vndesdorſenſi Monaſterio demum eccleſiaſticam ſepulturam inuenit, annitente conſobrino, Ludouico Bauariae Duce, qui *ipſo die ſepulturae* pro ea impetranda *Curiam ſuam in Wittelsbach Fratribus in Vndesdorf contulit, & in propria perſona ſuper altare beatae Mariae eam delegauit*, docente Charta, quam (Probat. N. CCXCI.) ſubiungimus. Caeterum Familia Calentina ſeu Caletina eadem cum Papenheimia eſt, & olim ab arce *Kalten*, in Sueuia ad Ilerum ſita, cuius rudera etiamnum ſuperſunt, cognominata fuit. Imperialis Submareſchalli officio iam tum functum fuiſſe Henricum de Kalten vel hoc ipſum de Ottone Palatino ſumtum ſupplicium docet. Submareſchalli enim Imperii eſt, ſententias a Caeſare, vel vacante Imperio ab Archi Mareſchallo, in pacis publicae turbatores vel homicidas, ſi in Comitiis delinquunt, latas executioni dare. Vnde in loco conuentuum publicorum, vbi cum ſolemni pompa ei in publicum prodeundum eſt, id quod fere in excipiendis & deducendis S. R. I. Nouemuiris & exterorum Regum Legatis fieri ſolet, in comitatu eius *lictorum* quoque *Primicerius* conſpicuus eſt.

§. 47.

Arnoldus, qui Comitia Francofurtenſia Anno 1208. nobis deſcripſit, iis, quae ſupra ex eo recitauimus, addit, Ottonem Regem tunc cum Beatrice Philippi Regis filia ſponſalia celebraſſe, *Rex*, inquit, *Reginam adoleſcentulam in ſua procuratione ſuſcepit, quam etiam ad petitionem Principum*

pum pro bono pacis, ſi tamen id pro linea conſanguinitatis fieri poſſet, vxorem ducere ſpopondit. Suſcepit igitur eam cum patrimoniis & diuitiis multis & trecentis quinquaginta caſtris. Godefridus breuiter: *Filia Philippi Regis cum vniuerſis, quae poſſederat, in dotem ei dantur. Qua etiam coram Rege & Principibus de morte patris conqueſta, iudicio omnium praedictus Palatinus & eius fautores proſcribuntur & damnantur.* Prudenter vero filiam Philippi Regis Otto nunc Mariae Brabantinae praetulit, & rationem rei reddit Otto de S. Blaſio cap. 51. *Fortuna,* inquiens, *proſperis ſucceſſibus arridente, ne Principes, qui cum Philippo fuerant, & hi, qui Ottoni prius adhaerentes demum apoſtauerant, Regem conſcientia remordente ſuſpectum haberent, medium quoddam neceſſe fuit interponi: ne occaſione, vt fieri ſolet, alicuius diſcordiae conflata, in priſtinum rurſus exitium Regnum inuolueretur. Ad hoc nullum magis idoneum inueniri potuit, quam vt Otto Rex acciperet in matrimonium Philippi filiam, quae connexione inſolubili concordiam inter Regem & Principes ſtabiliret.* Filiam Philippi, quae hic Ottoni in ſponſam deſtinata eſt, *Beatricis* nomine vocat Arnoldus Lubecenſis. Neceſſe ergo eſt, Philippum hoc nomen duabus filiabus indi feciſſe. Nam & omnium iunior, quae Ferdinandum III. Caſtiliae & Legionis Regem Anno 1220. maritum accepit, BEATRIX dicta eſt. Affirmant hoc Rodericus Toletanus; Lucas Tudenſis, Alphonſus a Carthagena, Rodericus Santius, aliique. Et Didacus Colmenareſius in Hiſtoria Segobienſi cap. 20. Chartam Ferdinandi Regis pro Monaſterio Ciſtertienſi de Sotos Albos adducit, cuius ſubſcriptio haec eſt: *Facta eſt Carta apud Segouiam quinto Kal. Febr. aera* 1258. [h. e. Anno poſt Chriſtum natum 1220.] *anno Regni mei tertio, quo ego memoratus Rex Ferrandus in Monaſterio S. Mariae Regalis de Burgos manu propria me accinxi cingulo militari, & tertia die poſt Dominam BEATRICEM Reginam, Philippi quondam Romanorum Regis filiam, duxi ſolenniter in vxorem.* Hunc locum Chiffletius Lumin. XIII. aduindic. adduxit.

§. 48.

Aliud adhuc in Comitiis his negotium actum fuiſſe, ex eodem Godefrido Colonienſi diſcimus: addit enim ſuperioribus. *Ibi Rex primo, deinde caeteri Principes iurant firmam pacem terra marique ſeruandam, omnes iniuſtas exactiones vectigalium deponendas, omnia etiam iura, a Karolo Magno inſtituta, obſeruanda & tenenda.* Ex quibus verbis concludo, (g) iuſtitiam

g) Bene, an male; alii iudicent. Ego exiſtimo, Karoli Magni & reliquorum Carolingicorum Caeſarum Capitularia hoc aeuo, non niſi in pluteis Monachorum deliteſcentia, Principum notitiam fugiſſe, quia nulla eorum his temporibus vel in actis publicis,

Digitized by Google

iuſtitiam adhuc Ottonis IV. aeuo ſecundum Leges & Capitularia a Francicis Regibus confecta aut emendata adminiſtratam fuiſſe; Ottonemque dum Legum Carolinarum auctoritatem reſtitueret, tacite aboleuiſſe nouas quasdam Leges, praeſertim feudales, Principibus iniurias, & a Friderico Imperatore iis obtruſas. Natalem Domini Otto Rex *Coloniae* celebrauit, & paulo ante illum Theoderico in Archi Epiſcopum Colonienſem electo regalia manu ſua tradidit; atque, vt itrum Godefridus Colonienſis loquitur, *Ducatum Angariae Philippo felicis memoriae Colonienſi Archi Epiſcopo a Friderico Imperatore traditum, expulſo Heinrico Duce Saxoniae, patre ipſius Regis, cum Ducatu Lotharingiae, coram Heinrico Palatino Comite Rheni, fratre eius, & Principibus, qui praeſentes aderant, ipſi aſſignauit.*

§. 49.

Anno 1209. Ottone de S. Blaſio cap. 51. teſte, in Quadrageſima *Hagenoae* Principum colloquium inſtituit, Italicamque expeditionem indixit; vbi nuntium accepit, Henricum Marſchalcum de Kalentin Philippi Regis mortem in Ottone Palatino de Wittelsbach eo modo, vt ſupra iam retulimus, morte vindicaſſe. Hagenoa *Spiram* itum; vbi Rex iuramento, a Baluzio in Epiſt. Innocentii T. I. pag. 762. edito, Pontifici, vt illum ad concedendam coronam Imperialem & diſpenſationem de nuptiis cum filia Philippi fauentem ſibi redderet, denuo ſe obligauit. Eſt illud huiusmodi: *In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Otto quartus diuina fauente clementia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Recognoſcentes ab eo noſtrae promotionis donum miſericorditer proceſſiſſe, a quo eſt omne datum optimum*

blicis, vel in diplomatibus aut chronographis mentio, nullus vſus occurrit: id quod ante me iam diu obſeruarunt viri docti & rerum medii aeui haud imperiti. Vid. Struu. Hiſtor. iur. c. 6. §. 14. ſq. Et ſane caeteri Scriptores omnes, qui acta Francofurtenſis conuentus litteris conſignarunt, de Karoli Magni legibus in vſum reuocatis ſilent, contenti narraſſe, quomodo Otto *lege pacis promulgata, Regnum turbatum pauliſper tranquillauerit.* Otto de S. Blaſio cap. 50. Hinc *ortam nouam lucem in orbe Romano, iucunditatem pacis & quietis ſecuritatem* Arnoldus Lubecenſis Lib. VII. c. 17. ſcribit; & Auctor incertus fragmenti hiſtorici Alberto Argentinenſi praemiſſi ad Annum 1211. *omni tempore Ottonis per totum Regnum Alemanniae ſummam pacem & ſecuritatem fuiſſe* ait, *ita vt omnes mirarentur, quod etiam in abſentia eius, dum eſſet in Sicilia, tanta pax eſſe potuerit in terra;* neuter autem tantae tranquillitatis vim Karoli Magni inſtitutis in vitam reuocatis adſcribit. Et ſane *legem de pace publica* obſeruanda, Carolinis non inferiorem, paullo ante Fridericus I. Imperator tulerat, ab Vrſpergenſi, vt ſupra vidimus, nobis conſeruatam. Quid autem impedit, quo minus aeque bonam Ottonem promulgare potuiſſe credamus? Godefridus igitur, qui Imperium poſt diuturnum ſchiſma ſub Ottone bonis legibus ad eam tranquillitatem reductum eſſe gaudebat, qua olim ſub Karolo Magno, quo Germania nihil maius habuit, gauiſum erat, hanc pacem magnificis verbis celebraturus, *inſtitutorum Karolinorum* mentionem iniicit, phraſinque adhibet ſibi parum intellectam. Quod pluribus horum temporum Scriptoribus ſolemne fuiſſe, mox alio exemplo infra nota l. oſtendam.

Digitized by Google

optimum & omne donum perfectum, ipſum, eiusque Vicarium & ſponſam eius Sanctam Eccleſiam diſpoſuimus & decreuimus magnifice honorare; vt qui nobis in praeſenti temporale contulit Regnum, in futuro quoque tribuat ſempiternum. Proinde vobis, reuerendiſſime Pater & Domine, ſumme Pontifex Innocenti, quos pro multis beneficiis nobis impenſis ſinceriſſimo veneramur affectu, veſtrisque catholicis ſucceſſoribus & Eccleſiae Romanae omnem obedientiam, honorificentiam, & reuerentiam ſemper humili corde ac deuoto ſpiritu impendemus, quam praedeceſſores noſtri Reges & Imperatores catholici veſtris anteceſſoribus impendiſſe noſcuntur; nihil ex iis volentes diminui, ſed magis augeri, vt noſtra deuotio clarius eniteſcat. Illum igitur abolere volentes abuſum, quem interdum quidam praedeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dicuntur in electionibus Praelatorum, concedimus & ſancimus, vt electiones Praelatorum libere ac canonice fiant; quatenus ille praeficiatur Eccleſiae viduatae, quem totum capitulum vel maior & ſanior pars ipſius duxerit eligendum, dummodo nihil ei obſtet de canonicis inſtitutis. Appellationes autem in negotiis & cauſis eccleſiaſticis ad Apoſtolicam Sedem libere fiant, eorumque perſecutionem ſiue proceſſum nullus impedire praeſumat. Illum quoque dimittimus & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Praelatorum aut etiam Eccleſiarum vacantium noſtri conſueuerunt anteceſſores committere pro motu propriae voluntatis. Omnia vero ſpiritualia vobis & aliis Eccleſiarum Praelatis relinquimus libere diſponenda; vt quae ſunt Caeſaris Caeſari, & quae ſunt Dei Deo recta diſtributione reddantur. Super eradicando autem haereticae prauitatis errore auxilium dabimus & operam efficacem. Poſſeſſiones etiam, quas Eccleſia Romana recuperauit, ab anteceſſoribus noſtris, ſeu quibuslibet aliis, ante detentas, liberas & quietas ſibi dimittimus, & ipſam ad eas retinendas bona fide promittimus adiuuare. Quas vero nondum recuperauit, ad recuperandum pro viribus erimus adiutores; & quaecunque ad manus noſtras deuenient, ſine difficultate ei reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra quae eſt a Radicoſano vsque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, terra Comitiſſae Mathildis, Comitatus Britennorii, Exarchatus Rauennae, Pentapolis cum aliis adiacentibus terris expreſſis in multis priuilegiis Imperatorum & Regum a tempore Ludouici, vt eas habeat Romana Eccleſia in perpetuum, cum omni iurisdictione, diſtrictu, & honore ſuo. Veruntamen cum ad recipiendam coronam Imperii vel pro neceſſitatibus Eccleſiae ab apoſtolica Sede vocati venerimus, de mandato ſummi Pontificis recipiemus procurationes ſiue fodrum ab illis. Adiutores etiam erimus ad retinendum & defendendum Eccleſiae Romanae Regnum Siciliae ac caetera iura, quae ad eam pertinere noſcuntur, tamquam deuotus filius & catholicus Princeps.

Vt

Digitized by Google

Vt autem haec omnia memorato ſanctiſſimo Patri noſtro Innocentio ſacroſanctae Romanae Eccleſiae ſummo Pontifici eiusque ſucceſſoribus per nos & noſtros ſucceſſores Romanos Imperatores & Reges obſeruentur, firmaque & inconcuſſa ſemper permaneant, praeſens priuilegium conſcriptum maieſtatis noſtrae aurea bulla iuſſimus communiri.

Signum Domini Ottonis quarti Romanorum Regis inuictiſſimi.

Ego Conradus Spirenſis Epiſcopus vice Domini Siffridi Maguntini Archi Epiſcopi & totius Germaniae Archi Cancellarii, regalis Aulae Cancellarius recognoui. Acta ſunt haec anno Dominicae incarnationis milleſimo duceuteſimo nono, Indictione duodecima, regnante Domino Ottone quarto Romanorum Rege glorioſo, anno Regni eius vndecimo. Datum apud Spiram XI. Kalend. Aprilis. Spirae quoque hoc tempore Otto Rex donationem Abbatiae Niuellenſis, Henrico Brabantiae Duci olim factam, per ſententiam Principum reuocauit, Abbatiſſam in integrum reſtituit, eique dominium oppidi & priſtina iura confirmauit. (Probat. N. CCXCII.) Spira Aldenburgum in Saxoniam ſuperiorem deflectit Otto Rex, teſte Arnoldo Lib. VII. c. 18. vbi legitur: *Sequenti* [poſt Comitia Francofurtenſia] *anno indicta eſt curia in Aldenburg, quae alio nomine Plisne nuncupatur, vbi etiam ingens patrimonium Imperator poſſedit Comitis Rabbodonis, cum caſtro Leisnick & Colditz, quod Fridericus Imperator quingentis marcis a Comite memorato comparauit. Illuc conuenerunt Myſnenſes & Pliſnenſes, Poloni quoque, Boiemi & Vngari; ibique multis negotiis determinatis & pace iurata, quae in omnibus curiis praecedentibus firmata eſt, Dominus Rex faciem ſuam conuertit Brunſwich, vbi feſtum Pentecoſten ſolenniter celebrauit.* Caſtrum Leiſnicenſe & Coldicenſe Fridericum Imperatorem Anno 1156. Imperio contuliſſe ſupra in rebus Henrici Leonis demonſtrauimus. Altenburgi etiam ciuibus Stadenſibus inſigne priuilegium dedit, quod ex vetuſta membrana deſcriptum infra (Probat. N. CCXCIII.) ſubiicimus.

§. 50.

Sub initium etiam anni huius Otto Rex fratrem ſuum Henricum Comitem Palatinum cum litteris Principum Germaniae ad Iohannem Angliae Regem miſit, ſubſidia petiturum, quibus Imperii plenitudinem ſibi acquirere & conſeruare poſſet. Patet hoc ex epiſtola Iohannis Regis apud Rymerum Act. Angl. T. I. pag. 153. extante & 24. die Martii data, quae haec eſt: *Venerabilibus in Chriſto patribus Dominis Moguntin. Colon. Maydeburgenſi, Treuerenſi Dei gratia Archi Epiſcopis; & Spirens. Leodicenſ. Cameracenſ. Herbipol. Argentun. Metenſi Alneſtod. Manaſter. Ildeshem. Traiect. Epiſcopis;*

& de

& de Volda, & Herſefeld Abbatibus; & viris nobilibus & amicis kariſſimis, Duci Saxon. Duci Brabant. Landegraue Durniſ. Duci Cermſ. C. Marchioni Auſtriae, T. Marchioni de Miſa, A. Marchioni de Brair. Duci Bauariae, & Duci Auſtriae, Iohannes, eadem gratia, Rex Angliae, Dominus Hiberniae, &c. Litteras quorumdam ex vobis ſuſcepimus, quas Nepos noſter Dominus Rex Otho nobis deſtinauit per Fratrem ſuum Nepotem noſtrum, Ducem Saxoniae & Camerarium & Seneſcallum ſuum, quos de voluntate & conſcientia omnium veſtrum emanaſſe credimus; & habuimus ſuper hiis, quae nobis conſuluiſtis, magnum tractatum & diligens conſilium cum fidelibus noſtris, qui nobis conſuluerunt, quod nos conſilio & voluntati veſtrae adquieſceremus, quatenus de iure poſſemus. Vnde ad praedictum Regem, & ad vos mittimus dilectos & fideles noſtros W. Comitem Sarr. fratrem noſtrum, & fratrem R. Priorem Hoſpitalis Ieruſalem in Anglia, & Adam de Portu, & A. Archi Diaconum Wi. & H. Archi Diaconum Stafford, per ipſos ei & vobis ſignificantes ea, quae in praedicto Conſilio noſtro accepimus; & veſtram rogamus diſcretionem, quatenus pro Deo & honore noſtro, iuxta quod ipſi diſponerent, intendatis & procuretis ea fieri, quae honori dicti Regis, Domini veſtri & Nepotis noſtri, & honori noſtro magis videritis congruere & melius expedire. Volumus autem vos non latere, quod ex eo quod regendum Regnum ſuſcepimus & poteſtatem habuimus, multotiens ei, etiam ad grauamen noſtrum, ſubuenimus, eius plurimum deſiderantes ſublimationem; & iam tempus eſſet, quod id nobis remuneraret, & quod nos alter alteri ad inuicem ſubueniremus, cum tanta & talis iam pridem inter nos facta ſit confoederatio, & ſcriptis & ſacramentis firmata, quae de iure rumpi non poterit, nec debebit. Teſte Domino Winton. Epiſcopo apud ——— viceſimo quarto die Martii. Fuit tunc quoque cum Henrico Palatino apud Angliae Regem *Conradus de Wilra, alius Ottonis Regis Seneſcallus*, (h) cuius terram, homines, res & poſſeſſiones, *quas in Anglia habuit*, Iohannes Rex in cuſtodiam & protectionem ſuam recepit. Vide Rymerum l. c. pag. 154.

§. 51.

Curiae Brunſuicenſi Rex Otto, vt Arnoldus ait, *amicos tantum familiares adeſſe voluit, Archi Epiſcopum videlicet Magdeburgenſem*, (i) *Haluerſtadenſem*

h) Inconcinne recoquuntur, quae in geſtis Henrici Palatini iam appoſita ſunt. Hic cum tandem *Conradus de Wilre*, appoſito Seneſcalli nomine, in oculos incurrat; Ottoni Regi duo affinguntur Seneſcalli: quorum alter Henricus Palatinus, frater Ottonis; alter Conradus de Wilre fuerit. Quam fabulam ſupra, quantum ſatis eſt, vt putamus, exploſimus.

i) Albertum, e Comitibus Hallermundanis oriundum, Ottonis ante acerbiſſimum hoſtem,

uerſtadenſem Epiſcopum, Corbeienſem Abbatem, Wertinenſem Abbatem. Aderat quoque totus feſtinus Dux Bernhardus, Landgrauius, Palatinus Comes Rheni, Miſnenſis Marchio, Conradus Marchio, Wilhelmus Dux Luneburgenſis, qui erat frater Regis Ottonis, Marchio de Brandenborch. Comitum vero non erat numerus, militum plurima multitudo, quibus omnibus honeſtiſſime & abundantiſſime de impenſa regia adminiſtratum eſt. In ſancta vero die miſſa inchoata Dominus Archi Epiſcopus Magdeburgenſis Meiſnenſem Marchionem pro nota excommunicationis diuinis intereſſe noluit. Quem cum Dominus Rex a ſuo propoſito nullo modo reuocare potuiſſet, Marchionis conſulens verecundiae, cum ipſo Eccleſiam exiuit. Sequenti vero die, conſilio Principum ſatisfactione a Marchione promiſſa, controuerſia illa ſopita eſt. Arnoldus addit; *Bernhardum Ducem Saxoniae intuitum Leonem fuſilem,* qui a Duce Henrico in aula Palatii Brunſuici erectus erat, dixiſſe: *Quousque hiatum vertis ad Orientem? Deſine! iam habes, quod voluiſti; conuertere nunc ad Aquilonem.* Quibusdam hoc dictum riſum mouit; ab aliis *altius intellectum eſt.* Signa nempe dignitatum aut inſignia a magnis Principibus erigebantur, & verſus eam regionis plagam conuertebantur, quam ſibi ſubditam oſtendere volebant. Sic cum Aquisgranenſe Palatium circa Annum 984. inuaſiſſet Lotharius Galliae Rex, teſte Ditmaro Mersburgenſi Lib. III. pag. 29. edit. Maderi, ſibi idem *verſa Aquila* deſignari voluit, *cum Aquilam iſtam omnes hunc locum poſſidentes ad ſua vertere Regna conſueuiſſent.* Vnde Henricus Leo Dux, cum eius dominatui ſe Principes Orientales ſiue Saxoniae ſuperioris ſubtrahere vellent, Leonem ſuſilem, Anno 1166. erectum, ita collocauit, vt hiatum Orientem verſus haberet, & Principibus ei rebellibus veluti minaretur. Bernhardus nunc, cum ſe Ottoni Regi ſubdidiſſet, dixit: *deſine! iam habes, quod voluiſti: conuertere nunc ad Aquilonem.* Hocque ſcommate indicauit, Principes Orientales, inter quos primus erat, Ottoni Regi ſe ſubdidiſſe; ſed terram Transalbinam atque Polaborum a Danis nunc exemptam eſſe, neque ſponte redituram ad officium; curandum igitur Regi, vt Dani etiam ad obſequium Imperii, quod hactenus neglexerant, reducerentur, & Nordalbingi atque Slaui cum priſtino Familiae Guelficae patrimonio rurſus coniungerentur. (k) §. 52.

hoſtem; at nunc largis promiſſis aliquantiſper delinitum. Diploma, quo Otto in gratiam huius Alberti iuri ſpolii renuntiauit, (quod ius Reges noſtros inde ab antiquiſſimis temporibus in bonis decedentium Epiſcoporum & Praeſulum exercuiſſe Ekkehardus de caſibus S. Galli p. 20. docet, vbi de Hattonis ditiſſimi Moguntini Archi Epiſcopi morte loquens ait: *ſcrinia eius palatio addicta ſibi non proderant;*) ſupra iamin rebus Henrici Palatini ad Annum 1209. retulimus. Hoc praeceſſit alia transactio, quam e charta multum detrita diligentiſſime deſcriptam adiicio: (Probat. N. CCXCIV.) quae licet magnis lacunis ſqualleat, haud tamen tota inutilis erit. Videtur autem magis inſcriptio memoriae cauſa, quam abſoluta eſſe transactio.

k) Neſcio, an vis omnis verborum Bern-

§. 52.

Brunſuiga *Goslariam* & inde *Herbipolim* perrexit Otto Rex, vbi Comitia habuit, de quibus non meis, ſed Arnoldi Lubecenſis Lib. VII. c. 19. verbis, notatu dignis, loquar. *Finita*, inquit is, *feſtiuitate Rex abiit Goslariam, & ordinatis ibi quibusdam negotiis, proceſſit Walkenrede, vbi inuenit Abbatem de Morimunde, cum aliis quinquaginta duobus Abbatibus ſui Ordinis, qui eum omnes ſuae fraternitatis ſocium & orationis fecerunt; & ſic Regem ſecuti ſunt, ab ipſo largiter procurati, vsque Herbipolin; vbi cum maxima ſolennitate ſuſceptus eſt Dominica,* Domine in tua miſericordia, *cum hymnis & laudibus Dei. Cantus autem hic erat:* Adueniſti deſiderabilis. *Aderant ibi legati Domini Apoſtolici, Hugo Hoſtienſis Cardinalis & Epiſcopus, Leo Sabinenſis Cardinalis & Epiſcopus cum maxima copia Praelatorum & Principum, Sacerdotum & Clericorum. Inter quos erat Archi Epiſcopus Moguntinus Sifridus, Colonienſis Thidericus, Treuerenſis Iohannes, Salceburgenſis Eberhardus, Argentinus Henricus, Auguſtienſis Sigfridus, Conſtantienſis Wernerus, de Friſinge Epiſcopus Otto, Pataurenſis Managoldus, Ratisbonenſis Henricus, Baſilienſis Ludolphus, Hildenſemenſis Hartbertus, Verdenſis Iſo, Halberſtadenſis Fridericus, Hauelbergenſis Sibotho, Abbas Cono Elewangenſis, Abbas Vuldenſis, Herſeueldenſis, Corbeienſis, Prumienſis, Wircenburgenſis. Hos ſequuntur nomina Regum ſiue Principum: Odackerus Rex Boëmiae, Marchio de Mereren, Luppoldus Dux Auſtriae, Bernhardus Dux Saxoniae, Lodewicus Dux Bauariae, Dux Bertoldus de Zeringe, Dux de Lutringe, Dux Brabantiae, Marchio Miſnenſis, Conradus Marchio de Landesberge, Marchio Adelbertus de Brandenburg & alii quamplures. Ordinatis igitur ibi multis negociis & firmata pace, ſicut in omnibus curiis ſupradictis, Dominus Rex pro ſpeciali negocio aſſumptis tantum Cardinalibus, Praelatis & Principibus Sacerdotibus cum litteratis & legis peritis de legitimanda ei filia Philippi Regis ſic omnibus generaliter exorſus eſt: Rogamus omnes vos in Domino, primo Cardinales, qui de auctoritate ſiue conſilio Domini Apoſtolici adeſtis, ſummos etiam Archi Epiſcopos, Epiſcopos, Abbates & alios, quos eccleſiaſticus*

Bernhardi Ducis hic ſatis explicata ſit, quae altiorem ſenſum habere ipſe Hiſtoricus animaduertit, a quibusdam Principibus ea altius intellecta aſſerens. Mihi quidem iſta ad Leonem directa oratio & ad terras Transalbinas, quae inde ab Anno 1203. in Daniae Regis Waldemari II. poteſtate erant, recuperandas exhortatio Bernhardi, iurium, quae ipſe olim in terram Polaborum, quae hodie Lauenburgica eſt, ſibi arrogare conabatur, plenam obliuionem & abdicationem, votumque continere videtur malentis Nordalbingiam, quam ipſe ſine vllo iuris colore impetitam tueri non potuit, in poteſtate Guelforum, quorum auitum patrimonium fuit, quam in manibus Danorum eſſe, qui Prouinciam illam Regno ſuo vnitum ibant, deſtinataque ſub Friderico II. vti poſtea videbimus, perfecere.

eccleſiaſticus ordo diuerſis gradibus diſtinguit: excellentiam quoque Regum, Ducum, Principum, vt verba noſtra attendatis. Deus coeli poſt multas aduerſitates cum beneplacito omnium Regnum nobis donauit, ita vt non immerito cum gratiarum actione ei dicere poſſimus; Lapidem, quem reprobauerunt aedificantes, hic factus eſt nobis in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Quod cum luce clarius conſtet omnibus, & optio nobis non deſit de illuſtriſſimis foeminis, quas habet orbis Romanus, e quibus ſponſam ſiue coniugem eligere poſſimus: tamen quia tam celebris conuentus pendet de articulo filiae Philippi Ducis Sueuiae, quam noſtram conſanguineam nemo dubitat, veſtro nos ſubmittimus arbitrio, ſiue conſilio, vt iuxta ſalutem animarum veſtrarum ſincere deliberetis; omni ſcrupulo poſtpoſito fauoris ſiue timoris, quid nobis ſuper hoc ſit faciendum. Si enim ſex millibus annorum victuri eſſemus, magis omni tempore coelibem eligeremus ducere vitam, quam cum animae periculo ſortiri vxorem. Nemo gloriam, generoſitatem, diuitas, caſtra huius virginis attendat: quae omnia ſaluti animae aequiparari non poſſunt. Haec enim omnia nobiſcum ſunt. Si vero ipſa caſtra CCCL. diſtribuantur ſororibus, quas haec contingit haereditas, parum eſt, quod reſtat. Nunc igitur, vt dictum eſt, ſuper hoc deliberetis, vt congruum nobis reſponſum reddatis. Omnibus igitur ad colloquium locum dantibus: Rex ait fratri Henrico Palatino, qui a dextris eius erat: Volumus, vt cedas, ne quem tua praeſentia de vlla ſuſpicione terreat. Facta igitur longa deliberatione tandem ad Dominum Regem reuerſi ſunt. Poſuerat autem verba in ore Luppoldi Ducis Auſtriae, viri facundiſſimi & litterati, qui ſic coram Rege locutus eſt: Domine Rex, placet, vt audiatis reſponſum Cardinalium, Praelatorum & Principum? Ad haec Rex: Audio. Et ille: Nouerit ſublimitas veſtra, quod iſte tam celebris conuentus Cardinalium, autoritatem Domini Papae praeferentium, ſummorum Praelatorum & Principum & omnium litteratorum omnino vobis decreuit expedire, pro bono pacis & ſtatu Romani orbis, vt virginem, de qua mentio habetur, vxorem ducatis: hoc addentes, vt omnis auferatur trepidatio, duas congregationes Monachorum praeclaras liberrime conſtruatis. Nos quoque vobis non deerimus, facultates & eleemoſynas large erogando: Sacerdotes etiam ſiue alii inferioris ordinis, in miſſis & orationibus ſubueniendo. Ad haec Rex: Nos conſilium ſanum & bonum tantae autoritatis non refragantes veſtris acquieſcimus dictis. Igitur vocetur puella. Quae cum a Pontificibus, ſiue Principibus glorioſe adducta fuiſſet: Rex conſurgens de throno ſuo eam cum inclinatione recepit, & ipſam inter Cardinales, quorum cathedra e regione coram facie Regis erat, reſidere praecipiens, ſic omnibus ait: Ecce Reginam habetis; ipſam, vt decet, honorate.

rate. Ordinatis etiam legatis honoratis, honeſtiſſime eam vna cum ſorore vsque Brunſwich deduci praecepit. Ipſe vero in terra permanſit, & peragratis illis partibus de conſecratione Imperiali tractare coepit. Addatur his Godefridus Colonienſis ad An. 1209. Similia prorſus Otto de S. Blaſio habet: *Generalis* aiens, *curia a Principibus apud Herbipolim indicitur, in octaua Pentecoſtes. Principes igitur ex diuerſis Regni partibus ad hanc curiam conuenerunt, legatique ciuitatum Italiae ſubiectionem offerentes, interfuerunt, Ottonemque Regem regali ambitione coronata ciuitate, cum maximo tripudio ſuſceperunt, ibique in palatium regale congregati, extructo tribunali, Rex conſcendit. Cardinales habens collaterales, reliquis Principibus circumſedentibus. Itaque Hugo Oſtienſis Epiſcopus Cardinalis primo exorſus, de cauſſa regalis connubii, pro qua conuenerant, rationabiliter Latino idiomate allegauit, interpretem habens Wirziburgenſem Epiſcopum, Regique Ottoni, vt pro bono pacis & concordiae ad abolendam praeteritorum malorum memoriam, cum filia illuſtriſſimi Principis Philippi matrimonium contraheret, auctoritate Dei & beati Petri, per Apoſtolicam obedientiam, in remiſſionem peccatorum ſuorum praecepit. Rege igitur ad hoc deuoto animo conſentiente: Abbas Morimundenſis, Ciſtertienſis ordinis, ſurrexit, omniumque Abbatum aliorumque Clauſtralium vtriusque ordinis, Cluniacenſis videlicet & Ciſtertienſis, perſonam aſſumens, delictum hoc connubio contra conſuetudinem Eccleſiae quamuis diſpenſatorie committendum, monaſtico ordini auctoritate Apoſtolica impoſuit: Regi per hoc iniungens poenitentiam, vt Monaſteriorum, aliarumque Eccleſiarum pro poſſe defenſor exiſteret, viduis & pupillis iuſto iudicio praeeſſet, Monaſteriumque Ciſtertienſis ordinis in fundo proprio aedificaret, ac poſt haec Eccleſiae Hieroſolymitanae in propria perſona ſubueniret. His omnibus Rege obediente: puella iam nubilis a Duce Leopaldo Orientali & Ludouico Duce Bauariae adducta, tribunali ſiſtitur, ac de conſenſu interrogata, verecundata admodum rubore perfuſa, ſe libenti animo conſentire profitetur. Mox a Duce Leopaldo cognato ſuo, per manus Cardinalium, lege Francorum Regi Ottoni deſponſatur,* (1) *a quo amantiſſime*

1) En! Ottonem de S. Blaſio phraſi abutentem, cuius vim non intellexerat. Ait, Beatricem Ottoni deſponſatam fuiſſe *lege Francorum.* At deſponſationes lege Francorum initae conſenſu omnium Scriptorum & iurium eae ſunt, quae vulgo *ad morganaticam* vocantur, neque feminae dignitatem mariti, neque liberis ſucceſſionem in bonis paternis attribuunt. Breuitatis ſtudio tantummodo prouocare lubet ad textum II. Feud. 29. *Quidam habens filium ex nobili coniuge, poſt mortem eius non valens continere, aliam minus nobilem duxit: qui nolens exiſtere in peccato, eam deſponſauit ea lege, vt nec ipſa, nec filii eius amplius habeant in bonis patris, quam dixerit tempore ſponſaliorum — quod Mediolanenſes dicunt accipere vxorem ad* morganaticam; *alii* lege Salica, *ſeu* Francorum; vt addit Godofredus. Tale quid cum in hac deſponſatione neque Ottoni Regi, neque Ordinibus Imperii in mentem venerit, falſus non ero, ſi aſſeuerem, Ottonem de S. Blaſio verborum a ſe adhibitorum vim non intellexiſſe, nobisque in

tiſſime amplexata, publici ſigno oſculi, mutationeque annulorum ſubarrhatur: tractatisque diuerſis Regni negotiis, a curia digrediuntur, Reginaque Saxoniam perducta apud Bruniſwich aliquandiu manſura collocatur. Rite igitur Ottoni Regi deſponſata BEATRIX exinde cum *ſorore* Brunſuigae commorata eſt. Actum deſponſationis ſolennem depictum tunc credo, & poſtea inde depromptum & Epitaphio Ottonis appictum, ac in Aede S. Blaſii ſuſpenſum; vbi adhuc in tabula, vna cum patris Henrici Ducis deſponſatione, eo modo, vti in figura aenea, ſupra Tab. III. ad p. 70. exhibita, apparet, delineatus cernitur. Abbas Vrſpergenſis, iniquior vbique in Ottonem noſtrum, ait, eum *timuiſſe, ne miniſteriales ad Philippum ſpectantes non facile ſuo ſubderentur imperio, ſed ad natiuos Dominos redirent; inde filiam Philippi, tanquam Dominam omnium rerum, quae ad generationem illam ſpectabant, accepiſſe vxorem.* Similia ſupra ex Ottone de S. Blaſio protulimus.

§. 53.

Herbipoli Otto Rex alia Comitia *Auguſtae Vindelicorum* m) poſt feſtum B. Iohannis Baptiſtae indixit, vbi de itinere Italico & ſolenni Imperialis benedictionis perceptione tractatum eſt. Ad quod negotium, inquit Arnoldus Lib. VII. c. 20. *deputati ſunt plurimi tam Praelati, quam Principes, ſeu omnes, qui regalia tenebant, Archi Epiſcopus Treuirenſis, Magdeburgenſis, Herbipolenſis, Argentinus, Spirenſis, qui & Cancellarius, Wormatienſis, Baſilienſis, Conſtantienſis, Patauienſis, Epiſcopus de Chuore, de Auguſta, de Eiſteth, de Praga, de Olmoth: Abbates de Augia, de Sancto Gallo, de Kempte, de Wurzeburg, de Selſe, de Prume, de Ebſterna. Quibus adiuncti ſunt Principes, Dux Bauariae, Dux de Lutringe, Dux de Ceringe, Dux de Carinthia, Dux de Mereren, Marchiones & Comites plurimi. Caeteri, qui remanſerunt, theſauris innumeris in ipſa profectione Regi ſubſeruierunt.* Abbas Vrſpergenſis non negare potuit, *in Sueuia* Ottonem *praedonibus & facinoroſis terrorem incuſſiſſe, & iudicia ſuper eos exercuiſſe;* adiicit tamen, iniurius in Familiam Guelficam, eum hoc feciſſe *per ſuperbiam* potius, quam *iuſtitiae amantem.* Sed refutari non meretur homo partium ſtudio, vbi de Ottone agit, vbique occupatus. Dicit, eum habuiſſe ſecum *famulos ſuos de Saxonia, & Angliae* Cle-

in huiusmodi auctorum interpretatione non cortici vocabulorum adhaerendum, ſed magnam cautionem adhibendam eſſe.

m) Ibi in Concilio Principum plures decidit quaeſtiones iuris abſque vlla ad Capitularia Regum Francorum prouocatione. Notae temporis, Chartae ſubiectae (Probat. N. CCXCV.) fallunt. Non enim menſe Ianuario Anni 1208. ſed menſe Iulio Anni 1209. Otto Auguſtae Vindelicorum fuit.

Digitized by Google

Clericos & Laicos, & his *omnia beneficia* vacantia *contuliſſe.* n) Hoc tamen prudentia politica ab eo exigebat. Expertus enim erat hos fideles, cum alii eum turpiter olim decepiſſent & deſeruiſſent. Idem refert, *eum contra morem gentis* Sueuicae *Comites & Barones vel Principes ad ſe venientes rebus & verbis inboneſtaſſe.* o) Meruerant certe hoc ſubditi olim

n) Contra Philippus ne ab Eccleſiis quidem abſtinuerat, data ipſa Conradi Abbatia in pignus Bertholdo de Nifen. Vt dicacitas hominis, quae neque Pontifici, neque Imperatoribus parcere ſolita eſt, in apricum producatur, adſcribamus verba, quibus ipſum Regem Philippum & patrem eius, qui tamen Sueuiae Duces & Eccleſiae Vrſpergenſis Domini erant, peſſime traducit. *Hic* (Philippus) ſcribit p. 237. *cum non baberet pecunias, quibus ſalaria ſiue ſolda praeberet militibus, primus coepit diſtrabere praedia, quae pater ſuus Fridericus Imperator late acquiſierat in Alemannia, ita vt cuilibet Baroni, ſiue miniſteriali villas, ſeu praedia ruſticana, vel Eccleſias ſibi contiguas obligaret. Sicque factum eſt, vt nibil ſibi remaneret praeter inane nomen dominii terrae, & ciuitates ſeu villas, in quibus fora babentur, & pauca caſtella terrae. Ea tempeſtate, idem Philippus Eccleſiam Vrſpergenſem obligauit titulo pignoris, nobili viro, Bertboldo de Niſem & filio eius Henrico, quam poſtea Praepoſitus, qui tunc fuit, & fratres de poteſtate eorundem tyrannorum liberauerunt, cum tantam coepiſſent ibidem exercere tyrannidem, vt nequaquam poſſet Eccleſia conuentualis exiſtere. Pro liberatione vero ſoluerunt 200. marcas argenti. Hic modus obligationis & ſolutionis Eccleſiarum, maxime Ciſtercienſis & Praemonſtratenſis Ordinis, bactenus inuſitatus fuit, & libertatibus priuilegiorum ipſorum valde contrarius; cum conſtet, quod priores Imperatores nullum tale ius ſibi vendicabant in Eccleſiis praedictorum Ordinum. Occaſio autem buius rei dicitur fuiſſe & narratur, quod olim, praeſidente Grimone Praepoſito in Eccleſia Vrſpergenſi, regnante Cunrado Rege, & ſibi ſuccedente nepote ſuo Imperatore Friderico, propter reuerentiam & autoritatem praefati Grimonis, ipſi Imperatores nibil buiusmodi iuris praeſumpſerunt ſibi vendicare, praeterquam illud, quod pertinet ad dominium totius terrae, vt ſub protectione ſua ea ſuſciperent, & priuilegiis ſuis munirent, & fideliter defenderent. Contigit autem, quod mortuo praedicto Grimone, Canonici Vrſpergenſes elegerunt ſibi in rectorem quendam de fratribus ſuis, bominem nullius intelligentiae aut valentiae, & adeo bebetis eloquentiae, vt nec verbum de ore ipſius niſi cum difficultate poſſet intelligi. Cumque talis Praelatus coram inclytae recordationis Imperatore Friderico comparuiſſet, ipſe cum tota Curia ſpreuit eundem, odioque ſui, nobili viro Degenbardo de Helſinſteyn, procuratori ſuo per omnia regalia praedia Sueuiae, iniunxit, quatenus perſonaliter accederet ad Eccleſiam Vrſpergenſem, & de voluntate fratrum in praediis ipſorum ſtatueret, extra Abbatiam, & grangias, & ſtatutis apponeret annuum, quod ſibi pro aduocatia & defenſione ſolueretur, vt videlicet quilibet manſus ruſticanorum praediorum ſolueret maltare vnum auenae, vt officiales ſui equis ipſorum ex boc baberent annonam, & ipſa Eccleſia ſine praeiudicio omnis grauaminis Imperialem baberet defenſionem. Hinc nacta occaſione, cum praefati tyranni de Niſen tantillam penſionem ab Imperatoribus petere viderentur, ipſam Eccleſiam omnino ſubegerunt, & deſtruere ſtuduerunt. Ceterum Deus, vltionum Dominus, in primum buius ſceleris autorem, praefatum videlicet Philippum, vindictam exercuit, vt ſub gladio tyranni caderet, qui primus Eccleſias in poteſtatem tyrannorum contradidit.*

o) Videtur Otto Rex, commotioris nonnumquam animi, aſperis verbis vſus fuiſſe erga eos, qui ipſi apparabant. Querelae hac de re vsque in Curiam Romanam penetrarunt. Innocentius enim Pontifex, veluti quidam nouus morum magiſter, Ep. 153. praecepta vitae ei praeſcribit his verbis, quae Ottonis indolem produnt: *Tu autem, fili cariſſime, benignitatem & bumilitatem cunctis oſtendens, bonorem & gratiam exbibeas vniuerſis, a ſermonibus aſperis & iniurioſis operibus abſtinendo; nec in conceſſionibus durus, nec in promiſſionibus ſis auarus; fideliter tamen obſeruans vtrasque, quia non dabis vnum pro mille, immo recipies plus quam mille pro vno. Principes quoque tam Eccleſiaſticos, quam mundanos, per idoneam cautionem de omni reddas indemnitate ſecuros, ad grauitatem & conſuetudinem regiam te informans. Perſonam vero tuam caute* custo-

olim Familiae Guelficae, & inde patris eius Henrici, quem nulla de cauſa turpiter olim deſeruerant, & ab aliquo tempore iam, non vt Magnates, ſed vt praedones vixerant, vt ipſe Vrſpergenſis fatetur. Filio alta mente repoſta haerebat iniuria patri facta, & amor iuſtitiae, quo a prima iuuentute imbutus erat. Vnde Vrſpergenſis etiam in laudem Ottonis addit, eum hoc facto *fauorem maximum a popularibus & clauſtralibus acquiſiuiſſe.* Feuda eum, quae Philippus habuerat ab Eccleſiaſticis Principibus etiam contra voluntatem illorum obtinere voluiſſe, nemo Ottoni in malam partem interpretabitur, qui in memoriam ſibi reuocabit, pleraque Philippum a Welſo, Henrici Leonis patruo, accepiſſe, quae iuſto titulo ante Guelficae Familiae fuerant, & nunc ab Ottone eidem vindicata ſunt. Vghellus Ital. Sacr. T. V. pag. 291. ſq. exhibet priuilegium Ottonis IV. quo Gullielmum Cumanum Epiſcopum eiusque Eccleſiam in ſuam protectionem recipit. Ex eo excelſus animus erectaque auguſtae mentis indoles patet. Incipit enim *Otho Quartus diuina fauente clementia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus; omnibus Imperii fidelibus in perpetuum: quamquam ſereniſſima, & de fonte pietatis procedens imperialis dignitas maieſtatis, ac inuictiſſima magnitudinis noſtrae poteſtas, vehementius, nos prouocent & inducant, vt amputata cunctis libertate nocendi, vniuerſos Imperii fideles, tam vehementer, quam potenter, tueamur,* &c. & finitur demum his verbis: *Data Anno Dominicae Incarnationis* 1209. *Ind. XII. menſe Martii, anno vero D. Othonis inuictiſſimi Imperatoris primo. Actum Auguſtae feliciter. Amen.* Indictio cum anno congruit; ſed pro *menſe Martii* reſtituendum eſt: *menſe Iulii.* Hinc vero diſcimus, Ottonem ſe iam ante benedictionem Papalem *Imperatorem* ſcripſiſſe, & prouti dignitatis atque maieſtatis Imperii Germanici acerrimum vindicem in omnibus ſeſe praebuit, ſic etiam iam tunc crediſiſſe, non a Pontificis conſecratione, ſed a Principum electione & conſenſu Imperialem dignitatem dependere. p)

§. 54.

Praeparatis rite omnibus, & Henrico fratre adminiſtratore Regni Lotharingici, vt ſupra vidimus, inſtituto, Otto tandem *circa Aſſumtionem*

cuſtodias, & corpore depoſito, ſollicitudinem geras in omnibus vigilantem. Forte Otto aliquid hauſerat ex rauca ſeu ſonora voce S. Conradi, & ex Welfi Craſſi clamoribus, quibus in Concilio Trecenſi Gallos & Italos territauit.

p) Ex falſis praemiſſis falſa ſequitur concluſio. Vghelli diplomata pleraque in nominibus propriis & in notis numericis tam corrupta ſunt, vt tanti momenti illatio ex inſcriptione vitioſae Chartae duci non poſſit ſine inſigni iudicii lapſu. Nullum ſane exemplum eſt Principis Germanici, Romanorum ſe Imperatorem ſcribentis, qui caruerit corona Romana. Vnde nec Ottonem ab inueterato vſu diſceſſiſſe credendum eſt. Si dignitatem Imperialem a conſecratione Pontificia non dependere credidit Otto; appellationem tamen Romanorum Imperatoris ab ea dependere crediderit neceſſe eſt, quia ante eam peractam ipſe ad exemplum deceſſorum ſuorum iſto titulo abſtinuit.

nem B. Virginis, vt Arnoldus Lib. VII. cap. 20. ait, *Alpium iuga ſcandere coepit, relictaque ciuitate, quae ex aquae nomine naturaliter Insbrugge dicitur, proſpere tenuit Brixiam, vbi Atheſis fluuius occurrit*, q) *per cuius deuexum deſcendens venit Tridentum. Quo relicto venit ad tranſitum arctum montibus praecluſum, qui Veronenſium Cluſa dicitur; vbi caſtrum eſt firmiſſimum, quod ex longa antiquitate vrbs Hildebrandi dicitur. Illuc robur erat fortium propter amplitudinem ipſius caſtri, qui contra Veronenſes werram diutinam habebant, & non parum infeſtabant eos. Adueniente igitur Rege, ipſum caſtrum ei offerunt, per quod plurimum toti terrae fuit dominatus. Veronenſes tamen adhuc ipſos caſtellanos infeſtare non timebant, ſicque offenſam Regis incurrerunt. Poſtea tamen, datis multis millibus marcarum, in gratiam Regis recepti ſunt. Dominus igitur Rex procedens magnifice, receptus eſt a Mantuanis & Cremonenſibus. Verum poſt tranſitum Padi Parmonenſes & Pontremulenſes Regem cum gaudio ſuſceperunt. Nec defuerunt Mediolanenſes, Genuenſes, Lucenſes, cum aliis ciuitatibus, ciuitates ſuas tripudiando offerentes, & gazis innumeris & muneribus eum honorantes.* Otto de S. Blaſio cap. 52. idem iter his verbis deſcribit: *Iisdem diebus Otto Rex generalem curiam, circa feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli, apud Auguſtam Vindelicam celebrans, praemiſſis prius ad Apoſtolicum Cardinalibus, expeditionem mouit in Italiam, & per vallem Tridentinam ducens exercitum, Veronam peruenit: ibique a ciuibus, ponte nauibus compacto, per Atheſim cum toto exercitu transductus, fauorabiliter excipitur. Diſpoſitis itaque inibi negotiis Imperii, Gardam caſtellum ab Imperatore Henrico VI. Veronenſibus quondam traditum, ab ipſis recepit, & in eo praeſidia Imperii, more antiquorum, poſuit. Exin Bononiam copias traiiciens, generalem inibi curiam cum Principibus Italiae celebrauit, ac inde Mediolanum perueniens, honorifice a ciuibus ſuſcipitur. Vbi moram faciens negotiaque Reipublicae diſponens, validum ex omni Italia contraxit exercitum: Pyrenaeum tranſiens Tuſciam applicuit.* Hic nuntios ad Innocentium Papam, eodem Ottone, S. Blaſii Monacho, teſte, *Patriarcham Aquileienſem & Epiſcopum Spirenſem, Cancellarium ſuum, Romam praemiſit; qui ex perſona Regis compoſitione Imperialis conſecrationis cum Apoſtolico facta, ad Regem regrediuntur, ipſumque cum vniuerſo exercitu ex parte Domini Apoſtolici filiali affectu compoſitionem conſecrationis intimantes, ſaluta-*

q) Brixiam ſeu Brixinum attingis, vbi montem Brennerum ſuperaueris, ad cuius radices & ad ripam per altiſſima vtrimque montium iuga anguſtiati fluuii, quem *Eiſak* ſeu *Aſigam* vocant, Brixia poſita eſt. Huius fluuii decurſum vbi per vnius diei iter ſecutus fueris, Bolzanum ſeu Bauzanum deuenis, vbi demum Atheſis occurrit, quae Tridentinam viam praemonſtrat. Arnoldus igitur pro Bolzano Brixiam ſcripſiſſe videtur.

lutauerunt. Godefridus Colonienſis breuiter: *Eodem* ait, *anno Otto Rex Italiam cum magno apparatu intrauit, vbi Principes totius Longobardiae ei occurrentes cum gloria eum ſuſceperunt, ciuitates & caſtella eius dominio ſubdiderunt, infinitam pecuniam vectigalium & tributorum a temporibus Henrici Imperatoris reſeruatam tradiderunt.* Legatorum reditum Otto *Senis* expectauerat, vt ex Arnoldo apparet. Inde, vt idem pergit, *venit ad ciuitatem, vbi paſſa eſt Beata Chriſtina, quae de eius nomine Stagnum S. Chriſtinae vocatur. Vnde procedens cum omni comitatu ſuo venit Byternis,* [Viterbium] *vbi cum magna ſolennitate & multo comitatu tam Cleri, quam populi occurrit ei Dominus Apoſtolicus Innocentius. Quanto autem gaudio & cordis exultatione ſe mutuo receperint, ex multis complexibus & oſculis, vel etiam profuſis eorum lacbrymis, quas abundantia laetitiae produxerat, praeſentis ſcripti depromere nequit inopia.*

§. 55.

Continuat deinde Arnoldus L. VII. cap. 21. hoc modo: *Igitur in feria ſexta, quae fuit poſt feſtum B. Michaëlis, quod tunc feria tertia celebratum eſt, venit Dominus Rex ad limina Beati Petri cum magna deuotione adorare Sanctos Dei Apoſtolos; ſimul etiam vrbem regiam omnibus modis honorare. Habuit enim in comitatu ſuo ſex millia loricarum, exceptis baliſtariis & innumera militia Praelatorum & Principum. Dominica igitur die, vt dictum eſt, poſt feſtum Michaëlis cum proceſſio fieret ad atrium Beati Petri, facta eſt preſſura nimia aduenientium & occurſantium ad gradus Monaſterii Beati Petri, & omnis via negabatur proceſſioni; ſed larga manus Regis cum maxima copia ſpargebat argenteos, & tandem vix obtinetur aſcenſus. Nec defuerunt miniſtri cum lanceis & fuſtibus reprimere tumultus. Sicque in Dominica* Da pacem Domine, *Dominus Imperator cum magna pace & tranquillitate & iucunditate conſecratur & coronatur,* r) *omnibus magnifice laetantibus & cantantibus:* Fiat pax in virtute tua. *Et quia ipſe ſummo ſtudio ſemper paci ſtudebat, ſperamus, ipſum officium pacis, & vnitatis Eccleſiae Dei, quae diu concuſſa fuit, a Deo obtinere ſolatium. Finito officio Dominus Papa Imperatorem nouum deuote vocat ad conuiuium: quem Dominus Imperator precibus inſtantiſſimis obtinet*

r) In Germania huius caerimoniae nuntius tanto gaudio exceptus eſt, vt ex ea ſingularem epocham facerent, diplomatibusque ſuis annum coronationis Ottonianae adſcriberent. Sic in diplomatario Schonaugienſi p. 80. inſtrumentum occurrit, quo, quod actum eſt, actum eſſe dicitur Dominicae Incarnationis Anno MCCIX. in clauſtro S. Petri Wormatiae, Regnante glorioſiſſimo Imperatore Ottone, *anno conſecrationis eius primo.* (Probat. N. CCXCVI.)

Digitized by Google

net venire ſecum. Cum igitur ventum fuiſſet ad equos, Imperator, non immemor Apoſtolicae reuerentiae, quae exhibenda eſt ipſorum vicario fideli & reuerendo Papae Innocentio, ſtrepam ipſius deuote apprehendit. Sicque ad locum conuiuii venitur, vbi de Imperatoris magnificentia ſimul in vnum diues & pauper large procuratur. Otto de S. Blaſio cap. 52. *Qui* [Otto] *mox ad vrbem tendens exercitum caſtrametari ante portas vrbis fecit: ipſeque craſtina die Dominica ante feſtum Sancti Michaëlis, quae eo anno V. Calend. Octob. euenit, a Domino Papa Innocentio & a Romanis honorifice ſuſcipitur, datoque ſacramento coram Eccleſia, ſe iuſtum iudicem ac viduarum & orphanorum tutorem, nec non Eccleſiarum & praecipue patrimonii Sancti Petri, defenſorem pro poſſe exiſtere, ab Apoſtolico conſecratus coronatur, Imperatorisque & Auguſti nomen, nonageſimus ſextus ab Auguſto ſortitur.* In die ſolum coronationis S. Blaſii Monachus ab Arnoldo diſſert, dum eum in V. Kal. Octobris, ſiue Dominicam ante feſtum Michaëlis refert, quod & Chronicon Foſſae nouae apud Vghellum Ital. Sacr. T. I. pag. *485. facit, cum Arnoldus eundem in Dominicam poſt feſtum Michaëlis, ſiue III. Non. Octobris reponat, in quo Arnoldo conſentiunt Godefridus Colonienſis & Albericus. Sed antequam coronationem Ottonis mittamus, lubet ex Iohannis de Ceccano Chronico Foſſae nouae, quae ibi de ea extant, excerpere. Scribitur ibi: 1209. *Indictione duodecima, adueniente tempore aeſtatis, poſt Aſcenſionem Domini, Papa Innocentius, iterum Viterbium reuertebatur, & tam diu ibi ſtetit, quousque aduenit Oddo Rex cum magno & inuſitato exercitu. Dominus Papa pro ſua voluntate cum Oddone Rege multa locutus, reuerſus eſt Romam, & Rex Oddo poſt eum cum exercitu. Quinto Kalendas Octobris Dominus Papa in Eccleſia Sancti Petri honorifice coronauit praedictum Oddonem Imperiali corona. Celebrato ſacrificio coronationis, Dominus Papa volens reuerti Romam, non poterat propter innumerabiles armatos equites Teutonicos, qui manebant extra ianuam Sancti Petri, vsque in portam Romae pontis Sancti Petri. Oddo coronatus Imperator, veſtitus imperialibus veſtimentis ſacratis, mitratus & coronatus iuit cum Domino Papa vsque ad portam Romae, & Dominus Papa ibi eum benedixit, licentiauit, & rogauit eum, vt alio die adueniente recederet a territorio Romano.*

§. 56.

Meneſtrierius Part. II. de vſu Inſignium pag. 115. refert, in Collegio Sociorum Ieſu Luxemburgi aſſeruari Codicem rhythmos morales germanica lingua ſcriptos continentem & Anno 1215. confectum: Auctorem Libro VIII. Principes & ſpeciatim Fridericum II. exhortari ad

ſecu-

recuperationem Terrae Sanctae; eumdemque ibidem profiteri, ſe Romae praeſentem & in familia Ottonis Imperatoris fuiſſe, cum ille coronaretur. Reprehendit auctor hic Ottonem, quod eo tempore in ſcuto *Aquilam dimidiam* & *tres Leones* geſſerit. Inſignia, ait, eſſe indicia animi morumque eorum, qui iis vtantur; vt animi fortitudinem oſtenderet, ſuffeciſſe vnum leonem; *aquilam* vero, cum ſit ſymbolum gloriae, integram debuiſſe aſſumi. Sed miſer quisquis fuerit in arte Heraldica homuncio debuiſſet ſcire, haec non ſymbola moralia, ſed dignitatum fuiſſe. *Dimidia Aquila* ſignum erat Regni Romanorum, quae adepto Imperio, integra aſſumta eſt. *Tres Leones* indicabant Ducatum Saxoniae, Ducatum Aquitaniae & Comitatum Pictauiae, qui, vt ſupra oſtendimus, de iure Ottonis erant. Interim hinc clarum eſt, Inſignia hic deſcripta Ottonem geſſiſſe, cum Romam intraret in Imperatorem coronandus.

§. 57.

Vidimus paulo ante, Ottonem Spirae Pontifici promiſiſſe reſtitutionem Terrae Mathildis & multarum aliarum alias ad Imperium pertinentium ditionum; quarum magnam partem Innocentius, durante Regni diſſidio, ad ſe rapuerat, eiectis Imperii praefectis. Erant inter illas *Marchia Anconae*, *Ducatus Spoleti & Comitatus Aſſiſii*, *magna Tuſciae pars*, *Rudicoſanum*, *Aquapendente*, *mons Flaſconis*, *atque Tuſcanum* & multa alia. Terram Mathildis ciuitates foederatae occuparant, & ab iis Papa eam fruſtra tunc requiſierat. Sed videantur ipſa Innocentii geſta cap. 9. 10. 11. 12. 13. & 14. pluribus hac de re agentia. Godefridus de Terra Mathildis ſpeciatim loquens; *hanc*, inquit, *terram Papa ante conſecrationem ſibi reſtitui poſtulans*, *Imperator*, *vt nouus homo & rei neſcius*, *annuit & promiſit; ſed poſt conſecrationem a magiſtratibus reuocatus & prohibitus minime reſtituit.* Non tamen ſuaſu ſaltem magiſtratuum, ſed conſcientiae motu coactum fuiſſe Imperatorem credo, vt haec & alia Papae non reſtituerit, nec, quae in iniuriam Imperii iurauerat, ei ſeruauerit. Iuramentum enim Papae factum a Legatis ab eo extortum erat; iuramentum vero, quod in conſpectu Procerum Germaniae & Italiae Romae in ſolenniſſimo coronationis actu, more Imperatorum antecedentium, & Papa quidem exigente, publice praeſtiterat, continebat teſte Matthaeo Paris. ad An. 1211. ſtipulationem, *quod videlicet dignitates Imperii conſeruaret*, *& iura diſperſa pro poſſibilitate ſua reuocaret.* Chronicon Montis Sereni pag. 93. etiam confirmat, Ottonem *in conſecratione ſua, vt fieri ſolet, iuraſſe, ſe bona Imperii conſeruare*, *& a quolibet detenta repetere velle.* Guillielmus Brito Philippidos Lib. X. pag. 314. Ottonem IV. introducit in Conuentu Valentinenſi verba facientem, & inter caetera dicentem:

Illo quippe die, quo me diademate primum
Reddidit inſignem patrum pater Imperiali,
Hanc promulgaui legem, in ſcriptisque redactam
Iuſſi per totum ſeruari firmiter orbem.
Eccleſiae decimas oblataque munera tantum
Poſſideant; villas nobis & praedia linquant,
Viuat vt hinc populus, habeatque ſtipendia miles.

Non tamen putandum eſt, Ottonem hanc legem re ipſa tuliſſe; ſed vi iuramenti Imperio praeſtiti, ſi recepiſſet, quae Papa & Clerus Imperio malis artibus aut fraudibus piis extorſiſſent, lex eiusmodi omnino vel tacite ſtabilita fuiſſet. Ne igitur periurus ſibi & aliis videretur, in dubio hoc caſu de duplici iuramento Imperator, vt Matthaeus Paris prodit, *fecit per ſacramentum legalium hominum Imperii, dominica caſtella ſua & alia iura ad dignitatem Imperii ſpectantia perquiri, & quaecunque per recognitionem ad ius Imperii ſpectare didicerat, in vſus ſuos conuertere laborauit. Hac autem*, pergit Matthaeus, *de cauſa orta eſt diſſenſio grauiſſima inter Dominum Papam & Imperatorem memoratum; eo quod tempore, quo vacabat Imperium, idem Papa caſtella plurima cum rebus aliis occupauerat, quae ad dignitatem Imperii pertinebant. Vnde Imperator, quia, quod ſuum erat, reuocare ſtuduit, ipſum Papam ſine merito ad odium prouocauit.* Quod candidum exteri hominis iudicium notatu eſt digniſſimum. Terram Mathildis vt Papae non concederet, videtur & illa ratio Ottonem vrſiſſe, quod ea iniuſte Familiae Guelficae, artibus Friderici I. & Henrici VI. Imperatorum, erepta eſſet, cum tamquam hereditas auita ei debita eſſet. *Inueſtituras* etiam *Epiſcoporum*, quas Henricus V. Papae conceſſerat, repetiiſſe Ottonem Marſilius Patauinus in Defenſore Pacis Part. II. c. 26. teſtatur.

§. 58.

Imperator igitur, ſubdole extorto iuramento inſuper habito, ſolennius illud ſancte ſeruandum eſſe recto prorſus & ſapienti conſilio ratus eſt, & hac mente Roma in Tuſciam abiit, a Papa ad diſceſſum maturandum coactus, ne praeſens praeſenti declararet, ſe iuramentum Spirae factum ſalua conſcientia ſeruare non poſſe. Id enim ex litteris Ottonis in anno ſequente recenſendis ſatis manifeſte apparet. Chronicon Foſſae nouae, in Ottonem non aequum, cum retuliſſet, Ottonem a Papa monitum, vt altero poſt coronationem die a territorio Romano recederet, pergit his verbis: *quod ipſe minime fecit; ſed deficiente Romano fodero, & adueniente in caſtris panis & vini inopia, volens, nolens receſſit a Roma; & ab ipſo tempore Oddo*

Impe-

Digitized by Google

Imperator periurando coepit habere irrita & vacua omnia praecepta Domini Papae, & infeſtare & minuere omnia iura Eccleſiae. Richardus de S. Germano non aequior in Ottonem in Chronico: *Otho*, inquit, *Dux Saxoniae, ab Innocentio Papa vocatus apud S. Petrum in Romanum Imperatorem coronatur, non ſine ſtrage magna ſuorum, qui praeſtito iuramento de conſeruando Regalibus S. Petri, & de non offendendo Regem Siciliae Fridericum, in Marchiam ſecedens, & in partes Tuſciae, ibi per annum continuam moram fecit.* Abbas Vrſpergenſis etiam vbique Ottonis famam lacerans: *Imperator*, ait, *coronatus, dimiſit exercitum, & ipſe cum paucis in Italia permanſit, accipiens terram in poteſtatem. Inſignia quoque Imperialia apud Mediolanum commiſit; vnde magnum fauorem a Mediolanenſibus acquiſiuit. Inde peragratis partibus Tuſciae & Marchiae contra iuramentum, quod fecerat Domino Papae, manu hoſtili coepit inuadere terras Sancti Petri, ad Eccleſiam Romanam pertinentes.* Sed quicquid faciebat Otto, vi iuramenti Imperatorii facere tenebatur. Nec exercitum dimiſit, ſed decreſcebat ille fame & aliis incommodis, a Papae fautoribus ipſi creatis. Vnde rectius Godefridus Colonienſis ſcribit: *Nouus Imperator in Italia commorabatur, quae ordinanda & diſponenda per prouincias & ciuitates erant, ordinans & diſponens.* Anni huius 1209. 6. Kal. Nouembris apud *Caſtellum Florentinum* commoratus eſt, & Petrum Epiſcopum Aſculanum, propter fidelitatem eius, *Regalibus Aſculanae Eccleſiae cum Comitatu & vniuerſis eius pertinentiis cum omni honore & iurisdictione, excepto Imperiali, inueſtiuit atque in ſpecialem protectionem ſuam* recepit. Diploma Vghellus T. I. pag. 521. habet. *Aſculum* vrbs eſt Marchiae Anconitanae; vnde intelligimus, Ottonem iam in eo fuiſſe, vt hanc Imperio redderet. *Pridie Kal. Nouembris apud S. Miniatum* in Tuſcia exiſtens in ſuam protectionem ſuſcepit, & bonorum confirmatione honorauit Otto Imperator *Conuentum S. Galgani Ciſtercienſis Ordinis, qui ſitus eſt in Epiſcopatu Volaterrano in monte Sepio.* Vide Vghellum Ital. Sacr. T. I. pag. * 360. *IX. Kal. Ianuarii* apud *Interamnem in partibus Spoletanis* idem Imperator duo inſignia priuilegia Monaſterio Walkenredenſi conceſſit, (Probat. N. CCXCVII. & CCXCVIII.) a Meibomio T. III. pag. 161. ſq. publicata, ex quorum teſtibus videmus, quinam tunc Proceres apud Ottonem fuerint. Inter eos in vtroque comparet *Azo, Marchio Eſtenſis;* mox ab Ottone, vt ſequitur, inſigni beneficio deuinctus. Imperator adhuc *VI. Kal. Ian.* apud *Interamnem* fuit, & ibi dotationem Monaſterii Portenſis ad Salam fluuium, Numburgo non procul ſiti, *a Conrado Marchione de Landsberg* hoc anno *Aldenburgi* peractam confirmauit diplomate ab eodem Meibomio l. c. p. 159. in lucem emiſſo. (Probat. N. CCXCIX.)

Digitized by Google

§. 59.

Philippus Rex Anno 1207. *Azoni Marchioni Eſtenſi dilecto ſuo conſanguineo* & *Dominae Aliſiae* coniugi eius confirmauerat villas quasdam Vicentini tractus, de quo diploma eius (Probat. N.CCC.) apud Clariſſimum Muratorium Antiq. Eſtenſ. Part. I. pag. 381. ſq. extat. Has easdem Anno 1210. *Nonis Ianuarii* apud *Fulgineum* in Ducatu Spoletano confirmauit denuo Otto Imperator diplomate ad quod Dn. Muratorius l. c. p. 383. prouocat; quod tamen ipſo fatente vnius eiusdemque argumenti eſt cum praecedenti Regis Philippi. Vnde teſtes ſolum annotauit, qui fuerunt: *Wolferus* [Walterus] *Patriarcha Aquilegienſis, Lotharius Piſanus Archi Epiſcopus, Iohannes Cameracenſis Epiſcopus, Henricus Mantuanus Epiſcopus, Comes Hartmannus de Wirtemberc* [leg. *Hermannus de Hartzburg*] *Henricus Mareſcalcus de Callendin, Albertus Strucius & alii quam plures. Acta ſunt haec Anno Dom. Incarn. MCCX. Datum apud Fulgineum . . . . . Non. Ianuarii.* Nunc ergo Otto occupatus fuit in vindicando ſibi Ducatu Spoletano, cuius Fulgineum vrbs erat. Sed Tuſciae ſe mox iterum admouit, & *apud Cluſinam ciuitatem* 13. *Kal. Februarii* recepta **Marchia Anconitana** *Azonem Marchionem Eſtenſem cognatum ſuum* inueſtiuit, eoque beneficio ſeruitia eius recognouit. Diploma a Muratorio l. c. pag. 392. editum, cum recenſeat quicquid ad illam Marchiam pertinuerit, notatu dignum eſt. Vnde illud integrum adiicimus: *In nomine Sancte & indiuidue Trinitatis. Ottho Quartus diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus. Imperialis eminentie celſitudo preclara ſuorum fidelium ſeruitia pre oculis ſue Maieſtatis ſemper habere conſueuit. Nobiles quoque viros, & eos, qui pro dilatando Imperialis Corone ſolio tempore pacis, & werre fideliter, & ſtrenue plurimos labores, & maximas anguſtias, & expenſas tolerauerunt, congruis honoribus & amplioris gratie beneficiis decorare, vt recompenſatis obſequiis ad noſtra magis inanimentur obſequia, & alii ad noſtros libentius accedant famulatus. Quapropter vniuerſorum Imperii noſtri fidelium tam preſens etas, quam ſucceſſiua poſteritas nouerit; quod nos attendentes fidelia preclara ſeruitia, que fidelis & cognatus noſter Azzo Marchio Eſtenſis nobis, & Imperio hactenus exhibuit, & inpoſterum exhibiturum non dubitamus, damus ei atque concedimus totam Marchiam Anchone, ſicut Marchio Marquardus habuit, & tenuit eam tempore Sereniſſimi Anteceſſoris noſtri Henrici Romanorum Imperatoris Diui Auguſti, melius, & plus ſi inueniri poteſt, ſicut Alpes Apenini tenditur inferius, ſcilicet Ciuitates, Caſtella, Villas, Fideles, & ſeruitia: videlicet Ciuitatem Aſculi cum toto Comitatu & Epiſcopatu, Ciuitatem Firmanam cum toto Comitatu & Epiſcopatu, Camerinum cum toto Epiſcopatu & Comitatu,*

Huma-

Digitized by Google

Humanam cum toto Comitatu & Epiſcopatu, Anchonam cum toto Comitatu & Epiſcopatu, Senegalliam cum toto Comitatu & Epiſcopatu, Fanum cum toto Comitatu & Epiſcopatu, Peſarum cum toto Comitatu & Epiſcopatu, Foſſainbronam cum toto Comitatu & Epiſcopatu, Callim cum toto Comitatu & Epiſcopatu, Saſſum ferratum, & Rocham Apenini. Damus etiam prenominato Marchioni aquas, ſiluas, prata, paſcua, campos, vineas, colles, valles fructiferas, & infructiferas, pedagia, Bandora, Tholonea, placita, portas, albergarias, foderos, fundos, exercitus, caualcatas, & omnes res, & iurisdictiones ad Imperium pertinentes. Damus itaque predicto Marchioni atque concedimus plenam poteſtatem, & licentiam omnium iſtorum predictorum tenendi, & poſſidendi, & quicquid iam dictus Azzo Marchio de ſupradictis rebus diſpoſuerit & ordinauerit, apud eminentiam noſtram perhenni gaudebit firmitate. Statuimus igitur, & Imperiali edicto firmiter ſancimus, vt nullus Archi Epiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Capitaneus, nullum Commune, nulla denique perſona alta, ſeu humilis, ſecularis, vel Eccleſiaſtica, dictum Marchionem contra hanc noſtre Serenitatis conceſſionem perturbare audeat, vel moleſtare. Quod qui facere attemptauerit, in vltionem ſue temeritatis C. libras auri puri, medietatem Camare noſtre, & reliquam medietatem iniuriam paſſo ſoluere cogatur. Ad cuius rei certam impoſterum euidentiam preſentem paginam inde conſcribi iuſſimus, & noſtre Maieſtatis ſigillo communiri. Huius rei teſtes ſunt Wolferus Aquilegienſis Patriarcha, Gregorius Aretinus Epiſcopus, Heinricus Mantuanus Epiſcopus Vicarius Curie, Walfredus Cluſinus Epiſcopus, Salinwerra de Ferraria, Ezelinus de Teruiſio, Bonus Comes de Monteſeltrano, Heinricus de Rauensburc Camerarius, Albertus Strutius Monachus, Paſſawerra Presbiter, & Ruffinus Iudices Curie, & alii quamplures.

Signum Domini Ottonis IV. Romanorum Imperatoris inuictiſſimi.

Ego Conradus Epiſcopus Imperialis Aule Cancellarius vice Domni Thederici Colonienſis Archi Epiſcopi Italie Archicancellarii recognoui.

Acta ſunt hec Anno Dominice Incarnationis MCCX. Glorioſo Domno Otthone Romanorum Imperatore imperante, anno Regni eius XII. Imperii vero Primo.

Datum per manum Walterii Protonotarii apud Cluſinam Ciuitatem, Menſe Ianuario, XIII. Kalendas Februarii, Indictione XIII.

Cum Azonem Philippus Rex *conſanguineum* & Otto Imperator *cognatum* vocarint, lubet vtrorumque cum eo coniunctionem in ſequenti ſchemate exhibere.

Azo

Azo
Marchio Liguriae.

Welfus, Dux Bauariae.		Fulco, Marchio Eſtenſis.
Henricus Niger Dux Bauariae.		Obizo, Marchio Eſtenſis.
Henricus Magnanimus Dux Bauariae & Saxoniae.	Iuditha Vx. Friderici Ducis Sueuiae.	Azo, ante patrem defunctus.
Henricus Leo Dux Bauar. & Saxoniae.	Fridericus I. Imperator.	Azo, Marchio Eſtenſis & Anconae.
Otto IV. Imperator.	Philippus, Rex Romanorum.	

§. 60.

Imolae Imperatorem *die ſecundo exeunte menſe Martio* fuiſſe ex diplomate apud Vghellum Ital. Sacr. T. IX. pag. 955. extante ſcimus, quo ibi *ob deuotionem pariterque fidelitatem dilecti fidelis ſui Mainardini, Imolenſis Epiſcopi, & eiusdem praeclara ſeruitia ſibi exhibita,* eum cum Eccleſia & bonis *in defenſionem Imperii recipit.* Teſtes ſubnotati ſunt: *Golfredus* [Walterus] *Aquileyen. Patriarcha & Italiae Legatus, Henricus Mantouanus Epiſcopus & Imperialis curiae Vicarius, Opizo Parmenſis Epiſcopus, Guillelmus Cumanus Epiſcopus, Iacobus Epiſcopus de Taurino, Petrus almae Vrbis Praefectus, Guilielmus Marchio Montisferrati, Henricus de Caledrino* [Calentin] *Mareſcalcus, Azo Marchio Eſtenſis, Comes Maginardus de Foro Iulii, Salinguerra de Feraria, Ecilinus de Amaria & alii plures. Ego Corradus Spirenſis Eccleſiae Epiſcopus Imperialis Aulae Cancellarius, vice Domini Theoderici Colonienſis Archi Epiſcopi per totam Italiam Cancellarii recognoui &c.* Nominatur hic *Walterus* Aquilegienſis Patriarcha *Legatus Imperatoris in Italia.* Et habentur apud Baluzium pag. 761. Innocentii Papae litterae, quibus *Poteſtatibus, Conſulibus* & *populis Ciuitatum Lombardiae & Tuſciae* ad Imperium pertinentibus ſcribit: *Quemadmodum vultis, vt cariſſimus in Chriſto filius noſter illuſtris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus iura veſtra vobis integra & illaeſa conſeruet; ita vos ſibi debetis Imperii iura illaeſa & integra conſeruare; ad quae vtrinque ſeruanda nos, qui ſummi mediatoris, licet indigni,*

Digitized by Google

digni, locum obtinemus in terris, tam ipſum quam vos debemus inducere ſtudio diligenti. Cum igitur idem Rex venerabilem fratrem noſtrum, Vualterum, Patriarcham Aquileienſem, Legatum ſtatuerit in Italia pro negotiis Imperii procurandis, vniuerſitatem veſtram rogandam duximus & monendam, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus ei ſuper iis, quae ad ius Imperii pertinere noſcuntur, efficaciter intendatis; vt ſicut pro ipſo apud vos interponimus partes noſtras, ita, ſi neceſſitas poſtulauerit, pro vobis apud ipſum partes noſtras interponere debeamus. Datum Laterani V. Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno XII. id eſt, hoc anno 1210. Ipſe Walterus hoc tempore Pontifici Legationis ſuae cauſam indicauit. Vnde is ei reſpondit: *Gratum gerimus & acceptum, quod ad mandatum noſtrum cariſſimo in Chriſto filio noſtro, illuſtri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo, fideliter adhaeſiſti, quodque ad mandatum ipſius ſuſcepiſti Legationem pro ipſo in Italia exercendam, cum pro certo credamus, quod huiusmodi Legationis officium ad honorem & profectum tam Eccleſiae, quam Imperii, tamquam mediator idoneus, intendas vtiliter exercere.* Subiungit, ſe ad ciuitates Lombardiae & Tuſciae eius cauſa ſcripſiſſe. Et addit tandem: *Super eo vero quod de terra Comitiſſae Mathildis nobis per latorem praeſentium intimaſti, hoc tibi duximus reſpondendum, vt eam ex mandato Regis repetas nomine noſtro, & ad opus Eccleſiae Romanae recipias, ſi fuerit reſtituta; cum idem Rex eam nobis recuperare promiſerit, ſicut apparet ex reſcripto litterarum ſuarum, quarum tenorem praeſenti pagina tibi mittimus intercluſum, quem per omnia te volumus obſeruare, ne contra promiſſum ipſius & contra ius noſtrum te forte, quod abſit, venire contingat.* Adiicit deinde promiſſionem Spirae Ottoni anno praecedente extortam. Otto tamen Pontificis poſtulatis parum attendiſſe videtur, & hoc eodem tempore pro Imperio recepiſſe ea, quae Guillelmus Brito Lib. X. ipſum Ottonem recenſere facit his verbis:

Vnde ego, quam primum praedicta in lege rebellis
Papa fuit nobis, Montem Flaſconis, Aquamque
Pendentem, Bitral, Radichoſonis ardua, Sancti
Quiriaci caſtrum, Biterbica moenia, Biccum,
Vicosque innumeros, caſtellaque plurima, diues
Roma quibus circumuallatur, protinus ipſi
Fortior eripui.

§. 61.

Mathaeus Paris ad An. 1211. indicat, *Fridericum, Siciliae Regem, dum vacaſſet Imperium, quasdam illius munitiones occupatas tenuiſſe;* imo

Digitized by Google

integram is *Apuliam ſe feudi iure a Papa tenere*, Godefrido Colonienſi teſte, affirmabat. Haec igitur Imperio etiam reddi volebat Otto; & cum aliae quoque illi odii in Fridericum cauſae non deeſſent, expeditionem in eum iam praeparauit. Sciebat, Pontificem cum Siculo eodem clam iam conſpiraſſe, & aduerſa ſibi machinari: vnde litteris apud Baluzium pag. 762. Innocentio intimauit, *ſe a quibusdam veridica relatione accepiſſe*, *quod filius Imperatoris Henrici damnum & malum ſibi velit*, *&*, *vt ſuam & Imperii turbare valeat quietem*, *eundem*, *quoscunque poſſit*, *& precibus & promiſſis ad hoc inducere & hortari.* Monet deinde Pontificem, ne puero Siculo conſilium & auxilium contra ſua negotia ſuppeditet, donec perſonaliter ſecum locutus ſit. Ad has litteras Ottonis Innocentius *VII. Idus Martii Pontificatus ſui anno duodecimo*, hoc eſt, hoc anno 1210. reſpondit: *Fridericum Siciliae Regem illuſtrem tam ex paterna, quam materna diſpoſitione finali eſſe Apoſtolicae curae ac tutelae relictum*, *eundemque totum Regnum Siciliae a Romana tenere & recognoſcere Ecleſia*; *& ſicut idem ſibi*, *tanquam vaſallus Domino*, *ratione fidelitatis debeat aſtringi*, *ſic ſe eidem*, *tanquam Dominum vaſallo*, *ratione legalitatis adeſſe debere.* *Vnde*, pergit, *ſuper iis*, *quae ad Regnum ipſius pertinere noſcuntur*, *nec volumus nec debemus ei noſtrum ſubtrahere auxilium vel fauorem.* Satis ergo manifeſte pro Friderico ſe declarauerat Pontifex; quod tamen non impediuit Ottonem, quo minus de ſubigenda Apulia cogitaret. Indixit hunc in finem hoc anno Comitia *Parmae*, vt Leo, vetus Hiſtoricus Comenſis, Galuanus Flamma & ex iis Sigonius indicant. Ibi patuit, *Azonem Eſtenſem*, Marchia Anconitana ab Ottone deuinctum, a Friderico Siculo iam ſeductum eſſe. Leo enim: *Otto*, inquit, *veniens Parmam*, *ibi Concilium conuocauit*, *vbi licet a Mediolanenſibus & ipſorum parte*, *quod vellet obtineret*, *attamen nec Azo Marchio Eſtenſis cum Veronenſibus & Ferrarienſibus ſubditis ſuis*, *nec Cremonenſes*, *nec Papienſes Imperatori obedire voluerunt.* *Sed Otho rediens in Lonbardiam apud Laudam concilium celebrat*, *Azonem Marchionem Eſtenſem cum omnibus ſuis fautoribus de toto Imperio exbanniuit.* Laudae certe nunc priuilegia *Monaſteriorum Morimundi* ſiue Ciſtercienſium confirmauit diplomate apud Vghellum T. IV. pag. 247. edito, & *dato apud Lauden Anno MCCX. Indict. XIII. Prid. Kal. Maii.* Teſtes additi ei ſunt *Lotharius Piſanus Archi Epiſcopus*, *Henricus Mantuanus Epiſcopus Imperialis aulae Vicarius*, *Bernardus Papienſis Epiſcopus*, *Guillelmus Cumanus Epiſcopus*, *Emico Comes de Lerius* [Leining] *Artemannus & Comen de Vitemb.* [lege: *Hermannus Comes de Hartesburg*] *Guido Comes Lemellinus*, *Papienſis & alii quamplures.* Hi igitur Concilio Laudenſi nunc interfuerunt.

§. 62.

Digitized by Google

§. 62.

Lotharius Archi Epiſcopus Piſanus, qui etiam in Concilio Laudenſi adſuit, teſte Chronico Nouae Foſſae, cum aliis Epiſcopis & Abbatibus, miſſus erat a Papa, moniturus Ottonem, *vt recederet ab iniquitate* (ita vocat conatum Imperio ſua vindicandi) *& infeſtatione Eccleſiae, quod facere contemſit, & recognoſceret Deum, & viueret ſecundum legem Dei omnipotentis, & rationem & iuſtitiam, & obedientiam Eccleſiae obſeruaret, & perficeret, quae iureiurando promiſerat. Otto* vero *omnia vilipendens facere recuſauit;* quia nempe iuramento Imperatoris aduerſa erant Papae poſtulata. De hac quoque Papae legatione ad Ottonem intelligenda ſunt, quae Matthaeus Paris ad An. 1211. habet: *Hac autem*, ſcribens, *de cauſa, orta eſt diſſenſio grauiſſima inter Dominum Papam & Imperatorem memoratum; eo quod tempore, quo vacabat Imperium, idem Papa caſtella plurima cum rebus aliis occupauerat, quae ad dignitatem Imperii pertinebant. Vnde Imperator, quia quod ſuum erat reuocare ſtuduit, ipſum Papam ſine merito ad odium prouocauit. Fridericum quoque Regem Siciliae, idem Imperator grauiter perſequutus eſt: qui ſimiliter, dum vacauit Imperium, quasdam munitiones occupatas detinuit. Vnde Papa memoratus ipſum Imperatorem per nuncios & litteras frequenter admonere ſtuduit, vt tam a perſecutione Romanae Eccleſiae, quam a Regis Siciliae ac tutelae commiſſi Sedis Apoſtolicae exhaeredatione ceſſaret. Imperator autem nunciis Domini Papae tale perhibetur dediſſe reſponſum: Si* (inquit) *ſummus Pontifex Imperii iura iniuſte poſſidere deſiderat, a ſacramento, quod tempore conſecrationis meae ad dignitatem Imperii me iurare compulit, abſoluat: quod videlicet diſperſa Imperii iura reuocarem. Denique cum Papa ipſum Imperatorem a praeſtito iuramento, quod omnes Imperatores ſua in conſecratione, inſpectis ſacroſanctis Euangeliis, iurare tenentur, abſoluere noluit; & Imperator e contra, Imperii iura, quae iam parte maxima in manu potenti reuocarat, reddere contemſit; idem Papa, vt poſtea videbimus, eum excommunicauit.*

§. 63.

Ad X. Calend. Iulii Imperator *Placentiae* fuit, & ibi Angelerio Abbati Monaſterii S. Martiani Martyris in Terdona *Abbatiam de Patrania quondam iuris Regii*, & duo caſtella, Montem Alpherium & Cagnianum, ab Vgone & Lothario Regibus Monaſterio collata confirmauit. Id Vghellus edidit T. IV. pag. 856. ſq. Teſtes ei ſubnotati ſunt *Eberhardus Salburgenſis Archi Epiſcopus, Petrus almae Vrbis Praefectus, Ludouicus Dux Bauariae, Bernardus Dux Sar.* [Carinthiae] *Guillelmus Reponius,*

Digitized by Google

nius, *Henricus de Zurem*, *Armannus Comes de Arzerburc* [Harzeburc] *Guillelmus Malaſpina*, *Marchio Cono de Tanebr. Henricus de Vacce Imperii aulae Camerarii*, *Grengocucus Dapifer & alii quamplures.* Vbi tamen nomina pleraque admodum corrupte expreſſa obſerues.

§. 64.

Placentia *Florentiam* properauit, ibique *feſtum S. Iohannis Baptiſtae* egit, ſi fides habenda Bernardino Daniello Luccenſi in Expoſitione Dantis Infern. Cant. XVI. ad verba:

Nepote fu della buona Gualdrada:
Guidoguerra bebbe nome.

Secundum enim ea, quae profert, Waldrada haec filia fuit Bellincioni Berti, nobili Familia Florentina oriundi. Haec cum vnacum aliis pluribus puellis in feſto Iohannis Baptiſtae apud Ottonem Imperatorem eſſet, & pulchritudine omnes reliquas excelleret, Imperator mirabundus quaeſiuit, cuius filia eſſet; & cum pater ſuam eſſe confiteretur, iuuenculamque hortaretur, vt Imperatori oſculum daret, illa reſiliit, dixitque, ſe non alii hoc daturum, quam ſponſo ſuo futuro. Intellecto reſponſo, & perſpecta Virginis honeſtate, Imperator aduocauit Magnatum ſuorum praecipuum, nomine *Guidonem*, eique illam publice deſponſauit, dotis loco ei dato *Caſentino* & magna *Romaniae* parte. Ex eo nati ſunt duo filii Wilhelmus & Rogerius, & ex Rogerio celebris ſua aetate Italiae Princeps *Guidoguerra*. Haec Daniellus. Vidimus paulo ante in comitatu Ottonis Imperatoris fuiſſe *Guidonem Comitem Lomellinum:* vnde ſuſpicamur, hunc ipſum eſſe Waldradae laudatae maritum, cuius ope & fide ſibi Romaniam ſubactam iam affirmare voluit Otto.

§. 65.

Florentia *Forum nouum* venit, vbi *Euerhardus Archi Epiſcopus Saltzburgenſis* promiſit & *ſuper ſancta Euangelia confirmauit*, *quod occaſione diſcordiae inter Dominum Papam & Dominum ſuum Ottonem Sereniſſimum Romanorum Imperatorem exortae*, *memoratum Dominum ſuum Imperatorem nunquam deſerturus ſit.* Charta eius authentica (Probat. N. CCCI.) in Archiuio Ducum communi Brunſuici depoſita eſt. In ea poſt modo allata addit: *Nos in omnibus iis*, *quae honorem Imperii & ſuae perſonae reſpiciunt*, *promouendis*, *ſibi tanquam legitimo Domino noſtro & in rebus & in perſona pro viribus noſtris aſſiſtemus*, *& contemto mandato Apoſtolico*, *ſi quod forte Dominus Papa daret in contrarium*, *ad manutenendum honorem*

ſuum

Digitized by Google

ſuum & Imperii ipſi Domino noſtro auxilio pariterque conſilio ſemper aderimus, & bona fide tum contra Papam, tum contra quemlibet alium hominem, nulla impediente occaſione, ad conſeruandum honorem ſuum & Imperii perpetuo ipſum pro poſſe noſtro iuuabimus. Hinc, contracto exercitu, Otto, recta via ditiones Friderici Siciliae Regis adiit, & circa menſem Octobrem in confinio Romae fuit.

§. 66.

Papa tunc querebatur, ſecuritatem Eccleſiae ab Imperatore violari. Vnde hic Charta apud Baluzium pag. 763. extante, declarat, *ſe iuramenta ſecuritatis Innocentio Papae & Cardinalibus S. Romanae Eccleſiae & rerum ipſorum & totius populi Romani in Coronatione ſua a Principibus fidelibusque ſuis facta illuc eundo & inde redeundo bona fide obſeruaturum. Datum in Caſtris in Montemalo IV. Non. Octobris, Indictione decima tertia.* Vt efferatum iam Papae animum mitigaret, & controuerſias cum ipſo pacifice componeret, redditis actorum ſuorum rationibus, Otto nunc etiam colloquium cum eodem expetiit litteris a Baluzio pag. 763. euulgatis. *Cum apud vos*, ait, *eſſemus & apud Viterbium & hic Romae, tantum ſpatium temporis habere non potuimus, quod nos ſuper iis ad plenum vobis loqui non poteramus, quae honorem Dei & ſalutem ſacroſanctae Romanae Eccleſiae & quietem neceſſariam totius Eccleſiae reſpicere viderentur. Summum igitur deſiderium ſuper iis loqui vobis habentes, mandamus vobis & humillima & deuotiſſima vos precum rogamus inſtantia, vt vos principaliter propter Deum & pro ſalute totius Eccleſiae & populi Chriſtiani in aliquo loco, nobis & vobis congruo, loqui nobis dignemini. Tantum enim deſiderium eſt cordis noſtri vobis loquendi, quod antequam remaneat tam ſalubre negotium, quod prouenire poteſt ad commodum & ſalutem vniuerſae Dei Eccleſiae, nos ipſum corpus noſtrum periculo mortis ſupponere non formidamus, & ſub periculo perſonae noſtrae ad vos vrbem intrare decreuimus. Attendat tamen Sanctitas veſtra, quod magnum periculum in introitu in vrbem toti Eccleſiae poſſet prouenire.* Sed Papa male ſibi conſcius, & dira iam meditatus, colloquium cum eo refugit, quia, vt in litteris *V. Idus Octobris, anno Pontificatus ſui duodecimo*, datis, apud Baluzium pag. 764. reſpondet, non videat, quomodo propter multiplices cauſas hoc ad praeſens commode valeat adimpleri. Ex fine huius reſponſionis apparet, Ottonem media quaedam propoſuiſſe, quibus controuerſias de Terra Mathildis aut etiam Apuliae dirimi poſſe putauit. Ad haec Papa in fine epiſtolae reſpondet: *De negotio vero terrae, quod dilectus filius S. Camerarius noſter ex tua nobis parte propoſuit, hoc tibi duximus reſpondendum,*

vt & tu modum excogites ad tuum & noſtrum redundantem honorem, & nos excogitabimus modum ad tuum & noſtrum commodum pertinentem.

§. 67.

Sed mox omnem, quem hactenus verbis magis, quam re teſtatus eſt, paternum animum prorſus abiecit Pontifex, & Ottonem a ſubigenda Apulia non deſiſtentem, & iura Imperii acriter vindicantem, Vaticano fulmine percuſſit, vt teſtantur Albericus, Monachus Paduanus, Chronicon Montis Sereni, Albertus Stadenſis, Chronicon Bigaugienſe, & Auſtrale, Annales Colmarienſes & caeteri. Matthaeus Paris ad An. 1211. ſcribit: *Papa in ipſum Imperatorem ſententiam excommunicationis tulit, atque vniuerſos tam Alemanniae, quam Imperii Romani magnates, ab eius fidelitate abſoluit. Et hinc odium Regis Iohannis & iram efficaciter obdurauit.*

§. 68.

Otto vero iniuſte excommunicatus, vt Godefridus Colonienſis refert, animum non deſpondit; ſed inſtitit expeditioni ſuae, & *per ciuitates & caſtella cuſtodibus deputatis, ne cui adire Papam pro aliquo negotio liceat, interdixit.* Quos progreſſus aduerſus Fridericum Regem habuerit, Chronicon Foſſae nouae indicat hiſce: *Oddo dictus Imperator per Tuſciam aeſtiuo tempore permanens, menſe Nouembris, prohibitus a Domino Papa & excommunicatus, conſilio Domini Petri Comitis Celanenſis & conſilio Diopuldi, ingreſſus eſt Regnum Apuliae: Celebrato feſto Sancti Martini ſuper Soram, tota terra vsque Capuam redacta eſt in ſuo Imperio; & citius, quam potuit, iuit ſuper Auerſam, & obſedit eam, opere reuerſus eſt Capuam, & hyemauit ibi, faciendo machinas ad capiendas ciuitates, quae nolebant venire ad ſuam fidelitatem.* Richardus de S. Germano fuſius eadem proponit: *Otto*, inquiens, *dictus Imperator, ſuadente ſibi Diopuldo, & Petro Caelanenſi Comite, qui cum ipſo Diopuldo contraxerat, quorum alter Capuam, alter vero ſibi Salernum tradidit, ſpreto iuramento, quod Romanae Eccleſiae fecerat, Regnum intrat per Reatinas partes, ſub illorum ducatu, qui fidelitatem ei praeſtiterant, per Marſiam, & exinde per Cominum venit, ad quem dictus Caſinenſis Abbas, cui cura erat de terra & populo, cum ad ingreſſum ipſius Othonis eſſent omnes exterriti, ita quod in Sancto Germano pauci admodum remanſerint, qui ad loca tutiora ſua ſupellectilia non tuliſſent, ſuos pro pace legatos miſit, & ipſe etiam exiuit in occurſum eius contra fratrum omnium voluntatem. A quo ſatis benigne receptus, terram Monaſterii ſeruauit indemnem. Tunc idem Otho ſe Capuam confert, vbi receptis a Diapuldo certis munitionibus, quas habebat in Regno,* Ducem

Digitized by Google

Ducem Spoleti efficit illum. Hic cum gente ipſius Othonis iuit ad debellandum ciuitatem Aquini, in qua Landulfus, Thomas, Pandulfus, & Robertus Domini Aquini, qui Regis (Friderici) *fidem ſeruabant, ſe receperant cum gente ſua; & cum non praeualeret in eam, viribus reſiſtentibus praedictorum, confuſus, & non ſine damno receſſit. Ciuitas Neapolis in odium Auerſae ipſi Othoni ſe reddidit. Qui ad inſtinctum Neapolitanorum Auerſam obſidet, quae facta cum eo compoſitione remanſit indemnis. Dictus Otho Apuliae fines ingreditur, certis ſibi colla flectentibus tum voluntarie, tum cauſa metus. Innocentius Papa illum excommunicat, & Eccleſiam Capuanam ſub interdicto ponit, pro eo quod Miſſam celebrare auſi ſunt ipſo praeſente. Excommunicat etiam omnes fautores illius, in octauis B. Martini.* Iterata igitur eſt excommunicatio in Ottonem, cum Regnum Siciliae intraſſet. Abbas Vrſpergenſis, in Ottonem vbique iniurius, cum narraſſet, eum inuaſiſſe terras S. Petri, addit: *Praeterea ſpernens iuramenta, quae fecerat de reformanda pace cum Philippo Rege Franciae & Friderico Rege Siciliae, terras ei pertinentes in ſuam poteſtatem redegit, & Principatum Capuae cum palatio eiusdem ciuitatis accepit, & in eodem permanere coepit. Cumque ſuper his ad reſipiſcendum frequenter admonitus a Papa fuiſſet, tandem contumax & rebellis exiſtens, ab eo fuit excommunicatus, & vbique denunciatus.* Idem Abbas Vrſpergenſis refert, Abbatem Morimundenſem multum operae impendiſſe, vt Papam cum Imperatore conciliaret, ſed euentu fruſtratum eſſe. *Otto Imperator*, inquit, *in Apulia quasdam ciuitates accepit, & Capuam peruenit, vbi & hiemauit. Eo tempore cum veniſſemus ad curiam Romanam, vidimus ibidem virum religioſum, Abbatem de Morimunt, qui a feſto Sancti Michaëlis, ſicut ipſe aſſerebat, vsque ad quadrageſimam, quinque vicibus tranſierat a Roma vsque Capuam, iuſſu Domini Papae, quatenus pacem reformaret inter Papam & Imperatorem. Ceterum Imperator Otto nulla ratione flecti potuit, quin vellet expellere de terra praefatum Fridericum Regem Siciliae, & de Philippo Rege Franciae vltionem quaerere, eo quod terras auunculi ſui Regis Angliae, videlicet Normanniam, & alias quasdam ſubegiſſet, & contra ipſum quaedam verba temere protuliſſet. Sane ne tanta turbatio fieret in Eccleſiis & populo Chriſtiano, voluit Dominus Papa ſuſtinere omne damnum, quod ſibi Imperator in terris Eccleſiae Romanae intuliſſet aut inferret. Hanc formam compoſitionis cum recuſaſſet Imperator admittere, Dominus Papa, tanquam vir animoſus, & confidens in Domino, tria ardua negotia ſimul explere diſpoſuit;* inter quae praecipuum *Ottonis depoſitionem* fuiſſe mox addit.

§. 69.

Anno 1211. Innocentius Papa, teſte Richardo de S. Germano, *in*

in die ſancto Iouis excommunicationem latam in Ottonem ac eius ſequaces confirmauit. Imperator vero *proſperis vtens ſucceſſibus totam ſibi Apuliam & Calabriam ſubiecit, ciuitates in deditionem accepit, caſtra militibus ſuis muniuit. Ibi etiam quidam Principes Siciliae cum Saracenis, qui fortiſſima caſtra in montanis tenebant, eum inuitantes totam Siciliam eius ditioni ſubdendam promittebant*, vt Godefridus Colonienſis ſcribit. Chronicon Foſſae nouae: *Adueniente tempore aeſtate tota Apulia & terra Laboris & maxima pars Calabriae deuenerant ad fidelitatem Oddonis dicti Imperatoris.* Tunc etiam *R. Melphienſis Epiſcopus* eidem Imperatori *Melphiam* ciuitatem tradidit, quod Innocentius ei deinde inter alia crimina obiecit in bulla, qua illum Anno 1213. ab officio ſuſpendit; vt videre licet apud Vghellum Tom. I. pag. 998. ſq.

§. 70.

Peruenerat interea in Germaniam Galliamque nuntius de excommunicatione Ottonis. Philippus itaque Rex Franciae, qui iam dudum exaltationem eius limis oculis aſpexerat, vna cum Papa faces admouit animis Principum Germaniae Ottoni malefidis, eiusque potentiam & noua Familiae Guelficae incrementa metuentibus. Conueniunt igitur eius inſtinctu, vt Albericus prodit, *Bambergae* Sifridus Archi Epiſcopus Moguntinus, Papae Legatus; Hermannus Lantgrauius Thuringiae; Rex Bohemiae aliique Principes & nobiles, Fridericum in Ottonis locum electuri. Attamen cum plures hanc in rem non conſentirent, teſte Godefrido Colonienſi, infecto negotio diſceſſum eſt. *Sifridus* interim ibi, vt Godefridi Colonienſis verbis vtar, *Ottonem Imperatorem excommunicauit*, (s) *& miſſis litteris ſuis ad omnes Archi Epiſcopos & Epiſcopos, vt ipſum*

s) En! hominem ingratiſſimum, qui, cum contra Lippoldum Wormatienſem Epiſcopum Pinguiae non niſi a tribus Moguntinis Canonicis Archi Epiſcopus electus eſſet, ab Ottone tamen Sedi Moguntinae non ſolum impoſitus, ſed etiam aliis innumeris beneficiis affectus fuit. Quorſum refero, quod, cum Sifridus tergiuerſaretur Ottoni conferre feuda, quae noſtri Principes a Sede Moguntina accipere ſoliti erant, duriſſimasque eius rei conditiones conſcriberet; Otto noſter, cum in procinctu itineris Romani eſſet, non ſolum quingentas marcas ei ſoluere, ſed etiam ius patronatus in Eccleſiam in *Goettingen*, quae S. Albani vocatur, & tum vnica fuerat, nec non Aduocatiam in Noerthen, pro quo mendoſe Northeim poſitum video, vnacum Reinhauſen dimittere, de caeteris autem controuerſiis aequum arbitrorum iudicium admittere promiſit: quae omnia, cum prius Regio ſub Sigillo in ſcriptis dediſſet, in reditu ex Italia apud Luccam Sigillo Imperatorio muniuit. Diploma in Probationibus (N.CCCII.) exhibemus. Quin poſt aquae & ignis interdictionem Otto nihilominus eidem Sifrido per Miniſteriales eius ſignificauit, quod adhuc ſtare pactis conuentis paratus, permiſſurusque eſſet, vt Iudaei in ciuitate Moguntina & Erfordienſi, nec non in aliis ciuitatibus, Moguntinae iurisdictioni ſubiectis, Sifrido vectigales fierent. (Probat. N. CCCIII.) Sed ſurdo narrabat fabulam; quod Sifridus ſine dubio *benedictionis* illius, *qua* Rex Galliae Fridericum Francofurti *viſitauerat*, particeps factus fuiſſet.

Digitized by Google

ipſum facerent, *auctoritate Apoſtolica praecepit. Vnde commotus Palatinus Comes Rheni*, *frater Imperatoris*, *Heinricus*, *cum Duce Brabantiae*, *& caeteris nobilibus Lotharingiae & ſuperiorum partium*, *totum Epiſcopatum Moguntienſem circa feſtum S. Michaëlis incendio & rapina vaſtauit, nihil praeter ciuitates & caſtra intactum relinquens.* Abbas Vrſpergenſis, Friderico fauens, eum nunc communi conſenſu Principum, qui conuenerant, in Regem electum dicit. *Otto*, aiens, *excommunicatus denunciatur. Tunc Principes Alemanniae*, *Rex videlicet Bohemiae*, *Dux Auſtriae; Dux Bauariae & Lantgrauius Thuringiae*, *& alii quamplures conuenientes*, *Fridericum Regem Siciliae elegerunt in Imperatorem coronandum*, *cui etiam olim*, *cum adhuc in cunis eſſet*, *iurauerant fidelitatem.* Ad Fridericum in Siciliam, vt idem refert, miſſi ſunt *Heinricus de Niſen* & *Anshelmus de Iuſtingen*, vt electionem Romae denuntient, & Fridericum adducant. Henricus in Lombardia commoratus, Friderico eius Regni incolas, praecipue vero Veronenſes conciliauit. Anshelmus Romam & inde in Siciliam venit, & Friderico aegre perſuaſit, vt Regnum acciperet; ſi Vrſpergenſi fides habenda.

§. 71.

Otto rerum ſuarum ſubitam in Germania conuerſionem intelligens, rebus Siculis, vt poterat, compoſitis, domum redire ſtatuit. Richardus de S. Germano: *Otho, cum totam fere Apuliam ſibi ſubiugaſſet, audito, quod quidam Alemanniae Principes ſibi rebellauerant mandato Apoſtolico, Regnum feſtinus egreditur menſe Nouembri.* Chronicon Foſſe nouae eadem diſtinctius enarrans: *Interim*, inquit, *nuntii Alemanniae venerunt ad Oddonem*, *dictum Imperatorem*, *qui dixerunt ei*, *totam Alemanniam rebellatam fore. Et omnes Archi Epiſcopi*, *Epiſcopi*, *Abbates*, *Duces*, *Principes*, *Comites*, *& omnes Barones Alemanniae elegerunt Fridericum Regem Siciliae in Imperatorem; & mandauerunt in Sicilia nuncios*, *qui conducerent dictum Fridericum ſaluum & incolumen ad recipiendum Imperium in Alemannia. Quo audito*, *praedictus Oddo Imperator congregauit Comites Apuliae*, *& terrae Laboris*, *confirmauit cum eis pacem*, *& ſuam bonam voluntatem. Tactus dolore cordis intrinſecus*, *reuerſus eſt in Alemanniam*, *inſidiando*, *qualiter iam dictum Fredericum Regem Siciliae capere poſſet*, *ſi auſus foret arripere iter*, *vel per mare*, *vel per terram.* Imperator ex Apulia ſecedens, *apud Monten Flaſconem VIII. Cal. Decembris* fuit, ibique Ciuitati Eugubinae *ob ſeruitia, quae Imperio exhibuerat*, interuentu Conſulum eius, *Hermanni Salinguerrae* & *Stantioli Iudicis ordinarii*, inſigne priuilegium conceſſit *ſigillo aureo* communitum, quod Vghellus

Digitized by Google

It. Sacr. T. I. pag. 688. exhibuit. Teſtes ei additi ſunt, nominibus fere corruptis, ſed facile a perito horum temporum reſtituendis, *Comes Hermannus de Gaſteburch* [leg. *de Hartesburch*] *Fredericus Marchio Badenſis*, *Comes Henricus de Lutberch*, *Comes Henricus de Houoſten*, *Comes Fredericus de Sarapich*, *Petrus Praefectus Vrbis*, *Comes de Prandim*, *Comes Tancredi de Saxonio*, *Magiſter Iohannes*, *Bardeus Praepoſitus*, *Domini Imperatoris Clericus*, *Guido Caxacont*. *Albertus Struſi Imperialis aulae Iudex & quamplures alii.*

§. 72.

Hinc Otto Imperator Mediolanenſes ipſi addictiſſimos & Familiae Fridericianae inueteratos inimicos, ineunte Anno 1212. adiit. Rogauit hic Bonifacius Marchio Eſtenſis, vt Imperator ſibi veniam aetatis concederet, & tutelae *Azonis Marchionis* eximeret; quod & fecit, (Probat. N. CCCIV.) *propter malam adminiſtrationem & ſuſpectam, quam habuerat ſuper bonis eiusdem tam patris, quam matris, propter dolum & culpam ſiue peruerſos & iniquos mores & actus, quos contra eundem Bonifacium exercuerat, ab vniuerſis videlicet bonis ſuis eum expoliando, de poſſeſſionibus & ſuis expellendo violenter, domos & terras & bona ſua materna penitus deſtruendo & turpiter auferendo.* Teſtes ſubnotati: *Conradus Spirenſis Epiſcopus Imperialis aulae Cancellarius*, *Comes Ripandus Apuliae*, *Salinwera de Ferraria*, *Isnardinus de Lindenaria*, *Bonacurſus de Monzanbano*, *Oppicinus & Nicolaus de Caſtello Veronenſis.* Clariſſimus Muratorius Antiquit. Eſtenſ. Part. I. pag. 396. diploma hoc edidit, eique adhuc aliud pag. 397. ſq. ſubiunxit eodem anno & die datum, (Probat. N. CCCV.) quo eidem *dilecto fideli Bonifacio Eſtenſi Marchioni*, *filio quondam Opizonis Eſtenſis Marchionis contra Azonem ſimiliter Eſtenſem Marchionem*, *filium quondam Azonis*, *qui fuit filius ſupraſcripti Marchionis Opizonis*, dimidium totius hereditatis omniumque poſſeſſionum Opizonis, patris ſui, aliorumque Marchionum anteceſſorum ſuorum cum toto incremento & acquiſitionibus adiudicauit. Teſtes fuerunt *Conradus Spirenſis Epiſcopus Imperialis aulae Cancellarius*, *Manfredus Marchio dictus Punaſius de Saluz*, *Ildebrandinus Comes de Soana*, *Riprandus Comes Apuliae*, *Sallinwerra Ferrarienſis*, *Dalmoninus Paduanenſis*, *Isnardinus de Lindenaria*, *Magiſter Iohannes Canonicus de Aſia la Capella*, *Opicinus de Caſtello Veronenſis*, *Conradus de Bonawerra*, *Zagnius Iacobi de Monticulis*, *aliorumque nobilium copia.* *Datum Mediolani MCCXII. Indictione XV. quarta Idus Februarii.* Marchionum horum ab Azone Liguriae Marchione origo haec eſt:

Azo

Digitized by Google

Azo Marchio Liguriae.

Welfus Dux Bauariae.		Fulco Marchio Eſtenſis.
Henricus Niger Dux Bauariae.		Obizo Marchio Eſtenſis.
Henricus Superbus Dux Bau. & Saxon.	Azo Marchio Eſtenſis.	Bonifacius Marchio Eſt. *cui veniam aetatis Otto Imp. concedit.*
Henricus Leo Dux Bau. & Saxon.	Azo Marchio Eſt. & Anconae.	
Otto IV. Imperator.		

§. 73.

Otto Imperator in Germaniam iter vrſit, & menſe Martio illud ingreſſus eſt, teſtimonio Richardi de S. Germano. Francofordiam delatus, ibi XIII. Kal. Aprilis Anni 1212. firmiſſimum foedus iniit cum *Theoderico Miſniae Marchione*, (Probat. N. CCCVI.) (t) cuius vi Marchio promiſit & iurauit, *quod abhinc, vt inantea Imperatori aſſiſtet, & eum iuuabit ſpecialiter contra Papam Innocentium in praeſenti diſcordia, aut ſi alias eum iniuſte vellet grauare, & ſimili modo contra Odacrium Regem Bohemiae, & Hermannum Landgrauium Thuringiae, & generaliter contra omnem hominem viuentem, in omni neceſſitate ſua, & quod nunquam eum deſeret.* Eadem ex vtraque parte plurimi nobiles viri iurarunt, qui in Tabulis in Archiuio communi Ducum Brunſuici reſtantibus recenſentur. Eodem die & loco aliud foedus pepigit cum *Ludouico Duce Bauariae*, (Probat. N. CCCVIII.) quo hic *data fide promiſit & poſtmodum ſacramento iuramenti firmauit, quod ipſe omni tempore vitae ſuae bona fide & ſine omni fraude ſeruiet Imperatori contra Papam & contra omnem hominem.* Tabulae ibidem aſſeruantur, & vtraeque in Probationibus integre comparent. (v) Circa Pentecoſten conuentum Principum celeberrimum *Norimbergae*

t) Cui ibidem fundatum a ſe Monaſterium Thomanum Lipſienſe confirmauit. (Probat. N. CCCVII.)

v) Francofurto Hagenoam ſe contulit Otto: quo ſub nomine non Hagenauiam Alſatorum, quae in Friderici poteſtate fuit, ſed caſtrum, quod hodie Hanouiam vocamus, intelligo, quippe in via regia Francofurto Noribergam tendentibus ſitum. Ibi Otto XIV. Cal. Maii ciues & Miniſteriales Treuirenſes primum in tutelam ſuam ſuſcepit; (Probat. N. CCCIX.) deinde, quod ab eius partibus ſe ſtare velle promitterent, ipſis contra promiſit, ſe neque cum Papa, neque cum alio aliquo homine viuente in negotiis, quae ipſos tangere videantur, compoſitionem aliquam ſeu concordiam facturum, *niſi ipſis in ea compoſitione incluſis.* (Probat. N. CCCX.)

Digitized by Google

Norimbergae habuit, *vbi omnibus, qui praeſentes erant, Principibus* cauſam diſſenſionis ſe inter & Papam indicauit. Bohemiae Regnum Odoacro ſiue Premislao hic quoque abiudicatum eſt, & per ſententiam Principum filio ipſius, praeſentibus Suppanis & pluribus Bohemiae nobilibus cum ſex vexillis aſſignatum. Iuuenis hic natus erat ſorore Marchionis Miſniae, quam Premislaus repudiauerat, filiamque Regis Hungariae duxerat. Hinc Imperator contra Hermannum Thuringiae Landgrauium ipſi aduerſum caſtra mouit, eiusque regionem vaſtauit, munitionesque *Rotenburgum, Saltzungen* & *Weiſſenſeam* cepit, Godefrido Colonienſi & Fragmento Hiſtorico apud Vrſtiſium teſtibus. Idem fragmentum addit, in obſidione Weiſſenſeae *primum coepiſſe haberi vſum inſtrumenti bellici, quod vulgo* Trybock *appellari ſoleat.* Inferioris Latinitatis Scriptores hanc machinam grandiorem ad proiiciendos ingentes lapides & concutiendos vrbium obſeſſarum muros aptam *trabuchum, trabuchetum, trebuchetum* atque etiam *trebuculum* vocant, vt apud Cangium cernere licet. Nemo tamen annotauit, eam Ottonis IV. auſpiciis primum in vſum traductam. Amabant Principes noſtri *Ingeniariam*, quam vocant, *artem*, eique promouendae & excolendae ſtudioſi nunquam non fuerunt. Apud Weiſſenſeam, ſiue, vt olim ſcribebatur, *Wicenſe*, teſtibus *Adolpho & Ludolfo Comitibus de Daſſela, Bernardo de Dorſtat, Hermanno & Henrico Comitibus de Hartesburc* Anno 1212. Indict. XV. confoederauit ſibi Imperator *Albertum Marchionem Brandenburgenſem, data fide manu in manum, ſicut Imperialem excellentiam certitudinem decet facere, & promiſit, ſe mediatorem ſtudioſum & efficacem inter Regem Daniae & ipſum Marchionem & Slauos exiſtere velle: ſi vero medium Marchioni competens non inuenerit, promiſit Regi Daniae ſuisque fautoribus dedicere, & Marchioni contra ipſos & contra omnem hominem firmum & conſtans auxilium cum effectu portare: E contra Marchio promiſit Domino Imperatori in terminis ſibi finitimis, praecipue in Saxonia & Thuringia, contra omnem hominem ei inimicum, quantum vires & facultates ipſius admittunt, fideliter ſeruire.* (Probat. N. CCCXI.) Autographum harum tabularum in Archiuio Ducum communi reſtat.

§. 74.

His expeditis Otto Imperator *Northuſam* venit, & ibi, indice Godefrido Colonienſi, hoc anno 1212. nuptias celebrauit cum BEATRICE filia Philippi Regis, quae ei vt ſupra iam vidimus, dudum deſponſata fuerat, nunc vero quarto poſt nuptias die deceſſit. Chronicon Auſtrale eadem refert, ſed nuptias *Brunſuici* celebratas ſcribit. Albertus Stadenſis ad h. a. breuiter: *Imperator filiam Regis Philippi duxit, quae ſtatim poſt nuptias obiit.*

Digitized by Google

Mutius Lib. XIX. pag. 175. de obitu eius: (x) *Suſpicabantur*, inquit, *alii aliam mortis cauſſam fuiſſe: quidam dicebant virginem non inuentam: quidam concubinas magis Imperatori placuiſſe: fuerunt, qui putabant, per pellices veneno ſublatam, non conſcio Imperatore. Inimici & Pontificii palam dicebant per Imperatorem venenum illi datum.* Sed calumnias hic narrari ab hoſtibus confictas nemo non videt, easque docte ſatis refutauit Meibomius in Apologia Ottonis IV. pag. 155. Interim Beatricis mors fatalis fuit Ottoni, *quia ex illo tempore omnes pene Miniſteriales Imperii & ſigillatim Principes* (Sueuiae) *ab eo receſſerunt*, teſte Anonymo Saxone l. c. p. 119. Plenius Chronicon Erford. ibid. pag. 240. *Anno* 1212. *Otto veniens in Thuringiam cum tribracho caſtrum Landgrauii in Salza obſedit & expugnauit. Sperans autem per hanc exilem fortunam omnia Principis ſibi pateſieri caſtella, cum ipſa robuſta manu militum, qui ad duo millia & quingentos recenſiti aeſtimabantur, ad anteriora ciuitatis, quae Albus Lacus dicitur, caſtra metati ſunt. Interea nuptiarum impendia cum glorioſis expenſis Ottoni in Northuſen procurantur, quae ſereno quidem & laeto principio inchoata, triſti ſine tabuerunt. Nam celebratis nuptiis eadem Imperatrix, ſcilicet Regis Philippi filia, paruo poſt tempore ad malum Ottonis, diem clauſit extremum. Siquidem lugubris ac moeſtus Otto lamentabiles ſponſae ſuae parat exequias, & ſicut ante modicum quidem gaudebat, & quaſi triumphabat nuptialibus & laetis crepundiis; ita poſtmodum grauioribus deſperabat & acrioribus tabeſcebat facibus funeris. Inde reuerſus ad obſidionem inuenit pigros ad pugnam. Interea Bawari & Sueui, audientes haereditariam ſuam dominam Imperatricem iam debitum carnis ſoluiſſe, furtiuis elapſibus nocte ſarcinas ſuas deſerentes, & Ottonem in confuſione relinquentes, repatriarunt. Reliqui etiam inopia coacti, cum ab Ottone nil reciperent, conſumptis veſtibus & armis, pedites receſſerunt; atque ita minorato exercitu in obſidione remanere formidabat, & caſtrum illud deſerens Erphordiae ſe recepit.* Diem obitus Beatricis *III. Idus Auguſti* annotauit Chronicon vetus Ducum Brunſuicenſium. Nuptiae ergo cum ea ab Ottone celebratae ſunt *VII. Idus Auguſti.* Chronicon Rhythmicum Cap. LX. de nuptiis & obitu Beatricis ita canit:

In derſulven twidracht,
Nam he na Keiſerliken acht

x) Non ſecum habitat Dn. Eccardus, quoties Mutium, Letznerum ſimilisque farinae muſtaceos ac triobolares Scriptores teſtes aduocat. Triobolares autem voco, qui longe a rerum geſtarum memoria remoti ex ingenio facta confingunt, quae facta eſſe nulla veteri auctoritate probant, vel probare poſſunt, maiorum noſtrorum credulitate abuſi; a qua longiſſime abeſſe decet noſtrorum temporum Hiſtoricos, ni turpes ſe dare, & argutorum hominum ſe irriſui exponere velint.

Digitized by Google

To Northuſen ſin jungfrowelin,
Beatrixen dat megetin,
De ek nante hir bevorn.
Dat megetin hochgeborn,
Dat ſtarff binnen virtein nachten,
Do van Chriſtus gebort ſek brachten
M. unde CC. unde XII. jar.
Or ſuſter ſchön unde klar,
Der he ok an bude plag,
De gaf he herlik darnach
Deme Koninge ut Spanigenland.
We weit, wo he was genant.

Rex vero Hiſpaniae, cui nunc Otto Imperator Beatricis coniugis ſororem miſit, erat Ferdinandus III. & ſponſa, quae ei nunc data, etiam *Beatricis* nomen habeat, annoque demum 1220. ducta eſt, vt ſupra oſtendimus.

§. 75.

Miſit interea Otto quoque Legatos in Angliam ad Regem Iohannem, vt ex litteris huius ad Vicecomitem Thuwarcienſem quarto die Aprilis datis apud Rymerum Act. Angl. Tom. I. pag. 156. conſtat, & *Comitem Boloniae* ad obſequium illius reduxit: Iohannem etiam certiorem reddidit, quod mentiti ſint, qui dixerint, ſe a Franciae Rege nuntios recepiſſe; hos enim ſe nunquam admiſſurum affirmat, niſi id cum conſenſu Regis Angliae fiat. (Probat. N. CCCXIII.) Eodem tempore Otto Imperator *ſub bulla aurea* litteras Iohanni Regi miſit, (Probat. N. CCCXIV.) quarum tranſcriptum ille die 23. Maii Magnatibus ſuis (y) communicat apud Rymerum pag. 159. Credas, foederis aduerſus Regem Franciae conditiones continuiſſe. Iohannes Rex *Henrico Duci Louaniae* ſiue Brabantiae apud Rymerum pag. 160. ſcribens, gratias agit, *quod ad petitionem ſuam diligenter & efficaciter intenderit promotioni & ſeruitio nepotis ſui Imperatoris Romani;* indicat ſimul Ottonem *litteras amicabiles* cum nuntiis ſuis tranſmiſiſſe, *propter quas*, ait, *in proximo, Deo volente, vtrique noſtrum commodum & honorem, & vobis & omnibus amicis noſtris gaudium credimus prouenturum.*

§. 76.

Dum haec in Germania & Anglia gererentur, *Fridericus Siciliae*

Rex

y) Vbi obſeruandum, tam Vicecomitem Thuarcenſem, quam caeteros hic nominatos Magnates Iohannis Regis Praeſides & Adminiſtros rerum per Aquitaniam & Pictauiam fuiſſe.

Digitized by Google

Rex e Sicilia a Pontifice menſe Martio, vt Richardus de S. Germano & Chronicon Foſſae nouae teſtantur, euocatus, *quorundam Principum auxilio Italiam tranſiens*, in Germaniam venit, vt Godefridus Colonienſis refert. Inter Principes, qui Friderici iter promouerunt, praecipui erant Bonifacius Marchio Montisferrati, & *Azo Marchio Eſtenſis*, nuper ab Ottone Imperatore *Marchia Anconitana* donatus. Albericus id indicat: *Fridericus*, inquiens, *venerat Romam nauigio* . . . . *inde deſcendens per mare venit Ianuam, & ibidem receptus eſt, adiuuantibus Bonifacio Marchione Montisferrati, & ciuibus Papienſibus & Cremonenſibus, & praecipue Eſtenſi Marchione. Per Cumas tranſiit Alpes, & intrans Alemanniam venit Conſtantiam.* Idem aſſerit Monachus Paduanus ad An. 1211. ſcribens: *Fridericus adoleſcens de mandato magnifici Papae Innocentii per Lombardiam cum auxilio Marchionis Eſtenſis aſcendit in Alemanniam confidenter.* Rolandinus Chronici Lib. IV. c. 8. Friderici epiſtolam ad Ezelinum de Romano recenſet, in qua inter caetera: *recordamur*, ait, *quod Azo Eſtenſis Marchio, de noſtris fidelibus vnus, pater Marchionis praeſentis, fideliter nobis aſtitit quondam tam in belli tempore, quam in pacis, nec vmquam defuit noſtrae Imperatoriae Maieſtati. Si enim licet aliquando in primis annis in Apulia rebelles domuimus; ſi tempore procedente in partibus Alemanniae paſſi ſumus plura diſcrimina; ſi Ciuitatum lites & ſchismata ſedauimus in partibus Lombardiae: nemo fuit noſtrorum Principum, vel Baronum, qui plus lateri noſtro aſſiſteret, quam idem Marchio, quem noſtrum quaſi Patronum habuimus ab ipſis cunabulis, & praecipuum Defenſorem.* Praemium perfidiae in Ottonem Imperatorem commiſſae Azo a Papa obtinuit *Marchiam Anconitanam*, quam nempe ille Ottone Imperatore recedente, ſibi denuo vindicauerat. Intelligimus hoc ex epiſtola Innocentii Papae apud Baluzium Lib. XVI. epiſt. 102. qua Azonis filio Aldobrandino ſcribit: *Inter alias rationes ea conſideratione potiſſimum clarae memoriae patri tuo Anconitanam Marchiam in feudum duximus concedendam, quia promiſerat nobis, quod eam valida manu ingrediens, ipſam ad Eccleſiae Romanae dominium reuocaret.* Azo vero Marchio, non diu poſt diſceſſum Friderici Regis ex Italia, Veronae, cuius dominium adeptus erat, deceſſit, Monacho Paduano referente. Ottonis partes in Marchia Anconitana adhuc per aliquod tempus fouiſſe Comites Celanae, quos demum Anno 1215. Aldobrandinus Marchio deuicit, ex eodem Monacho Paduano ſcimus.

§. 77.

Quid ex eo tempore, quo Conſtantiam Fridericus venit, inter ipſum & Ottonem acciderit, nemo diſtinctius Abbate Vrſpergenſi refert. Vnde

Vnde eius verbis & nos vtemur: *Audito aduentu* (Friderici,) *Otto Imperator interim venerat de Thuringia, volens comprehendere aut interficere aduerſarium ſuum, ipſeque manebat in oppido Vberlingen; ſed a multis derelictus non poterat occurrere ſaepe dicto Friderico ad pugnam. Vnde factum eſt, vt auxilio Comitis de Quiburc & aliorum, quibus ipſe praedia Imperii & paterna large diſtribuit & obligauit, vsque Baſileam perueniret, vbi tunc Heinricus de Veringen Argentinenſis Epiſcopus cum quingentis militibus ſibi occurrit: quorum, & aliorum fretus auxilio, per partes Rheni deſcendit, & ciuitates, terras, exceptis quibusdam caſtris paucis, in poteſtatem accepit. Otto vero nihilominus attentus, ſi poſſet reſiſtere, ex altera parte Rheni deſcendit, venitque ad quoddam caſtrum nomine Briſacum, quod in poteſtate ſua habebat, vbi cum maneret, ciues eiusdem caſtri, neſcio qua occaſione commoti, & ex fama rerum audaciores effecti, contra eum & ſuos inſurrexerunt: vbi quidam vulnerati & interfecti ſunt, ipſeque profugus effectus vix receſſit ab eis. Qua fama diuulgata, laborioſe ſatis in Saxoniam rediit, & ſic de Regno pellitur, & Fridericus Aquisgrani coronatur.* Sed in eo errat, quod nunc ait Fridericum Aquisgrani coronatum. Hoc enim Anno demum 1215. factum eſſe infra videbimus; nec ſtatim in Saxoniam, ſed prius Coloniam iuiſſe Otto videtur. Rectius enim Godefridus Colonienſis ſcribit, *Fridericum*, poſtquam Otto ad inferiores Rheni partes receſſiſſet, *Moguntiam veniſſe, & in feſto S. Andreae Apoſtoli celebrem Curiam habuiſſe, in qua plurimi Principes ab eo inbeneficiati iuramentum praeſtiterint.*

§. 78.

Ante vero, quam Moguntiam veniret Fridericus, per Alſatiam, quae Sueuiae pars atque ita Friderici Prouincia fuit, in Lotharingiam venit, vt Gallorum Regi vicinior eſſet, & cum eo, ad exemplum Philippi deceſſoris & patrui ſui, foedus faceret. Hoc apud Tullum XIII. Kal. Decembris perfectum eſſe, Charta, quam ſubiicimus, (Probat. N. CCCXV.) oſtendit, qua fatetur, *ſe cum Philippo Rege Francorum confoederationem iniiſſe contra Othonem quondam dictum Imperatorem & contra Iohannem Regem Angliae & eorum auxiliatores maniſeſtos, cum quibus nullam pacem facere promittit ſine aſſenſu eiusdem Regis* &c. Larga tunc pecuniarum ſubſidia promiſſa eſſe, z) facile credi poteſt. Ab omni enim tempore Galli

z) Subſidium pecuniarum, cuius in conuentione nulla quidem mentio, certa tamen ſtipulatio fuit, anno ſequenti demum Francofurtum adlatum eſt, vbi Fridericus circa Epiphaniam 1213. *Curiam habuit, in qua Ludouicus Bauariae Dux & Landgrauius* potiſſimum comparuerunt. *Ibi*, referente Monacho Erfurtenſi apud Menckenium Scriptor. T. III. p. 241. *Rex Franciae faciem Regis Friderici cum benedictione viginti millium marcarum argenti viſitauit, vi foederis, quo pepigerunt, vt quiuis alteri in neceſſitate adſtaret.* Quaeſitus igitur Fridericus a Spirenſi Epiſcopo, quibus in locis

Galli pecuniam in loco negligere edocti, quos bello ſuperare non poterant, Germanos muneribus corruptos aduerſus propriam patriam armauere. Et mirifice fallunt, qui nouas eſſe artes illas, quibus noſtra aetate amicos ſibi parant, & Proceres Germaniae ineſcant, ſibi perſuadent. Similiter quidem Iohannes Rex Angliae ineunte anno ſequenti *Ottoni Dei gratia illuſtri Romanorum Imperatori & ſemper Auguſto per Seneſchallum eius Conradum de Wilre octies mille & quingentas, & Simoni Saphir*, qui procul dubio Hebraeus fuit, *quingentas marcas*, quas iſte Ottoni mutuas dederat, *ex pacto ſolui iuſſit:* (Probat. N. CCCXVI.) quae pecunia ex ſubſidiis Clero impoſitis prouenisse videtur, vtpote quae Londini apud Magiſtrum Militum Templi cuſtodiebatur, a quo facta haec ſolutio dicitur. Sed hanc ſummam ad eam, quam Philippus Friderico miſerat, haud adſurrexiſſe puto, quoniam alias Otto, liberalis & munificus Princeps, facile animos Procerum hactenus ſibi fidelium, iam vero in partes Friderici auri ſacra fame abeuntium de nouo deuincire ſibi, atque ſic Gallorum artes eludere potuiſſet.

§. 79.

Anno 1213. *Idibus Ianuarii* Otto Imperator *Neomagi* fuit, & ibi *attendens fidem ac deuotionem magnam dilecti ac fidelis ſui, viri nobilis Willehelmi, Comitis Hollandiae, eidem omnia feoda, quae nobiles viri Florentius & Theodericus bonae memoriae Comites Hollandiae videlicet, praedeceſſores praefati Comitis Willehelmi Hollandiae ab Imperiali aula tenuerant, in purum feodum cum omni integritate ad eandem Comitiam attinente contulit.* Diploma in Martenii & Durandi Theſauro Anecdotorum T. I. p. 841. publicatum eſt, vnde illud infra repetiimus. (Probat. N. CCCXVII.) Mox vero domum rediiſſe debuit Otto Imperator. Nam *VI. Kal. Februarii Brunſuici* fuit, & *Eccleſiam S. Mariae in Ceuerlingeborch, de aſſenſu fratris ſui Henrici illuſtris Comitis Palatini, proximi haeredis ſui* inſignibus bonis dotauit. (Probat. N. CCCXVIII.) Diploma hoc diligens & de hiſtoria patria optime meritus Maderus Antiquit. Brunſu. pag. 245. ſq. edidit. Obligatus erat voto, quod, vt ſupra audiuimus, cum Beatricem ſibi deſponſaſſet, Herbipoli fecerat, ad conſtructionem duorum Monaſteriorum, ex quibus hoc vnum fuiſſe videtur. Paulo vero poſt dotatum locum, neceſſitate exigente, eundem in Caſtrum conuertit, quod tanquam graue crimen ei in Concilio Romano Anno 1215. obiectum eſt. Vnde Otto Imperator

cis eadem pecunia recondi deberet, reſpondit: *pecuniam illam, vel quamlibet aliam, minime fore recondendam, ſed Regni Principibus eſſe erogandam.* Inde non mirum, Ludouicum Bauarum cum caeteris, qui ſuperiori anno foedus cum Ottone pepigerant, foederis & ſui oblitos, in caſtra Friderici tranſiiſſe, *pecunia ſcilicet Gallica corruptos.*

rator antequam moreretur, bona huic Monaſterio deſtinata, vt infra videbimus, *Eccleſiae S. Blaſii Brunſuicenſi* aſſignauit.

§. 80.

Dum vero hactenus Imperator aduerſus Fridericum arma circumtuliſſet, inimici eius, hac occaſione vſi, Caſtrum *Hartzburgum* ei ſurripuiſſe videntur, quod anno hoc 1213. *menſe Martio* a Saxonibus, ſine dubio ductu Ottonis Imperatoris, receptum eſt. Nemo Hiſtoricorum quantum noui, hoc indicauit. Sunt tamen apud Engelhuſium edit. Leibnit. pag. 1116. veteres verſus, qui de rei huius veritate teſtimonium reddunt, oſtenduntque Caſtrum hoc *die S. Gregorii* obſidione cinctum, & *die S. Benedicti* occupatum fuiſſe. Sed lubet ipſos verſus afferre:

Poſt M. poſt duo C. annos tredecim ſuperadde,
Gregorius vallat vrbem, Benedictus eam dat,
Hartesborg dictam, per Saxones ardue victam.
Felix bombarda, *cum tu viciſſe dicaris*
Hanc primam; guarda *ſic victrix cognominaris.*

Verſus hos a coaetaneo confectos circumſtantiae, quas de *bombarda* affert, non obſcure demonſtrant. Sic vero nouum, illudque egregium decus in Principes noſtros redundat, *inuentio* nempe *primae bombardae*, quae, quod magnum damnum hoſtibus inferret & moenia ictibus fortiſſimis dirueret, omniaque obuia proſterneret, dicta eſt voce Italica *Guarda*, h. e. *caue tibi*, ne ſcilicet ab ea feriaris. *Bombardae* alias vocem Laurentius Valla Elegantiar. Lib. II. c. 34. Nicotius in Theſauro Linguae Gallicae atque Voſſius Rhetoric. Lib. IV. c. 13. artic. 7. & de Vitiis Sermon. Lib. I. c. 7. a *bombus* & *ardeo* deducunt; eamque a Bertholdo Schwarzio vna cum puluere pyrio inuentam Platina, Blondus, & Polydorus Vergilius exiſtimant. Sed vox Germanicae potius originis eſſe videtur, a *bump* vel *pump* formata, quo nos grauiſſimum caſum vel lapſum ex alto exprimimus. Hinc enim regulariter fit *pumper*, Saxonice *pumpert*, vel *bombarda*, machina, *quae lapſum ex alto grauiſſimum efficit*. Lipſius igitur & ante eum Mariana vocem perperam ex *Lombarda* corruptam putauerunt. Ex ipſa vero noſtra vocis originatione coniici poteſt, *bombardam* machinam bellicam fuiſſe, *petrariis* hactenus vſitatis multo praeſtantiorem, & lapides ingentes magna vi in altum propulſantem, qui decidentes munimentis caſtrorum aedibusque ruinam dederint. Puluerem pyrium a Schwarzio primum inuentum vulgaris quidem perſuaſio eſt: verum tamen, ſi Cangius in Gloſſario non fallit, is Schwarzio multo antiquior eſt. Oſtendit enim ille ex Computo Bartholomaei du Drach, Theſaurarii bellici, eum iam

Anno

Digitized by Google

Anno 1338. in Gallia vſitatum fuiſſe. In computo quippe hoc ille legit: *A Henri de Faumechon pour avoir poudres & autres choſes neceſſaires aux Canons, qui eſtoient devant Puy-Guillaume.* Idem Cangius ex Computo auxiliorum coactorum pro liberatione Iohannis Regis Franciae Anno 1368. in Camera Computorum Pariſiis aſſeruato, haec quoque verba adducit: *Guillaume l'Eſcurier maiſtre des Canons du Roy, que icelui Seigneur lui a ordonné eſtre baillé pour querir cent livres d'eſtoffe a faire poudre pour quatre graus Canons, qu'il doit faire pour mettre en la garniſon de Harefleu.* Cum autem *petrariae*, quae neruis & machinis certis conſtructae lapides vibrabant, eo aeuo, quo verſus de captione Hartesburgi confecti ſunt, notiſſimae eſſent & ingenioſe compoſitae, a Friderico I. Imperatore in Italia, ab aliis in bello Vltramarino, atque ab Henrico Leone in variis obſidionibus adhibitae fuiſſent; hic tamen in verſibus, quos adduximus, *Bombarda*, vt *prima ſui generis*, & hoſti perquam metuenda deſcribatur; non vane in eam fere deuenio opinionem, noſtros Principes iam ſecretum illud puluerem pyrium conficiendi, occaſione ſulphuris, quod ad montem Rammesbergium prope Goslariam praeparatur, inueniſſe, atque ad lapides ingentes in hoſtem torquendos hic primum adhibuiſſe. Arcanum hoc diu ſatis apud Familiam Sereniſſimam cuſtoditum, tandem poſt multos annos ad alios effluere potuit. Confirmor hac in ſententia & inde, quod omnes veteres, a Voſſio, Cangio & Menagio citati, qui *bombardarum* meminere, eas ita deſcribant, vt puluerem iis pyrium adhibitum fuiſſe vix dubitari poſſit. Vnde & vocem, vt iam monuimus, a *bombus* & *ardeo* ortam credidere. (aa)

§. 81.

Eodem anno 1213. *Philippus Rex* Franciae, teſte Godefrido Colonienſi, *cum maximo exercitu Flandriam intrauit, vt Ferrandum* Comitem, Iohanni Regi Angliae & Ottoni Imperatori arcto foedere iunctum, inde *expelleret, & terram ſuo dominio ſubiugaret.* Secus tamen cecidit; *nam plurimis ſuorum ibi occiſis, cum magno detrimento & ignominia victus rediit.* Eadem tempeſtate Otto Imperator per ſuos Ottonem Monaſterienſem Epiſcopum ſibi aduerſantem Coloniae comprehendi, & Werdinam conduci fecit, vbi iuſſu eius vinculis mancipatus eſt. Sifridus

aa) Bombardis intentus Dn. Eccardus, atque, vt ſolet, multum ſibi in ſomniis placens, obliuiſcitur Conuentus hoc Anno 1213. menſe Maio Noribergae habiti, quo Otto Ordinis Teutonici bona in tutelam ſuſcepit, (Probat. N. CCCXIX.) Tegernſeenſibus Monachis abſtractas apud Bauzanum vineas reſtitui iuſſit, (Probat. N. CCCXX.) Pontificique immeritam ſui excommunicationem exprobrauit. (Probat. N. CCCXXI.)

fridus Moguntinus, Sedis Romanae Legatus, ciuitatem Colonienſem ea propter excommunicauit, ſacrisque priuauit. De caetero Otto hoc anno ad ſecundas nuptias cum veteri ſponſa MARIA, *Henrici Brabantiae Ducis filia*, tranſiiſſe videtur. Sequenti enim anno belli curis occupatus, & deinde ab Henrico Brabantino alienatus fuit. Mariam autem vxorem habuit, & poſt ſe, vt poſtea videbimus, ſuperſtitem reliquit. Chronicon vetus Ducum Brunſuicenſium de eo: *Hic duxit vxorem Beatricem, Regis Philippi filiam, quae obiit anno MCCXIII.* [1212.] *III. Idus Auguſti. Poſtea duxit MARIAM, ſororem Ducum Brabantiae, de quarum nulla habuit poſteritatem.* Albericus in Chronico expreſſe dicit, Ottonem, cum praelium ad Bouinas committeretur, iam *filiam Henrici Ducis Brabantiae duxiſſe in vxorem*; id quod ſententiam noſtram valide confirmat. (bb) Accedit auctoritas Chronici Rhythmici Cap. LX. vbi dicit, non diu poſt obitum Beatricis, qui, vt vidimus, Anno 1212. accidit, Ottonem Mariam Brabantinam duxiſſe. Haec eius verba ſunt:

Darnach an korten dagen
Nam der Keyſer, horde ek ſagen,
Des Hertogen ſuſter ut Brabant,
Maria was ſe genant.

Egregia multa de his nuptiis earumque circumſtantiis, deque ipſa Maria habet, atque hoc argumentum prolatis in medium pluribus diplomatibus plane exhaurit Baluzius in hiſtoria Domus Aruernicae, ad quam Lectores noſtros ſtudio breuitatis ablegamus.

§. 82.

Anni 1214. initia inſumta ſunt domando Geldriae Comiti & praeparationi ad bellum (cc) cum Philippo Galliae Rege, qui vt Ottoni aegre faceret, Imperiumque eriperet, hactenus omnem lapidem mouerat, decertandum. Iunguntur Imperatori aduerſus Gallum Henricus Dux Brabantiae, Ferrandus Comes Flandriae, Willelmus Comes Hollandiae, Walramus Dux Limburgenſis, Comes Namurcenſis & plurimi alii Magnates,

bb) Sed tantum ex parte. Anno enim 1213. Mariam ductam fuiſſe, quod probandum erat, Albericus non dicit. Potior mihi Hiſtoriae Loſſenſis fides, qua matrimonium hoc reiicitur ad annum ſequentem 1214.

cc) Ad quam Mantelius & Robinſius, Hiſtoriae Loſſenſis auctores, Lib. VI. p. 167. referunt quoque Ottonis nuptias cum Maria Brabantina, ita ſcribentes: *Leodio Otto tranſiit in Brabantiam. Hic Mariam, Henrici Ducis filiam, iam ante ſedecim annos ſibi deſponſatam, cum Caeſar Aquisgrani ſalutaretur, duxit vxorem, menſe Maio anni MCCXIV.* Porro caue credas, Ottonem hic principem belligeratorem fuiſſe, cum non niſi auxiliator fuerit Principum Belgicorum, auſpiciis Regis Angliae Ioannis, qui eodem tempore in Aquitaniam impreſſionem meditabatur, confoederatorum, qui eum vocauerant cum ſui corporis cuſtodibus. Exercitum enim Germanicum nullum ſecum adduxit Otto Imperator, quippe tamquam priuatus bellum hoc auunculo ſuo militaturus.

Digitized by Google

gnates, quibus acceſſere ab Angliae Rege cum multo milite miſſi, Hugo de Boues, Raynaldus Comes Boloniae, Wilhelmus Longa ſpata Comes Sariſberienſis & frater Regis nothus, qui exercitui huic, nomine Mareſchalli, praeerat. Obuiam confoederato exercitui venit Philippus Rex Galliae, &, cum iam prope eſſet, milites, quos ſtrenuiſſimos ſecum habebat, eum, vt Vrſpergenſis refert, allocuti ſunt: *Domine! noſti, quam fortis ſit in pugna Otto Imperator, habet quoque auxilio ſuo viros in pugna probatiſſimos, videlicet Comitem Flandriae & Comitem Boloniae & alios quam plurimos, quos cognouimus, & tantam ipſorum eſſe ferocitatem, vt malint in bello cadere in mortem, quam de pugna turpiter fugere.* Ad pontem Bouinenſem Tornaco non procul die 6. Cal. Auguſti, quae dies dominica erat, ad praelium ventum eſt acerrimum, quod Guillelmus Brito Philippidos Lib. XI. Albericus, Rigardus, Matthaeus Paris, Abbas Vrſpergenſis, Chronicon Rhythmicum Brunſuicenſe, Northofius in Chronico Marcano & alii deſcribunt. Matthaeus Paris meminit, diſplicuiſſe Imperatori bellum committi die dominica, (dd) & illum conſtanter affirmaſſe, *talis diei conflictu ſe nunquam laetum reportare triumphum.* Pro vexillo, vt Albericus ait, erexerat Imperator *Aquilam deauratam ſuper Dracone pendentem in pertica longa in quadriga*, qualem illo aeuo *Carocium* appellabant. Exercitui Imperatorio ſolis ſplendor oculos laedebat, & non minima ſiniſtri euentus cauſa fuit. Ingenti virtute pugnabatur, & Otto, ſpretis periculis, a Philippo Rege propria manu vindictam ſumſiſſet, niſi equus ſauciatus impedimento fuiſſet. Regem interim Gallum pedites Germanici ferreis vncinis & gracilibus lanceis de equo detraxere, & eum penitus occidiſſent, niſi armatura id impediuiſſet. Guillelmus Brito Lib. XI. v. 390. ſqq. deſcribens lapſum Regis Galliae ex equo & quomodo illum ſui defenderint, mox adiungit:

Quos contra Comes Otho furit, cui Tinquaneburgis (Teclenburgenſis.)
Parebat regio, Guirardus Randerodenſis,

dd) At hunc conſcientiae ſcrupulum alii Philippo Franciae Regi attribuunt; veluti Auctor genealogiae Comitum Flandriae apud Marten. Anecdotor. T. III. p. 400. qui plenam & accuratam huius praelii deſcriptionem habet, & de Philippo ita ſcribit: *Rex ſubſtitit, & ſuum exercitum ſtare fecit, conuocansque Principes ſuos ait: Quid eſt conſilium veſtrum ſuper his, quae audiſtis? Inuitus quidem hodie pugno, cum ſit dies dominica, & nos pauciores numero ſumus, quam illi. Tunc Petrus Comes Balliolenſis primus reſpondit: Etſi malum ſit, humanum fundere ſanguinem die feſto; tamen minus peccat, qui non inſurgit in hoſtem, nec eum prouocat, ſed ab eo prouocatus ſe, vt poteſt, defendit. Qui autem ſe defendere negligit, cum ab hoſte fuerit impetitus, aut victum ſe probat, aut ſtultum fatetur. His auditis voluntas omnium erigitur ad pugnam* &c. Ibidem in Iperii Chronico S. Bertini pag. 697. ſeq. breuior narratio centum poſt annos ſcripta legitur, in qua Comes Palatinus de Rheno cum inter bellatores in caſtris Ottonis Imperatoris, tum inter captos a Rege Franciae copiarum ductores numeratur; ſubticito tamen vtrobique nomine Henrici.

Digitized by Google

Et quo Teutonicos inter praeſtantior vllus
Non erat, aut maior membris aut corde Guirardus
Hoſtimalis contra Francos emiſſus ab oris,
Qui tantae famae, qui tanti nominis erat,
Vt vix Ottonem Saxonia praeferat illi,
Innumerique alii, qui dum victoria nutat,
Dum vultu fortuna pari blanditur vtrisque,
Viribus immenſis ſolitoque furore reſiſtunt
Francigenis.

Girardum, quem vocat *Hoſtimalenſem*, habuiſſe *Bernardi* nomen ex Rigordo intelligimus, & Arnoldus Lib. V. c. 3. eum rectius *de Horſtemer* cognominat. Weſtphalus enim erat & *Horſtmariae* Dynaſta, vt Meibomius in Notis ad Northofium p. 417. ſolide, more ſuo, oſtendit. Egregia ille virtutis ſpecimina iam ediderat, praecipue cum Henricum Comitem Palatinum in Terram Sanctam antehac comitaretur. Poſt magnam ſtragem vtrimque datam partes tamen Galli ſuperiores fuere, Imperatorque fugere coactus eſt, &, equo cadente, periiſſet, niſi hic ipſe Bernardus de Horſtmaria ei equum ſuum dediſſet. Guillelmus Brito Lib. XI. v. 448. ſqq. hoc nobis indicat, dum de Comite Barrenſi canit:

Tendit in Othonem, ſed iam per lora tenebat
Petrus eum Maleuicinus, deque agmine denſo
Fortiter implexis dextra luctante lupatis
Extricare volens, turba impediente nequibat.
Aduolat & ſtrictum dat eidem Scropha cutellum
Pectoris in medio, nec cedere ferrea ferro
Arma volunt, quibus Otho ſuos muniuerat artus.
Replicat, inque ictum dextra indignante Girardus
Acrius inſurgit; ſed equus ceruice leuata
Obuiat, & caſu venientem ſuſcipit ictum,
Perque oculum in cerebri medio lethaliter ictus
Se leuat, inque pedes ſtans, vt capra, poſteriores
De Petri manibus ruptis extricat habenis,
Et conſternatus girauit ſe retro, fraeno
Caſtigare genas rupto nequeunte ſuperbas;
Dumque calor plagaeque grauis dolor attonat illum,
Vi rapit a turba Dominum: ſed proxima cum mors
Longius ire vetet, terrae procumbit, & vna
Othonem ſecum moriens in puluere fundit.
Oſtimarenſis *adeſt curſu rapiente* Girardus,

Deſcendens

Digitized by Google

Deſcendensque ſuum Domino, vectoris egenti,
Praeſtat equum, pedes ipſe manens. O mira fideli,
O laudanda fides in milite! ne pereat Rex
Exponit miles ſeſe ſpontaneus hoſti,
Seu victus duci, ſeu morti occumbere certus.

Quanto ſe periculo expoſuerit Imperator ex Alberico etiam colligimus: *Per Dei,* inquit, *adiutorium praeualuerunt gladii Francorum, qui repellentem aciem Ottonis peruenerunt vsque ad ipſum. Petrus Maluſuicinus plus armis, quam prudentia, probus, ipſum Ottonem per fraenum apprehendit, & Gerardus Scropha cultellum dedit in pectus eius, ſed laedere non valuit, in ſecundo ictu deſcendit cultellus mira fortitudine in cerebro equi Ottonis, qui vulneratus, in partem, qua venerat, ſe gyrauit, & ita Imperator oſtendit militibus noſtris dorſum, & a campo receſſit, aquila cum carro dimiſſa & praedae expoſita. Quo viſo, Rex ait ſuis, hodie amplius non videbitis faciem ipſius. Cum igitur paululum proceſſiſſet, labitur equus & ſtatim adducitur alius equus recens, in quem cum aſcendiſſet, fugae velociter ſe mandauit; Non enim poterat noſtrorum militum ſuſtinere virtutem: Nam & Guillelmus de Barris, qui plus quam alii proceſſerat, bis ipſum per collum tenuerat, Galterus enim iunior, Gillelmus de Garlanda & Bartholomaeus de Roia non iudicabant bonum eſſe, Regem ſolum dimittere; Dictus vero Guillelmus de Barris amiſſo equo [factus pedes] captus aut interfectus fuiſſet, niſi Thomas de Sancto Wallerico ſuperueniſſet, qui habebat quinquaginta equites & duo millia peditum. Capti fuerunt de ſociis Ottonis, Bernardus de Tenquenbute [Tinquenebute] qui dicebatur Comes Hirſutus. Huius Comitis frater fuit Adolphus Epiſcopus Oſenburgenſis, Comes Conrardus de Tremognia & Gerardus de Randerode; carrus diſcerpitur, draco frangitur; aquila alis auulſis & confractis ad Regem Philippum defertur, Comes Boloniae ab ipſo pugnae initio nunquam pugnare ceſſauit, nec poterat a quoquam ſuperari.* Chronica de Mailors pag. 187. de eodem hoc praelio ſcribit: *Commiſſum eſt praelium campeſtre inter Philippum Regem Franciae & Othonem quondam Imperatorem Alemanniae, die dominica proxima poſt feſtum S. Iacobi, eo anno VI. Kal. Auguſti, in Flandriis, inter Tornacum & pontem de Bouines. In illo autem conflictu, prout ſcripſit Dominus H. de Vrſicampo Domino A. Abbati Ciſterc. capti ſunt ex parte Othonis Comes Flandriae, Comes Boloniae, Comes de Tenekebroc. Capti ſunt etiam Barones & Baronum filii de Flandria, de Alemannia, meliores & nobiliores omnes milites, egregii in acie prouocantes, quos ipſe Abbas numerando nominauit fere ſepties viginti. Ex parte Othonis erant XXX. equitum & CC. peditum. Numerus militum captorum CC. XX. interfecto-*

rum

rum militum LXX. peditum interfectorum M; De Francis autem tres milites tantum. De Rege autem Franciae verum eſt, quod de equo deiectus corruit inter inimicos ſuos crudeliſſimos, qui nihil aliud ſitiebant, quam eius ſanguinem. Sed diuina miſeratione, &, vt ipſe poſtmodum confeſſus eſt, Ciſtercienſis Ordinis apud Deum interceſſione protectus, & virtute militum ſuorum, quorum quidam ſuper corpus ipſius interfici ſe permiſerunt, in equum ſuum reiectus, illaeſus peruaſit. Comes de *Tenekebroc* erat *Otto Comes de Teclenburg.* Comes Piloſus, ſiue, vt Albericus eum vocat, *Bernardus de Tenquenbute, qui dicebatur Comes Hirſutus*, fuit Comes ſiue *Raugraſius Daſſelienſis.* Locus *Tenquenbute* hodie *Denckte* vocatur, & Wolfenbutelam inter & Seſam ſitus eſt. (ee) Obtinuit forte eum beneficio Ottonis Imperatoris & cum ibi reſideret, inde cognomen adeptus eſt. *Conradus de Tregmonia* fuit *Comes* ſiue *Aduocatus Dortmundae*, quae & *Tremonia* dicitur. *Gerardus de Randerode* Iuliacenſis erat. Arcem *Randerode* Fridericus II. Archi Epiſcopus ob rebellionem deinde deſtruxit. Captus quoque eſt in eodem praelio, vt Northofius prodit, *Bernardus Baro Horſtmarienſis*, Heros fortiſſimus, de quo modo mentionem

ee) Nollem Dn. Eccardus ad exteri Scriptoris, nomina virorum & locorum valde corrumpentis, litteram veluti ad ſcopulum adhaeſiſſet, erroresque hic erroribus cumulaſſet, qui in homine, in terris Brunſuicenſibus verſato, vix ferendi ſunt. Principio *Denckte* illud, de quo loquitur, & cuius nominis villas alias alibi exſtare non meminimus, nequaquam inter Wolffembutelam & Seſam, ſed primo lapide ab arce Wolffembutelenſi in via regia Halberſtadium tendentibus ſitum eſt. Deinde vici huius nomen numquam *Tenquenebute*, ſed in antiquis aeque ac recentioribus monumentis ſemper *Denckte* fuit. Tum Comites Daſſelienſes hunc locum vllo tempore in poteſtate habuiſſe, vel ab eo denominatos fuiſſe, nullo indicio probari poteſt. Denique eosdem Comites Daſſelienſes eos fuiſſe, qui *Comites Hirſuti* ſeu *Raugrauii* vocantur, non niſi in ſchola Letzneriana docetur. Rationis eſt, horum Scriptorum loca ita explicare, vt Comes Hirſutus & Comes de Tenequebute duo ſint diuerſi Comites, quos rite diſtinguit Brito Lib. X. v. 406.

Nec minus Otho *Comes* venit *de Thinquaneburgo*,
Et *Comitem*, quem Theutonici dixere *piloſum*,
Vt iuuet Othonem, *regio Traiectica* miſit.

Habes hic Ottonem Comitem de Tecklenburg; habes itidem Comitem piloſum ſeu Hirſutum; aſt non *Palatinum*, vel *Saxonem*, vel *Daſſelienſem* quemdam, ſed *Traiectinum*, de caetero parum notum. Contra Comes de Tenekebroc & Comes de Tenquenbute vnus idemque eſt, ſcilicet Comes de Teklenburg. Tenquebute enim quoque & Tenebroc, & Tekeneburgum & Tecklenburgum vnum idemque vocabulum ſunt, vnumque & eundem Comitem deſignant, Ottonem, filium Simonis illius, Comitis de Tekeneburg, qui inſtrumenta diuiſionis filiorum Henrici Leonis ſuo nomine ſubſcripto firmauerat. Adſtipulatores, praeter Hamelmannum in Tecklenburg. p. 225. habeo Annaliſtam Paderborn. T. I. p. 966. de hac vocum corruptione pariter conquerentem, & Meibomium Scriptor. T. I. pag. 418. Caeterum de praelio Bouinenſi ante alios Rigordus euoluendus erat de geſtis Philippi Auguſti, teſtis de viſu, qui Philippo a ſacris praelio interfuerat. Ille enim Ottonis IV. quatuor belli Duces tantummodo commemorat, Bernardum de Horſtemare, Comitem Othonem de Tinqueneburg, Comitem Conradum de Tremonia & Gerardum de Randerode; de Comite autem Piloſo ſeu Hirſuto, quem Poëta & Albericus habent, prorſus ſilet.

Digitized by Google

tionem fecimus, & qui denique Anno 1227. viuendi finem inuenit in praelio Colſeldenſi, quo palude hauſtus interiit. Beka eum *Teutonicorum omnium famoſiſſimum* vocat. *Nam aliquibus Papis & quatuor Imperatoribus, quibus ſeruierat, ſuper omnes acceptus fuiſſe dicitur, cuius militiam & audaciam commendabat quoque Richardus Rex Angliae, cui multum ſeruierat in guerris.* Vid. Matthaei Anal. T. V. p. 139.

§. 83.

Fridericus Rex hac occaſione vſus, valido exercitu Moſellam tranſiit & terrore ſuo quoslibet terrae nobiles ſibi fauentes reddidit. Deinde & Moſam traiecit, Ducique Brabantiae imminuit, qui, viribus reſiſtendi deſtitutus, ſupplex ei factus, fidelitatem promiſit, filiumque ſuum & alios nobiles viros obſides dedit, vt Godefridus Colonienſis memoriae mandauit. Fridericus, vt tantum Principem ſibi arctius deuinciret, ei hoc ipſo anno 1214. IV. Nonas Septembris Worſelae exiſtens vrbem *Traiectum ad Moſam* in feudum dedit diplomate a Butkenio in Probat. Trophaeorum Brabant. p. 64. recenſito, (Probat. N. CCCXXII.) cui teſtes ſubſcripti ſunt *Theodericus Treuirenſis Archi Epiſcopus, Conradus Metenſis & Spirenſis Epiſcopus & Imperialis aulae Cancellarius, Leopoldus Dux Auſtriae, Otto Dux Meraniae, Bernhardus Dux Carinthiae, Albertus Comes de Euerſtein, Wernerus de Bollantia Dapifer, Walterus Pincerna, Henricus de Dum.* Cum tamen Comiti Loſſenſi in pignus datum erat Caſtrum illud, adeoque promiſſio Imperatoris mox effectum habere non poterat; is ad Octauam Paſchae redemturum illud ſe datis vadibus promittebat, quorum nomina alia apud eundem Butkenium l. c. vulgata Charta habet, quam etiam ſubiungimus (Probat. N. CCCXXIII.)

§. 84.

Iohannes Rex Angliae ſpe deiectus, cum Philippo Galliae Rege inducias quinque annorum hoc anno inire coactus eſt. Philippi Regis Chartam ea de re Rymerus Act. Angl. Tom. I. pag. 192. ſq. edidit. (Probat. N. CCCXXIV.) In ea inter caetera de Ottone Imperatore & Friderico Rege haec verba reperiuntur: *Fredericus Romanorum & Siciliae erit in iſta noſtra treuga, ſi voluerit, & Rex Otho ſimiliter erit in treuga Regis Angliae, ſi voluerit: Et, ſi alter illorum noluerit eſſe in treuga, nos poterimus iuuare Fredericum in Imperio, & Rex Angliae Othonem in Imperio ſimiliter, absque meffacere, & absque faciendo guerram inter Ioannem Regem Angliae & nos de terris noſtris.* Breuiorem huius conuentionis formulam habet Matthaeus Paris ad A. 1215. p. 175.

Digitized by Google

§. 85.

Scriptores noſtri, Chronicon Rhytmicum, Botho & Letznerus (ff) referunt, Ottonem Imperatorem e praelio Bouinenſi reducem, in Albertum Archi Epiſcopum Magdeburgenſem, qui ipſum excommunicauerat, mouiſſe, & eo deuicto ditiones eius vaſtaſſe, *Arcslebiamque* combuſſiſſe. Sed haec Anno 1212. facta ſunt, vt ex Chronico Montis Sereni intelligitur. Atque ex Godofrido Colonienſi & Alberico manifeſtum eſt, Imperatorem poſt praelium ad Bouinas *Coloniam* ſe recepiſſe, ibique per aliquot tempus manſiſſe.

§. 86.

Anno 1215. *VII. Idus Martii*, Friderico Marſchalco de Volcmerode & filiis eius reſignantibus in manus Ottonis Imperatoris ius feodi, quod habebant *in patrimonio illius Scatborſt & ſylua & pratis ei attinentibus*, ille idem patrimonium dilectiſſimae Eccleſiae in Riddageshuſen donauit, *Heinrico illuſtri Comite Palatino conſentiente*, & praeſentibus teſtibus *Guncelino Imperialis aulae Dapifero*, *Wilhelmo Marſchalco*, *Olrico Aduocato Goslarienſi*, *Borchardo de Wolferbutle*, *Caeſario Aduocato de Quidlingeborg*, *Tiderico de Werbene*, *& Iohanne de Bornem*, vt manifeſtum eſt ex diplomate a Meibomio Scriptor. T. III. p. 162. publicato. (Probat. N. CCCXXV.) Tempore vero Paſchatis, Colonienſes, quibus fautores Friderici vndique imminebant, Ottonem Imperatorem ſe amplius defendere poſſe diffiſi, ab eo obtinuere, vt a ciuitate diſcederet. Albericus *Eodem anno in Paſcha Ciues Colonienſes pacti ſunt pecuniam Ottoni iam reprobato, vt recederet ab eis & abſoluerunt eum ab omni debito, quod eis debebat, & dederunt ei inſuper ſexcentas marcas argenti; & ipſe poſt Paſcha clam receſſit, & poſt receſſum eius filia Ducis Brabantiae* (gg) *ſub ſpecie viri peregrini ſimiliter receſſit a Colonia, & ſecuta eſt virum ſuum.* Otto Werdinae, vt vidimus, captiuum detinebat Ottonem Epiſcopum Monaſterienſem:

ff) Hos nugatores, cum falſa narrent, tanti non erat in teſtimonium vocare. Sane indigno *Scriptorum noſtrorum* nomine compellantur, quaſi melioribus deſtitueremur.

gg) Chronicon Erford. apud Mencken Scriptor. T. III. p. 241. paulo aliter, atque ita quidem rem narrat, *Inde*, a praelio nempe ad Bouinas male pugnato, *ſors Ottonis a ſupremo cardine lapſa ſine ſpe recuperationis incredibiliter deſcendit. Poſtmodum fortunam circa ſtatum ſuum videns eſſe mutatam, ad Colonienſes diuertit. Cuius conſors, Brabantini filia, aleatrix publica, cum de ludis variis plurimis teneretur debitis, cumque infinitis Otto ipſe ratiociniis obligaretur, nec pateret diuertendi locus, ſed nec, vnde redderet, facultas ſuppeteret; Imperatrix Ottonis conſilio, aduocatis Colonienſibus, impetrata exſpatiandi venia fuga lapſa fuit; quam die poſtera Imperator ſecutus ſimulans venandi ſtudium, & ipſe creditoribus ſuis nihil reſtituendo ingratitudinem pro gratia ſibi impenſa rependit. Quapropter Colonienſes aduerſus Ottonem vehementer commoti, atque ab eo penitus recedentes, ad Fridericum Regem diuerterunt.*

Digitized by Google

naſterienſem: Albericus addit, eum ibi quoque detinuiſſe *duodecim obſides ciuitatis Aquisgranenſis.* Hos captiuos cum reddere nollet, Adolfus Comes de Monte locum obſedit, cepit, & incluſos ibi a captiuitate liberauit. Godefridum Colonienſem ſolum teſtem citare lubet: *Otto,* inquit is, *Imperator Coloniae diu cum vxore ſua commoratus, & ab omnibus derelictus, cum nullas preces pro abſolutione Epiſcopi, quem Werdene captum tenebat, admitteret, Adolfus Comes de Monte ipſum Caſtrum, quo tenebatur, obſedit. Quod dum per plurimos dies impugnaret, & parum proficeret, tandem per foſſores maximas cautiones per fundamentum turris faciens, ipſos defenſores Caſtri in deſperationem induxit. Qui neceſſitate compulſi Epiſcopum cum ipſo Caſtro tradiderunt, liberum receſſum cum ſuis omnibus ab eodem impetrantes. Quod factum eſt in vigilia beati Iacobi Apoſtoli.*

§. 87.

Fridericus interim Rex in Alſatia, teſte Alberto Stadenſi, firmiſſimum Caſtrum *Triuels,* (hh) vbi theſaurus Imperii aſſeruari ſolebat, & adſitam *Landscronam* cepit. Inde Rhenum deſcendit & *Aquisgranum* venit, vbi ſolenniter in Regem creatus eſt. Albericus ad h. a. *Aquisgranum accedens honorifice receptus eſt & diademate totius Teutoniae in feſto Mariae Magdalenae coronatus. Conſumtis ibi aliquot diebus cum gaudio tantae ſolemnitati debito equitauit & impoſuit ſibi ibidem iterum coronam propter loci & ciuium amorem & reuerentiam.* Vt acceptum ſe Pontifici redderet, qui expeditionem in Terram Sanctam indixerat, ibidem, vt Albericus addit, *eodem die ſiue ſequenti, quo coronatus fuit, cum multis nobilibus Crucem aſſumſit, terrae Hieroſolymitanae ſuccurſus.* Godefridus Colonienſis diſtinctius eadem enarrat hiſce verbis: *In ipſa etiam vigilia* [S. Iacobi] *Fridericus Rex Siciliae cum quibusdam Principibus & nobilibus totius Lotharingiae Aquisgrani veniens, ſequenti die, ſcilicet in feſto S. Iacobi, a Syfrido Legato Apoſtolicae Sedis, Coloniae Archi Epiſcopo non exiſtente, in Regem vngitur, & in Regali Sede collocatur. Quo mox conſecrato*

hh) Alberto Stadenſi male affingitur error Geographicus. Caſtrum Triuels a Friderico captum ait; ſed in Alſatia id ſitum eſſe additamentum eſt Dni Eccardi noſtri, quem caeterarum Germaniae regionum parum peritum non miror, ex quo eum notitia terrarum Brunſuicenſium nulla tinctum fuiſſe deprehendi. Caſtrum Triuels interim, in hiſtoria Germanica celeberrimum, ipſemet Dn. Leibnitius ignorauit, & propterea in nota quadam Codic. Iur. gent. diplom. ſubiecta maluit palatiolum, Pfalzel legere. Sed enimuero noto notius eſt, Caſtrum Triuels in Palatinatu Transrhenano & quidem in dioeceſi Spirenſi atque in Praefectura Germersheimenſi ſitum fuiſſe prope oppidum Anweiler. Cuius antiquitates & fata iuſta & accurata diſſertatione more ſolito proſecutus eſt Celeberrimus Dn. Ioannis.

Digitized by Google

crato, Iohanne Xantenſi Scholaſtico crucem ibidem praedicante ad ſubuentionem Sanctae Terrae cruce ſignatur. Poſt quem Syfridus Moguntienſis Archi-Epiſcopus, Leodicenſis, Bauinbergenſis, Pataüienſis, Argentinenſis Epiſcopi, Dux Meraniae, Dux Brabantiae, H. Dux de Lynburg, Dux de Ancei, Palatinus Comes de Tuingin, Marchio de Bade, S. Comes de Los, W. Comes de Iuliaco, H. Comes de Seine, H. Comes de Monte, & alii plurimi nobiles, & magna equeſtris ordinis multitudo cruce ſignantur. Idem Godefridus innuit, Colonienſes paulo poſt ad obſequium Friderici perductos, atque ab excommunicatione abſolutos fuiſſe.

§. 88.

Otto Imperator in Saxoniam delatus, memor foederis, quod cum Alberto Marchione Brandenburgenſi inierat aduerſus Daniae Regem, eidem ſe coniunxit vna cum fratre Palatino & Waldemaro Archi Epiſcopo Bremenſi. Daniae enim Rex Waldemarus II. qui inde ab Anno 1203. totius Nordalbingiae, adeoque & Lauenburgi Dominus erat, cum facile videret, Guelfos noſtros omnem lapidem moturos, vt auitum hoc ſuum patrimonium opportuno tempore recuperent, poſthabito ſanguinis vinculo, quo his iunctus erat, ſimulatque Fridericum II. in Germaniam appuliſſe cognouerat, nuntios ad eum miſit, qui ſuam amicitiam ei offerrent, praemiumque defectionis ab Ottone poſtularent. Nuntii Danici Fridericum II. apud Mediomatrices in Lotharingia offenderunt, facilique opera ab eo diploma impetrarunt, quo Fridericus, de alieno liberalis, Waldemaro Daniae Regi non ſolum omnes Terras Transalbinas, quas tum in poteſtate habuerat, quaeue ad Imperium Romanum pertinuerant, ceſſit, ſed etiam prorſus ex rebus Imperii exemptas Regno Danico vniri permiſit. Formulam ceſſionis (ii) ſubiicimus ex Pontano, qui eam ex Huitfeldio, cuius fere Latinus interpres eſt, deſumſit. (Probat. N. CCCXXVI.) Circa quam licet aliqua moneri poſſint; rem tamen ita, vt diximus, actam eſſe, Tabularium Suerinenſe probat, quo habentur Innocentii PP. III. & Honorii PP. III. bullae, idem confir-

ii) Hoc itaque diplomate atque hac ceſſione Fridericus II. funditus ſubruit attentata Ducis Bernhardi in hanc Prouinciam: Hic viuens adhuc pro ea, qua erat mentis perſpicacia, poſt inſignem iſtam rerum conuerſionem irritas eſſe poſtulationes ſuas peruidit, ſuaque ad leonem fuſilem directa iocoſa allocutione, de qua ſupra, quantum ſatis eſt, egimus, haut obſcure prodidit, ſe eas vti par erat, pro derelictis habere; cum contra Guelforum ius in terras, quae ipſorum patrimonium erant, neminique ab Imperatore in feudum dari poterant, neque Bernhardo Duci a Friderico I. Imperatore reuera in feudum datae, ſed eadem vi ad breue tempus, qua a Danis, occupatae erant, etiam ſub detentione Danica & poſtea Anhaltina, ſaluum maneret, & neque a Friderico II. neque a Waldemaro, neque denique ab Alberto Anhaltino, qui Anno 1227. Danis in ea detentione ſucceſſit, exſtingui poſſet, nulla quippe vmquam a domo Guelfica ceſſione impetrata: qua tamen ad exſtinguenda iura eius omnino opus fuiſſet.

Digitized by Google

confirmantes, nec non Comitum Suerinenſium aliorumque terrarum Nordalbingicarum vaſallorum diplomata, qui poſt haec tempora litteris ſuis non amplius epocham regnantis Ottonis vel Friderici ſubſcripſerunt; ſed eas dederunt *Regnante Rege Waldemaro*. Idem factum Meſſenius quoque Scondiae illuſtratae T. II. pag. 37. ad Annum 1214. propugnat. Tunc etiam Hamburgum obſeſſum, & conditionibus interuenientibus pacifice a Dano receptum eſt, vt Albertus Stadenſis commemorat.

§. 89.

Tertio Non. Auguſti huius anni Otto Imperator decidit litem, quae de bonis *apud Berſle* ſitis vertebatur inter Monaſterium Riddageshuſanum & *Heinricum Grubonem Miniſterialem* ſuum. Charta inde confecta Riddageshuſae adhuc aſſeruatur. (Probat. N. CCCXXVII.) Eodem anno cum Sifrido Hildenſemenſi Epiſcopo commutationem hominum miniſterialium inſtituit, atque vt, quae ſui cauſa intermiſſa erant, ſacra denuo peragerentur poſtulauit, & Monachis Walckenridenſibus reſignatam ſibi a Comitibus Hohenſteinenſibus Aduocatiam in Nouali contulit & dimiſit: quod ſubiectae Chartae docent. (Probat. N. CCCXXVIII. a. b. c.) Chronicon Picturatum hoc anno quoque Ottonem Albim tranſiiſſe, ditionem Magdeburgenſem, Halberſtadenſem & Anhaltinam, Marchiamque nouam vaſtaſſe, Stasuordiam item occupaſſe refert; quod non improbabile videtur. (kk)

§. 90.

Albertus Stadenſis & caeteri veteres Hiſtorici produnt, Romae Concilium ab Innocentio Papa habitum eſſe *menſe Nouembri*, cui *interfuerint Legati Imperatoris Ottonis & Friderici Regis Siciliae*, iam in Germania in Regem Romanorum coronati. Otto Imperator tunc reconciliationem inter ſe & Papam obtinere tentauit, nihil negligens, quo ſibi Imperii decus conſeruare poſſet. Sed artibus Bonifacii Marchionis Montisferratenſis conamina eius ſucceſſu caruere. Memorari merentur ea de re verba Richardi de S. Germano: *Interfuerunt*, inquit, Concilio Romano *Regum & Principum totius orbis nuncii, Legatus quoque Regis Friderici*

kk) Ad fidem faciendam adſcribam, quae de hac expeditione Anonymus Saxo apud Mencken Scriptor. T. III. p. 119. ſq. tradit. *Anno 1214. ciuitas Lipczeke a Marchione Diterico de Myſna diuertit. Anno 1215. Marchio Miſnenſis ciuitatem Aken, ſuper ripam Albie ſitam, vallauerat, quae ab eo tunc inexpugnata manebat. Poſtea idem Marchio ciuitatem Lipczeke, quae ab eo diuerterat, obtinuit, & penitus deſtruxit, & ad obſidendum Aken denuo properauit. Tunc Imperator Otto Duci Alberto in adiutorium venit, & cum exercitu Albiam tranſiens, terram incendio perdidit, & inde reuerſus ad propria remeauit. In ſequenti anno 1216. Imperator Otto Aſcherslene ſuccendit.*

Digitized by Google

rici Panormitanus Archi Epiſcopus, Berardus nomine, & Mediolanenſis quidam pro parte Othonis, ad mandatum Eccleſiae redire volentis. Sed Marchio Montisferrati, qui erat pro parte Regis ipſius, aduerſarium ſe opponens, quod pro Othone ipſo non deberent audiri, ſex in medium capitula protulit. Primum, quia iuramentum, quod Romanae Eccleſiae fecerat, non ſeruauit, vt debuit. Secundum, quia propter quae fuit excommunicatus, adhuc detinet, nec reddidit, vt iurauit. Tertium, quia Epiſcopum quemdam excommunicatum tanquam ipſius fautorem nititur confouere: Quartum, quia legatum Epiſcopum alium capere, & in maioris iniquitatis cumulum incarcerare praeſumpſit. Quintum, quia in contemptum Romanae Eccleſiae Regem Fridericum, Regem appellauit presbyterorum. Sextum, quia quoddam monialium Monaſterium deſtruxit, & erexit in arcem. Adiecit etiam, quod cum ipſi Mediolanenſes ſimili eſſent excommunicatione notati, tanquam ipſius Othonis complices, & fautores, & quia eorum ciuitas Paterenos fouebat, nulla prorſus debebant ratione audiri. Quod cum moleſte ſatis ferrent Mediolanenſes ipſi, & vellent Marchioni ipſi in contrarium reſpondere, quia pars vtraque in contumelias prorumpebat; de ſolio ſuo Dominus Papa exurgens manu innuit, & egredientibus caeteris, ipſe Eccleſia eſt egreſſus. Sedit autem vsque tertio ipſe Dominus Papa, a feſto beati Martini, vsque ad feſtum Sancti Andreae, & tunc electionem factam per Principes de Rege Friderico in Imperatorem Romanum approbans confirmauit.

§. 91.

Accuſationis capitula Ottoni obiecta friuola ſunt ſatis. Iuramentum, quod non ſeruarat, Spirae ſubdole extortum, iudicio virorum peritorum & magiſtratuum ſeruare non poterat, cum illud ſolenniori iuramento, quod Imperio praeſtiterat, e diametro aduerſaretur. Nec ideo, quod ſecundo obiiciebatur, Pontifici male parta bona reddere potuit, cum illa ſine controuerſia Imperii & ſub eo Familiae Guelficae, ex hereditaria ſucceſſione & tabulis Mathildis Ducatricis dotalibus, eſſent. Tertio oggerebatur, *quod Epiſcopum excommunicatum foueret.* Erat is *Theodericus, Archi Epiſcopus Colonienſis,* vir probus & Imperatori fidelis, qui a Sifrido Moguntino Anno 1212. excommunicatus erat, quod iuramentum Ottoni factum infringere nollet, cum nondum ipſi conſtaret, Ottonem legitime depoſitum eſſe. Innocentis ergo hominis protectionem iure meritoque Otto ſuſcepit. Quarto in crimen Ottoni vertebatur, quod *Epiſcopum Legatum* ceperit & incarcerauerit. Erat hic *Albertus Archi Epiſcopus Magdeburgenſis,* qui etiam Anno 1212. canis furibundi inſtar in dominum & benefactorem ſuum deſaeuierat, excommunicationem

nem in ipſum pronuntiando, & ſubditos ab eius obſequio violenter detrahendo. Arma quoque ſumſerat; vnde armis victus, merito captiuitate poenam temeritatis ſoluit. Sexto (ll) Ottoni exprobratur, quod *Monaſterium Monialium deſtruxerit, & inde arcem fecerit.* Erat hoc *Monaſterium Scheuerlingeburgenſe* Anno 1213. conſummatum & dotatum; quod, cum non adeo commodo loco ſitum eſſet, arceque ibi indigeret, deſtruxiſſe videtur; bona tamen eius deinde Anno 1218. Eccleſiae S. Blaſii Brunſuici contulit, & antea iam ſine dubio id feciſſet, niſi turbis & bellis impeditus fuiſſet. Omnia ſi in vnum conferas, & ſingula attente conſideres; Otto Imperator innocentiſſimus fuit, nec inimici magnopere, de quo ipſum incuſare poſſent, habuere. Minime vero omnium meruit propter inanes eiusmodi obiectiunculas ab Imperio deponi, (mm) ſtrenuus iurium illius vindex. Quemadmodum etiam hac in re Innocentium Pontificem turpiter deceptum eſſe, &, dum Fridericum contra Ottonem iuuaret, anguem in ſinu fouiſſe, ipſemet Annaliſta Raynaldus agnoſcit, ad Annum 1215. §. 37. ita ſcribens: *Quo facto*, Friderici nimirum Regis confirmatione, *Innocentius Eccleſiae conſuluiſſe putauit; cum tamen poſtea Fridericus longe Ottonem improbitate vicerit. Sed tunc ille, vt callidus erat, ſtudioſiſſimum ſe tuendi diuini nominis fingebat, atque hoc anno, ne illius nimia potentia formidinem Romanae Eccleſiae incuteret, vel ne Imperio Sicilia coniuncta videretur, ſupremoque in illam Romanae Eccleſiae dominio detraheretur, Henricum filium Siciliae Regem creauit, ſeque adſtrinxit ſacramento, poſt adeptam Imperii coronam e patria poteſtate emiſſurum, regioque diplomate,* quod & nos infra ſubiicimus, (Probat. N. CCCXXIX.) *illud Regnum Sedis Apoſtolicae vectigale eſſe promulgauit.*

§. 92.

Barones interea Angliae contra Regem Iohannem coniurauerant, filiumque Philippi Regis Franciae Ludouicum in Angliam vocauerant, vt eius ope Regem ſuum throno deiicerent. Iohannes Rex, vt Ottonem Imperatorem in his anguſtiis adiutorem nanciſceretur, de eius partibus iuuandis ſolicitus erat. Habuerat Ludouicus Comes Loſſenſis vxorem *Adelam* Theoderici Comitis Hollandiae filiam & heredem, vnde ſocero defuncto, eius bona ſibi deberi credebat. Sed frater defuncti *Willelmus* ei & vxorem & Comitatum Hollandiae abſtulerat Anno 1203. & Comitatum

ll) At & *quintum* accuſationis caput diluendum erat, quod Dn. Eccardus tranſilit, in eo conſiſtens, quod Otto Imperator Fridericum in contemtum Romanae Eccleſiae *Regem* appellauit *presbyterorum; den Pfaffen König.* Sed hoc dicterium cenſuit forte vir ipſe dicaciſſimus inter *peccata venialia* numerandum.

mm) In Germania iam ante hanc confirmationem a nonnullis epocham Ottonis depoſiti adhibitam fuiſſe, docet Charta Wezlarienſis ex An. 1214. (Prob. N. CCCXXX.)

Digitized by Google

tatum eundem ab Ottone IV. Imperatore, vt ſupra iam retulimus, Anno 1213. in feudum receperat. Sed cum poſtea, Ottone deſerto, idem Willelmus Friderico ſe ſubdidiſſet, Iohannes Rex, ad quem Ludouicus Loſſenſis, vir opibus alias & viribus valens, nec amicis potentibus carens, confugerat, putauit, Imperatori non parum in inferiori Germania poteſtatis accedere poſſe, ſi ille ipſi conciliaretur, & eius ope in Hollandiae Comitatum immitteretur. Walterum itaque Bertrandum Anno 1216. ad Comitem Loſſenſem miſit, eique conſuluit, *vt ad fidem & ſeruitium Domini Imperatoris nepotis ſui redeat*, quod ſi fecerit, promiſit eidem, *Dominum Imperatorem ei iura ſua tam de Comitatu Hollandiae, quam de aliis liberaliter & benigne redditurum.* (Probat. N. CCCXXXI.) Imperatori ipſi idem Rex eo de negotio ſcripſit: (Probat. N. CCCXXXII.) *Significauimus nobili viro Comiti de Los, quod cum deuotione & humilitate, ad fidem & ſeruitium veſtrum reuertatur; vnde, cum hoc commodo & honori veſtro & noſtro plurimum credimus expedire, ſi ad fidem veſtram redeat, magnitudini veſtrae bona fide conſulendum duximus & mouendum, rogantes quatenus, reſpicientes perſecutionem & turbationem veſtram & noſtram, quibus vndique vallamur, ipſum ad fidem veſtram reuocare, & in gratiam veſtram recipere ſtudeatis. Quoniam, ſi litteras veſtras patentes nobis transmiſeritis, quod nos manucapiamus, quod eidem iura ſua reddetis.* Quem exitum res ea habuerit, neſcimus. Litterae Iohannis apud Rymerum Act. Angl. T. I. pag. 212. ſq. extant. Rex ipſe eodem hoc Anno 1216. deceſſit. (nn)

§. 93.

Otto Imperator ſub finem Anni 1216. *Brunſuici Monaſterio S. Aegidii ex conſenſu & voluntate dilecti ſui & fidelis Bernhardi de Dorſtat* nouem manſos in *villa Limbech* confirmauit. (Probat. N. CCCXXXIII.) Teſtes ſunt *Conradus Abbas de Riddagshuſen, Hinricus Comes Palatinus Rheni, Bernardus de Dorſtat, Guncelinus Imperialis aulae Dapifer, Bertramus de Velthem,*

nn) Et quidem XV. Cal. Nouembres, foris quaſſatus & intus. Infeliciorem Iohanne Regem Anglia vix habuit, ad magnas res gerendas natura inualidum. Perdidit pedetentim non ſolum Ciſmarinas Prouincias omnes, ſed & in ipſa Anglia bellum ſibi illatum vidit a Ludouico Regis Galliae filio, a populo Proceribusque vocato, qui vi ei extorſerunt, quod hodienum *magna Charta* vocatur. Contra hanc tempeſtatem Iohannes non ad arma, ſed in ſinum Pontificis confugit, cui Angliam turpi auſu vectigalem fecit, a Gallis & ſacrificulis ita contritus, vt, auctore Coggeshalio. (qui de his turbis inteſtinis peculiarem libellum ſcripſit, editum a Marten. Collect. ampliſſ. T. V. p. 871.) cum Lincolnienſis Epiſcopus mortuus eſſet, *eius loculum Rex, depoſito faſtu Regio, cum Archi Epiſcopis, ſubmiſſis ceruicibus ſuper humeros humiliter imponeret, & per aliquantam moram pium onus ſubueheret, lutum platearum parui pendens pro tanti viri obſequio.* Succeſſit ei Henricus III. filius eius, puer decennis illico Rex Angliae coronatus, cum prius *Crucis* ſignum aſſumſiſſet.

Veltbem, *Heruicus de Scowe*, *Theodericus de Werberge*, *Rotherus filius eius & multi alii.* *Acta ſunt haec anno incarn. Domin. MCCXVI. anno Regni noſtri XIX. Imperii II.* [leg. *ſeptimo*] *legitimo. Datum Bruneſwic XII. Kal. Ian. Indictione tertia* [leg. *quinta.*] Extat hoc diploma in Dn. Rethmeieri Antiquitat. Eccleſ. Brunſuic. & quidem in Addition. ad Cap. V. p. 35. Immo ſi quid video, rebus domeſticis non ſolum ordinandis, ſed & publicis reſtituendis per haec tempora intentus fuit Otto noſter. Curam enim Imperium integrum recuperandi nunquam depoſuit. Hinc vt locum firmum in finibus Archi Epiſcopatus Magdeburgenſis haberet, vnde Archi-Epiſcopo iurato, vt vidimus, inimico reſiſtere poſſet, Anno 1217. XI. Kal. Iulii Salzdalemi exiſtens, compoſitionem iniit cum *Hermanno de Ardbeck & Ottone nepote ſuo* de Caſtro Ardbecenſi, cuius vi illi *Caſtrum Ardbeck* (oo) *cum omnibus pertinentiis in manus Imperatoris reſignarunt, & illud ab eodem in feodum iure haereditario ſuſceperunt; tali conditione interpoſita*, quod *debitam ei fidelitatem*, *ſicut Domino ſuo*, *per omnia obſeruantes*, *contra omnes homines in mundo ſeruient*, *& in eodem Caſtro ad ſeruitium eius viginti homines armatos aſſidue tenebunt in expenſis ſuis*, *& cum quinque militibus & eorum ſeruientibus in exercitu eius*, *cum voluerit*, *procedent*, *ſiue alter eorum. Quod ſi forte*, *aliquo caſu interueniente*, *contra iam dicta praeſumſerint venire*, *trecentas marcas argenti Imperatori perſoluent*, pro quibus magnum ſatis fideiuſſorum numerum ſiſtunt. Geminae ea de re Chartae Impera-

oo) Quodnam illud? Fideiuſſorum nomina, circa Helmſtadium bona habentium, hoc quoque Caſtrum in vicinia vrbis Helmſtadienſis fuiſſe euincunt, nullumque aliud eſſe, quam id, quod aliis in Chartis *Hartbike*, hodie *Harptke*, vocatur, in loco peramoeno ſitum, & a quo priſtini poſſeſſores illi *de Hartbike*, hoc loco de *Ardbeck*, cognominari ſueuerunt. Meibomius Chron. Marienthal. p. 260. ita ſcribit: *Eſt Harbecт cum dioeceſis Magdeburgenſis arx non ignobilis, haereditario iure ad Familiam hodie Veltheimiam pertinens. Antiquitus paruit Baronibus ſiue illuſtribus Dominis, qui ab illa nomen & titulum vſurparunt.* Vbi & hanc eorum Genealogiae particulam adiicit:

Fridericus de Harbeke 1147.

- Gardolfus Epiſcopus Halberſtadenſis. † d. 20. Aug. 1201.
- Otto vir nobilis de Harbeke occurrit 1200.
  - Halto vir nobilis de Harbeke 1208.
    - Otto, nepos Hermanni 1217
- Hermannus Nobilis Dominus de Harbeke, vixit adhuc Anno 1226.
  - Henricus
    - Bruno 1283.
    - Conradus 1294.

Haltoni filium ſubiicio *Ottonem* ex noſtro diplomate; quemadmodum *Otto* Senior & *Hermannus fratres* probantur ex diplomate *Gardolfi*, (Probat. N. CCCXXXVI.) & *Halto* ex propria Charta. (Probat. N. CCCXXXVII.) Caeteri de Harbeke in noſtris inſtrumentis nominati, Albertus ſcilicet ac Bertoldus de Ardbeck, quod caſtellani in illo Caſtro eſſent, ab eo denominati videntur.

Imperatoris & Ardbekiorum (Probat. N. CCCXXXIV. & CCCXXXV.) in Archiuio Ducum communi Brunſuici adhuc reſtant. Hoc quoque anno Imperator cum fratre Palatino *Bremenſem Prouinciam* diruit & incendit, teſte Alberto Stadenſi; quod Bremenſes Stedingis iuncti, Waldemaro Archi Epiſcopo eiecto, Gerardum introduxiſſent.

§. 94.

Anno, qui ſecutus eſt, 1218. *Herlingsburgi* verno tempore degit: Kalendis vero Maii Goslariae fuit, & *Eccleſiam B. Mariae Virginis & S. Iacobi in Oſterode in fundo ſuae proprietatis conſtructam* ibi *in perenne ſuae tuitionis monimentum ſuſcepit*, eidemque *Aduocatiam ſuam benigne contulit* Charta, in Archiuio Regio adhuc aſſeruata. (Probat. N. CCCXXXVIII.) Solitus erat quolibet menſe Maio, medicamento ſumpto ſtomachum purgare Imperator, & nunc ab amico pillulas miſſas acceperat, quas, cum in procinctu eſſet *Hartzburgum* pergendi, recepit, & fatales expertus eſt. Tanta enim vi in corpus egerunt, vt aluus ei infra diem & noctem ſeptuaginta vicibus laxaretur, & continuus ſanguinis fluxus ſequeretur. Finem iam vitae ſibi inſtare ratus, Abbatem Walkenredenſem aduocat; &, cum ille eo die non veniſſet, adeſſe iubet Praepoſitum Sanctimonialium S. Burchardi Halberſtadenſis, qui *interpoſita cautione iuratoria*, *quod ad omne mandatum Papae ſtaret*, *abſolutionem ei conceſſit*, & oleo ſacro inuncto Euchariſtiam ſtatim tradidit. Venit tandem Abbas poſtera die, cui, vt *Goslariam* diuerteret, & ſequenti die rediret, mandauit. Redeunte tunc Abbate, Imperator omnes camera exire iuſſit, excepto Abbate & Sacerdotibus, Imperatrice & paucis nobilibus. Incoepta tunc eſt Antiphona *Media vita*, hacque decantata, cum dicerent: *Sancte Deus* &c. Imperator, oculis manibusque cum fletu ſurſum erectis, priuatas ad Deum preces fudit.

§. 95.

Haec ex veteri de morte Ottonis IV. Imperatoris narratione, quam infra (Probat. N. CCCXXXIX.) ex Martenaei & Durandi Theſauri Anecdotorum Tomo. III. pag. 1373. ſq. hauſtam ſubiicimus; vnde & reliqua decerpemus, non alibi obuia. Pergit igitur Narratio haec: *Deinde ordinato Abbate ad caput lecti, & caeteris hinc inde Sacerdotibus ordinate ſtantibus, rogabat, vt ſinguli collis ſuis ſtolas imponerent, & ipſe ſtratus ſuper tapetum, vocauit ad ſe Abbatem, & parte ſtolae, quam Abbas gerebat, ſibi Imperator collum ſtringendo, rogabat, vt omnes diligenter eum audirent taliter pro ſe allegantem: ſub hac ſtola vobis omnibus confiteor,*

quod

Digitized by Google

quod grauiter peccaui contra Sedem Romanam, & ex quo Dominus per Principes me honorauerat, qui vnanimi conſenſu me in Regem elegerunt, & Dominus Papa, electione confirmata, in Imperatorem Romanum conſecrauit, contra ipſum Papam cum Eccleſia Romana, & ſuos nuntios, qui de latere veniebant; eos male tractaui, contumaciter egi, & inſuper Eccleſias alias grauiter damnificaui. Praeterea, Domine Abba, in abſolutione mea iuraui ſuper reliquias Simonis & Iudae, quos de Goslaria afferri mihi praeceperam, quod ad omnia, quae vita comite proſequi potero, ſtabo mandato Domini Papae, ſaluo tamen meo Imperio, ad quod canonice ſum electus, & ſolemniter prouectus: quam exceptionem ſemper apud omnes habebat. Hac confeſſione facta, generalem fecit confeſſionem, & poſtmodum ſubiunxit: Poſtquam diuina ordinatione in Imperium electus, & a Domino Papa conſecratus ſum, pro tanto beneficio accepto ignorans quid in recompenſationem Deo offerrem, corpus & animam ei obtuli, qui pro me crucem ſuſtinuit. Et exiens Ciuitate Roma poſt conſecrationem, aſſumto in partem Epiſcopo Camerinenſi, crucem accepi ab ipſo, quam vſque hodiernum diem in collo tuli, & ab hominibus occultaui, expectans opportunitatem, vt illam peregrinationem exequerer, prout deceret imperialem maieſtatem, ad laudem & gloriam Crucifixi, & recuperationem Terrae Sanctae. Sed propoſiti executionem hactenus praepediuit diabolus. Tunc Imperatrix ei ſoluit crucem de collo, quam Abbas in remiſſionem omnium peccatorum ſuorum ei ſecundario dedit, & publice ferre praecepit. Ipſa veteris narrationis verba eo lubentius afferimus, quod inde pateat, Ottonem morti proximum poenituiſſe quidem, ſicubi durius Papam eiusque miniſtros tractaſſet, atque emendationem commiſſorum promiſiſſe, notanter tamen *Imperio excepto*, quod a Deo ſibi per Proceres Germaniae rite collatum, ſe Papae neutiquam debere clare ſatis profitetur. Vetus narrationis auctor addit, poſt confeſſionem Imperatorem proſtratum, ſe a Sacerdotibus *ſcopis de ſalice* depromptis verberari iuſſiſſe, & inter verbera clamaſſe: *Eia percutite durius me peccatorem:* A Sacerdotibus tandem in lectum repoſitum, iuſſiſſe, vt poſt prandium redirent. Et redeuntibus iis, coram Abbate, Imperatrice & quibusdam Secretariis ſuis ac Comite Henrico de Woldenberg, Teſtamentum ſuum produxiſſe.

§. 96.

Teſtamentum hoc integrum quidem apponit Auctor veteris illius narrationis de morte Ottonis IV. Imperatoris, quem hactenus ſecuti ſumus; ſed cum illud negligentius deſcriptum ab eodem ſit, nos correctius ex ipſo autographo, quod Canonici S. Blaſii Brunſuici conſeruant, vltimam hanc optimi Principis voluntatem hic inſeramus: *In nomine*

ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Dei gratia Otto quartus Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, dilectis fidelibus ſuis, Heinrico fratri ſuo, Palatino Comiti Rheni, miniſterialibus ſuis, & vniuerſis Burgenſibus in Bruneswic, & omnibus hoc ſcriptum intuentibus, ſalutem in eo, qui eſt ſalus omnium. Quae temporaliter acta ſunt, ne inſtabilem temporis ſequantur naturam, teſtimonio litterarum memoriae ſunt commendanda. Nos igitur ob remedium animae noſtrae teſtamentum noſtrum facientes, omni affectione qua poſſumus, te frater Heinrice, Palatine Comes Rheni, rogamus, vt ſi Deus, in cuius ditione cuncta ſunt poſita, praeceptum ſuum de nobis fecerit, vt vniuerſae carnis viam ingrediamur, quatenus pro amore Dei, & in ea fide, qua nobis hominio & fraternitate adſtrictus es, ſanctam crucem, lanceam & coronam, dentem St. Ioannis Baptiſtae & Imperialia inſignia, praeter pallium noſtrum, quod dandum eſt ad St. Aegidium, viginti ſeptimanas poſt deceſſum noſtrum conſerues, & nulli hominum ſub coelo repraeſentes, niſi ei, quem Principes vnanimiter elegerint & iuſte, aut ei, qui nunc eſt electus, ſi Principes in eum conſenſerint, & pro hiis repraeſentandis pro honore Dei & noſtra ſalute nullam acceptes pecuniam, niſi noſtrum & tuum patrimonium per ipſa Imperialia poſſis requirere. Quodſi non poteſt fieri ſuper gratiam ipſius, qui habiturus eſt Regnum, quae praefata ſunt omnia reſignes. Rogamus etiam vos, fidiſſimi miniſteriales, ſub fidelitatis debito, & vos dilecti & fideles ciues noſtri in Bruneswic, vt hiis omnibus promouendis fideliter & efficaciter, ſicut vobis confidimus, aſſiſtatis. Ad haec volumus, vt vxor noſtra cum Dapifero Gunzelino & fidelibus noſtris caſtrum Harlungeburg poſſideat, donec quicunque Rex vel Imperator eſt, aut frater noſter, ſeu vxor noſtra, dominabus in Waltingerodh de expeditis bonis annuatim triginta marcas perpetualiter & immutabiliter aſſignet, & eos, qui montis haeredes ſunt, a ſua portione cedere faciat per reſtaurum ipſis bene placitum, tunc vxor noſtra reddat caſtrum Imperio, aut fratri noſtro: ſed ſi proceſſum non habet de caſtro, vt praetactum eſt, volumus, vt caſtrum deſtruatur. Omnes reliquias, quas pater noſter habuit & nos habemus, Deo & St. Ioanni Baptiſtae & St. Blaſio in Bruneswic perpetualiter offerimus, praeter vnum brachium, quod vxori noſtrae repraeſentabitur. Quicquid autem in auro & in gemmis & clenodiis habemus, damus vxori noſtrae. Caſtrum in Quidelingeburg deſtrui volumus, antequam Abbatiſſae reddatur. Deſtructa vero munitione, locus cum Eccleſia reſtituatur Abbatiſſae: & noſtrum frumentum, quod ibi eſt, & reliqua, quibus argentum comparari poteſt, Abbatiſſae & eius conuentui dentur pro remedio animae noſtrae, praeter baliſtas, quae dabuntur transmarinare volentibus, vt ſuper hoſtes Dei torqueantur: & annona, quae Aſchersleue ablata fuit, reddi debet hominibus & inter

& inter ipſos diſtribui. Iurabunt itaque Gunzelinus Dapifer & Ecbertus filius ſuus, vt caſtrum Wallebeke teneant annum, infra quem terminum mittet ad Apoſtolicum frater noſter; ſi in voluntate ipſius, & eorum, qui haeredes montis ſunt, caſtrum habere poteſt cum ſalute animae noſtrae, repraeſentabitur fratri noſtro caſtrum: ſi non poteſt fieri cum ſalute animae noſtrae, caſtrum deſtruatur. Aduocatiam noſtram in Wallebeke, quam denariis noſtris comparauimus, ipſius loci conuentui offerimus. Caſtrum Hartisburg repraeſentabitur Imperio, & eidem cedet turris, quam in eo conſtruximus. Comites de Waldenberg habeant feodum ſuum; Luthardus de Meinerſen feodum ſuum, Alardus de Burcthorp turrim ſuam cum feodo ſuo, & alii ſicut ab Imperio tenere debent, habeant feodum ſuum. Caſtrum Lewenburg reddatur Ottoni de Luneburg, nepoti noſtro, quia patrimonium ſuum eſt & eius ceſſit portioni. Caſtrum Varsfelde reddatur Gardolpho de Hathemersleue, ſed, ſi frater noſter vult habere, dabit pro ipſo centum marcas. Omnia bona noſtra in Keuerlingeburg & ipſum locum cum eccleſiis, cum agris, cum paſcuis, cum pratis, cum ſiluis & piſcaturis & cum omni illa integritate, qua haec & alia omnia ipſi loco contuleramus, Deo & St. Mariae, St. Ioanni Baptiſtae & St. Blaſio in Bruneswic offerimus, eo videlicet ordine, vt conuentus de S. Blaſio ſtatuat ibi ſacerdotem, diaconum, ſubdiaconum, vt ſint ibi diuina in honore Dei & beatae Mariae virginis indeſinenter, pro animae noſtrae ſalute: reliqua vero omnia ad praebendam ſuam vtiliter conuertant. Rogamus & te, frater cariſſime, omni qua poſſumus intentione & diligentia, vt hanc noſtram ordinationem firmam & inconuulſam teneas, pro amore Dei, & noſtra & tua ſalute, quoniam ſperamus & credimus, iſtud honeſtius eſſe Deo, & animae noſtrae & tuae ſalubrius, quam ſi praeſcriptus locus in eo ſtatu quo fuit, contra noſtram ſalutem male periret. Vt autem haec noſtra voluntas effectui mancipetur, ad laudem Dei & ſalutem animae noſtrae, hoc ſcriptum noſtro ſigillo corroborari fecimus, omnem aditum malignandi vsque quaque praecludentes. Huius rei teſtes ſunt Sifridus Epiſcopus Hildeneshemenſis, Conradus Decanus, Conradus Cantor, Conradus Scholaſticus, Heinricus de Toſſen, Bertoldus Canonicus St. Mauricii, Magiſter Marſilius Canonicus St. Crucis. Laici vero, Comes Heinricus de Waldenberg, Luthardus de Meinerſen, Gunzelinus Dapifer, Alardus de Borhthorp, Wernerus de Lengete, Bertoldus de Wetelemſtide, Heinricus de Vrete, Rotterus de Veltem, Ioannes de Bornem, & alii quamplures. Datum Hartisborg 15. Kalendas Iunii.

§. 97.

In Teſtamento hoc *dens S. Iohannis Baptiſtae*

 inter

inter *clenodia Imperialia* numerari videtur: non tamen ille Friderico Regi cum caeteris traditus, ſed *Brunſuicum* ad Eccleſiam S. Blaſii transmiſſus eſt ab Henrico Palatino, (pp) & iam inde translatus inter *Lipſana ſacra*

pp) Dn. Eccardus pro iudicii ſui excellentia in Teſtamento Ottonis IV. Imperatoris hoc vnum memorabile deprehendit, quod in eo *in clenodiis Imperii* numeretur *dens Ioannis Baptiſtae*, vt, quia dens quidam eiusdem Ioannis Baptiſtae, penes nos inter ſacras reliquias aſſeruatur, Henricum Comitem Palatinum furti inſimulare poſſet, fingendo, eum dentem Ioannis Baptiſtae, qui ante haec tempora pars clenodiorum Imperii exſtiterat, eumdem eſſe, qui hodie in ſacris Hanoueranorum reliquiis cuſtodiatur. Quo mendacio bonus vir ita ſibi placuit, vt, cum a nobis diſceſſiſſet, liberioreque in nos calamo vti incepiſſet, in explicatione Cimeliarchii Palatini p. 40. id non ſolum Germanicis verbis expolitum toti Germaniae denuntiandum, ſed & nouo mendacio augendum ſibi ſumeret, ita ſcribens: *Weil der Pfalzgraf ſeine Länder vom Keyſer Friderichen* (Fridericus tum nondum Imperator, ſed Rex fuit) *dennoch nicht wieder bekommen konte; ſo ſetzte er ſich mit ihm, und lieſs ſich die Reichs-Kleinodien vom ſelbem zu Goſslar mit 11000. Marck Silbers noch in ſelbigem Iahr bezahlen; wie uns Albertus Stadenſis berichtet.* (E memoria hic Albertus Stadenſis allegatur, qui de ſolutione XI. millium marcarum ne verbulum quidem habet; cum Auctor magni Chronici Belgici allegandus fuiſſet) *Keyſer Otto zehlet zu dieſen Kleynodien das heilige Creutz, die Lantze und Krone,* ***den Zahn St. Iohannis des Täuffers,*** *und andere Inſignia Imperialia.* ***Der Pfalzgraf aber muſs dieſes alles nicht übergeben haben. Denn der Zahn St. Iohannis des Täuffers iſt noch in Gold*** (in Chryſtall) ***eingefaſſet unter den Reliquien, welche aus der Kirche St. Blaſii von Braunſchweig nach Hannover kommen ſind*** — *wie ich ſelbſt den beſagten Zahn auch offt im Originale geſehen habe. Die kurtze Chronick der Römiſchen Keyſer, die zu Goſslar gewohnet haben, ſagt von Keyſer Fridrichen: Des Rikes Kronen vnde dat Sper nam he to Goſslar. Woraus man ſchlieſſen ſolte, der Pfalzgraf habe auch das heilige Creutz behalten.* Atque hoc modo Henricus Comes Palatinus a Dn. Eccardo noſtro *duplicis furti* arguitur, ſurrepti nimirum *e clenodiis Imperii dentis Ioannis Baptiſtae*, &, quod longe maius eſt, ipſiusmet *Sanctae Crucis.* Grauis accuſatio! Non tamen vltra vnum, quantum memini, vir argutus nactus eſt ſomnii ſui diſſeminatorem & propagatorem, ſimilis farinae hominem; qui, quod mireris, ex ipſis terris Brunſuicenſibus acceptam a Dn. Eccardo calumniam impune per orbem ſparſit. Caeteros vel mendacii vanitas, vel debita manibus Henrici Palatini, Agnatisque eius & poſteris reuerentia continuit. Equidem non ignoro, vetuſtis temporibus *reliquiarum furta* tantum a criminis reatu abfuiſſe, vt laudi duceretur, ſi quis in ſurripiendis eis ſolertior aliis & felicior eſſet. Norunt, qui veteres hiſtorias legerunt, quantopere certi Monachi ſibi gratulentur de reliquiis Sanctorum, quas e cuſtodia primorum poſſeſſorum vel reuera ſubduxerunt, vel ſubduxiſſe ſe fingunt, & in vulgus ſpargunt. Quid notius fama, qua S. Benedicti oſſa e loco, quo primum condita fuere, clam ſublata atque ad Monachos Floriacenſes ad Ligerim translata dicuntur? Huius famae conſtantia tantum effecit, vt Monaſterium, quod ante *Floriacenſe* appellabatur, hodie & poſt furtum illud commiſſum *Sancti Benedicti* nominetur. Quid porro notius fama, qua Arnulphus Imperator reliquias S. Dionyſii penes Pariſios clam furari, & in Monaſterio S. Emmeranni Ratisbonae deponi iuſſiſſe fertur? Cui rerum Germanicarum perito non conſtat, quantum ea res tempore Henrici S. tumultum excitauerit. Reperto enim huius tempore Ratisbonae S. Dionyſii corpore, Imperator ipſe & Leo PP. IX. Ratisbonam acceſſerunt eius eleuandi gratia; licet Rex Franciae intercederet, Abbasque Monaſterii, quod ab hoc Sancto nomen habet, S. Dionyſii corpus publice penes ſe oſtenderet. Papa tamen Leo publicum Emmerannenſibus Monachis inſtrumentum dedit, quo teſtatur, corpus S. Dionyſii tempore Arnulphi Imperatoris Francis furto ablatum Ratisbonae cuſtodiri. Quam litem late proſecutus eſt Michaël Felibienus in egregia Regalis Abbatiae San-Dionyſianae in Gallia hiſtoria. Otto Friſingenſis Chron. Lib. VI. c. 11. ea de re ita ſcribit, vt furtum haud credere videatur. *Rex Arnulphus dilexit prae caeteris Regni ſui locis metropolim Baioariae Ratisponam. Vnde & muros eius ampliauit, Monaſteriumque Sancti Emmeranni plurimis ornamentis adornauit,*

ſacrâ Hanouerae non vltimum obtinet locum, vt ſupra oſtendimus in rebus Henrici Leonis.

§. 98.

nauit, ac largis poſſeſſionibus locupletauit. Tradunt ibi ſcriptumque monſtrant, quod praedictus Rex (Arnulphus) *Sanctum Dionyſium a Galliis ad praefatum Monaſterium tranſtulerit. Quod vtrum ita ſit, ipſi viderint.* Hinc inferri poſſet, furtum, quale Imperatoris iuſſu perpetratum, & a Summo Pontifice ratum habitum fuit, Henrico Palatino crimini verti haud debere. Sed enim vero longe alia furti reliquiarum iſtarum conditio fuit, ac eius, cuius Henricus Palatinus inſimulatur. Sacrarum reliquiarum fures ardor deuotionis penes veteres excuſauit. Hic *e clenodiis Imperii* ſurrepta finguntur, quae *ex pacto & pro accepta multa pecunia* tradenda erant. In quo, ſi vera eſſet, quae cantatur, fabula, Henrici Palatini fides laboraret. Operae igitur pretium facturus mihi videor, ſi Henricum Palatinum ab hac infamiae macula abſoluero: quod ita me praeſtiturum confido, vt is niue candidior ab hoc tribunali diſceſſurus ſit. Nam etiamſi accuſator nihil probauerit, ego tamen non argumentis ſolum, ſed etiam per inſtrumenta omni exceptione maiora probare aggrediar, *tantum abeſſe, vt Henricus Palatinus ex inſignibus Imperii aliquid furto ſubduxerit, vt ea potius nouo quodam clenodio adiecto auctiora reddiderit*, parteſque clenodiorum, de quibus ſermo eſt, nullo tempore in illo theſauro deſideratas fuiſſe, ſed hodienum Noribergae cuſtodiri, & ferente occaſione publice monſtrari. Cum vero duo accuſationis capita ſint, ſingula ſeorſim confutabimus. Primum accuſationis caput eſt, quod Henricus Palatinus *dentem Ioannis Baptiſtae*, inter inſignia Imperii a fratre ſibi commendata repertum, non cum caeteris, vti ex pacto tenebatur, Friderico II. Regi tradiderit, ſed ſibi retentum theſauro ſacrarum Brunſuicenſium reliquiarum intulerit, cum quo Hanoueram translatus hodienum aſſeruetur. Verum vnde Dn. Eccardus probabit, dentem Iohannis Baptiſtae, qui olim Brunſuici, hodie Hanouerae inter reliquias Sanctorum aſſeruatur, eum dentem eſſe, qui tempore Ottonis IV. Imperatoris & Friderici II. Regis pars clenodiorum Imperii fuit? Ioannes Baptiſta procul dubio, vt caeteri mortales, plures vno dentes habuit. Quid igitur mirum, ſi pluribus vno locis dens eius aliquis reperitur? veluti in Mediomatricum ciuitate. Vid. Acta SS. menſ. Ianuar. T. I. p. 844. & hoc ipſo tempore in Monaſterio Heiſterbacenſi: de quo legendus Caeſarius Heiſterbacenſis Lib. VIII. c. 54. & Chriſtoph. Browerus Annal. Treuirenſ. p. 104. ad Annum 1205. Tum Dn. Eccardus ſupra dentem noſtrum numerauit in reliquiis, ab Henrico Leone e Terra Sancta Brunſuicum relatis. Quo poſito, non opus erat, vt filius Imperio ſuffuraretur, quod iam habebat. Denique Fridericum II. inter clenodia Imperii ab Henrico Palatino dentem Ioannis Baptiſtae ad ea pertinentem quoque accepiſſe, per decurſum omnium Saeculorum claris indiciis & omni exceptione maioribus teſtimoniis & diplomatibus probari poteſt. Filius enim eius Conradus IV. Rex Anno 1246. adeoque viuente adhuc patre, qui in Italiam abiens clenodia Imperii in Caſtro Triuels recondiderat, publico quodam inſtrumento (Prob. N. CCCXL.) profeſſus eſt, *nobilem mulierem Iſengardim, Philippi de Falckenſtein, Dapiferi ſui, coniugem, tradidiſſe ſibi Caſtrum Triuels & inſignia Imperialia*, nominatim *de ligno Domini in Cruce aurea, dentem Sancti Iohannis Baptiſtae, lanceam S. Mauritii* &c. Saeculo ſequenti decimo quarto Ludouicus Bauarus Imperator cum caeteris Imperii inſigniis dentem Iohannis Baptiſtae quoque in poteſtate habuiſſe, filii Ludouici Marchionis diploma (Probat. N. CCCXLI.) probat, quo Imperii inſignia a patre ad ſe transmiſſa diligenter recenſet, eaque Carolo IV. ſub iuriſiurandi fide tradit. Quod inſtrumentum ex Anno 1350. duo docet. Primum, inter clenodia Imperii, quae iſto anno Ludouicus Marchio, Carolo IV. Regi ſub fide iuriſiurandi edidit, fuiſſe *dentem S. Iohannis Baptiſtae in chryſtallo.* Alterum, Henricum Palatinum clenodia Imperii tum auxiſſe potius, quam minuiſſe. Inſtrumentum enim in clenodiis Imperii numerat *grandem annulum cum ingenti pyropo, quatuor Zaphyris & quatuor vnionibus: quod eo deuenit ab vno Duce Brunſuicenſi.* Iam ſi inde ab Anno 1219. nullum Ducem Brunſuicenſem nominare poſſis, qui clenodia Imperii in poteſtate, adeoque ea vel augendi vel minuendi facultatem & occaſionem habuerit; fatearis ſane neceſſe eſt, *Henricum Palatinum eum Ducem Brunſuicenſem* fuiſſe, a quo pyropus ille clenodiis Imperii adiectus ſit. Porro Henricus

Digitized by Google

§. 98.

Otto Imperator condito Teſtamento, Henricum Comitem Woldenbergium Brunſuicum miſit, vt de pecunia multa, quam ibi habebat, D. marcas afferret, inter pauperes familiamque ſuam diſtribuendas. Conſenſit frater Henricus, vt tantum inde afferretur, quantum ſatis eſſet, *quo in multo bonore, prout decebat Dominum & Imperatorem, tumularetur. Ordinauit* porro Imperator, *vt corona, quam morti ſuae praeparauerat, redimeretur pro XXX. marchis: vt eo mortuo ſuper caput eius poneretur, & indueretur ſuper humerali alba ſubtili, & regali pallio, & caligis de ſamito, & ſandaliis in pedibus, & calcaribus deauratis, & ſceptrum poneretur ei in dextra manu, & pomum in ſiniſtra, & gladius iuxta dextram, chirotecae in manibus, annulus in digito, armillae in brachiis. De loco ſepulturae & forma exſequiarum ex toto ordinauit.* Sub noctem venit Sifridus Hildenſemenſis Epiſcopus, vnde gauiſus Imperator, confeſſionem

Henricus, Rebdorfienſis Monachus, qui Anno 1361. Noribergae in Curia Caroli IV. Imperatoris verſatus eſt, cum recens natus huius filius ſolenni pompa ſacra aqua tingeretur, de ſemetipſo apud Freherum Scriptor. Rer. German. Tom. I. p. 643. ita ſcribit: *Nota, quod Inſignia Imperialia, quae tunc vidi, ſunt haec: Primum, ferrum lanceae, quae transfixit latus Chriſti: item claius cum aliqua petia ligni ſanctae Crucis, qui tranſiuit manum Chriſti — item petia brachii ſanctae Annae matris Mariae Virginis & dens Iohannis Baptiſtae.* Continuator Petri de Duisburg c. 48. p. 452. deſcribens iter Legatorum Pruſſicorum, in quibus ipſe fuit, ad Sigismundum Imperatorem, ait: *Noribergae vidimus theſaurum Reliquiarum — Oſtendebantur tres catenae Apoſtolorum: item dens Sancti Iohannis Baptiſtae.* Apud Dn. de Ludewig de inſignibus Imperial. legitur deſcriptio annuae ſupplicationis Noribergenſis Anno 1458. primum lingua vernacula edita, qua dicitur in publica oſtentatione harum reculatum *ſecundo loco monſtrari dentem Sancti Iohannis Baptiſtae.* Idem Auctor eodem libro capſulam exhibet, in qua dens Iohannis Baptiſtae hodienum vnacum aliis modicae magnitudinis reliquiis recluditur: cui e regione adiecta eſt in aes inciſa figura exterior vaſis, cui dens incluſus, biualuularis, adeoque a noſtro vaſe, quod columnam baſi inſiſtentem, & in medio cryſtallum, cui dens incluſus, ſuſtinentem ſiſtit, diſcrepantis. Quae omnia ignoraſſe Dn. Eccardum, putidum ſane eſt. Alterum calumniae caput eſt, *quod Henricus Palatinus Sanctam quoque Crucem e clenodiis Imperii ſurreptam ſuo reliquiarum theſauro intulerit.* Et verum eſt, inter reliquias noſtras magnam *ſacram Crucem,* qualis alibi haud facile viſitur, nec non quamdam minorem, vtramque *de ligno Domini*, vt aiunt, fabricatam, auroque & argento obductam cuſtodiri. Sed hae Cruces itidem nihil ad Sanctam Imperii Crucem, quae ab Ottone IV. & Friderico II. ad caeteros Imperatores peruenit. Praeterquam enim quod in inſtrumento Ludouiciano *pars Sanctae Crucis* commemoratur, & in omnibus, quae pro dente Iohannis Baptiſtae adduximus, teſtimoniis & documentis, Sanctae quoque Crucis ſit mentio; ad retundendas Eccardianas fabulas quid, quaeſo, aptius eſt, quam ipſius Friderici II. profeſſio publica? Is enim in litteris clientelaribus Anno 1235. Ottoni primo Duci Brunſuicenſi datis ait, Ottonem ſibi *connexis palmis ſuper Sancta Cruce Imperii fidei ſacramentum* praeſtitiſſe. Fungus itaque ſit oportet, qui non videat, Henricum Palatinum Anno 1219. Friderico II. Sanctam Crucem ſuffuratum non eſſe, quam Fridericus II. Anno 1235. in poteſtate habuiſſe profitetur. Qui vltra inſanient, nauigent Anticyram non Phocenſem illam, Delphico oraculo vicinam, ſed Boeoticam, helleboro claram, caputque ante eiusdem ſoli natali herba purgent, quam ad ſcribendum nouas rhapſodias animum adpellant.

Digitized by Google

feſſionem ei ſuam repetiit, & *cognouit quod exceſſiſſet contra Romanam Eccleſiam & alias; & data cautione ſufficienti, abſoluit eum Epiſcopus, data corporali diſciplina, & formam abſolutionis accepit in ſcripto, & Chartam ſignauit bulla Imperatoris, & ad hoſpitium rediit.* Tunc etiam Charta conſcripta, qua Hildenſemenſi Eccleſiae omnia ablata reſtitui iuſſit, & quam ex veteri Chartulario Hildenſemenſi ab amico nobiscum communicatam infra (Probat. N. CCCXLII.) exhibemus. Mane facto, *in die Pudentianae virginis* ſenſus ei defecere, & allato corpore Domini, quod, ex quo abſolutus fuit, quotidie acceperat, pie obdormiuit. Hactenus vetus illa narratio, cui tamen finis deeſt. Haec quia in Monaſterio Villarienſi in Brabantia reperta eſt, in gratiam Mariae Imperatricis compoſita fuiſſe videtur, quae forte eam ſecum e Saxonia, vbi incognita manſit, in patriam retulit. *Pudentianae* virginis recordatio incidit *in XIV. ante Kalendas Iunii*, quo die etiam Ottonem IV. Imperatorem deceſſiſſe Abbas Vrſpergenſis, Albertus Stadenſis & Chronicon vetus Ducum Brunſuicenſium recte ſtatuunt; Godefridus vero Colonienſis perperam obitus diem in *Idus Maii* refert, qui & in eo errat, quod narret, Imperatorem poenitentem *coquinariis ſuis praecepiſſe, vt collum ſuum conculcarent.* De hoc enim ne verbulum quidem in exacta narratione veteri reperitur.

§. 99.

Sepultus eſt in Eccleſia S. Blaſii Brunſuici iuxta coniugem BEATRICEM & parentes. Epitaphium eius, iuxta illud parentum ſuorum, in Tabula depictum, ibi adhuc cernitur, & a nobis ſupra ad p. 70. Tab. III. delineatum atque exhibitum eſt:

Adiacet [Henrico & Mathildi] *optatus Rex horum ſanguine natus,*
Otto coronatus, vermibus eſca datus.
Huius erat ſponſa Philippi ſtirps generoſa,
Filia formoſa, nunc cinis, ante roſa.
Qui legis haec metra, memor horum ſis, peto; penſa,
Quid caro? quid vita? quid res? niſi mors, cinis, vmbra?

§. 100.

Qualis fuerit Otto Imperator ipſa geſtorum eius recenſio ſatis manifeſtat. Erat pius ſine ſuperſtitione, Cleri amator, ſi religioſae vitae normam ſequeretur; oſor vero, ſi ventrem ſolum curaret & ſaeculi rebus ſe immiſceret; iurium Imperii ſtrenuus defenſor; pacis ſectator, vbi honeſte ſeruari poſſet; intrepidus in bello praeliiſque, vbi neceſſitas cogeret; mitis de caetero, & pii adeo animi, vt eum etiam tandem

Digitized by Google

poenituerit, ſi quibus modis Papae, hoſti grauiſſimo, vicem retuliſſet. Chronicon de Mailros eum *inter omnes coaeuos ſuos proſapia praeclarum, in omni acie militem eminentiſſimum, in omni exercitu militiae propugnatorem probiſſimum vocat.* (qq) Sed ab auctore Chronici veteris Ducum Brunſuicenſium quale elogium tulerit, addere lubet. *Tribus*, inquit, *annis in bona pace regnauit, vt pacis filius, vt Rex pacificus poſſet merito appellari. Fuit enim corpore robuſtus, animo quietus, pro debito auctoritatis iuſtitiam diligens, & pro affectu pietatis miſeris condeſcendens; quem virga correctionis, in ipſum ſententiam eccleſiaſticam promulgari permittendo, Dominus corripuit, a quo tamen miſericordiam non abſtulit. Nam bellis prouocatus & incurſionibus, incendia & caedes hominum horruit; maxime autem cor eius tetigit & auxit, quod Sedi Romanae inobediens diceretur. Vnde & orare ſolebat, quod eum Dominus miſericorditer abſolueret, & de Rege vtiliori prouideret. Factum eſt autem, vt electionis ſuae anno XX. in Hartesborch moreretur in contricione & deuotione, ſicut ſecundum hominum putatur iudicium, & a viris fide dignis & ſuis confeſſoribus enarratur, anno Domini MCCXVIII. XIV. Kal. Iunii. Fuit autem ſepultus in Vrbe Brunſwick cum vxore Beatrice, & patre Hinrico Leone & matre Mechtilde in Eccleſia S. Blaſii ante chorum.* Iuuat his iungere elogium, quo Ottonem poſt obitum mactauit Honorius PP. III. apud Rainald. ad Annum 1225. §. 31. vbi Ludouico Franciae Regi viciſſitudines rerum humanarum & inprimis bellicarum ob oculos poſiturus, *innumera ſunt*, inquit, *exempla populorum & Regum, qui in rebus bellicis nunc ſuperiores, nunc inferiores, diſpoſitione diuina vices alternante, fuerunt. Sed vt de multis vnum recens & celebre proferamus, recolendae memoriae Otho, Romanorum Imperator, & viribus corporis & induſtria militari praecellens, Romanum pacifice obtinebat Imperium, & ab aquilone ad auſtrum erat, ſicut noſti, formidabile nomen eius.* &c. Statuam Ottonis IV. Imperatoris & vxoris eius Mariae addimus in Curia S. Auctoris tempore Ottonis pueri exciſam, (rr) vbi adhuc cernitur.

§. 101.

qq) Auctor Chronici Turonenſis apud Marten. Coll. ampliſſ. T. V. p. 1056. qui Ottonem olim, cum Aquitanos & Pictauienſes gubernaret, cognouit, hanc eius imaginem nobis pinxit: *Erat corpore magnus, facie laetus, ſermone iucundus, conſilio prouidus, militia ſtrenuus, donis largiſſimus, omnibusque moribus adornatus.*

rr) Huius aſſertionis, quam toties recoqui video, fidem deſidero, quae adhuc nullibi apparuit; mihi certe nondum facta eſt, qui ſine examine huiusmodi tradita dimittere non ſoleo. Forte hae ſtatuae non magis Principum noſtrorum imagines referunt, quam veteres picturae in Curia Luneburgica, aut in ſcriptis genealogiis Witekindi & Billungorum, e ſola pictoris vel ſtatuarii phantaſia profectae.

Digitized by Google

Tab. XXI. ad p. 37[illegible].



Otto IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

§. 101.

Vxores Ottonem Imperatorem duas habuiſſe BEATRICEM Philippi Regis Romanorum filiam, & ea defuncta MARIAM Henrici Ducis Brabantiae natam, ex antea prolatis ſatis patet. MARIA viro ſuperuixit, & vi teſtamenti poſt mortem eius Caſtrum *Herlingsbergam* adepta eſt, ſub Gunzelini Dapiferi tutela poſſidendum. Praeterea etiam *Hertzbergam* tenuiſſe videtur. Ibi enim hoc eodem *Anno* 1218. *Indictione VI.* diploma (Probat. N. CCCXLIII.) edidit *Maria Dei gratia glorioſi Ottonis Romanorum Imperatoris vidua*, quod in Archiuio Regio Hanouerano reperitur, & eo *ad confirmationem facti Domini ſui Ottonis felicis memoriae Imperatoris canonice & ſolenniter per ipſum conſummati, operam ſuae cooperationis appoſuit efficacem, & Eccleſiam S. Iacobi in Oſterode, quam Dominus Imperator fraternitati clericorum & militum comprouincialium in remedium ſuae animae legitime in perpetuum conceſſerat, eisdem contulit.*

§. 102.

MARIA diu poſt maritum adhuc ſuperſtes fuit, &, e Saxonia diſcedens, in Brabantiam ad ſuos rediit. (ss) Butkenius Trophaeorum Brabant. Lib. IV.

ss) Ad patrem ſcilicet Henricum I. Brabantiae Ducem, adhuc ſuperſtitem, & ad ſorores, e quibus Mathildis, Henrici Palatini iunioris vidua, Florentio IV. Hollandiae Comiti tum nupta erat. Vixerat autem adhuc Florentii pater, Wilhelmus I. Hollandiae Comes, qui hoc ipſo Anno 1218. vxorem Adelheidem, Comitis Gelriae filiam, Florentii matrem, amiſerat. Ita enim Chronicon Hollandiae in Matthaei Analect. T. IX. p. 535. edit. nou. *Anno MCCXLVIII.* (leg. XVIII.) *obiit Adelheydis Comitiſſa, vxor eius Comitis Wilhelmi I. pridie Idus Februar. & ſepulta eſt in Reynsburch in Monaſterio.* Inde viduus & grandaeuus animum adiecit ad Mariam Imperatricem, Ottonis IV. Imperatoris viduam, eamdemque ſororem nurus ſuae Mathildis, quam Florentio filio Wilhelmi nuptam diximus, eamque Mariam in matrimonium duxit. Ita enim pergit, quem modo excitauimus, Chronographus: *Comes poſt hoc accepit aliam coniugem, nomine Mariam, & fuit filia Ducis de Lancaſter, de qua non habuit proles.* Eadem fere repetit Heda Hiſtor. Epiſcop. Traiect. p. 193. *Anno MCCXVIII. 2. Idus Februarii obiit Adelheidis Comitiſſa, ſepulta in Reinsburg, & Wilhelmus duxit ſecundam vxorem, Mariam, filiam Ducis Lancaſtriae.* Beka, vetuſtior Scriptor, eadem commemorans, de filia Ducis Lancaſtriae ſilet, p. 69. ita ſcribens: *Venerabilis Comitiſſa Adelheidis anno Domini MCCXVIII. pridie Idus Februarii defuncta eſt, & in Reynsburgenſi Monaſterio honorifice tumulata. Wilhelmus autem Comes poſt hanc aliam vxorem, nomine Mariam, ſuperduxit.* Non tamen diu ei ſuperuixit Wilhelmus, quippe iisdem teſtibus hiſtoricis *pridie Nonas Februarii anno MCCXXII. defunctus & in Reynsburch ſepultus.* Mariam autem illam non Lancaſtriae cuiusdam, ſed Henrici I. Brabantiae Ducis filiam, & Ottonis IV. Imperatoris viduam fuiſſe, teſtem habemus omni exceptione maiorem Chartam Adelheidis de Aueſnis, quae fuit neptis Wilhelmi I. filia Florentii IV. & ſoror Wilhelmi II. Romanorum Regis & Hollandiae Comitum. In ea Charta (Probat. N. CCCXLIV.) Adelheidis ait, quod *inclytae recordationis Domina Maria, quondam Romanorum Imperatrix, matertera ſua, pro ſalute mariti ſui, Wilhelmi Comitis Hollandiae, aui ſui,* Monaſterio in Reynsburch quinque libras Hollandenſes annis ſingulis conceſſerit: quam donationem *bonae memoriae pater*

 Adel-

Lib. IV. pag. 204. eam per aliquot tempus in *Abbatia Affligemenſi* degiſſe; inde vero ſe *Helmontium* recepiſſe tradit. In Probationibus Trophaeorum pag. 74. idem affert *MARIAE quondam Romanorum Imperatricis, filiae Ducis Lotharingiae & Brabantiae* Chartam Anno 1246. datam, qua litem definit de palude Latbroeck dicta, quae inter *Eccleſiam Euerbodienſem* ex vna, & *homines in dominio ſuo de Helmont conſtitutos* ex altera vertebatur. (Probat. N. CCCXLV.) Cum deceſſiſſet Mathildis Comitiſſa Bononiae, Ida Comitiſſa Bononiae, matertera Mariae Imperatricis & Raynaldo Comite de Dammartino nata, *Comitatus Bononienſis* hereditaria ſucceſſione ad Imperatricem eandem deuolutus erat. Cum vero iam profectae aetatis eſſet, & liberis careret, eundem Comitatum, & quicquid ad eum pertineret, contulit *illuſtri Principi chariſſimo fratrueli ſuo, Henrico Duci Lotharingiae & Brabantiae.* Charta eius, (Probat. N. CCCXLVI.) a Butkenio inter Probat. pag. 75. relata, data eſt *apud Atrebatum menſe Februario feria quinta poſt Octauas Purificationis B. Virginis anno Domini MCCLVIII.* Deinde eodem anno feria quinta poſt Laetare Ieruſalem *Sereniſſimo Domino ſuo Ludouico Regi Franciae MARIA quondam Romanorum Imperatrix fratruelem ſuum Henricum Ducem Lotharingiae & Brabantiae* transmiſit, rogauitque litteris *Duaci* datis, vt iis, quae *ex ſua parte de Comitatu Boloniae* dixerit, fidem adhibeat. (Probat. N. CCCXLVII.) Quae oppoſuerit eidem aduerſa pars, apud Butkenium in Probat. pag. 75. videas; (Probat. N. CCCXLVIII.) qui & Throphaeorum Lib. IV. pag. 205. refert, illam fundaſſe in loco ſui dominii Helmontienſis, *Beinderen* dicto, Abbatiam Sanctimonialium Ordinis Ciſtertienſis, (tt) quae eius in memoriam deinde dicta ſit *Locus Imperatricis;* hac eam delectatam, in eaque plerumque reſediſſe. Obitus

Adelheidis, *Comes Florentius* confirmauerit: quarum loco ipſa decimam quamdam donauerit pro remedio animae *felicis recordationis Domini ac fratris noſtri Wilhelmi Romanorum Regis, nec non pro ſalute animae Iohannis de Aueſnes, mariti noſtri Kariſſimi.* Teſtes huic conceſſioni interfuerunt, *Domina Eliſabeth venerabilis Regina* (Wilhelmi Regis vidua, Ottonis primi Brunſuicenſium & Luneburgenſium Ducis filia) *Domina Mechtildis, mater noſtra, Comitiſſa Hollandiae* (Henrici Palatini iunioris olim, nunc Florentii IV. Hollandiae Comitis vidua, filia Henrici I. Brabantiae Ducis & ſoror Mariae Imperatricis, quae propterea in hac Charta *Adelheidis matertera* h. e. matris ſoror vocatur.) Vbi adprime memorabile, quod Maria etiam poſt ſecundas nuptias *Romanorum Imperatricis* elogium retinuerit, eoque non ab aliis ſolum decorata fuerit, ſed & idem ipſamet ſibi perpetuo indiderit; vti in monumentis Butkenianis, quae infra exhibentur, (Probat. N. CCCXLV. vsque N. CCCXLIX.) videre eſt.

tt) Huius rei locupletem teſtem habemus Chronographum Monaſterii Villarienſis in Brabantia apud Marten. Anecdot. T. III. p. 1290. Hic cum de familiaritate Henrici II. Brabantiae Ducis cum Villarienſi Abbate Arnulpho multa narraſſet, praedicaſſetque Ducis in condendo Coenobio Vallis-Ducis liberalitatem, illico ſubiungit: *Et non longo poſt tempore fundata eſt Abbatia de Helmont ab Imperatrice, ſorore dicti Principis.*

Digitized by Google

Tab. [illegible] ad p. 373.

OTTONIS IV. IMPERATORIS
Sigilla.


1.



2.



3.



4.

MARIAE IMPERATRICIS
Sigillum.



Digitized by Google

Digitized by Google

Geneal‹oniae, Arteſiae Comitum

. I. cap. 21.

LOTHARIVS
Vx. Emma Bur[

GERBERGA
Lamberto I. Comiti Louan.

LVDOVICVS
vltimus.

MATHILDIS, nupta
›noniae Comiti ex proſapia Caroli Magni
CO VITALI pag. 508. & ALBRICO pag. 180. ſeq.

CHIVS II. *Bononiae Comes.*

GODEFRIDV

III. *Comes Bononiae*, fit *Monachus Cluniac.*
mi III. Scotiae Regis filia, ſoror Mathildis, nuptae
. Angliae Regi anno 1102.

GODEFRIDV

MATHILDIS
niti Bleſenſi & Moritaniae, Regi Angliae 1151.
S DE MONTE ad an. 1157.

GODEFRIDV

MARIA † 1182.
Matthaeo Flandrico 1160. † 1173.

HENRICVS I
† 1235.

eres ex aſſe † 1216. Coniuges:
rdus II. Gelriae Comes 1177. † 1181. 3. Bertholdus
4. Hugo Comes de S. Paulo 1187. 5. Raynaldus
. † 1216.

HENRICVS II
Vx. 1. Maria, Philip
2. Sophia Haſſ

HILDIS † 1257.
ti Regis Franciae filius, Bononiae Comes 1216. † 1233.
Portugalliae Regis filius 1236.

1.
HENRICVS
ceſſionari

is materrera, Bononiae Comes † 1251. ſine liberis.
llonaeus Comes 1236.

Geneal(oniae, Arteſiae Comitum

. I. cap. 21.

LOTHARIVS
Vx. Emma Bur

GERBERGA
Lamberto I. Comiti Louan.

LVDOVICVS
vltimus.

MATHILDIS, nupta
noniae Comiti ex proſapia Caroli Magni
CO VITALI pag. 508. & ALBRICO pag. 180. ſeq.

CHIVS II. *Bononiae Comes.*

GODEFRIDV
III. *Comes Bononiae*, fit *Monachus Cluniac.*
mi III. Scotiae Regis filia, ſoror Mathildis, nuptae
Angliae Regi anno 1102.

GODEFRIDV
MATHILDIS
niti Bleſenſi & Moritaniae, Regi Angliae 1151.
S DE MONTE ad an. 1157.

GODEFRIDV
MARIA † 1182.
Matthaeo Flandrico 1160. † 1173.

HENRICVS
† 1235
eres ex aſſe † 1216. Coniuges:
rdus II. Gelriae Comes 1177. † 1181. 3. Bertholdus
4. Hugo Comes de S. Paulo 1187. 5. Raynaldus
† 1216.

HENRICVS II
Vx. 1. Maria, Phili
2. Sophia Ha
HILDIS † 1257.
i Regis Franciae filius, Bononiae Comes 1216. † 1233.
Portugalliae Regis filius 1236.

1. HENRICVS
ceſſionari
is materterа, Bononiae Comes † 1251. ſine liberis.
llonaeus Comes 1236.

Digitized by Google

Digitized by Google

tus eius tempus nemo annotauit. Extat tamen apud eundem Butkenium in Probat. pag. 76. eius Codicillus, quo rata habet, quae in Teſtamento ſuo ordinauerat, & compos mentis & plena ſenſu *de paratis bonis ſuis, videlicet ſcutellis argenteis, ciphis argenteis, deauratis & maſerinis, & aliis ſuis clenodiis, videlicet annulis aureis, lapidibus pretioſis & equitaturis* ordinat, *quod vendantur, & pecunia familiae ſuae, quae ipſi longo tempore ſeruierit, ſecundum quantitatem ſeruitii & pro eorum labore in recompenſationem ob remedium animae ſuae diſtribuatur. Datum anno Domini MCCLIX. feria III. ante Laetare Ieruſalem.* (Probat. N. CCCXLIX.) Hoc eſt ſecundum noſtram computandi rationem Anno 1260. Hinc ego concludo, eam tunc morti vicinam, atque eodem anno obiiſſe. De loco ſepulturae auctores apud Butkenium differunt; (uu) quidam enim eam in Beinderenſi Eccleſia; alii apud matrem in Eccleſia S. Petri Louanii conditam affirmant. (xx) *Sigillum Mariae Imperatricis* Meibomius ex Riddageshuſano Tabulario produxit, nos idem in aenea figura, quam auerſa tabula exhibemus, N. IV. addimus accuratius delineatum ex Charta eius Oſterodana, cuius ſupra meminimus.

§. 103.

Otto Dux adhuc Aquitaniae & Comes Pictauiae quo *Sigillo* vſus ſit, nondum detegere potuimus. Ex eo vero tempore, quo in *Regem Romanorum* electus eſt, id Sigillum litteris appendit, quod Num I. exhibemus. In throno ſedet, tunica laxa, ſuccinctus, & chlamyde deſuper tectus; dextra lanceam regalem vncinatam, ſiniſtra pomum regium crucigerum tenens. Caput corona ornatum, & per circuitum ſcriptum eſt: OTTO DEI GRA*tia* ROMANO*rum* REX

 ET

uu) Sequendi autem in turba non numeri, ſed ſelecti, graues & qui proximi huius aetatis ſunt. In his numero conditorem Genealogiae Brabantiae Ducum, in Anno 1314. deſinentem. Is diſerte ait: *Maria Imperatrix Louanii quieſcit cum patre & matre, auo & auia & proauo.* Scriptor domeſticus, rerum familiae notitia caeteris inſtructior, nec in fratre, Henrico II. Brabantiae Duce locum ſepulturae negligit, ita pergens; *Henricus ſecundus Princeps Villari quieſcit.* Et quidem pro vltima eius voluntate, quam Villarienſis Chronographus l. c. litteris conſignauit in haec verba: *In Coenobio Villarienſi, quod prae caeteris plus dilexi & honoraui, humari volo.* Huic itaque tuto fidem adhiberi poſſe cenſeo, accedente praeſertim Magni Chronici Belgici auctoritate, vbi p. 222. *Henricus I. Brabantiae Dux Louanii in Eccleſia S. Petri ſepultus dicitur,* hoc addito: *vbi & Mathildis vxor eius & Maria Imperatrix, filia eorumdem, tumulatae ſunt.*

xx) Nec Butkenio felicior fuit in Mariae anno emortuali & loco ſepulturae detegendo Stephanus Baluzius, qui, quae de Maria ſcitu digna apud veteres occurrunt, congeſſit Hiſtor. Aluern. p. 94. ſeq. Mariae enim ſoror, Adelheidis, Wilhelmo X. Aluerniae Comiti nupta, Bononienſem Comitatum, quem Maria Imperatrix ad ſe deuolutum credidit, in Curia feudali Atrebatenſi euicit, & in Aluernienſem domum intulit. Ex traditis & probatis Baluzii ſubiectum ſchema genealogicum concinnaui, quod Belgicam hanc controuerſiam non parum illuſtrabit:

Digitized by Google

ET SEMPER AVGVSTVS. Reperi illud ſub litteris Anni 1199. in Archiuio Senatus Brunſuicenſis, ſub Riddageshuſanis & Archiuii Communis Ducum Brunſuicenſis 1202. & 1203. Ex quo vero Anno 1209. in Imperatorem coronatus fuit, adhibuit Sigillum, quod Num. II. proponimus, & ſub Diplomatibus Riddageshuſano Anni 1215. Archiuii Ducum communis 1217. & ſub ipſo eius teſtamento 1218. inuenimus. Indumenta non multum ab iis differunt, quae in Regio eius Sigillo cernuntur, & corona quoque non diſſimilis eſt, niſi quod vtrimque taenia ab ea dependeat. Dextra ſceptrum Imperiale, ſiniſtra pomum praefert. Ad dextram capitis Sol, ad ſiniſtram Luna cernuntur, quibus forte orbis dominium indicatur. Niſi ea in re Anglorum Reges nunc imitatus ſit; nam & in Richardi Regis Sigillo in recentiore editione Hiſtoriae Genealogicae Regum Anglorum a Franc. Sandfordio compoſitae & a Samuele Stebbingio emendatae & continuatae pag. 55. Sol & Luna reperiuntur. Sigillo vero Ottonis Imperiali circumſcriptum eſt: DEI GRATIA OTTO ROMANORVM IMPERATOR ET SEMPER AVGVSTVS. Meibomius idem in figura aenea exhibuit; ſed admodum corrupte. Sceptrum enim ornamenta in extremitate, quae nos in eo inuenimus, non habet, ſed in duplicem crucem deſinit. Vidimus ſupra aliquoties *aureas Ottonis Imperatoris bullas* commemorari, ſed oculis aliquam inde vſurpare hactenus non licuit. Inuenimus tamen inter ſchedas Leibnitianas delineationem talis bullae, Summo Viro ab amico, neſcio quo, transmiſſam, quam Num. III. ſiſtimus. In antica eſt facies Imperatoris, capillis, vt in caeteris, ita & hic ſucciſis & circum: AVREA ROMA: in poſtica vero legitur: ODDO IMPERATOR ROMANORVM. Noſtri Ottonis eam Bullam eſſe non eſt dubium. Qui enim eum anteceſſere Ottones nondum *auream Romam* in ſigillis proponebant.

§. 104.


Numi Ottonis IV. Imperatoris *ſolidi & bracteati* inueniuntur. Solidi omnes *Coloniae* cuſi ſunt. Et primus ex iis ſine dubio eſt Num. I. extans, in cuius antica eſt crux cum quatuor punctis & circum: OTTO REX; in poſtica vero: *Sancta* COLONIA ADOLFVS EPISCOPVS. Numus hic cuſus eſt, ex quo Coloniam Anno 1198. occupaſſet, & ab *Adolpho Archi Epiſcopo* aduerſus Philippum ſuſceptus atque in Regem coronatus eſſet. Freherus in margine ad Godefridum Colonienſem eum delineauit primus; vnde ab Heineccio in Antiquitat. Goslar. & Rethmeiero in Chronico Letzneriano repetitus eſt. Num. II. eſt ſimiliter OTTO REX & in vorſa cernitur: S. COLONIA.

Qui


Digitized by Google

OTTONIS IV. IMPERATORIS

Numi ſolidi.



Bracteati.



Digitized by Google

Qui Num. III. ſiſtitur idem corruptioribus litteris exhibet, & nomen Regis in eo ODDO ſcribitur. Num. IV. exiſtens mihi a Reuerendo P. Callenbergio S. I. Monaſterii dono datus eſt, & clariſſime exhibet: ODDO IV. IMP. AVG. vnde patet, eum poſt Annum 1209. cuſum eſſe. Num. V. collocatus a Dn. Ludewigio productus eſt, in medio litteris in crucis formam ordinatis cernitur OTTO & circum litteris paulo corruptioribus IMPERATOR, in auerſa parte continuatur: AVG. & deinde cruce praepoſita adiungitur: SAN*cta* COLONI*a*. Qui Num. VI. extat in Numophylacio Meibomiano reperitur, &, iudice ipſo Meibomio nepote, ad Ottonem IV. Imperatorem pertinet; ſed in antica quid ſibi velit, nondum exacte ſcio. Num. VII. conſpicuus a Friſio in Speculo Monetario iam delineatus eſt. Habet caput Imperatoris coronatum, capillis ſuccisis, quale etiam in Sigillis extat, cum litteris: OTTO IMPERATOR: Auerſa crucem, vt eſt in Turonenſium numis, continet, & circum poſitum eſt: COLONIA TANCIA; quod vltimum corruptum eſt ex SANCTA. De Colonia vero Vbiorum notandum eſt, eam ex eo tempore, quo corpora trium Magorum nacta eſt, & vndecim mille Virginum fabula veneratores accepit, SANCTAM cognominatam. Et Sigillo ciuitatis nunc etiam circumſcriptum eſt: SANCTA COLONIA ROMANAE ECCLESIAE FIDELIS FILIA, vt Gelenius de admiranda magnitud. Coloniae p. 3. annotauit. Ad Bracteatos quod attinet, inter eos primo loco collocamus, qui Num. VIII. IX. X. XI. XII. & XIII. extant, ab Illuſtri Equite Fountainio Anglo communicatos. Facies Regis coronati, cum ea conuenit, quam in ſigillis atque etiam in ſolido Num. VII. Otto praefert. Qui Num. VIII. reperitur, ad latus Regii capitis *dimidiam aquilam* oſtendit, & hac nota noſcitur ad Ottonem IV. cum reliquis pertinere. Supra enim demonſtrauimus, Ottonem IV. cum, coronandus in Imperatorem, Romam intraret, dimidiam aquilam pro inſigni habuiſſe. Ea igitur tempeſtate, quo Otto adhuc Rex ſolum fuit, bracteati hi omnes Coloniae, vt coniicio, cuſi ſunt, aut alibi in Germania inferiori, vbi mores Gallici in producenda pecunia adamati fuerunt. Num. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. exhibentur bracteati Brunſuici cuſi ab Anno 1209. vsque ad obitum Imperatoris: Omnibus circumſcriptum eſt: OTTO DEI GRATIA ROMANORVM IMP. vel OTTO DEI GRATIA IMP. Et Leo Brunſuicenſis coronatus vbique cernitur. Singularis eſt generis, qui Num. XIX. proponitur: inter crucem enim decuſſatam duae coronae Imperiales obuerſae, & duo capita leonina ſiſtuntur, & circum legitur:

MO*net*A

MO*net*A NO*u*A DOMINI INPERATORIS. Et forte ſolus hic numus eſt bracteatus hactenus detectus, in quo *monetae nouae* locutio hoc aeuo vſurpata inuenitur. Num. XX. & XXI. propoſiti, deprompti ſunt ex Chriſtfridi Sagittarii delineationibus. Proponunt vero Imperatorem in ſolio reſidentem & coronatum, dextra ſceptrum in cuſpidem lanceae vncinatae deſinens, ſiniſtra aliud ſceptrum liliaceum gerentem. Ad latus eſt *luna* Luneburgi inſigne. Vnde concludo, hos duos numos in fratris Ottonis IV. honorem cudi feciſſe Wilhelmum Principem Luneburgicum, vel ipſum Ottonem IV. Luneburgi ius monetae cudendae exercuiſſe. Inſignia vrbium in bracteatis ibi fabricatis appoſita eſſe quandoque imaginibus Imperatorum, mox e geminis exemplis amplius patebit. Num. XXII. & XXIII. Imperator eques proponitur, in vno, qui Ampliſſimi Hasbergii eſt, ſceptrum crucigerum; in altero vero, quem a Doctiſſimo Schlegelio accepimus, ſceptrum in cuſpidem lanceae vncinatam terminatum gerens. In primo equus *Leone Brunſuicenſi* notatus eſt; in vtroque legitur: OTTO IMPERATOR. Num. XXIV. & XXV. idem Otto ſiſtitur coronatus cum vexillo & ſcuto, in quo leo Brunſuicenſis. Ad latus vnius cernitur rota Moguntina, Erfurtenſis ciuitatis inſigne; ad latus alterius repoſitum eſt ferrum molare, vrbis Mulhuſinae nota. Vnde manifeſtum, hunc Mulhuſae; illum Erfurti cuſum. Non vero inter Ottonis IV. Imperatoris numos iam recenſeo *numiſma aureum* ex Octauii Stradae Vitis Imperatorum depromptum, & a Rehtmeiero centoni Letzneriano, tanquam lacinia purpurea, adſutum. Fictitium enim illud vna cum caeteris huiusmodi a Strada productis Imperatorum Germanicorum numis eſſe, vno ore ii, qui rem numariam penitius intelligunt, mecum fatebuntur omnes.

CAPVT VI.

De *Wilhelmo*, Principe Luneburgi, quarto Henrici Leonis filio.

§. 1. *Wilhelmus* Wintoniae A. 1184. natus.

§. 2. Pro Richardo Angliae Rege obſes datus eſt.

§. 3. Ex paterno teſtamento accepit Luneburgum & Lauenburgum.

§. 4. Ex amore erga fratrem Ottonem Imperatorem & legationem in Angliam ſuſcepit, & donationem Adolfo, Archi-Epiſcopo Colonienſi factam ratihabuit.

§. 5. Vxorem duxit Helenam, Waldemari Daniae Regis filiam.

§. 6. Quid in noua terrarum diuiſione A. 1202. inter tres fratres inſtituta Wilhelmus acceperit exponitur.

§. 7. Reliqua Wilhelmi Principis acta ſtrictim recenſentur.

§. 8. Wilhelmus in flore aetatis obiit 1213.

§. 9. Vtrum corporis tam obeſi fuerit, ac quidem recentiores quidam Scriptores tradunt.

§. 10. An cognomen de *longa ſpata* habuerit?

§. 11. Eius Sigilla exhibentur.

§. 12. Recenſentur quaedam Chartae ab eius Coniuge Helena ſcriptae.

§. 1.

Digitized by Google

§. 1.

WILHEMVS, filius Henrici Leonis Ducis & Mathildis Anglicanae, natus eſt *Wintoniae* in Anglia Anno 1184. Houedenus: *Eodem anno Rex Henricus duxit in Angliam Saxoniae Ducem cum familia ſua, & infra dies paucos Duciſſa apud Wintoniam peperit filium, quem vocauit Wilhelmum.* Idem Houedenus hinc ad Annum 1200. Wilhelmum *Wintonienſem* vocat.

§. 2.

Anno 1194. pro Rege Angliae Richardo obſes datus eſt Leopoldo Auſtriae Duci, vt ex Gerhardo Stederburgenſi & Chronico Rhythmico ſupra percepimus. Gerhardus Stederburgenſis de obitu Leopoldi Ducis, qui Anno 1195. contigit, loquens: *Dux*, ait, *Auſtriae Lippoldus de equo corruens, vitam miſerabiliter finiuit, & filium Ducis Wilhelmum, quem habebat in pignore, ſero poenitens, antequam moreretur, Regi Vngariae, Duci Henrico reddendum, transmiſit. Sed & hoc arte Imperatoris impeditum eſt.* Non ergo ante obitum Imperatoris Wilhelmus dimiſſus fuiſſe videtur.

§. 3.

Cum pater obiret, per teſtamentnm accepit *ciuitatem Luneburgum & Lauenburgum*, vt ſupra vidimus. Confirmat idem Hermannus Cornerus, qui teſtamentum hoc cognouit: *Wilhelmo* inquiens, Henricus Dux *contulit Luneburg & Louenburg cum pertinentiis eorum.* Hinc eum Chronicon Montis Sereni ad An. 1195. & Albertus Stadenſis ad An. 1212. *Wilhelmum de Luneburg* nominant, & ipſe in diplomatibus, vt mox videbimus, ita ſe ſcribit. Interim cum Henricus Leo Dux poſt obitum ſuum *Dux de Brunſwick*, a loco vbi ſedem ſuam habuerat, nominaretur; *Wilhelmus* etiam a fratre Ottone Rege aliquando *de Brunſwick* dictus eſt. Hinc & Chronicon Riddageshuſanum ad An. 1195. *Wilhelmus*, ait, *filius Henrici Leonis fit Dominus Brunſuicenſis.* Nil tamen hoc tempore Brunſuici negotii illi fuit; ſed Luneburgi dominium ſaltem habuit.

§. 4.

Anno 1200. idem *Wilhelmus* cum fratre Henrico Palatino ab Ottone Rege in Angliam miſſus eſt ad Regem Iohannem, vt ſupra oſtendimus ex Houedeno; cui conſentiunt Annales Burtonienſes. Cum eodem anno Otto Rex Adolfo Archi Epiſcopo Colonienſi diplomate

ſupra pluribus relato & Wirceburgi dato, confirmaret *vniuerſa bona, quae Philippus quondam Colonienſis Archi Epiſcopus de Ducatu quondam patris ſui Henrici Ducis Saxoniae obtinuerat;* dicit, *ſe dilectos fratres ſuos Henricum Comitem Palatinum Rheni & WILHELMVM ad hoc induxiſſe,* quod eadem bona voluntate Eccleſiae Colonienſi dimiſerint. Et alio diplomate, vna cum praecedenti a Gelenio in Hiſtoria S. Engelberti pag. 25. ſqq. publicato, cum eidem Colonienſi Eccleſiae alia bona & Ducatus allodia, feoda & miniſteriales reſtituit, addit, ſe hoc facere *bona voluntate ſua & fratrum ſuorum Henrici Palatini Rheni & WILHELMI de Brunſwik.* Vnde luce meridiana clarius eſt, neque Henricum Leonem Ducem, neque filios eius vnquam agnouiſſe, ſibi a Friderico I. Imperatore Ducatum Weſtfaliae Angariaeque & bona in illo ſita auferri potuiſſe; & iura in eum ſua hactenus non dimiſiſſe. Hinc nec Otto Rex ſolus iam de eo in fauorem Colonienſis Eccleſiae diſponere potuit; ſed fratrum ſuorum conſenſu opus habuit, ne inualida donatio eſſet, in praeiudicium tertii data. Conſenſere fratres, amore Regis moti, & ſpe etiam ducti, ab eo maiora ſibi Familiaeque ſuae tandem acceſſura, ſi Regnum quiete obtineret; quam ad rem Adolfus Archi Epiſcopus plurimum conferre poterat, atque ideo beneficiis deuinciendus erat.

§. 5.

Anno 1202. Otto Rex *Wilhelmo* vxorem conciliauit HELENAM Waldemari I. Regis Danorum filiam & ſororem Canuti Regis ac Waldemari tunc adhuc Ducis. Albertus Stadenſis: *Anno 1202. Otto Rex Duci Danorum filiam fratris* [lege. *patris*] *ſui* (a) *Heinrici in Hamburch deſponſauit, & ſororem Ducis Helenam fratri ſuo Willehelmo.* Arnoldus Lib. VI. cap. 15. eodem de coniugio haec profert: *Non obliuiſcendum, quod Dominus Canutus Rex in beneplacito fratris Waldemari ſororem ſuam Helenam cum magna ſolennitate Domino Wilhelmo, filio Ducis Henrici, ſociauit. Vnde laetati ſunt omnes amici Ducis, & omnis terra Holſatorum & Sturmariorum, ſperantes cum ſorore Domini Regis totam terram habiturum. Sed fefellit opinio. Ipſe tamen gener Regis ſaepius a Rege & fratre Duce in multis honoratus, dignitatem ſui nominis multis praeferebat.* Chronicon vetus Ducum Brunſuicenſium: *Dux Wilhelmus, frater dictorum Principum, qui Ducatum Luneborch poſſedit,* (b) *vxorem duxit 1202. Helenam*

a) Quid de hac emendatione ſentiendum ſit, qua *ſoror mea germana mei patris filia* vocanda eſt, ſupra nos abunde oſtendiſſe meminimus.

b) Verum hoc eſſe, & Wilhelmum iam tempore ſuarum nuptiarum Luneburgum poſſediſſe, docet diploma, quo donationem duarum fartaginum ſalis, Lunenſi Monaſterio factam, confirmat, & Luneburgenſes teſtes *ciues ſuos* appellat. (Probat. N. CCCL.)

Digitized by Google

Helenam, ſororem Regis Slauorum, Domini Woldemari, aui Erici Regis Daniae, nunc regnantis. Helenam hanc Pontanus Rer. Dan. Lib. VI. pag. 295. erronee *Adelheidam* appellat.

§. 6.

Eodem Anno 1202. [in authenticis male 1203. exhibetur] cum fratribus Paderbornae fuit, cum aliam bonorum ſuorum diuiſionem iniiſſent Otto Rex & Henricus Palatinus, tabuliſque diuiſionis ſupra relatis ſuum etiam Sigillum appendit. Sed illae tabulae, quae bona tunc Wilhelmo ipſi attributa continuerunt, iniuria temporum intercidere. (c) Interim eas nouiſſe, imo & vidiſſe videtur Botho Chronici Picturati auctor. Is enim ad An. 1206. quem pro 1202. erronee ponit, refert, *Wilhelmum* in diuiſione illa recepiſſe tunc *Luneburgum, Lichtenbergam, Gandershemium, Giſelwerderam* & *Oſenam, dimidiumque omnium feudorum vrbis Brunſuicenſis.* Verba Bothonis ſunt: *In duſſem ſulven jare do delden de dre broder dat lant. Konigh Otto dem vel Brunſwik; Palsgreue Hinrik vel Selle unde Staden; Wilhelm dem vel Luneborch, dar geuen ſe öme to Lechtenbarge, Ganderſem, Giſelwerder unde Oſen, dar to behelt he halff alle Lene bynnen Brunſwick.* His Letznerus adhuc, qua fide neſcio, *Geuersbagam* addit. (d)

§. 7.

c) Vel potius, non amplius in ſcriniis noſtris comparent. Ex quo non ſequitur, quod penitus interierint, cum fieri potuerit, vt in alienas manus inciderint, & cum infinitis aliis ex noſtro territorio ſublatis cuſtodiantur etiamnum in tabulario vicini Principis: e quo Leibnitius, Codicem iuris gentium continuaturus, nonnulla ineditorum documentorum & diplomatum apographa impetrauerat. Cuius chartas & epiſtolas ſollicito ſtudio perſcrutatus reperi non ſine maxima voluptate has quoque tabulas: quae quia eadem manu, qua apographa, de quibus modo dixi, ſcriptas deprehendo; in ſuſpicionem venio, ipſa autographa in eodem, ex quo haec cuncta deſcripta ſunt, tabulario adhuc aſſeruari. Noſtri tamen Luneburgenſes, iam olim de ſui Principis Wilhelmi portione ſolliciti, has tabulas ex autographis ante tranſcripſerunt, eoque effecerunt, vt non penitus intercidérint; etiamſi autographa, Curiae vicini Principis forſan exhibita & non reddita, deſierint eſſe in poteſtate noſtra. Reperi ſane in peruetuſto quodam codice Luneburgico inter alia veterum inſtrumentorum apographa hoc quoque, quod diu quaeſiuimus, & quidem duplex. Nam cum in determinatione & tranſcriptione portionum *Henrici* & *Ottonis* bini fratres in vnum idemque inſtrumentum conſenſerint, ita vt inſtrumentum de portione Henrici Palatini a fratribus Ottone & Wilhelmo; inſtrumentum autem, portionem Ottonis complexum, nomine fratrum Henrici & Wilhelmi coniunctim expeditum ſit: in attribuenda tamen Wilhelmi portione fratribus alia via placuit, & quidem ea, vt vterque fratrum Wilhelmo ſeparatas litteras daret, quibus eius portio comprehenderetur. Has igitur, prout inuenimus, in appendice documentorum (Probat. N. CCCLI. & N. CCCLII.) primi edimus, per omnia, praeſertim autem in anno, cum reliquis diuiſionis inſtrumentis conſpirantes; licet Indictio quinta, hic quoque annotata, non annum, qui expreſſus eſt, milleſimum ducenteſimum tertium, ſed milleſimum ducenteſimum ſecundum oſtendat & praeferat.

d) Chronici picturati auctor & Letznerus, nouelli & muſtacei Scriptores, tanti non ſunt, vt ad eorum placita veluti ad ſcopulum adhaerendum putemus.

Digitized by Google

§. 7.

Botho quoque refert, Wilhelmum Anno 1202. [male annum 1207. ponit] *Lichtenbergam Caſtrum* ab Hermanno Comite Hartzburgico interceptum obſidione cinxiſſe; ſed eam ſoluere coactum fuiſſe. Arnoldus tamen Lubecenſis, qui Lib. 6. c. 7. eiusdem rei meminit, Lichtenbergam non a Wilhelmo, ſed a Guncelino Dapifero obſeſſam tradit. Anno 1204. *Wilhelmus de Luneburch, filius Ducis Saxoniae* (Probat. N. CCCLIII.) Charta, quae in Archiuio Coenobii dominarum Lunenſium a me reperta eſt, notum facit, quod *Burchardus Abbas S. Michaëlis in Luneburch*, ſe permittente, quaedam bona, *quae ipſi per multum tempus vacauerant, Dalthorp* nempe & *Cachelſtorp*, *Eccleſiae S. Bartholomaei in Lune ad adminiſtrationem Dominarum donauerit*, quod approbat, & *Aduocatiam & omne ius, quod in iis bonis habuit, praefatae Eccleſiae relinquit, hoc excepto, vt ſi caedes in iam dictis bonis perpetrata fuerit vel lis exorta, id ad ſe & haeredum ſuorum iudicium ſpectare debeat. Factum eſt hoc anno Dom. incarn. MCCIV. Indictione ſexta, regnante glorioſo Domino ſuo Ottone Romanorum inclyto Rege, anno electionis ſuae ſeptimo, menſe Nouembrio, ſexto Kalendas Decembris.* In ſchedis huius Monaſterii Dn. Pfeffingerus reperit & illuſtri Leibnitio miſit bullam Innocentii PP. III. qua is *ad inſtantiſſimas preces Nobilis Viri, Wilhelmi de Luneburg, filii quondam Ducis Henrici*, Abbati S. Michaëlis in Luneburg *vſum infulae* in ſolemnioribus feſtis reſtituiſſe dicitur *VI. Kal. Octobr. Pontificatus anno octauo.* (e) (Probat. N. CCCLIV.) Anno 1205. idem *Willehelmus de Luneburg, filius Domini Henrici Ducis Saxoniae*, notitiae poſterorum transmittit Charta (Probat. N. CCCLVI.) quam etiam Lunae vidimus, *quod ipſe & omnes qui proprietatem in Sulta* ſiue Salina Luneburgenſi *habeant*, conceſſerint in perpetuum, *vt ſingulis fluminibus iam dictarum Dominarum quadraginta vrnae de communi Sulta adderentur. Factum eſt hoc anno Domini MCCV. Indictione ſeptima, praeſidente ſacroſanctae Romanae Eccleſiae ſummo Pontifice Innocentio huius nominis tertio.* Vbi obſerua, Wilhelmum hoc tempore annos Ottonis Regis fratris ſui, ab omnibus pene relicti, non auſum eſſe numerare; ſed eorum loco annos Pontificis ſubſtituiſſe. (f) Ante diuiſionem

e) Annus Innocentii octauus incidit in Annum 1206. & ſic haec bulla in epiſtolarum eius libro octauo vel nono quaerenda eſſet. Cum vero Baluzius hos libros non ediderit exſpectandum eſt epiſtolarum Innocentii III. corpus integrum, nuper promiſſum, donec ſuſtineatur, hanc bullam melioris notae eſſe, quam vltimi veteris lineae Cellenſis Ducis Wilhelmi diploma, quod ex iisdem ſchedis (Probat. N. CCCLV.) ſubiicimus.

f) Num quid ſolidi habeat haec obſeruatio, & an non haec omiſſio oſcitantiae Notarii

Digitized by Google

ſionem bonorum Anno 1202. initam, Otto *Haldeslebiam* & bona ad eam pertinentia acceperat; ſed in hac diuiſione Otto idem quaedam ex eis Wilhelmo conceſſiſſe videtur. Haldeslebia enim non multum diſtat *Tunderslebia*, vbi Wilhelmus bona poſſedit, & Anno 1211. duos manſos cum tribus areis ibi ſitos *Eccleſiae B. Mariae in Magdeburch* contulit, ea tamen ratione, *vt apud dictae Eccleſiae conuentum progenitores ſui ſimiliter & fratres ſui orationum communionem obtineant; ſibi quoque & vxori ſuae & filio plena fraternitate collata, poſt huius vitae terminum talis impendatur memoria, qualis vnicuique fratrum de ipſo collegio ſolita ſit procurari.* Inter teſtes, *Miniſteriales eius*, ſubnotantur. *Alwericus de Dunſtede*, *Fridericus de Etendorp*, *Wernerus de Merwede*, *Lutwardus de Tundersleue*, *Henricus de Hedesaker* & alii. (Probat. N. CCCLIX.) Vnde concludimus & *Hidesackeram* & reliqua loca hic nominata in dominio Wilhelmi fuiſſe. (g) Chartam ipſam quidem Leuckfeldius in Relatione Hiſt. de Coenobio B. M. Virginis Magdeburgenſi pag. 35. iam edidit; nos tamen eam ex ipſo autographo deſcripſimus.

§. 8.

Wilhelmus vero in flore aetatis Anno 1212. obiit, ſi Alberto Stadenſi fidem adhibeamus, ad eum annum ſcribenti: *Wilhelmus de Luneburg obiit, relinquens Ottonem adhuc infantulum.* Sed Chronicon vetus Ducum Brunſuicenſium mortem eius in Annum 1213. refert his verbis:

Notarii potius, quam rationi aulicae attribuenda ſit, alii iudicent. In alio ſane diplomate praeſtantiſſimo, quod ex autographo (Probat. N. CCCLVII.) exhibemus, ex Anno 1209. Luneburgi dato, *regnantis Ottonis* mentio non eſt omiſſa. Notum in eo facit *Wilelmus de Luneburch, quod ciuitatem nouam, Lowenſtat nominatam, in fundo & proprietate ſua aedificari ſtatuerit, tale ius libertatis eidem conferens, quale liberae ciuitates habere ſolent; quale etiam Bardewick dum eſſet in ſtatu ſuo, dignoſcitur habuiſſe.* Deſcribit deinceps ciuitatis *Wigbelede* ſeu limites territorii cis & trans Albim, ita vt facile appareat, hodiernam vrbem *Bleckede* iſtis terminis deſignari. In fine ait: *Haec ordinatio facta eſt, dilecta Coniuge noſtra* Helena, *& filio noſtro* Ottone *compromittentibus; venerabili quoque Verdenſi Epiſcopo* Iſone, qui huius regionis & loci Dioeceſanus erat, *nec non* hominibus noſtris *ſcientibus & conſentientibus hiis ſcilicet: Comite Henrico de Dannenbergh & filio ipſius Vulrado. Bernardo, Comite de Welepa.* (Iſonis Verdenſis Epiſcopi fratre) *Wernero, Vlrico, Henrico, Ottone Comitibus de Luchone. Waltero de Baldenſele & Friderico de Oſterwalde. Affuerunt & Miniſteriales noſtri, Anno Dapifer &c.* Sed Wilhelmus noſter iuſto tempeſtiuius e coetu mortalium abreptus nouae ſuae ciuitatis incrementum haud vidit. Quod patet ex Ottonis Strenui Charta inedita, (Probat. N. CCCLVIII.) qua Anno 1310. nouos incolas Blekedam traduxit, vrbemque, vt muniretur, variis priuilegiis ornauit.

g) De hoc dubium nullum eſſe poteſt inſpicientibus inſtrumenta diuiſionis, in quibus in vrbibus, quae ceſſerunt parti Wilhelmi, diſerte *Hedeſakere*, Dalenburch, Berge, Luchowe, Dannenberge, Brome, & Nienwalde nominantur.

Digitized by Google

bis: *Obiit MCCXIII. Pridie Idus Decembris.* Cum hoc conſentit Botho in Chronico Picturato ad eundem annum: *Unde ock*, inquiens, *ſo ſtarf Hertoghe Wilhelm to Lunenborch in ſunte Loydage.* Fragmentum quoque Genealogiae Ducum Brunſuicenſium & Luneburgenſium eundem obitus Wilhelmi annum habet. Membrana S. Blaſii: *Anno Domini* 1213. *obiit Dux Wilhelmus de Lunenburg.* Chronicon Riddageshuſanum plane Annum 1214. ſed erronee ponit. (h) Nos maiori teſtium & quidem domeſticorum numero aſſentimur, obitumque Wilhelmi Anno 1213. contigiſſe ſtatuimus. Diem emortualem, vt vidimus, *pridie Idus Decembris* ſiue 12. *Decembris* nominat Chronicon Ducum vetus: ſed Botho *in ſunte Loydage* ſiue *die S. Luciae*, hoc eſt, 13. Decembris eum incidiſſe refert, cum quo facit Chronicon Luneburgicum Leibnitianum: *Wilhelm*, inquiens, *ſtarf in ſunte Lucien dage.* In Luneburgenſi S. Michaëlis Eccleſia, tunc adhuc in Monte calcario ſita, ſepultum omnes affirmant; Eccleſia vero illa inde in ciuitatem translata, oſſa quoque eius cum caeteris Principum noſtrorum reliquiis ibi recondita ſunt in ſepultura Ducum communi.

§. 9.

Quae recentiores Auctores, ad quos Meibomius Chron. Riddageshuſan. pag. 355. prouocat, de obeſitate corporis eius referunt, quae tanta fuerit, vt cingulo eius tres alii includi poſſent, vnde & *Craſſus* cognominatus ſit, veteres tacent. Nec ſtatuae eius in ſepulchro Ducum communi Luneburgi, & in Curia, quam vocant, S. Auctoris Brunſuici reſtantes, quarum vltimam, vna cum coniuge eius Helena, hic adiungimus enormiter obeſum fuiſſe oſtendunt; & cum haec tempore Ottonis Pueri, filii eius, confecta ſit, fides ei adhibenda eſt omnino.

§. 10.

Ex quo Geruaſii Tilberienſis Otia Imperialia, Anno 1211. ad Ottonem IV. Imperatorem conſcripta, in manus eruditorum virorum venerunt, inualuit quoque opinio, Wilhelmum noſtrum cognomentum LONGAE SPATAE ſiue *Longi gladii* habuiſſe. Is enim Script. Brunſuic.

h) At error ille confirmatur per Chartam Burchardi Abbatis Luneburgici cum autographo collatam, annoque milleſimo ducenteſimo quarto decimo ſcriptam, (Probat. N. CCCLX.) qua fatetur, *Dominam Helenam, vxorem Domini Wilhelmi in Luneborg* quatuor manſos emiſſe; pro *vxore Relictam* eam ſine dubio nominaturus, ſi Wilhelmus maritus eo anni tempore iam mortuus fuiſſet. Vis tamen huius argumenti perit conſiderantibus, perpetuum id non eſſe, vt *Principum defunctorum vxores* in litteris publicis *Relictae* aut *viduae* vocentur. Exempli loco ſit probatio noſtra infra. N. CCCLXIV.

Digitized by Google



Wilhelmus.

Digitized by Google

ſuic. Tom. I. pag. 947. cum diſtincte ſatis hoc nomine appellat: *Ex eodem*, inquiens, *Rege Henrico prodiit Duciſſa Saxoniae, cuius flos tu, Sereniſſime Princeps, vt bonae arboris dulciſſimum pomum proceſſiſti, cum illuſtri Comite Palatino Henrico & Guilielmo Longaſpatha, fratribus tuis vtroque parente coniunctis, nec non nobiliſſima Comitiſſa Alienor germana tua.* Sed vti Geruaſius Mathildem Comitiſſam Perticenſem erronee *Alienoram* vocauit, ita & *Wilhelmum* falſo a *Longaſpata* cognominauit, eumque cum auunculo ſuo, Regis Henrici ex Roſamunda pellice filio naturali, confudit. Vna eademque aetate is cum Wilhelmo noſtro inclaruit rebus fortiter geſtis, & cum idem cum noſtro nomen haberet, ab homine Anglici quidem generis, ſed a longo iam tempore in exteris terris oberrante, idem cum noſtro eſſe creditus eſt. Quodſi enim Wilhelmus noſter *Longaeſpatae* nomen aſſumſiſſet, illud a Wilhelmo auunculo accipere debuiſſet. Quis vero credat Principem tam alto ſanguine editum nothi hominis appellationem adſciuiſſe, aut paſſum eſſe, eam ſibi ab aliis indi? Errauit ergo bonus Geruaſius. Nec noſtra aetate deſunt errata eiusmodi in magnorum etiam virorum & de rebus ſui temporis loquentium operibus. Henricus Angliae Rex huius nominis ſecundus, vt diximus, ex Roſemunda genuerat *Wilhelmum de Longaſpata*, cui Comitatus Sarisberienſis per vxorem Elam aduenit, & *Godefridum Archi Epiſcopum Eboracenſem*, cuius ſupra meminimus in Ottonis IV. rebus: Wilhelmi genus per duos alios Wilhelmos patrem & filium continuatum eſt, a quo genita eſt *Margaretha Longaſpata* huius nominis vltima. Haec Sandfordius Hiſt. Geneal. Regum Angl. pag. 57. ſq. & diſtinctius pag. 114. ſqq. demonſtrat; vnde Tabulam ſequentem depromſimus:

Henricus II. Rex Angliae.
Vx. I. Alienora, heres Aquitaniae.
II. Concubina Roſemunda.

- 1. Mathildis, Vxor Henrici Ducis Saxoniae & Bauariae.
  - Wilhelmus, Princeps Luneburgicus. †1212.
- 2. Wilhelmus Longaſpata, Comes Sarisberienſis. † 1226. Vxor Ela.
  - Wilhelmus Longaſpata II.
    - Wilhelmus Longaſpata III.
      - Margaretha Longaſpata, vxor Henrici de Lacy Comitis Lincolnienſis.
    - Edmundus Longaſpata.
  - Richardus Longaſpata.
  - Stephanus Longaſpata.
  - Nicolaus Longaſpata †1297.
  - Ela Longaſpata, vxor Thomae Comitis Warwicenſis.
  - Tres ſorores aliae.
- Godefridus Archi Epiſcopus Eboracenſis.

Adiicimus

Adiicimus ſimul in gratiam Lectorum ex Sandfordio Sigilla Longaſpatarum Wilhelmi II. & ſororis eius Elae Comitiſſae Warwicenſis; vt quae de Familia hac diximus, eo locupletiora ſint.



§. 11.

Numos Wilhelmi nullos habemus. *Sigilla* vero eius duo vidimus; Vnum duabus Chartis diuiſionis terrarum ab Ottone IV. Rege & fratre Henrico Palatino Anno 1203. (re ipſa 1202.) inſtitutae appenſum eſt, & in Archiuio Ducum communi Brunſuici reſtat, Leonem Brunſuicenſem ſiſtens verbis circumſcriptis: WILHELMVS FILIVS DVCIS DE BRVNSWIC. Alterum a diplomatibus pro Lunenſi Coenobio An. 1204. & 1205. expeditis, paulloque ante recenſitis, dependet. Maius id eſt prioribus, & circum legitur: WILLEHELMVS DE LVNEBVRC FILIVS DVCIS SAXONIAE. Ex his vero clare patet, axioma *Ducis de Brunſwic* idem eſſe cum illo *Ducis Saxoniae*; & eum, qui re ipſa Dux Saxoniae erat, ſic dictum a ſede ſua Principali, vti Dux Sueuiae Fridericus *Dux de Rotenburg*; Comes Palatinus Sueuiae *Palatinus de Tubingen*; Comes Palatinus Bauariae *Palatinus de Wittelsbach*; Henricus Dux Brabantiae *Dux Louanii*; Cuno Dux Franciae *Dux Wormatienſis*; & Conradus Marchio Luſatiae *Marchio de Landsberg* apud Scriptores coaetaneos non ſolum, ſed & in diplomatibus nominati fuerunt. Cum ergo ab Ottone IV. Wilhelmus *de Brunſwic* in priuilegio Colonienſi ſupra vocatus eſt, hoc idem eſt

Digitized by Google

Tab. XXV. ad p. 382.

WILHELMI PRINCIPIS LVNEBVRGICI
et Conjugis ejus HELENÆ
ſigilla.



Digitized by Google

Digitized by Google

eſt ac ſi eundem *Principem Saxoniae* ſiue *filium Ducis Saxoniae* nominaſſet. Dn. Hoffmannus, diligens Archiuiorum noſtrae regionis olim excuſſor, in opere Heraldico inedito memorat, ſe ſub Charta anni MCCIII. inueniſſe Sigillum Wilhelmi noſtri maius cum Leone Brunſuicenſi & verbis circum ſcriptis: *Sigillum* WILHELMI DVCIS DE BRVNSWIC. Nos qui illud nullibi inuenimus, de genuitate fere dubitamus; aeri tamen inciſum caeteris addimus. Scrupulum nobis mouet, titulus *Ducis*, a quo ſemper abſtinuiſſe noſtrum Wilhelmum certum eſt exploratumque; non quaſi, vt quidam ſomniant, *Ducis dignitatem* proſcriptione ſua amiſiſſet pater Henricus Leo; hoc enim falſiſſimum eſt ineptiſſimumque commentum, quod ne confutari quidem meretur; verum quoniam is, vtpote fratrum natu minimus, his ſuperſtitibus nihil iuris in Ducatu Saxoniae habuit, ſed ſolis patrimonialibus bonis contentus vixit. Accedit, quod eodem anno & poſtea etiam in genuinis Sigillis, ſe ſolummodo *de Luneborch* & *filium Ducis Saxoniae* aut *Brunſuicenſis* vocauerit. Vnde exiſtimamus Hoffmannum forte Wilhelmi Ducis Brunſuicenſis, filii Alberti Magni, Sigillum arripuiſſe pro Sigillo Wilhelmi noſtri; quemadmodum Dn. Rehtmeyerus Ottonis Strenui Sigillum affinxit Ottoni puero. Sane vtut praeclare alias de meritis Dn. Hoffmanni ſentiamus, neque laudibus eius quidquam detractum velimus, negare tamen non poſſumus, eum non ſolum paſſim erraſſe, ſed etiam, quod multo turpius eſt, ſcientem ac volentem falſa tradidiſſe, & inſtrumentis, quae in manibus habuit, deſcriptis falſa nomina praefixiſſe vel inſeruiſſe. Hoc enim experientia doctus aſſeuerare poſſum. Exempli cauſa ſuccurrit diploma Rudolfi I. Regis, quo *Dieterico de Horſt Comiciam inter Angelbeke & Viſurgim* iure feudi competere profitetur, (Probat. N. CCCLXI.) Hoc diploma in eodem libro Hoffmannus ita deſcribit, vt pro Dieterico de Horſt *Henricum Comitem de Hoya* poneret. (Probat. N. CCCLXII.) Quod ideo monemus, quia exteri, ad quos Operis huius Heraldici notitia non niſi ex ſolo rumore peruenit, nimis magnifice de eo ſentire, illudque tamquam omnibus numeris abſolutiſſimum perfectiſſimumque ſeſquipedalibus verbis extollere ſolent. Immo ſunt qui ex inuidia oppreſſos Hoffmanni labores credunt, atque ideo carceribus includi exiſtimant, ne tam facile detegi poſſit, vbi alii vitulo eius ararint, cuius quidem iniuriae reos nos non eſſe conſcientiam teſtem habemus. Fuit Dn. Hoffmannus induſtrius vir, cui aliquid debere hiſtoriam patriam negari nequit. Sed homo fuit, nec ab errore, nec ab affectibus immunis. Sapienti ſat.

Digitized by Google

§. 12.

Verum vt in viam reuertamur, pro Ducis titulo a Wilhelmo noſtro numquam vſurpato hoc etiam non contemnendum argumentum proferri poteſt, quod nec vidua eius HELENA poſt mortem mariti ſe *Duciſſam* in Chartis ſuis nominauerit; (i) quod profecto non fuiſſet omiſſura, ſi maritus eo dignitatis titulo vmquam vſus fuiſſet. Vidimus duo eius diplomata; quorum vno, cui annus non eſt ſubnotatus, *Helena Domina de Luneborch* teſtatur, quod *Albertus de Reineuelde* dederit ſibi vnum *Wicſchepel* ſalis in Domo Beginge, & a ſe in recompenſatione acceperit alium Wicſchepel in Domo Erteringe, quem poſtea de ſuo conſenſu & conſilio Eccleſiae in Lune ille contulerit. (Probat. N. CCCLXIII.) Anno 1233. eadem *Helena* (k) filiusque eius Otto Dux confirmant commutationem Capellae S. Canuti & Eccleſiae Winhuſenſis, cuius ius patronatus ad Monaſterium S. Michaëlis Luneburgenſe ſpectauerat. Vtrique diplomati Sigillum Helenae appenſum eſt, in quo illa in fortalitio e turri prominens ſiſtitur, dextra roſam, ſiniſtra pomum tenens, & circum legitur: HELENA DE LVNEBVRCH, SOROR WALDEMARI REGIS DANIAE. Quando Helena haec obierit, nemo quantum ſcimus hactenus commemorauit:

i) Hoc aſſeuerare temerarium eſt, ni aſſeuerans ſimul fidem faciat, ſe *omnia* Helenae diplomata vidiſſe. At Dn. Eccardus non niſi duas Helenae Chartas ſe vidiſſe aſſeuerat: id quod non impedit, quo minus credamus, Helenam in aliis forſan diplomatibus, Dno Eccardo non viſis, *Duciſſam* ſemet appellaſſe. Ab aliis ſane ita vocatam eſſe ſubiecta Charta, (Probat. N. CCCLXIV.) cui annus non adſcriptus eſt, docet, qua *Iohannes* Abbas Monaſterii S. Michaëlis in Luneburg profitetur, quod ipſe *de generali conuentus ſui conſenſu, ad redimendum aliis oppignoratum telonium Eccleſiae ſuae pro ſexaginta marcis argenti vnum chorum ſalis vendiderit Dominae noſtrae Duciſſae Helenae.* Quae Charta Helenae *Duciſſae* titulo patrocinatur quidem; ſed euertit ſimul argumentum ſupra ab omiſſione nominis *Relictae* vel *Viduae* pro viuente marito ductum. Cum enim Charta a *Iohanne* Abbate ſcripta ſit, qui ante Annum 1225. hanc dignitatem non adiit; Helena *Duciſſa* in ea nominata tunc certo vidua fuit; licet *Viduae* vel *Relictae* vocabulum nomini eius non ſit appoſitum.

k) Hoc inſtrumentum quia proprie filii Ottonis eſt, longe rectiori conſilio refertur in geſtis eius ſub hoc anno.

PROBA-

Digitized by Google

PROBATIONES
LIBRI SEPTIMI
DE ORIGINIBVS GVELFICIS.

Digitized by Google

SYLLABVS DOCVMENTORVM ATQVE DIPLOMATVM, QVIBVS DICTA LIBRO VII. NOVA LVCE PERFVNDVNTVR ATQVE VBERIVS ILLVSTRANTVR.

No. I.

Henrici Leonis Priuilegium pro Eccleſia Catelenburgenſi, quo patrem, matrem, auum & auiam maternam nominat. ex LEVCKFELDII Antiquitat. Catelenburg. p. 18.

No. II.

Henricus Leo Monaſterium Northeimenſe ab Ottone Duce & Richenza Imperatrice, auia ſua, fundatum & dotatum, e ſeruitute liberatum in tutelam ſuſcipit. ex Diplomatario Northeimenſi Mſcto.

No. III.

Henricus Leo dat villam Riddagesbuſen ad Monaſterium ibi fundatum. ex MEIBOM. Scriptor. T. III. p. 413.

No. IV.

Conradus III. Henrico Leoni commendat Wiboldum Abbatem Corbeienſem. ex Codice Wibaldino epiſt. 18. *apud* MARTENAEVM Collect. Ampliſſ. T. II. p. 203.

No. V.

Conradus III. Henricum Leonem rogat, vt Aduocatiam Kemnatenſis Monaſterii, quam ab Imperio haberet, deinceps ab Wiboldo Abbate Corbeienſi in feudum reciperet. ibid. epiſt. 23. l. c. p. 207.

No. VI.

Annuit precibus Henricus, idque ſe facere profitetur in gratiam Abbatis Wiboldi, qui Lothario Imperatori, cuius ipſe heres factus ſit, diu ſeruierit. ex SCHATENII Annal. Paderborn. T. I. p. 772.

No. VII.

Henricus Leo rogat Eugenium III. PP. vt Eccleſiam Kemnatenſem confirmet Wiboldo Abbati Corbeienſi, tamquam bono Oeconomo. ex Codice Wibaldino epiſt. 58. *apud* MARTENAEVM l. c. p. 234.

No. VIII.

Friderici I. Imperatoris Edictum de recuperandis Colonienſis Archi Epiſcopi praediis ad menſam ſpectantibus, ſententiam dicente Henrico Bauariae Duce & Henrico Duce Saxoniae aſſidente. ex SCHANNAT. Vindemiis litterariis T. II. p. 113.

Digitized by Google

No. IX.

Henrici Leonis donatio ad nouum Monaſterium in caſtris acclamatione totius exercitus facta & confirmata. ex LINDENBROGII Script. Septentr. p. 156.

No. X.

Rex Conradus III. conqueritur de Henrico Leone, quod in Curiam non venerit, & Ducatum Bauariae armata manu occupare conatus ſit. ex Codice Wibaldino epiſt. 233. *apud* MARTENAEVM l. c. p. 417.

N. XI.

Wiboldus Conrado Regi confirmat ab Henrico & a Saxonibus nihil timendum eſſe, modo ipſe compareat in comitiis. Indidem epiſt. 240. p. 423.

No. XII.

Conradus III. Rex rogat Henricum Leonem vt Corbeienſibus auctor ſit percipiendorum fructuum Kemnatenſis Monaſterii. Ibid. epiſt. 249. p. 433.

No. XIII.

Henricus Leo bona Corbeienſis Eccleſiae ſe defenſurum promittit. Indidem epiſt. 269. pag. 449.

No. XIV.

Henricus Leo Wiboldum rogat vt in Curia Ratisbonenſi negotium ſuum gerat. Ibid. epiſt. 290. p. 469.

No. XV.

Eugenius III. PP. Henrico Leoni Wiboldum Abbatem Corbeienſem commendat. Ibid. epiſt. 335. p. 508.

No. XVI.

Precibus Principum, in quibus Henricus Leo, Conradus III. motus Abbatiam Ringelheim tradit Eccleſiae Hildenſemenſi. ex authentico Mſcto. *habet etiam ſed deprauatum & corruptum* LEVCKFELD. Antiquit. Ringelheim. p. 199.

No. XVII.

Eugenius III. PP. Hildenſemenſi Eccleſiae interceſſore Raynaldo de Daſſel Praepoſito Abbatiam Ringelhemenſem confirmat. ex authentico Mſcto.

No. XVIII.

Henricus Leo confirmat donationem ad Monaſterium Augiae minoris ſeu Weiſſenau ad Schuſſam fluuium prope Altdorfium a Miniſteriali ſuo Gebizone fundatum. ex diplomat. Albae Augiae *apud* LVNIG Spicileg. Eccleſ. T. III. p. 746.

N. XIX.

Concambium Gandersheimenſe cum Hermanno Winceburgico praeſente Henrico Leone peractum. ex veteri membrana.

No. XX.

Bernhardus Hildenſemenſis Epiſcopus contra mandata duorum Pontificum

Hermannum

Hermannum Comitem inueſtit de Caſtro Wincenburg, captans Caſtrum Homburg. ex authentico Mſcto.

No. XXI.

Innocentii II. PP. mandatum de non alienando Caſtro Wincenburg. ex authentico Mſcto.

No. XXII.

Victoris IV. PP. mandatum de non alienando Caſtro Wincenburg. ex authentico Mſcto.

No. XXIII.

Idem mandatum iteratum per Eugenium III. PP. ex authentico Mſcto.

No. XXIV.

Victoris IV. PP. confirmatio priuilegiorum Eccleſiae Hildenſemenſis. ex authentico Mſcto.

No. XXV.

Henrici Leonis donatio ad Reichenbergenſe Monaſterium longò & miro teſtium ſyrmate incedens. ex HEINECCII Antiquit. Goslarienſ. p. 149.

No. XXVI.

Henricus Leo ex praediis ſuis Longobardicis Caualilium donat Monaſterio ad Carceres. ex MVRATOR. Antiquit. Eſtenſib. T. I. p. 287.

No. XXVII.

Henricus Leo Miniſterialibus ſuis copiam facit legandi ad Eccleſiam de Itingen. ex M. R. Dn. HERGOTT Genealog. Habsburg. T. II. qui continet Codicem Probationum. p. 179.

No. XXVIII.

Wiboldus Abbas Corbeienſis apud Fridericum I. Imperatorem accuſat Widekindum de Swalenberg homicidii & Comitem de Tecklenburg ſpolii cauſſa. ex Codice Wibaldino epiſt. 412. *apud* MARTENAEVM l. c. p. 577.

No. XXIX.

Henricus Leo Friderico I. Imperatori ſignificat, quam ſententiam in placito Corbeienſi tulerit contra Widekindum illum homicidam. Indidem epiſt. 425. p. 588.

No. XXX.

Henricus Leo Wiboldo Abbati omne genus auxilii promittit Indidem epiſt. 435. p. 595.

No. XXXI.

Charta Friderici I. Imperatoris, qua Henrico Leoni Ducatum Bauariae reſtituit, & Henricum Marchionem cum priuilegiis ampliſſimis Auſtriae Ducem creat, ex confirmatione Friderici II. Imperatoris tranſumta An. 1437. *a Leonardo Epiſcopo Patauienſi apud* DV MONT Corp. Diplom. T. I. p. 81. & FVGGER Specul. honor. Auſtriac. p. 168.

No. XXXII.

Digitized by Google

No. XXXII.

In gratiam Henrici Leonis Fridericus I. Imperator Coenobio Hildewardesbuſenſi inſigne confert priuilegium. ex autographo.

No. XXXIII.

Friderici I. Imperatoris mandatum ad Miniſteriales Hildewardesbuſenſis Eccleſiae, vt pareant edicto ſuo. ex autographo.

No. XXXIV.

Fridericus I. Imperator Henrico Leoni pro hereditate coniugis Clementiae reddit Caſtra Hertesberg, Scartſeld, Polede & Burchdorff. ex autographo.

No. XXXV.

Henrico Leoni a Friderico I. Imperatore confertur Comitatus & Foreſtum in Liſga pro ſe & vtriusque ſexus heredibus. ex autographo.

No. XXXVI.

Fridericus I. Imperator concedit Henrico Leoni ius hereditarium inueſtiendi Epiſcopos in Slauia. ex autographo.

No. XXXVII.

Ad preces Henrici Auſtriaci, Bauariae Ducis, Eugenius III. PP. Ranshouenſibus bona ſua & priuilegia confirmat. ex HVNDII Metrop. Salisb. T. III. p. 144.

No. XXXVIII.

Henrici Bauariae & Saxoniae Ducis precibus motus Adrianus IV. PP. Ranshouenſibus priuilegia bonaque omnia confirmat. Indidem p. 143.

No. XXXIX.

Henricus Leo commercium ſalis & telonium de ponte Veringen bona gratia Imperatoris Monachium transfert. ex HVND. l. c. T. I. p. 77. *&* MEICHELBECCII Hiſtor. Friſing. T. I. p. 337.

No. XL.

Henrico Iuniore tam Bauariae quam Saxoniae Ducatum tenente Hermannus Verdenſis Epiſcopus Bardouicenſi Eccleſiae Decanum dat, & Capitulo omnia bona confirmat. ex Diplomatario Bardewicenſi Mſct.

No. XLI.

Gerbohi Praepoſiti Reichersbergenſis epiſtola ad Henricum Leonem, qua eum ad fortiter defendendam Eccleſiam incendit. ex PEZII Cod. Diplomat. P. I. p. 590.

No. XLII.

Adriani IV. PP. epiſtola ad Fridericum I. Imperatorem, qua per Henricum Leonem ad reconciliationem cum eo adſpirat. ex RADEVICI de geſtis Friderici I. L. I. c. 22. *apud* VRSTISIVM Scriptor. Rer. Germ. T. I. p. 490.

No. XLIII.

Digitized by Google

No. XLIIII.

Receſſus Imperii Wurceburgicus de tuendo Paſchali Papa & de repudiando Rolando ſeu Alexandro III. ex veteri Codice Moguntino Mſct.

No. XLIV.

Henricus Leo in Conuentu Hanouerano Flechtorpienſi Coenobio decimas eius villae confirmat. ex Annalibus Vbiorum Mſct. HERMANNI CROMBACHII *S. I. qui Coloniae aſſeruantur.*

No. XLV.

Traditio Mindenſi Eccleſiae facta, auctore Epiſcopo Siwardo confirmatur in Mallo Comitis Hildeboldi de Rothen. ex Illuſtris Dn. GRVPENII Origin. Hanou. p. 39.

No. XLVI.

Henricus Leo de Aduocatia Pollingenſi ab Hartmanno Brixinenſi Epiſcopo inueſtitum ſe agnoſcit. ex HVNDII Metrop. Salisburg. T. IIII. p. 80.

No. XLVII.

Eberhardus I. Salisburgenſis Archi Epiſcopus Henrico Leoni Coenobium Reichersbergenſe eiusque Praepoſitum Gerhohum commendat. Indidem p. 167.

No. XLVIII.

Henricus Leo Aduocatiam Coenobii Reichersbergenſis adminiſtrat. Indidem l. c. p. 168.

No. XLIX.

Henrici Leonis priuilegium Wisbuenſe. ex LAMBECII Mantiſſa ad Rer. Hamburg. L. II. p. 78.

No. L.

Comites Holſatiae Mercatoribus Wisbuenſibus & Guthlandicis ſeruare in tercis ſuis ſpondent priuilegia olim ab Henrico Leone impetrata. ex LAMBEC. l. c.

No. LI.

Henrici Leonis fundatio & dotatio collegii Canonicorum Lubecenſis. ex Diplomatario Lubecenſi *apud* LVNIG Spicileg. Eccleſ. T. II. p. 291.

No. LII.

Onus expeditionis Langobardicae ab Hermanno Hildenſemenſi Epiſcopo pecunia redemtum. ex Mſcto authentico.

No. LIII.

Litterae Hermanni Epiſcopi Hildenſemenſis de aedificatione Capellae in Hementhorp & dotatione ipſius. ex Mſcto authentico.

No. LIV.

Miſſiua Congregationis Seguſienſis Coenobii ad Epiſcopum & Capitulum Hil-

Digitized by Google

denſemenſis Eccleſiae de Hermanno Epiſcopo Seguſii defuncto & ſepulto & de miraculis eius. ex Mſcto authentico.

No. LV.

Fridericus I. Imperator. Abbatiam Nienburgenſem ad Bodam Wichmanno Archi Epiſcopo Magdeburgenſi Teſte Henrico Leone ſubiicit. ex BECMANN. Hiſtor. Anhalt. P. III. p. 436.

No. LVI.

Friderici I. Imperatoris bonorum permutatio auctoritate Ducis Welſi & Henrici Bauariae & Saxoniae Ducis cum Archi Epiſcopo Magdeburgenſi Wichmanno ſuſcepta. ex BECMANN. l. c.

No. LVII.

Conradus Epiſcopus repetit, quae Laica manus perficere ex ſua opinione non potuit. ex Diplomatario Lubecenſi *apud* LVNIG Spicil. Eccleſ. T. II. p. 292.

No. LVIII.

Idem Conradus Canonicis ſuis confert Eccleſiam S. Petri & Pauli in Lubecke. indidem p. 293.

No. LIX.

Henricus Leo Eccleſiae Mindenſi cum in ea Mathildem Anglicanam ſibi ſubarrharet donat Curiam Lothe conſentiente prioris thori filia & herede Gertrude Friderici Ducis vidua. ex tabulario Canonicorum Pontificalis Eccleſiae Mindenſis, *vbi* autographum & vetus apographum *in membranis.*

No. LX.

Henricus Leo Monaſterium Reinhuſen in tutelam ſuſcipit, eique bona ſua & priuilegia confirmat. ex diplomatar. Reinhuſenſi Mſcto.

No. LXI.

Henrici Leonis fundatio & dotatio Suerinenſis Eccleſiae. ex MADERI Antiquit. Brunſuicenſ. p. 234.

No. LXII.

Henricus Leo conſentiente Coniuge Mathilde & filia Gertrude quamdam bonorum permutationem ſuſcipit. ex diplomat. Northeimenſ. Mſct.

No. LXIII.

Henricus Leo in Slauia Epiſcopatus a ſe inſtitutos denuo confirmat & quid Sede vacante in vno quoque obſeruandum ſit praecipit. ex Diplomatar. Lubec. *apud* LVNIG l. c. T. II. p. 292.

No. LXIV.

Nomina Comitum, Nobilium & Miniſterialium Bauariae, qui Henrico Leoni in Curia ſolenni Mosburgenſi adſtiterunt, cum Monaſterio Admontenſi

Digitized by Google

tenſi traderetur praedium in Haucheim. ex HVND. Stemmatographia Bauar. T. I. p. 4.

No. LXV.

Henricus Leo in itinere Hieroſolymitano ex ſalina Reichenballenſi donationem facit ad Monaſterium S. Zenonis. ex HVNDII Metrop. Salisburg. T. III. p. 356.

No. LXVI.

Henrici Leonis Conſtitutio de tribus lampadibus Hieroſolymis ad ſepulchrum Chriſti iugiter arſuris. ex Autographo.

No. LXVII.

Donatio facta ad Sanctum ſepulchrum, media Denckendorffenſi Eccleſia ex BESOLDI Document. rediuiuis Monaſterior. Würtemb. T. I. p. 453.

No. LXVIII.

Amalricus Hieroſolymae Rex Piſanis portum Tyri liberum confirmat cum domibus in ciuitate. ex TRONCI Annal. Piſan. p. 117.

No. LXIX.

Eccleſiae S. Crucis in Hildenſem Henricus Leo donat partem de ligno Domini. ex autographo ſigillato.

No. LXX.

Abbas Wismarienſis accepti ab Henrico Leone ſanguinis dominici portionem Conuentui S. Aegidii in Brunſwich donat. ex RETHMEYERI Antiquit. Eccleſ. Brunſuic. P. II. p. 197.

No. LXXI.

Fridericus I. Imperator confirmat permutationem ſiluae ſitae ante Hartum iuxta riuum Goldbecke in Comitatu Henrici Leonis. ex KETTNERI Antiquit. Quedlinburg. p. 188.

No. LXXII.

Diploma Henrici Bauariae & Saxoniae Ducis, quo Monaſterio Cremiſanenſi in Auſtria ſuperiore maiorum ſuorum donationes confirmat, nouas ipſe addit. ex SIMONIS RETTENPACHERI Annal. Cremiſan. p. 163.

No. LXXIII.

Friderici I. Imperatoris confirmatio donationum a Welfis Monaſterio Cremiſanenſi factarum. Indidem p. 165.

No. LXXIV.

Bulla Alexandri III. Pontificis, qua Monaſterii Cremiſanenſis poſſeſſiones omnes & in his donata a Welfis recenſentur & confirmatur. Indidem p. 167.

No. LXXV.

Henrici Leonis repromiſſio de Aduocatia Inticenſi Alberto I. Friſingenſi Epiſcopo data, in qua mentio fit filii Henrici adoleſcentis, filii tunc, inquam, vnici. ex MEICHELBECK Hiſtor. Friſing. T. I. p. 371.

No. LXXVI.

Henricus Leo confirmat donationem Ludolfi de Peina Monaſterio Aegidiano apud Brunſuicenſes factam. ex autographo eius Monaſterii ſigillato.

No. LXXVII.

Henrici Leonis fundatio & dotatio Sacelli S. Iohannis Euangeliſtae ad Lubecam. ex veteri diplomatario.

No. LXXVIII.

Albertus Comes Palatinus Saxoniae Mariaeuallenſi Monaſterio, in quo pater eius Fridericus ſepultus iacet, omnes eius & ſuas donationes confirmat. ex autographo ſigillato.

No. LXXIX.

Fridericus Palatinus Comes Saxoniae Monaſterii Vallis Mariae prope Helmſtadium Conditor. ex autographo.

No. LXXX.

Adrianus Pontifex Monaſterio Vallis Mariae a Friderico Palatino Comite condito, eiusque Coniuge Lucarde & filio Alberto vberius dotato omnia iura & bona confirmat. ex autographo.

No. LXXXI.

Conradus ante Salisburgenſis, nunc Moguntinus Archi Epiſcopus, memoriae prodit, quomodo lis quaedam fratri Ottoni de Wittelsbach, qui tum Comes Palatinus, poſtea Bauariae Dux fuit, definienda commiſſa, deciſa fuerit ex Dn. IOANNIS Scriptor. Rer. Mogunt. T. II. p. 467.

No. LXXXII.

Philippus Colonienſis Archi Epiſcopus ad defenſionem noui Ducatus in Weſtphalia Caſtrum aedificat, idque pro dimidia parte Wittekindo de Swalenberg in feudum confert. ex illuſtris Dn. GRVPEN Orig. Pyrmont. & Swalenbergicis. p. 19.

No. LXXXIII. (a)

Sifridi Herſfeldenſis Abbatis conuentio cum Bernhardo Duce Saxoniae & Comite in Aſchersleue de iuribus Aduocatiae in villa Scawize. ex BECMANN. Hiſtor. Anhalt. P. III. p. 440.

No. LXXXIII. (b)

Bernhardi Saxoniae Ducis & Comitis in Aſchersleue inſtrumentum de eadem re. Indidem p. 441.

No. LXXXIII. (c)

Bernhardus Dux Saxoniae & Comes de Aſchersleue Monaſterio Kolbicenſi ſalis aram apud Stasfurt ex hereditate ſua donat. Indidem p. 470.

No. LXXXIV.

Renuntiationem bonorum pro Marienthalenſibus coram praefecto & Scabinis factam confirmat Comes Bernhardus de Aſchersleue. ex autographo ſigillato.

No. LXXXV.

Digitized by

No. LXXXV.

Fridericus I. Imperator translationem pontis, telonii & monetae Veringa Monachium reſcindit. ex MEICHELBEC. Hiſtor. Friſing. T. I. p. 365.

No. LXXXVI.

Fridericus I. Imperator Caſtrum Homburg, feudum Henrici Leonis, Eccleſiae Hildenſemenſi adiudicat, aſſidente Bernhardo Weſtphaliae & Angariae Duce. ex authentico Mſct.

No. LXXXVII.

Caſtrum Homburg Adelogus Hildeneſemenſis Epiſcopus partim Ludolfo de Daſſele & partim Bodoni de Homburg in feudum confert. ex authentico Mſct.

No. LXXXVIII.

Caſtrum & Burgum Stadii Fridericus I. Imperator proſcripto Henrico Leone Sifrido Archi Epiſcopo & Eccleſiae Bremenſi donat. ex LINDENBROG. Scriptor. Septentr. p. 168.

No. LXXXIX.

Philippus Colonienſis Archi Epiſcopus Corbeienſes Coenobitas a telonio vini Nuſſienſi liberat, reſarciendi damni cauſſa ab exercitu ſuo in bello Saxonico Corbeienſibus dati. ex SCHATENII Annal. Paderborn. T. I. p. 853.

No. XC.

Wittekindi Abbatis Corbeienſis iudicium de illa compenſatione ex epiſtola ad Abbatem veteris Corbeiae in Gallia ſcripta. ex vetuſto Chartulario.

No. XCI.

Henrico Comite de Arnsberg Philippus Colonienſis Archi Epiſcopus promittit primum feudum in Weſtphalia vacaturum. ex vetuſto Chartulario.

No. XCII.

Adelogus Hildenſemenſis Epiſcopus in fundo Henrici Leonis ſacellum in villa Oberge conſtructum confirmat. ex Tabulario communi Brunſuic.

No. XCIII.

Diploma filiarum Comitis Conradi de Waſſele, qua ſiluam penes Helmſtadium & manſum in Liſpenroth partim vendunt, partim pro anima tradunt Monaſterio Montis S. Mariae. ex autographo eius Monaſterii ſigillato.

No. XCIV.

Henrici Leonis bonorum commutatio cum Monaſterio Riddagshuſano. ex Tabulario communi Brunſuicenſi.

No. XCV.

Marquardus Abbas Fuldenſis commutationem Edelgeri de Ileſeld cum Walckenrieden-

ckenriedenſibus initam ratam habet. ex SCHANNAT Tract. de Clientel. Fuldenſ. Beneſic. inter Probat. p. 202.

No. XCVI.

Teſte Edelgero Comite de Honſtein Bertholdus Epiſcopus Nuenburgenſis confirmat Walckenriedenſibus bona a Praepoſito ſuo ipſis vendita. ex anthentico Mſct.

No. XCVII.

Coeleſtini III. Pontificis priuilegium pro Henrico Leone & filiis eius, ne qua excommunicari poſſint niſi a ſummo Pontifice vel Legato eius a Latere. ex autographo.

No. XCVIII.

Eiusdem Bulla pro fratribus Vallis S. Mariae apud Helmſtadium. ex autographo.

No. XCIX.

Compoſitio inter Henricum VI. Imperatorem & Richardum Angliae Regem, vi cuius Rex ſoluta ſtipulata pecunia, cuius ſumma diminuitur, ſi Henrico Leoni quies ſuadetur, e carcere dimittitur. ex RYMERI Act. Anglic. T. I. p. 84.

No. C.

Richardus Angliae Rex Cantuarienſi Archi Epiſcopo ſignificat Spirae ſe Regem Prouinciae coronatum iri. ex RYMER. l. c. p. 83.

No. CI.

Henricus VI. Imperator Angliae Magnatibus ſignificat Regis Richardi liberationem & inſtantem coronationem de Regno Prouinciae. Ibid. p. 84.

No. CII.

Philippus Auguſtus Galliarum Rex Ingeburgi, nouae nuptae, dotalitium conſtituit. ex BALVZ. Miſcell. T. VII. p. 245.

No. CIII.

Ingeburgis Reginae Francorum epiſtola ad Coeleſtinum III. Pontificem. ex BALVZ. l.c. T.I. p. 422.

No. CIV.

Forma, in qua conſulit Dominus Papa (Innocentius III.) de diuortio celebrando ex BALVZ. T. VII. p. 245.

No. CV.

Rex Philippus Landgrauio Thuringiae promittit ſe filiam eius ducturum, ſi eum apud Pontificem a Regina Ingeburge liberare poſſet. Indidem.

No. CVI.

Henrici VI. Imperatoris confirmatio priuilegiorum Brixienſis Monaſterii ad

Leones

Digitized by

Leones raris teſtibus munita, & in his Henrico Henrici Saxoniae Ducis filio ex MVRATOR. Antiquit. Ital. T. I. p. 843.

No. CVII.

Henricus Leo vna cum filio primogenito Henrico Walckenredenſibus proprietatem bonorum dat a vaſallis ſuis eius venditorum. ex authentico Mſct.

No. CVIII.

Conuentio inter Philippum Regem Franciae & Richardum Regem Angliae Meſſanae facta & a Comite Pertici firmata. ex RYMERI Act. Anglic. T. I. p. 69.

No. CIX.

Richardus Rex Angliae Coniugi Berengariae dotalitium conſtituit, teſte Gaufrido de Pertico. ex MARTEN. Collect. Ampliſſ. T. I. p. 995.

No. CX.

Conuentio inter Philippum Regem Franciae & Iohannem fratrem Richardi Regis Angliae, qua inter caetera Comiti de Pertico proſpectum. ex RYMER. Act. Anglic. T. I. p. 85.

No. CXI.

Formula pacis inter Iohannem Angliae & Philippum Franciae Reges ſignata inter alios a Gaufrido Comite Pertici. Indidem p. 117.

No. CXII.

Atteſtatio Mathildis Comitiſſae Pertici ex DVCHESNII *egregio Opere Gallico* Hiſtoire Genealogique des Maiſons de Guines, d'Ardres, de Gand & de Coucy *inſcripto.* L. VI. Inſtrum. p. 356.

No. CXIII.

Engelrannus Comes de Couciaco & Perticenſis, aſſenſu Coniugis Comitiſſae de Pertico, Thenolienſi Eccleſiae dimittit omnem terram arabilem in ſarto de Chans. Indidem.

No. CXIV.

Thomas Comes Pertici declarat quibus caſibus milites ſui tallias ſibi debeant. ex MARTEN. Collect. Ampliſſ. T. I. p. 1117.

No. CXV.

Engelrannus Comes aſſenſu Coniugis Mathildis Comitiſſae de Pertico hominibus de Fara ſtatuta confirmat. ex DVCHESNE l. c. p. 359.

No. CXVI.

Mathildi Comiti Perticenſi, Regio ſanguine procreatae, ipſius iuſſu praeclaram vitae formam praeſcribit Adamus, Perſenniae Abbas. ex MARTEN. Theſ. Anecdot. T. I. p. 677. ſq.

No. CXVII.

Conuentio inter Philippum Franciae Regem & Inguerrandum de Couciaco. ex DVCHESNE l. c. p. 360.

No. CXVIII.

No. CXVIII.

Herueus Comes Niuernenſis Philippo Regi Franciae ſpondet, ſe ſine conſenſu Regio filiam inter alios Inguerrano de Couciaco non daturum. ex MARTEN. Collect. Ampliſſ. T. I. p. 1127.

No. CXIX.

Borwini Principis Venedorum fundatio vrbis Roſtochienſis. ex Dn. WESTPHAL. Document. Mecklenb. N. II. p. 10. ſq.

No. CXX.

Rogatu Conradi Comitis Palatini de Rheno Abbas Lauriſheimenſis Monachis Schoenaugienſibus loca quaedam ſaltuoſa & inculta in Virnheim excolenda dimittit. ex Diplomatario Schoenaugienſi. *in Perilluſtris Dn.* GVDENII Sylloge I. varior. diplom. & monument. veterum. pag. 19.

No. CXXI.

Conradus Comes Palatinus de Rheno Fratribus Schonaugienſibus confirmat, quae a Comitibus de Lauffen ſibi comparauerant. Indidem p. 32.

No. CXXII.

Conradus Comes Palatinus de Rheno & Abbas Lauriſheimenſis titulos acquiſitionis grangiarum in Scharra, Marpach & Nuenheim edunt, easque Schonaugienſibus confirmant. Indidem p. 33.

No. CXXIII.

Iidem profitentur iura & libertatem curtis ad Nuenheim Schonaugienſis. Indidem p. 38.

No. CXXIV.

Conradi Palatini Coniugem Irmentrudim & filiam Agnetem Philippus Colonienſis Archi Epiſcopus inueſtit de Caſtro Staleke & de Aduocatia Bacharacenſi quoad earum alterutra vixerit. ex FREHER. Orig. Palat. T. I. p. 92.

No. CXXV.

Conradus Comes Palatinus Rheni Monaſterium Rauengerburgenſe, in regione Simmerenſi ſitum, in tutelam ſuſcipit. ibid. p. 91.

No. CXXVI.

Henricus VI. Imperator confirmat donationem Mokernik & Scholene, factam per Ottonem & Albertum Marchiones Brandenburgicos Eccleſiae Magdeburgenſi ſubſcriptore Henrico Duce de Brunſwick. ex diplomatario Magdeburgenſi Mſct.

No. CXXVII.

Henricus Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni praedii in Opphaue donationem Monaſterio Schonaugienſi a ſocero Conrado & ſocru Hirmentrude factam ſuo & coniugis Agnetis nomine confirmat, & aliam Liutgardis, germanae

Digitized by Google

germanae ſocrus ſuae, donationem vna ratam habet. ex Diplomat. Schonaugienſi *in Perilluſtris Dn.* GVDENII Sylloge diplom. pag. 48.

No. CXXVIII.

Henricus Dux Saxoniae & Palatinus Rheni venditionem trium manſorum in Bruneſwich in veteri vico Canonicis S. Blaſii factam confirmat. ex autographo.

No. CXXIX.

Idem approbat venditionem quinque manſorum in Offeleue a Riddagesbuſenſibus emtorum. ex autographo.

No. CXXX.

Idem donationem molendini Scheningenſis B. Laurentio factam confirmat. ex authentico Mſct.

No. CXXXI.

Inuentarium omnium bonorum Capituli S. Cyriaci ſigillatum per Ducem Henricum Comitem Palatinum Rheni. ex veteri membrana authentica.

No. CXXXII.

Henrico Palatino Ratmarus Luccenſis Abbas dimittit domum in Watlege, recipiens duos manſus in Vrilethe & Lothe. ex autographo.

No. CXXXIII.

Henricus Palatinus Luccenſibus confert duos manſos in Vrilethe & Lothe ſitos. ex authentico Mſct.

No. CXXXIV.

Idem Luccenſibus confirmat donationem ab Vlrico de Bothmare factam. ex authentico Mſct.

No. CXXXV.

Idem cum conſenſu heredum & fratrum ſuorum acceptis a Fratribus Vallis S. Mariae LXXX. marcis argenti in ſubſidium peregrinationis ſuae tradit villam Conſtorp. ex autographo.

No. CXXXVI.

Henrici Ducis & Comitis Palatini ad Rhenum conſtitutio de iuribus Aduocati Eccleſiae S. Blaſii Brunſuicenſis. ex RETHMEIERI Antiquit. Eccleſiaſt. Brunſuic. T. I. Inſtrum. p. 57.

No. CXXXVII.

Henricus Dux Saxoniae & Palatinus Rheni ad expeditionem in Terram Sanctam accinctus, Eccleſiam S. Pauli in Halberſtad in tutelam ſe ſuſcepiſſe profitetur. ex veteri Diplom. Mſct.

No. CXXXVIII.

Idem in opus peregrinationis ſuae Comitibus Spanheimenſibus oppignorat Comitiam in Meineſeld & duas villas. ex FREHERI Orig. Palat. T. I. p. 93.

Digitized by Google

No. CXXXIX.

Memoriale reſignationis Aduocatiae Eccleſiae Treuirenſis ab Henrico Palatino Comite Rheni Iohanni Archi Epiſcopo Treuirenſi factae. ex BROWERI Annal. Treuirenſib. T. II. p. 95. ſq. & TOLNERI Cod. Diplom. Palat. p. 59. & *plenius* KYRIANDRI Annal. Treuirenſ. p. 162. ſq.

No. CXL.

Henricus Dux Saxoniae Comes Palatinus Rheni Fratribus in Riddagesbuſen confert molendinum in Offeleue pro duobus manſis & dimidio in Algoteſtorp. ex autographo.

No. CXLI.

Philippus Rex Comitatum Stadenſem & quae Comitum Stadenſium fuerant, Eccleſiae Bremenſi confirmat. ex LEIBNIT. Scriptor. Brunſuic. T. II. p. 271. & LINDENBROG. Script. Septentr. p. 170.

No. CXLII.

Henricus Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni confirmat permutationem bonorum inter Walckenredenſes & Miniſterialem ſuum Herwicum de Scowen ſuſceptam. ex authentico. Mſct.

No. CXLIII.

Idem commutationem bonorum Fratrum Riddagesbuſenſium cum Aduocatis Brunſuicenſibus confirmat. ex autographo.

No. CXLIV.

Ottonis IV. Imperatoris Inſtrumentum ſuper portione fratris Henrici Ducis Saxoniae, ſigillatum quoque a Guilielmo fratre. ex autographo.

No. CXLV.

Henrici Ducis Saxoniae & Comitis Palatini Rheni Inſtrumentum ſuper portione Ottonis IV. Imperatoris, ſigillatum quoque a Guilielmo fratre. ex autographo.

No. CXLVI.

Henricus Palatinus ratam habet emtionem praedii in Iercksheim, quod Mariaebergenſis Eccleſia ad Helmſtadium ſibi comparauit. ex autographo.

No. CXLVII.

Idem fratri ſuo Ottoni Regi Iordanem, filium Iordanis dapiferi ſui, in Miniſterialem donat. ex autographo.

No. CXLVIII.

Philippus Rex Walckenriedenſibus Monachis Caeſarea priuilegia confirmat, ſubſcriptore Henrico Duce Saxoniae. ex autographo.

No. CXLIX.

Henricus Palatinus pro anima vxoris Agnetis Fratribus Riddagesbuſenſibus donat ſiluam Hertogenloh. ex autographo.

No. CL.

Digitized by Google

No. CL.

Philippus Rex Adolfo Colonienſi Archi Epiſcopo confirmat poſſeſſionem Ducatus Weſtphaliae & Angariae ab Ottone Rege dimiſſam. ex GELENII Comment. hiſtor. ad vitam S. Engelberti p. 32.

No. CLI.

Idem eidem Archi Epiſcopo praedium Salfeld donat ante ab Ottone Rege donatum. ex GELEN. l. c. p. 31.

No. CLII.

Henricus Palatinus filiae Schonaugienſis Monaſterii, Bebenhuſen a vaſallis & Miniſterialibus ſuis donationes fieri permittit. ex BESOLDI Document. Wurtemberg. p. 371.

No. CLIII.

Iohannis Angliae Regis epiſtola ad diuerſos Germaniae Principes ſcripta pro Ottone Rege. ex RYMERI Actis Anglic. T. I. p. 153.

No. CLIV.

Iohannes Rex Angliae Henrico Palatino ſoluit penſionem annuam mille marcarum. Ibid. p. 154.

No. CLV.

Idem Conradum de Wilre Regis Ottonis Seneſchallum in tutelam ſuſcipit, bonaque eius omnia ab omni onere libera eſſe iubet & immunia. Ibid. l. c.

No. CLVI.

Otto Rex Magdeburgenſi Archi Epiſcopo dimittit ius ſpolii cum caeteris fere omnibus imperialibus iuribus. ex Diplomatar. Magdeburg. Mſct.

No. CLVII.

Fragmentum poëmatis rhytmis Germanicis & Latinis commixtis compoſitum cum verſione Eccardiana, e quo elicitur Ottonem IV. Imperatorem dum pro corona Romana indipiſcenda A. 1209. *in Italiam abiret, Henrico Palatino fratri & Henrico Brabantiae Duci curam Imperii vicariam commiſiſſe.* ex ECCARDI veterum monumentorum quaternione. p. 50.

No. CLVIII.

Colonienſis Archi Epiſcopus Henrico Palatino & nonnullis aliis pro praeſtitis Hildenſemenſi Epiſcopo auxiliis gratias agit, eumque tamquam virum Caeſari & Papae gratum porro commendat. ex veteri Codic. Moguntin.

No. CLIX.

Vltima voluntas Ludolfi Canonici S. Crucis Hildenſemenſis Hieroſolymas petituri, firmatum Sigillo Domini eius Henrici Ducis. ex SCHANNAT. vindem. litter. Collect. I. p. 189.

No. CLX.

Henricus Dux Saxoniae Comes Palatinus Rheni Schonaugienſium iura in Scharra ſalua eſſe cupit. ex Diplomat. Schonaugienſ. *apud Perilluſtr. Dn.* GVDENVM l. c. p. 80.

No. CLXI. (a)

Suaſu Henrici Ducis in die deſponſationis eius Gerhardus de Schowenburg renunciat praetenſo iuri aduocatiae curiae Nuenheim in gratiam Schonaugienſium Monachorum. Indidem p. 82.

No. CLXI. (b)

Mathildis, filia Henrici I. Brabantiae Ducis, vxor Florentii Comitis Hollandiae, pro anima mariti & patris eius Comitis Wilhelmi, matrisque Adelheidis, nec non parentum ſuorum Monaſterio Losdunenſi campum quendam donat. ex MATTHAEI Analect. T. VI. p. 438.

No. CLXI. (c)

Eadem pro anima mariti & liberorum, praeſertim Wilhelmi Regis, ſacello in arena Comitis donat terram iuxta Hekendenen. Indidem p. 497.

No. CLXII.

Henricus Iunior Dux Saxoniae, Palatinus Rheni, confirmat Schonaugienſibus Curiam in Virnheim. ex Diplom. Schonaug. l. c. p. 83.

No. CLXIII.

Henricus Palatinus ratam habet donationem a fratre Ottone Imperatore pro fundanda Eccleſia in Scheuerlingburg factam. ex RETHMEYERI Antiquit. Eccleſ. Brunſuic. T. I. Inſtrum. p. 58.

No. CLXIV.

Conuentio qua Wilhelmus Hollandiae Comes ſtipendiarium ſe facit Iohanni Regi Angliae, ſubſcriptore Henrico Comite Palatino Rheni. ex RYMER. Act. Anglic. T. I. p. 168.

No. CLXV.

Henricus Palatinus Monaſterio in Ouernkirchen confert bona in villa Outhirſen a Reinardo de Fornholt comparata. ex diplomat. Ouernkirch.

No. CLXVI.

Repetita eiusdem donationis confirmatio. Indidem.

No. CLXVII.

Ludouicus Bauarus, qua Comes Palatinus Rheni, conſentiente ſponſa filii ſui Agnete, Schonaugienſibus dat piſcationem in Ophouia. ex Diplomat. Schonaug. l. c. p. 85.

No. CLXVIII.

Idem vnacum filio Palatinatum ad Rhenum adeptus ad exemplum deceſſorum Conradi & Henrici Palatinorum libertati curtis in Scharra proſpicit. Indidem p. 96.

No. CLXIX.

Digitized by Google

No. CLXIX.

Ludouico Bauariae Duci & Comiti Palatino Rheni Fridericus II. concedit ius metallorum Regale. ex FREHER. Orig. Palat. P. II. c. 17.

No. CLXX.

Heinricus Wormacienſis Epiſcopus Caſtrum in Heidelberg cum burgo ipſius Caſtri & Comitiam Stalbuhel in feudum confert Ludouico Bauariae Duci Comiti Palatino Rheni, eiusque & Dominae Agnetis, vxoris filii eius, ſucceſſoribus, qui per maſculinum ſexum deſcendunt. ex FREHER. l. c. P. I. c. 10.

No. CLXXI.

Conſenſus Capituli. Indidem.

No. CLXXII.

Ottonis generi Henrici Senioris confirmatio libertatis curtis in Scharra. ex Diplomat. Schonaug. p. 161.

No. CLXXIII.

Henricus Rex Aduocatiam ſuperiorem in Scharren & Virnheim ab Eccleſia Lauriſheimenſi poſt tres Palatinos, Conradum, Henricum patrem & Henricum filium, in beneficium adeptus, grangiis Schonaugienſibus eamdem libertatem promittit, quam ſub tribus iſtis Palatinis habuerant. Indidem p. 164.

No. CLXXIV.

Gener Henrici Palatini Otto Bauarus, vna cum Coniuge Agnete & filio Ludouico ius Patronatus Eccleſiae in Scharren Monachis Schonaugienſibus donat. Ibid. p. 212.

No. CLXXV.

Henricus Comes Palatinus Rheni fratris Ottonis Imperatoris vltimae voluntati ſatisfacturus bona Scheuerlingborgenſi Eccleſiae ante deſtinata Eccleſiae S. Blaſii in Brunſuich attribuit. ex autographo.

No. CLXXVI.

Sifridus Hildenſemenſis Epiſcopus Eccleſiae S. Blaſii Brunſuicenſi confirmat bona Scheuerlingborgenſia ex teſtamento Ottonis Imperatoris ei collata. ex autographo.

No. CLXXVII.

Henricus Comes Palatinus Rheni Comitiam Stadenſem Eccleſiae Bremenſi reſignatam ad dies vitae ſibi reſeruat. ex aſſertione libertatis Bremenſ. p. 786.

No. CLXXVIII.

Fridericus II. Eccleſiae Bremenſi confirmat Stadenſe patrimonium Henrico Palatino extortum. ex LINDENBROG. Script. Septentr. pag. 172.

No. CLXXIX.

Henrici Palatini transactio cum Archi Epiſcopo Magdeburgico. ex autographo.

No. CLXXX.

Fridericus II. Goslariae in Procerum conuentu huius vrbis ius municipale conſtituit. ex HEINECCII Antiquit. Goslarienſ. p. 218.

No. CLXXXI.

Henricus Dux Saxoniae Comes Palatinus Rheni, qua Vicarius Regis Friderici II. confirmat donationem ampliſſimam Verdenſi Eccleſiae factam. ex autographo.

No. CLXXXII.

Coram Henrico de Hoia, Henrico de Aldenburg & Ludolfo de Borchuſen in iudicio ex conuentione Brunſuicenſi patrimonium Henrici de Weſten a filiabus eius Iſoni Epiſcopo & Eccleſiae Verdenſi traditum eſt. ex autographo trium Comitum Sigillis munito.

No. CLXXXIII.

Henricus Dux Saxoniae Comes Palatinus Rheni & Sacri Imperii Legatus confirmat matris ſuae Dn. Mathildis, Anglorum Regis filiae, donationem Eccleſiae in Derſem, quam illa, conſentiente marito Henrico, ad Altare S. Mariae in choro Eccleſiae S. Blaſii Brunſuicenſis fecerat. ex autographo.

No. CLXXXIV.

Alberto & Iohanni Brunſuicenſium & Luneburgenſium Ducibus Vlricus & Albertus Comites de Regenſtein dimittunt oppidum Schwanebeck in dioeceſi Halberſtadienſi & Aduocatiam Eccleſiae in Derſem. ex autographo.

No. CLXXXV.

Henricus Dux Saxoniae Comes Palatinus Rheni auctoritate Regia & ſua donationem Schinnenſem confirmat. ex Diplomatario Schinnenſi.

No. CLXXXVI. (a)

Conradum II. Hildesheimenſem Epiſcopum Germaniae Praeſulibus commendat Honorius III. Papa. ex Diplomat. Hildeshem. Mſct.

No. CLXXXVI. (b)

Conradus electus Epiſcopus Hildesheimenſis a Papa confirmatur. Indidem.

No. CLXXXVII.

Henricus Rex patri Friderico II. Imperatori ſignificat ſe ſuadentibus Principibus, inprimis Henrico Duce Saxoniae, Conrado Hildenſemenſi Epiſcopo Regalia contuliſſe. ex SCHANNAT. Vindem. litter. Collect. I. p. 197.

No. CLXXXVIII.

Plurium Epiſcoporum reſcriptum ad Miniſteriales Hildenſemenſis Eccleſiae Conrado electo Epiſcopo refragantes. ex Diplomat. Hildenſem. Mſct.

No. CLXXXIX.

Digitized by

No. CLXXXIX.

Honorii III. Pontificis reſcriptum ad Miniſteriales Hildenſemenſis Eccleſiae in cauſſa Conradi electi Epiſcopi. Indidem.

No. CXC.

Henricus Rex Henricum Ducem rogat, vt Miniſteriales Eccleſiae Hildenſemenſis Conradum Epiſcopum repudiantes in viam reducat. Indidem.

No. CXCI.

Ipſa ciuitas Hildenſemenſis Conrado Epiſcopo aduerſatur. Indidem.

No. CXCII.

Catalogus eorum, qui Conradi II. Hildenſemenſis Epiſcopi cauſſa excommunicati fuerunt. Indidem.

No. CXCIII.

Friderici II. Imperatoris publicatio ſententiae Imperialis, quod nemo officiatorum ſine conſenſu Principis ſubſtituere poſſit ſubofficiatum. Indidem.

No. CXCIV.

Henrici Regis reſcriptum ad Henricum Ducem Saxoniae & Albertum Ducem Angariae de pace ſeruanda. *ex* veteri Codice Moguntino.

No. CXCV.

Reſcriptum Friderici II. Imperatoris ad Hildeboldum Comitem de Limbere. *ex* Diplom. Hildesh. Mſct.

No. CXCVI.

Excerptum Reſcripti Caeſarei, quo plures Saxoniae nobiles inter ſe belligerantes Henrico Palatino, cui Caeſar partes ſuas demandaſſet, parere iubentur, alioquin ab eo armis compeſcendi. Indidem.

No. CXCVII.

Henrico Saxoniae Duci Fridericus II. Imperator mandat, vt Conradum Hildenſemenſem Epiſcopum tueatur, & inuaſores eius proſcribat. *ex* SCHANNAT. Vindem. litter. Collect. I. p. 197.

No. CXCVIII.

Hermannus Comes de Woldenberg omnes Miniſteriales Hildenſemenſis Eccleſiae teſtes inuocat rigoris, quem in ſe & Euerſteinios exerceret Conradus Epiſcopus. *ex* Diplom. Hildesh. Mſct.

No. CXCIX.

Defuncto Henrico Duce, Imperatoris per Saxoniam Vicario, Conradus Hildenſemenſis Epiſcopus componit bellum inter Comites de Euerſtein & filios Bodonis de Homborch ob huius caedem geſtum. *ex* eod.

No. CC.

Henricus Dux Saxoniae Comes Palatinus Rheni confirmat Nendorpienſibus bona emta a B. de Vornholte cum conſenſu Adolfi Comitis Schauenburgici. *ex* autographo.

No. CCI.

Digitized by Google

No. CCI.

Idem conſirmat Reinardi de Vorenbolte traditionem bonorum ſuorum in Rethdorpe cum filia Eccleſiae Nendorpienſi factam. ex autographo.

No. CCII.

Henricus Palatinus Henrico III. Angliae Regi per Procancellarium ardua quaedam & ſecreta negotia toti domui proficua inſinuat. ex RYMER. Act. Anglic. T. I. p. 900.

No. CCIII.

Idem Riddagesbuſenſibus confirmat tres manſos a Marſcalco ſuo datos, cui ipſe vnum addit. ex autographo.

No. CCIV.

Idem in Eccleſia S. Blaſii nouum Altare fundat. ex autographo.

No. CCV.

Idem Fredeslöënſi Coenobio confirmat dimidium manſum in Hollenſtad ipſi donatum. ex autographo.

No. CCVI.

Idem Eccleſiae S. Blaſii confirmat hortum in Renneberge & manſum in Sampleue donatum. ex autographo.

No. CCVII.

Idem Marienbergenſibus Virginibus donat villam deſertam Bêmesdorſ. ex autographo.

No. CCVIII.

Idem ratum habet contractum quo Praepoſitus de Eimbecke vendit Abbati de Lapide S. Michaëlis bona longe diſſita pro comparandis vicinioribus. ex autographo.

No. CCIX.

Idem proprietatem bonorum in Linsburg a Vaſallo refutatam donat Eccleſiae in Neudorf Hoyenſi. ex autographo.

No. CCX.

Idem Monaſterio Schinnenſi donat bona ſua in Waltwidele. ex Diplomatar. Schinnenſ.

No. CCXI.

Henrici Palatini donatio Eccleſiae Walckenriedenſi facta. ex copia vidimata A. 1421. in membrana maxima.

No. CCXII.

Ottonis Pueri confirmatio donationis a patruo Henrico Duce Monaſterio Walckenriedenſi factae. ex eadem membrana.

No. CCXIII.

Henricus Rex, Friderici II. Imperatoris filius, donationem ab Henrico Palatino

tino, quem conſanguineum & Ducem Saxoniae vocat, Monaſterio Walkenriedenſi factam, pro ſua portione, quam pater a Marchione Badenſi eiusque coniuge emit, confirmat. ex eadem membrana.

No. CCXIV.

Agnes Duciſſa Bauariae, Henrici Palatini filia, cum marito Ottone confirmat donationem a patre Monaſterio Walkenriedenſi factam. ex ead. membrana.

No. CCXV.

Albertus Dux iuuenis confirmat patris & patrui donationem Monaſterio Walckenriedenſi factam. ex ead. membrana.

No. CCXVI.

Alberti Magni amplior confirmatio doni paterni patruique Monaſterio Walckenriedenſi facta. ex ead. membr.

No. CCXVII.

Alberti Pinguis confirmatio donationis & renuntiatio iurium ſuorum in Curiam Immedhuſen pro Monaſterio Walckenriedenſi. ex ead. membr.

No. CCXVIII.

Henricus Palatinus conſentit vt Marienbergenſes tres manſos in villa Sellen a Praepoſito Eimbeccenſi comparent. ex autographo.

No. CCXIX.

Henrici Palatini commutatio bonorum cum Abbate Vallis S. Mariae. ex autographo.

No. CCXX.

Henricus Palatinus ratam habet emtionem quorumdam manſorum in Wolfishagen, quos Abbas S. Aegidii ſibi comparauerat. ex autographo.

No. CCXXI.

Idem Eccleſiae S. Cyriaci in Brunſuic Aduocatiam in Bennendorp ſibi reſignatam confert, & Aduocatiam caeterorum eius bonorum eidem dimittit. ex autographo.

No. CCXXII.

Idem Poledenſibus Monachis confirmat bona ſua in villa Polede, quae ad ipſos peruenerunt. ex LEVCKFELD. Antiquit. Poled. p. 216.

No. CCXXIII.

Idem Coenobio de Lacu S. Mariae confert bona in Vrilede & Bodendorf, quae Iuſtacius de Slon ante in feodo habuit. ex autographo.

No. CCXXIV.

Idem Eccleſiae in Vornhagen tradit duas Curtes & tres manſos in Vrilede. ex autographo.

No. CCXXV.

Matrimonii inter Ottonem, Ludouici Bauari filium, & Agnetem Palatinam,

quam Henricus III. Angliae Rex conſanguineam ſuam vocat, memoria in foedere tractato inter vtrumque. ex RYMERI Act. Angl. T. I. p. 292.

No. CCXXVI.

Agnetis Palatinae fundationem Winhuſenſem confirmat Conradus Hildenſemenſis Epiſcopus. ex autographo.

No. CCXXVII.

Agnes, fundatrix Winhuſenſis Monaſterii, vna cum Praepoſito Winhuſenſi Ioanni de Osbernshuſen & vxori eius pro beneficio collato anniuerſarium promittit. ex autographo.

No. CCXXVIII.

Otto Puer Agneti Palatinae ſatisfacit pro Caſtro Zelle. ex autographo.

No. CCXXIX.

Idem eidem pro decima Goslarienſium metallorum praeter multam pecuniam dat locum Iſenhagen. ex LEVCKFELD. Antiquit. Poledenſ. pag. 101.

No. CCXXX.

Otto Dux conſtructionem Monaſterii Ciſtercienſis Ordinis in Iſenhagen laudat. Indidem p. 104.

No. CCXXXI.

Agnes Duciſſa, vidua Henrici Palatini, locum Iſenhagen Abbati Riddageshuſenſi tradit ad Monaſterium Ciſtercienſis Ordinis ibidem exſtruendum. Indidem p. 103.

No. CCXXXII.

Otto Dux de Brunſuic amitae Agnetis teſtamentum confirmat, quo in Eccleſia Winhuſen anniuerſaria inſtituit, ſuum, mariti ſui, ſoceri Henrici Leonis, & ſocrus Mathildis Reginae, expreſſis reditibus huic vſui inſeruituris. ex autographo.

No. CCXXXIII.

Wilhelmi, vltimi Aquitaniae Ducis, Comitis Pictauienſis, confictum a Gallis teſtamentum. ex IOH. HAII Origin. Pictauienſ. p. 33. & Chronico Pictauienſi *apud* MARTEN. Collect. Ampliſſ. T. V. p. 1153.

No. CCXXXIV.

Ludouicus VII. ſeu Iunior, Franciae Rex, Dux Aquitanorum, liberas Eccleſiarum electiones eſſe iubet & iuri ſpolii nuntium mittit. ex IOH. BESLII Hiſtor. Pictau. p. 481.

No. CCXXXV.

Imago Henrici II. Angliae Regis, aui materni Ottonis Imperatoris. ex PETRI BLESENSIS epiſt. 66.

No. CCXXXVI.

Digitized by Google

No. CCXXXVI.

Deſcriptio virtutum & vitiorum Henrici II. Angliae Regis. ex RADVLFI COGESHALE Chronico Anglicano *apud* MARTEN. Collect. Ampliſſ. T. V. p. 814.

No. CCXXXVII.

Henricus II. Angliae Rex eiusque familia ab auctore coaeuo magnificis verbis deſcripta. ex Chronico Mſcto Comitum Andegauenſ. *apud* BESLIVM l. c. p. 493.

No. CLXXXVIII.

Geruaſii Tilberienſis deſcriptio familiae Henrici II. Angliae Regis. ex LEIBNITII Scriptor. Brunſuicenſ. T. I. p. 947.

No. CCXXXIX.

Gaſto Vice Comes Bearnenſis Monaſterio Siluae maioris donationes maiorum confirmat & auget Richardo Ducatum Aquitaniae obtinente. ex Gallia Chriſtiana. T. I. Inſtrum. p. 165.

No. CCXL.

Richardus Aquitaniae Dux Comes Pictauienſis Burdigalenſi Eccleſiae confirmat dona & priuilegia maiorum. Ibid. T. II. Inſtrum. p. 285.

No. CCXLI.

Richardus Rex Angliae confirmat Monaſterio Siluae maioris omnia anteceſſorum dona teſte Henrico filio Ducis Saxoniae. Ibid. T. I. p. 988.

No. CCXLII.

Confoederatio hereditaria inter Richardum Angliae Regem & Balduinum Comitem Flandriae contra Regem Franciae ſubſcriptore Ottone Comite Pictauienſi. ex RYMERI Actis Anglic. T. I. p. 94.

No. CCXLIII.

Ottonis Aquitaniae Ducis Charta, qua Monachis Sabluncellenſibus in dioeceſi Santonenſi deceſſorum ſuorum Pictauienſium Comitum donationes confirmat. ex Gallia Chriſtiana T. I. Inſtrum. p. 477.

No. CCXLIV.

Monumentum regnantis in Aquitania Ducis. Ibid. T. II. p. 856.

No. CCXLV.

Charta cuiusdam militis, qui fit Monachus apud S. Stephanum de Vallibus in dioeceſi Santonenſi Ottone Ducatum Aquitaniae feliciter gubernante. Ibid. T. II. Inſtrum. p. 463.

No. CCXLVI.

Otto Dux Aquitaniae electioni & conſecrationi Ademari Pictauienſis Epiſcopi refragatur. Ibid. T. II. p. 1181.

Digitized by Google

No. CCXLVII.

Wilhelmi Auſcienſis Archi Epiſcopi teſtimonium de Rogerio Oloronenſi Epiſcopo, falſi diplomatis fabricatore. Ibid. T. I. Inſtrum. p. 198.

No. CCXLVIII.

Henricus Comes Palatinus Rheni ſuo & fratrum Wilhelmi & Ottonis Comitis Pictauienſis nomine conſentit venditioni quinque quadrantium terrae in villa Woldesdorpe Friderico Bremenſi Praepoſito factae. ex authentico Mſct.

No. CCXLIX.

Wilhelmi domini Talemundenſis donatio ad Eccleſiam S. Mariae de Cancellata, hodie Fontenellas in dioeceſi Lucionenſi, facta regnante Ottone in Alemannia. ex Gallia Chriſtiana T. II. Inſtrum. p. 420.

No. CCL.

Philippus Franciae Rex Innocentio III. Pontifici cauſſas aperit quam ob rem Ottonem Regem odio habeat ductas e praefectura Pictauienſi. ex MARTEN. Collect. Ampliſſ. T. I. p. 1079.

No. CCLI.

Permutatio molendinorum Rotomagenſium cum villa Andeliaco inter Richardum Regem & Walterum Rotomagenſem Archi Epiſcopum, ſubſcripta a Regis fratre & Ottone Comite Pictauienſi. ex DVCHESNII Scriptor. Norman. p. 1052. & RYMERI Act. T. I. p. 96.

No. CCLII.

Otto Dux Aquitaniae Comes Pictauiae, hominibus Oleronenſibus magna priuilegia concedit ſubſcriptore ſororis marito Domino Gaufrido Comite Perticenſi. ex RYMER. l. c. p. 105.

No. CCLIII.

Alienora Regina iura Communiae firmat Oleronenſibus. Ibid. p. 111.

No. CCLIV.

Iohannes Rex Angliae Oleronenſibus dat iura Communiae. Ibid. p. 112.

No. CCLV.

Idem Rex poſt diſceſſum Ottonis Reginae matri Alienorae Pictauiam dimittit. Ibid. p. 113.

No. CCLVI.

Alienora Regina Angliae Abbatiae de gratia S. Mariae a Richardo filio fundatae confirmat donum, quod ei fecit Otto, nepos eius, tunc Dux Aquitaniae & Comes Pictauienſis. ex Gallia Chriſtiana Tom. II. Inſtrum. p. 389.

No. CCLVII.

Richardi Angliae Regis fundatoris priuilegium in compendium miſſum. Indidem p. 388.

No. CCLVIII.

Digitized by

No. CCLVIII.

Alienora Regina confirmat Eccleſiae Burdigalenſi priuilegia maiorum & poſſeſſiones ſuas. Indidem. p. 285.

No. CCLIX.

Charta Reginae Alienorae, per quam confirmat Communiae de Oleron libertates ſuas & conſuetudines antiquas. ex RYMER. Act. Anglic. T. I. p. 111.

No. CCLX.

Alienora Regina Oleronenſibus confirmat priuilegia abrogatis paucis conſuetudinibus ſub Henrico II. introductis. Ibid.

No. CCLXI.

Eadem Reginaldo de Mariniis in vrbe Pictauienſi furnum publicum concedit. ex BESLII Hiſtor. Comit. Pictau. p. 497.

No. CCLXII.

Iohannes Angliae Rex ſolui iubet reditus de Pictauia, quos Otto nepos ſuus aſſignauerat. ex RYMER. Actis Anglic. T. I. p. 140.

No. CCLXIII.

Otto Aquitaniae Dux Praeſulibus in Ducatu Aquitaniae conſtitutis mandat, vt canoniſationem S. Geraldi Abbatis in ſuis Eccleſiis promulgent. ex MARTENAEI Theſauro Anecdot. T. I. p. *666*.

No. CCLXIV.

Confoederatio Philippi Sueui cum Philippo Franciae Rege contra Ottonem Romanorum & Richardum Angliae Regem. ex RYMER. Act. Anglic. T. I. p. 107.

No. CCLXV.

Adolfi Colonienſis Archi Epiſcopi confoederatio cum Witekindo Abbate Corbeienſi ſcripta ipſo die coronationis Ottonis Regis. ex SCHATENII Annal. Paderborn. T. I. p. 916.

No. CCLXVI.

Otto Rex Adolfo Colonienſi Archi Epiſcopo allodium in Salefeld dimittit, Ducatum confirmat, & ius ſpolii dimittit. ex GELEN. Coment. hiſtor. de Vit. S. Engelberti. p. 25.

No. CCLXVII.

Idem Rex Witekindo Abbati Corbeienſi ius foreſti in Soligo concedit, & priuilegia confirmat. ex SCHATEN. Annal. Paderborn. T. I. p. 921.

No. CCLXVIII.

Idem Eccleſiae S. Iacobi in Erfurt feudum foreſti confirmat. ex FALKENSTEIN. Chron. Thuring. P. II. p. 1062.

Digitized by Google

No. CCLXIX.

Idem Coenobium Riddagesbuſen in tutelam ſuſcipit. *ex* MEIBOM. Script. T. III. p. 158.

No. CCLXX.

Idem ciues Brunſuicenſes in tutelam ſuſceptos ab omni exactione & telonio per vniuerſos Imperii fines liberos eſſe iubet. *ex* autographo.

No. CCLXXI.

Iohannes Angliae Rex Placentinis mercatoribus cauet de ſoluendis 2125. *marcis, quas Richardus Rex mutuo acceperat pro negotio Regis Ottonis in Curia Romana promouendo.* *ex* RYMER. Actis Anglic. T. I. p. 125.

No. CCLXXII.

Otto Rex Adolfo Colonienſi Archi Epiſcopo Ducatum Weſtphaliae & Angariae cum conſenſu Fratrum confirmat. *ex* GELEN. vit. S. Engelberti. p. 87.

No. CCLXXIII.

Pro Ottone Rege ſubleuando Iohannes Angliae Rex ſubſidium a Clero petit. *ex* RYMER. Act. Anglic. T. I. p. 130.

No. CCLXXIV.

Iohannis Regis Angliae confoederatio cum Ottone IV. Romanorum Rege. *ex* autographo.

No. CCLXXV.

Otto Rex componit litem inter Ducem Brabantiae & eius vaſallum Gelriae Comitem. *ex* MIRAEI Notit. Eccleſ. Belgic. p. 507.

No. CCLXXVI.

Alia conuentio inter eosdem. Indidem.

No. CCLXXVII.

Iohannes Angliae Rex ciuibus Colonienſibus gratias agit de fide Ottoni Regi praeſtita, liberum eis cum mercibus ſuis tranſitum in terris ſuis promittens. *ex* RYMER. Act. Angl. T. I. p. 133.

No. CCLXXVIII.

Otto Rex Iohannem Angliae Regem conſulit de induciis cum Philippo Sueuo propoſitis. Indidem.

No. CCLXXIX.

Otto Rex Riddagesbuſenſibus Fratribus cum conſenſu fratrum ſuorum donat octo manſus in Dalem. *ex* autographo.

No. CCLXXX.

Otto Rex Eccleſiae in Riddagesbuſen ſex manſos in Maſcerot cum ſilua Colebolt vendit cum conſenſu fratrum. *ex* MEIBOM. Scriptor. T. III. p. 159.

No. CCLXXXI.

Digitized by

No. CCLXXXI.

Eccleſia de Riddagesbuſen receptis ad ſe bonis in Maſcerot vaſallis Hohenſteinenſibus alia concedit, &, quod ab Ottone Imperatore rem alienam emiſſet, Friderico Halberſtadenſi Epiſcopo ſatisfacere tenetur. ex autographo.

No. CCLXXXII.

Otto Rex Eccleſiae ad fontem S. Mariae duos manſos in Tueluen attribuit. ex MEIBOM. Scriptor. T. III. p. 159.

No. CCLXXXIII.

Otto Rex ciuibus Brunſuicenſibus comparat ius Patronatus forenſis Eccleſiae S. Martini. ex autographo.

No. CCLXXXIV.

Philippus Sueuus Henrico Brabantiae Duci defectionis ab Ottone Rege inſignia praemia tribuit. ex BVTKEN. troph. Brabant. Inſtrum. p. 55.

No. CCLXXXV.

Innocentius III. Pontifex Iohannem Angliae Regem hortatur ad ſolutionem pecuniae Ottoni Regi a fratre Richardo legatae. ex Regiſtro Innocentii III. de negotio Imperii epiſt. 129. p. 744.

No. CCLXXXVI.

Innocentius III. Pontifex praecipit Iohanni Angliae Regi ſolutionem pecuniae a Richardo fratre Ottoni Regi legatae, & tergiuerſantem cenſura eccleſiaſtica ad id compelli iubet. Indidem p. 745.

No. CCLXXXVII.

Otto Rex Monaſterio de Inſula S. Mariae donat manſum in Garboldeſſem. ex autographo.

No. CCLXXXVIII.

Fridericus Praepoſitus nouellae plantationis Beatae Mariae iuxta Limbere vendit Hildenſemenſibus manſum in villa Garboldeſem, ex autographo.

No. CCLXXXIX.

Factum hoc confirmat Dioeceſanus Conradus Mindenſis Epiſcopus. ex autog.

No. CCXC.

Maria ſeu Irene Regina ex iuſſu & pro anima Philippi coniugis Adelbergenſi Monaſterio donat Curiam ſuam in ſuperiori Eslingen. ex CRVSII Annalib. Sueuic. Parte II. p. 561.

No. CCXCI.

Ottoni Wittelsbachio Regicidae per donationem Curiae in Wittelsbach ſepultura in Vndesdorf poſt longas moras conceditur. ex HVNDII Metrop. Salisburg. T. III. p. 304.

No. CCXCII.

Otto Rex donationem Abbatiae Niuellenſis Duci Brabantiae factam per ſententiam

tentiam

tentiam Principum reuocat, Abbatiſſam in integrum reſtituit, eique dominium oppidi cum reliquis iuribus confirmat. ex BVTKEN. Troph. Brabant. Inſtrum. p. 60. *&* MIRAEI Notit. Eccleſ. Belgic. p. 504.

No. CCXCIII.

Ottonis Regis priuilegium Stadenſe. ex autographo *deſcripſit* G. ROTHIVS.

No. CCXCIV.

Otto Rex tranſigit cum Alberto Archi Epiſcopo Magdeburgenſi, Comite Hallermundiae, ante expeditionem Romanam, ſuper diuerſis rebus. ex veteri Charta.

No. CCXCV.

Otto Rex decidit plures iuris quaeſtiones. ex veteri apographo.

No. CCXCVI.

Memoria coronati Romae Ottonis Imperatoris in Charta Schonaugienſi conſeruata. ex Diplomatario Schonaug. p. 80.

No. CCXCVII.

Otto IV. Imperator Monaſterio Walckenredenſi ſua priuilegia & poſſeſſiones confirmat. ex MEIBOM. Scriptor. T. III. p. 160.

No. CCXCVIII.

Otto IV. Imperator eidem Monaſterio Friderici I. donationes confirmat & auget. Indidem p. 161.

No. CCXCIX.

Otto IV. Imperator Monaſterium Portenſe ad Salam in tutelam ſuſcipit. ex MEIBOM. Scriptor. T. III. p. 159.

No. CCC.

Rex Philippus Azoni Marchioni Eſtenſi & Coniugi eius in feudum confert quasdam villas in Epiſcopatu Vicentino ſitas. ex MVRATOR. Antiqu. Eſtenſ. T. I. p. 381.

No. CCCI.

Eberhardi Salisburgenſis Archi Epiſcopi confoederatio cum Ottone Imperatore. ex autographo.

No. CCCII.

Conuentio Ottonis Imperatoris cum Sifrido Archi Epiſcopo Moguntino, qua pro inueſtitura de feudis Moguntinis quingentas marcas ſoluere, aliqua occupata reſtituere, de caeteris arbitros pati promittit. ex Perilluſtris Dn. GVDENII Cod. diplom. Mogunt. P. I. p. 418.

No. CCCIV.

Digitized by Google

No. CCCIII.

Otto IV. Imperator Moguntino concedit petitiones ad Iudaeos in omnibus ciuitatibus eius. Indidem p. 419.

No. CCCIV.

Otto IV. Imperator Bonifacio Eſtenſi Marchioni veniam aetatis concedit, eumque a tutela Azonis Marchionis liberat. ex MVRATOR. Antiquit. Eſtenſ. T. I. p. 396.

No. CCCV.

Idem eidem dimidiam partem hereditatis Opizonis Marchionis adiudicat. Indidem p. 397.

No. CCCVI.

Confoederatio Theoderici Marchionis Miſniae cum Ottone IV. Imperatore. ex autographo.

No. CCCVII.

Otto IV. Imperator fundatum a Theoderico Marchione Miſnenſi Monaſterium Thomanum Lipſienſe confirmat. ex SCHOETTGEN. Spicileg. diplom. T. I. p. 45.

No. CCCVIII.

Confoederatio Ludouici Bauariae Ducis cum Ottone IV. Imperatore. ex autographo.

No. CCCIX.

Otto IV. Imperator ciues Treuirenſes in tutelam ſuſcipit. ex Cod. Mſct. *habet etiam* BROWERVS Annal. Treurenſ. P. II. p. 109.

No. CCCX.

Ciuium & Miniſterialium Treuirenſium confoederatio cum Ottone IV. Imperatore. ex eodem Mſct. Cod. *habet etiam* BROWERVS l. c. pag. 111.

No. CCCXI.

Confoederatio Alberti Marchionis Brandenburgici cum Ottone IV. Imperatore. ex autographo.

No. CCCXII.

Iohannes Rex Angliae Vice Comiti Thouarcenſi ſignificat, quae ab Ottone Imperatore acceperit. ex RYMER. Act. Anglic. T. I. p. 156.

No. CCCXIII.

Idem Magnatibus ſuis ſignificat, quid Otto Imperator ſibi ſcripſerit. Ibidem pag. 159.

No. CCCXIV.

Idem Henrico Duci Brabantiae ſignificat ex litteris Ottonis Imperatoris ſpem magni commodi ſibi & confoederatis allucere. Indidem p. 160.

No. CCCXV.

Friderici II. Regis confoederatio cum Philippo Auguſto Galliarum Rege contra Ottonem Imperatorem & Iohannem Angliae Regem. ex Diplomatario Mſcto. *habet etiam* MARTENAEVS Colleſt. Ampliſſ. T. I. pag. 1111.

No. CCCXVI.

Iohannes Angliae Rex Ottoni Imperatori ſoluit nouem millia Marcarum. ex RYMER. Act. Angl. T. I. p. 164.

No. CCCXVII.

Otto IV. Imperator Wilhelmo Hollandiae Comiti in feudum confert omnia feuda imperialia a Florentio & Theoderico Hollandiae Comitibus antea poſſeſſa. ex MARTENAEI Theſaur. Anecdot. T. I. p. 841.

No. CCCXVIII.

Otto IV. Imperator Eccleſiam S. Mariae apud Scheuerlingeborch dotat. ex MADERI Antiquit. Brunſuicenſ. p. 245.

No. CCCXIX.

Idem bona Ordinis Equitum Teutonicorum in Imperio Romano ſita in tutelam ſuſcipit, cunctisque permittit bona Imperii iisdem donare vel vendere. ex DVELLII Hiſt. Ordin. Teuton. Append. p. 11.

No. CCCXX.

Ottonis IV. Imperatoris Reſcriptum ad Ottonem Comitem, vt Tegernſeenſibus Monachis vineas apud Bauzanum iis abſtractas reſtituat. ex Maxime Reuerendi Dn. PEZII Cod. Diplomat. P. II. p. 50.

No. CCCXXI.

Ottonis IV. Imperatoris litterae ad Innocentium III. Papam de excommunicatione ſui immerita. ex HAHNII Monument. T. I. p. 209.

No. CCCXXII.

Fridericus II. Henrico Brabantiae Duci in feudum confert Traiectum ad Moſam. ex BVTKEN. Trop. Brabant. Inſtrum. p. 64.

No. CCCXXIII.

Idem terminum conſtituit intra quem caſtrum illud a Comite Loſſenſi redemturus ſit. Indidem.

No. CCCXXIV.

Formula induciarum inter Philippum Franciae & Iohannem Angliae Reges, qua Fridericus II. & Otto IV. ſi nolint eam accipere, excluduntur vtrimque. ex RYMER. Act. T. I. p. 192.

No. CCCXXV.

Otto IV. Imperator Riddageshuſenſibus confert bona in Scathorſt a vaſallis ſibi reſignata. ex MEIBOM. Script. T. III. p. 162.

No. CCCXXVI.

Digitized by Google

No. CCCXXVI.

Fridericus II. Waldemaro II. Danorum Regi omnem Nordalbingiam Romano Imperio attinentem cedit, & Regno eius addit. ex PONTANO Rer. Dan. Libr. VI. p. 303.

No. CCCXXVII.

Otto IV. Imperator litem inter Riddagesbuſenſes & Henricum Miniſterialem ſuum de bonis in Berſle decidit. ex autographo.

No. CCCXXVII. (a)

Otto IV. Imperator cum Sifrido Hildenſemenſi Epiſcopo commutationem Miniſterialium hominum inſtituit. ex veteri Chartulario Hildenſemenſi.

No. CCCXXVIII. (b)

Idem Praepoſito Hildenſemenſi ſuadet, vt ſacra ſui cauſſa intermiſſa denuo peragantur. ex veteri Codice Moguntino.

No. CCCXXVIII. (c)

Idem Aduocatiam in Nouali a Comitibus de Hohenſtein ſibi reſignatam confert Monaſterio Walckenridenſi. ex Mſcto authentico.

No. CCCXXIX.

Cautio Friderici II. Regis, qua Innocentium III. Pontificem decepit, & confirmationem in Regno in Concilio Lateranenſi ſub- & obreptitie impetrauit. ex RAYNALD. Annal. T. XIII. p. 226.

No. CCCXXX.

Charta Wezlarienſis data diſcordantibus inter ſe Friderico & Ottone depoſito. ex *Perilluſtris Dn.* GVDENII Cod. diplom. Mogunt. P. I. p. 430.

No. CCCXXXI.

Iohannes Angliae Rex Ottoni Imperatori ſignificat quid factu opus ſit ad Comitem Loſſenſem in ſuas partes retrahendum. ex RYMER. Act. Anglic. T. I. p. 212.

No. CCCXXXII.

Legatus Regis Iohannis Comiti Loſſenſi mandata Domini ſui ſignificat. Indidem p. 213.

No. CCCXXXIII.

Otto IV. Imperator Eccleſiae S. Aegidii in Brunſuick confirmat poſſeſſionem nouem manſorum in villa Limbecb. ex RETHMEYERI Hiſt. Eccleſ. Brunſuic. Inſtrum. p. 35.

No. CCCXXXIV.

Idem Caſtrum Ardbek proprium ſibi reddit. ex autographo.

Digitized by Google

No. CCCXXXV.

Hermanni & Ottonis de Ardbek cautio de eadem re. *ex* autographo.

No. CCCXXXVI.

Gardolfus Halberſtadenſis Epiſcopus ſacerdoti in Oſſendorp confert decimam in Tonſtorp, quam fratres de Valle Mariae ei ab Ottone de Hartbeke fratre Epiſcopi comparauerant. *ex* autographo.

No. CCCXXXVII.

Halto de Hartbeke Volrado Halberſtadenſi Epiſcopo reſignat decimam in Adenem. *ex* autographo ſigillato.

No. CCCXXXVIII.

Otto Imperator Eccleſiam S. Iacobi in Oſterode in tutelam ſuſcipit, eique Aduocatiae iura remittit. *ex* autographo.

No. CCCXXXIX.

Vetus narratio de teſtamento & morte Ottonis IV. Imperatoris. *ex* MARTEN. Theſauro Anecdotor. T. III. p. 1373.

No. CCCXL.

Tabulae Conradi IV. Romanorum Regis, quibus profitetur inter inſignia Imperii dentem Iohannis Baptiſtae ſibi eſſe traditum, ex verſione Germanica tabularii Falkenſteinenſis productae a GEORGIO CHRISTIANO IOANNIS in epiſtola HENNINGII SCHLAAFII Orationi de Caſtro Trifels adiecta.

No. CCCXLI.

Inſtrumentum Ludouici Marchionis Brandenburgici, quo ſub iurisiurandi fide Carolo IV. Imperatori relicta ſibi a patre Clenodia Imperii, & in his nominatim dentem S. Iohannis Baptiſtae in cryſtallo, edit. *ex* BOHVSLAI BALBINI Miſcell. Bohem. Dec. I. Libr. VI. pag. 46. ſq.

No. CCCXLII.

Ottonis IV. Imperatoris Charta, qua Hildenſemenſi Eccleſiae omnia ablata reſtitui iuſſiſſe dicitur. *ex* veteri Chartulario Hildenſemenſi.

No. CCCXLIII.

Maria Imperatrix Eccleſiam S. Iacobi in Oſterode ad exemplum ſeu manaatum Coniugis liberam dimittit Clericis. *ex* autographo ſigillato.

No. CCCXLIV.

Adelheidis de Aueſnis a matertera ſua Maria Imperatrice & eius marito Wilhelmo I. Hollandiae Comite, auo ſuo, donatum & a patre Florentio confirmatum cenſum pro Monaſterio Reinsburgenſi commutat in decimam pro anima fratris Wilhelmi Regis & mariti Iohannis de Aueſnis,

Digitized by Google

ſuis, teſtibus Eliſabetha Regina, Wilhelmi vidua, & Mathilde matre, Comitiſſa Hollandiae, vidua Florentii. ex MATTHAEI Analect. T. V. p. 191. edit. nou.

No. CCCXLV.

Maria Romanorum Imperatrix Eccleſiae Euerbodienſi adiudicat Curiam de Sterkſele ſuper palude Latebroeck. ex BVTKEN. Trop. Brabant. Inſtrum. p. 74.

No. CCCXLVI.

Eadem Henrico fratrueli ſuo cedit Comitatum Boloniae a filia materterae ſuae ad ſe deuolutum. Indidem p. 75.

No. CCCXLVII.

Eadem ceſſionarium ſuum ad aulam Regis Franciae ablegat. Indidem.

No. CCCXLVIII.

Atteſtatio quod in foro Atrebatenſi cauſſae ad ſuperiorem deferri nequeant, niſi ius ſit denegatum in prima inſtantia. Indidem.

No. CCCXLIX.

Mariae Imperatricis Codicillus. Indidem p. 76.

No. CCCL.

Wilhelmus Princeps de Luneburg Monaſterio Lunenſi confirmat donationem duarum ſartaginum ſalis a quadam Otgena factam. ex authentico Mſc.

No. CCCLI.

Henrici Palatini Inſtrumentum ſuper portione fratris Wilhelmi e diuiſione bonorum paternorum. ex peruetuſto libro Copiali Luneburgico.

No. CCCLII.

Ottonis IV. Imperatoris Inſtrumentum ſuper portione fratris Wilhelmi e diuiſione bonorum paternorum. ex eodem libro Copiali.

No. CCCLIII.

Wilhelmus de Luneburg confirmat donationem quorumdam bonorum a Burchardo Abbate S. Michaëlis in Luneburg Lunenſi Monaſterio datorum. ex autographo.

No. CCCLIV.

Innocentius III. Pontifex rogatus a Wilhelmo, Ducis Henrici filio, vſum infulae reſtituit Abbati Burchardo Luneburgenſi. ex apographo Luneburgico. *habet etiam* PFEFFINGER. Hiſt. Brunſuic. T. I. pag. 318.

No. CCCLV.

Wilhelmus Dux liberrimam Abbatis electionem Luneburgenſibus permittit. ex apographo Luneburgico. *habet etiam* PFEFFINGER. l. c. p. 319.

Digitized by Google

No. CCCLVI.

Wilhelmi de Luneburg donatio ad Monaſterium Lunenſe ex ſalinis Luneburgicis. ex autographo.

No. CCCLVII.

Eiusdem priuilegium pro noua ciuitate Loewenſtedt ad Albim fluuium, datum aſſenſu Coniugis Helenae & filii Ottonis coram teſtibus illuſtribus. ex autographo.

No. CCCLVIII.

Ottonis Strenui priuilegium Bleckedenſe. ex veteri Codice Mſct.

No. CCCLVIX.

Wilhelmi de Luneburg donatio duorum manſuum & trium arearum in Tundersleue ad Eccleſiam Beatae Mariae in Magdeburg, pro progenitoribus, fratribus, vxore & filio. ex veteri apographo.

No. CCCLX.

Helena vxor Domini Wilhelmi de Luneburg quatuor manſos in Hagene a Burchardo Abbate Luneburgico venditos emit. ex autographo.

No. CCCLXI.

Rudolfi I. Regis diploma, quo profitetur Dietericum de Horſt Comiciam liberam inter Angelbecke & Wiſſeram fluuios ab Imperio in feudum obtinere. ex autographo.

No. CCCLXII.

Modus, quo IOH. HENR. HOFFMANNVS *hoc diploma immutatum & ad Henricum Comitem in Hoya detortum transtulit in librum ſuum Mſct.* Ehren Kleinod *dictum.*

No. CCCLXIII.

Helenae Dominae de Luneburg commutatio portionis ſalinariae cum Alberto de Reineuelde. ex autographo.

No. CCCLIV.

Eadem Helena Duciſſa ſexaginta marcis Iohanni Abbati Luneburgico perſolutis chorum ſalis e ſalina Luneburgica emit. ex Diplomatar. Luneburg Mſct.

No. I.

Digitized by

No. I.

Henrici Leonis priuilegium pro Eccleſia Catlenburgenſi, quo patrem, matrem, auum & auiam maternam nominat. Anno 1148. Ex Leuckfeld. Antiquit. Catelenburg. p. 18.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. HEINRICVS Dei gratia *Dux Bauarie & Saxonie, filius HEINRICI Ducis Bauarie & Saxonie, & conte**c**talis eius GERTRVDIS, filie Lotharii Imperatoris, & Richence Imperatricis.* Sicut mutuus humane conſanguinitatis exigit affectus, vt parentum noſtrorum amplius bona diligamus; ita nimirum ratio flagitat iuſticie, vt eorum in Dei ſeruicio feruorem, & erga Dei ſeruos deuotionem propenſius imitari ſatagamus. Notum ſit igitur omnibus tam futuris quam preſentibus, quod Catelenburgenſis Eccleſia, a progenitoribus meis fundata, id hactenus priuilegii habuerit, vt quicunque de eiusdem Eccleſie familia delegiſſent, per legitimi matrimonii copulam in noſtram familiam, absque vlla contradictione tranſirent, (*) eademque viciſſitudine de noſtra familia, quibus & hoc placuiſſet, in prefate Eccleſie familiam ſimili lege migrarent. Verum quia plures, ſiue pro eiusdem Eccleſie penuaria, ſiue pro noſtri peculii magnificentia in ius noſtrum cedere delegerunt, petente & aſſentiente familiari noſtro, Reinhardo, eiusdem loci prepoſito, mutato conſilio, decreui, vt nequaquam amplius per hanc mutuam matrimonii copulam de familie ſue ſorte tranſeant, ſed ſiue hinc, ſiue inde matrimonium ſortiantur, in ea, qua nati ſunt, familia permaneant. Petente quoque eodem prepoſito, huic tabule adſcribi iuſſi, quod Comes Theodericus, eiusdem Eccleſie fundator, eidem Eccleſie in villa Grimenhagen duos manſos contulit, & domina Richence Imperatrix, cooperante eodem prepoſito, in eadem villa quinque alios manſos, & decem iugera ab heredibus ſolutos eidem tradidit. Vt autem hec rata permaneant, hanc paginam ſigilli noſtri impreſſione muniri precepi.

No. II.

*) Inſignem errorem errauit Leukfeldius, qui primus Chartam hanc vulgauit, quando ex verbis his probare voluit & elicere, Canonicos Catelenburgenſes, quos forte vitae caelibis, ad quam ex ſacri ordinis legibus adſtricti erant, taedium cepiſſet, Monaſterio iterum valedicere & abiecta cuculla coniugium inire potuiſſe. *Familia* enim hic ſignificat *gregem ſeruorum*, non ipſum *coetum Monachorum*, nec eos, qui eſſent *de genere Henrici Leonis*, ſed *ſeruos eius*, quod vberius ſequens diploma, vt alia multa taceam, illuſtrabit.

Digitized by Google

No. II.

Henricus Leo Monaſterium Northeimenſe ab Ottone Duce & Richenza Imperatrice, auia ſua, fundatum & dotatum, e ſeruitute liberatum in tutelam ſuſcipit. Anno 1164. Ex Diplomatar. Northeim. Mſcto.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Dei aeterni. *HENRICVS* diuina clementia *Dux Bawariae & Saxoniae.* Nouerit tam futurorum quam preſentium Sanctae Dei Eccleſiae fidelium ſagacitas, qualiter vir venerabilis, Wicelinus, Abbas de Nordheim, & fratres ſui, multis quorundam oppreſſionibus grauiter ſaepe & diu moleſtati, noſtram adiere praeſentiam, modis omnibus nos ſollicitantes, quatenus eos, intuitu gratiae Dei noſtraeque ſalutis, ab immoderata, qua tenebantur quaſi ſeruitute clementer eripere dignaremur. Quorum petitionibus iuſtisque et idoneis pia deuotione conſentientes, Comitem Popponem, Praepoſitum Reinhardum, & fratres ſuos, Sigifridum & Conradum, qui eandem Eccleſiam quaſi haereditario ſibi iure vendicabant, ſumma diligentia conuenimus, autore Deo ad hoc perducentes, quod praefati viri ab omni, quam ad eandem Eccleſiam habere videbantur, addictione benigne conquieuerunt, & receptis a nobis centum marcis examinati argenti, in antiquum haereditatis noſtrae ius eandem Eccleſiam cum ſuis appendiciis omnimodis reſignauerunt. Proinde ſublimium progenitorum noſtrorum, piae memoriae *Ottonis* magni Ducis, & auiae noſtrae, glorioſae Imperatricis *Rikincae*, eiusdem Eccleſiae fundatorum, veſtigia ſequentes, idem Coenobium Domino Ieſu Chriſto & Sanctae Mariae ac Sancto Blaſio pro remedio animae noſtrae, nec non parentum noſtrorum cum omnibus, quae vel nunc poſſidet, vel futuris temporibus poſſidebit, in ſimplicitate cordis offerimus, & monaſticae religioni in perpetuum dedicamus, ſtatuentes, vt in voluntate fratrum Eccleſiae libera ſemper electio Abbatis conſiſtat. Inſuper permittimus Abbati in eadem villa iura thelonei & percuſſuram proprii numiſmatis, & omne iudicium ciuile ac forenſe, excepto furto & cauſis capitalibus, in quibus quis conuictus extremam cogetur mortis ſubire ſententiam. Ad hoc concedimus illi, vt ſi quis liber amore diuino ſuccenſus ad eandem ſe & bona ſua contulerit Eccleſiam, in Dei nomine & noſtra auctoritate abſque omni inquietudine Comitis, ſiue Vicecomitis vel alicuius perſonae Eccleſiae ſemper ſtabilis permaneat. Similiter ſtatuimus, vt, ſi quis ex miniſterialibus noſtris bona ſua conſenſu haeredum ſuorum eidem Eccleſiae contulerit, tam a nobis,

Digitized by Google

nobis, quam ab omnibus haeredibus vel ſucceſſoribus noſtris futuris temporibus ratum & inconuulſum habeatur. Item concedimus, vt ſi qua de familia Eccleſiae alicui noſtro nupſerit ſeruo, data prius iuſticia, quae vulgari eloquio *Bumede* vocatur, in reliquum cum marito iuri noſtro remaneat, & e conuerſo idem fiat ſi quam de familia noſtra Eccleſiae nubere contingat. Similiter in Dei amore concedimus & confirmamus, vt nullus vnquam vel a nobis, vel a noſtris ſucceſſoribus Aduocaciam eiusdem Eccleſiae beneficiali iure ſuſcipiat, ſed quicunque eam noſtra vel haeredum noſtrorum auctoritate tenuerit procurandam, ſi vtilis Eccleſiae & commodus videatur Abbati, omnino illa perfruatur; ſin autem, deponatur, & vtilior ac commodior eadem ſententia ſubſtituatur. Recipimus praeterea praefatum Coenobium Sancti Blaſii cum omnibus rebus ac familiis ſuis, Abbatem quoque & Monachos, ſub noſtri mundiburdii & haeredum noſtrorum perennem defenſionem. Praecipientes, vt nullus Comes ſeu Vicecomes, ſeu quilibet magna paruaque perſona praefatum Monaſterium moleſtare, aut aliquam functionem exigere, vel paratam ſuſcipere, aut de rebus vel familiis ad ipſum Coenobium aſpicientibus inuaſionem aut aliquam diminutionem facere praeſumat. Vt autem haec noſtra conceſſio & traditio firma & inconuulſa permaneat, & verius credatur ac diligentius obſeruetur, manu noſtra roboramus, & ſigilli noſtri impreſſione communimus.

Huius etiam rei teſtes ſunt hi:

Berno Epiſcopus de Swerin.
Praepoſitus Anshelmus de S. Cyriaco in Brunſwich.
Benno Praepoſitus in monte Sancti Gregorii,
Ludolphus de Walaggerod, & fratres ſui,
Henricus de Wida.
Lippoldus de Hertzberch.
Anno Aduocatus Goslariae.
Meinricus de Buweburgk.
Iordan de Blangkenburgk & frater ſuus Iularius.
Gerungus de Schiltberg.
Odalricus de Goslaria.
Baſilius de Stauffenbergk, & alii quam plures.

Acta ſunt haec Anno Domini M. C. LX. quarto. Indictione XII. IIII. Nonis Nouembris, Regnante Domino Friderico Inuictiſſimo regnorum Imperatore, Anno regni eius XII. Imperii eius nono.

Data per manum Hartwici Notarii noſtri. IIII. nonis Nouembris in monte S. Gregorii feliciter. Amen.

No. III.

Henricus Leo dat villam Riddageshuſen ad Monaſterium ibi fundatum. Anno 1146. Ex Meibom. Scriptor. T. III. p. 413.

HENRICVS *Dei gratia Dux Saxoniae* omnibus catholicae fidei cultoribus ſalutem. Quoniam diuini beneplaciti imperueſtigabilis ratio voluit nos, quamuis indignos, ſorte poteſtatis praecellere; eo amplius conuenit, nos aliis curam & diligentiam impendere, & non ſolum malis praeſentibus contraire, verum etiam futuris oculo diſcretionis praecauere. Sed quia in plerisque, verum tamen maxime in Eccleſiaſticis negotiis, inſtituta maiorum negligi & labi conſpicimus; ideo oportet autoritate & teſtimonio confirmari, vt non ſolum apud praeſentes, verum etiam apud poſteros inconuulſa perſeuerent. Nouerint itaque contemporanei: nouerint etiam nobis in poſteritatem ſucceſſuri, qualiter, communicato fidelium noſtrorum conſilio, tradidimus villam, que dicitur *Riddageshuſen*, cum omnibus appendiciis, agris, paſcuis, pratis, ſyluis, molendinis, piſcationibus, cultis & incultis, ad honorem Dei & Sanctae Mariae, in vſum Fratrum ibidem Deo ſeruientium. Praeterea Ludolfus, cuius machinatione & petitione iſtud inchoatum eſt, eisdem Fratribus contulit ſex manſos in eadem villa: quorum quatuor cambiuit cum Fratribus Sancti Egidii dans eis aliud predium in villa, que dicitur Valebeke, quod ab Eppone, miniſteriali noſtro, comparauit; reliquos duos a filio ſororis ſuae nomine Reinoldo, dato pretio conquiſiuit. Conſiderantes vero, quod haec neceſſitati eorum nequaquam ſufficerent, quendam deſertae habitationis locum, qui dicitur Choenhe, praedictae villae conterminum, a Fratribus Sancti Blaſii cambiuimus, cum tribus manſis, qui ſoluunt viginti quatuor ſolidos: quorum vnus ſitus eſt in villa Krelinge, ſecundus ſitus eſt in villa Hamersleue, tertius in villa Chempeleue. Haec igitur tam rationabiliter transacta, vtpote multis tam clericis quam laicis coram aſtantibus, audientibus, approbantibus, in perpetuum ſtabilienda confirmamus, omnemque negocii huius retractationem noſtra autoritate interdicimus. Vt autem amputemus omnimodam dubietatis occaſionem, paginae praeſenti fecimus ſignum auctoritatis noſtre imprimi, & nomina eorum, quorum preſentia & conſenſu acta ſunt, ſubſcribi.

De Clericis: Eckehardus Praepoſitus. Bruno. Geroldus. Marquardus. Reingerus & alii quam plures.

De

De liberis: Poppo. Liuthardus. Bernhardus. Luidolſus, & ceteri quam plures.

De miniſterialibus: Ludolſus, item Lutolſus. Berchtholdus. Anno. Burchardus, & alii quam plures.

Sunt autem acta hec anno Incarnationis Dominicae MC. XLVI. Indictione VIIII. Regnante Conrado. VIII. anno regni eius.

Appenſum eſt Sigillum, in quo vir armatus equo inſidet cum vexillo circumſcriptum: ✠ HEINRICVS DEI GRACIA DVX BAWARIE ET SAXONIE.

No. IV.

Conradus III. Henrico Leoni commendat Wibaldum Abbatem Corbeienſem. Anno 1146. Ex Codice Wibaldino epiſt. 18. apud Marten. Collect. Ampliſſ. Tom. II. pag. 203.

CONRADVS Dei gratia Romanorum Rex *HENRICO Duci Saxoniae* gratiam ſuam & omne bonum. Sicut diuina ordinauit prouidentia, iuxta fidelium noſtrorum conſilium, ad petitionem Corbeienſis Eccleſiae, fidelem noſtrum *Wibaldum Stabulenſem*, monaſterio Corbeienſi praefecimus. Proinde induſtriam tuam attente monendo rogamus, vt & perſonam ipſius honorifice in omnibus cuſtodias, & ad recolligendas & ordinandas poſſeſſiones Corbeienſis Eccleſiae conſilium ei & auxilium praebeas: quod nobis gratiſſimum fore nullo modo dubitaueris. De rebus autem ſuis, quas apud *Gruininge* homo tuus, *Poppo de Blanckenburg* & filii eius per violentiam eidem Abbati abſtulerunt, experientiae tuae mandamus, & ſub obtentu gratiae noſtrae praecipimus, vt omnia in integrum ei reſtitui facias.

No. V.

Conradus III. Henricum Leonem rogat, vt Aduocatiam Kemnatenſis Monaſterii, quam ab Imperio haberet, deinceps ab Wiboldo Abbate Corbeienſi in feudum reciperet. Anno 1147. Ex Codice Wibald. epiſt. 23. l. c. p. 207.

CONRADVS Dei gratia Romanorum Rex *HENRICO Duci Saxoniae* gratiam ſuam & omne bonum. Nouit tua dilectio, quod fideliſſimum & cariſſimum noſtrum *Wibaldum*, Stabulenſem Abbatem, propter vnanimem electionem & petitionem Corbeienſis Eccleſiae,

 eidem

eidem Monaſterio praefecimus. Cuius ob inſigne meritum, quod fideli ſeruitio de regno meruit, ſecundum petitionem praedeceſſoris ſui, & obſecrationem Corbeienſis Eccleſiae, duo Monaſteria feminarum, in quibus monaſtica religio iam defecerat, *Kaminade* ſcilicet & *Visbike*, ad reformandam in eis diuini cultus religionem, ex iudicio principum, ſibi & Corbeienſi Eccleſiae iure proprietario in perpetuam poſſeſſionem contulimus, *ſaluo iure tuae aduocationis*, quod habes in eisdem locis. Volumus autem atque mandamus dilectioni tuae, vt, ſi inter te & eum conuenerit, ius aduocationis ad eadem loca ei vice noſtra, quemadmodum nobis debueras, reſignes, itemque ab eo & a Corbeienſi Eccleſia aduocatiam recipias. Quod ſi de hoc inter vos non conuenerit, donationem, quam Eccleſiae fecimus, vt contra omnes infeſtationes, tuearis, & aduocatiam, quam de nobis ſuper eadem loca tenes, fideliter ac ſtrenue & ad firmamentum noſtrae donationis adminiſtrare ſtudeas, in praeſenti pagina per obtentum gratiae noſtrae tibi mandando praecipimus.

No. VI.

Annuit precibus Henricus, idque ſe facere profitetur in gratiam Abbatis Wiboldi, qui Lothario

Imperatori, cuius ipſe haeres factus ſit, diu ſeruiuerit. Anno 1147.
Ex Schatenii Annal. Paderborn. T. I. p. 772.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *HEINRICVS Dei gratia Dux Saxoniae.* Notum eſſe volumus vniuerſis Chriſti noſtrisque fidelibus, quod beneficium noſtrum, videlicet aduocatiam de Monaſterio Kaminata, & de aliis bonis ad illud Monaſterium pertinentibus, in manum Domni noſtri Conradi Romanorum Regis ſecundi ſpontanea voluntate reſignauimus, vt eandem aduocatiam Monaſterio Corbeienſi in perpetuam poſſeſſionem contraderet, hac videlicet conditionis ratione, vt praedictam aduocatiam de manu venerabilis Abbatis Wiboldi in legitimum beneficium reciperemus; quod etiam eodem ordine, quo praedictum eſt, tam a Domno Rege quam Abbate completum eſt, & a nobis obſeruatum. Hoc autem de beneficio noſtro facere propter humilem petitionem Domni noſtri Regis non abnuimus, ea maxime de cauſa, quod praedictus venerabilis Abbas, nobisque cariſſimus Wiboldus, *glorioſiſſimo auo noſtro Imperatori LOTHARIO* diu multumque ac fideliter ſeruiuit, & in adminiſtratione Romani imperii ſingulari conſtantia vsque ad mortem adhaeſit, dignumque eſt, vt, ſicut poſſeſſionum haeredes eidem

Digitized by Google

eidem Imperatori ſucceſſimus, ita retributionis circa gratos ac fideles ipſius non degeneres ſucceſſores exſiſtamus.

Actum *Bruneſvvich* anno Dominicae Incarnationis MCXLVII. Indictione X. anno vero Domni Cuonradi Romanorum Regis ſecundi X. Teſtes vero, qui affuerunt, hi ſunt: Bruno Praepoſitus, Luithardus, Bernhardus, Anno, Bertoldus, Rikece, Baldewinus, Gerhardus, Erembertus.

Et de Corbeienſi Monaſterio Adelbertus Praepoſitus, Conradus Praepoſitus Kaminatenſis, Heinricus Capellanus, Heinricus Clericus, Karolus, Bernhardus, Reinherus, Rederus.

Godefridus, Iohannes, Adelhardus, Eluericus Miniſteriales.

No. VII.

Henricus Leo rogat Eugenium PP. III. vt Eccleſiam Kemnatenſem confirmet Wiboldo Abbati Corbeienſi, tamquam bono oeconomo. Anno 1148. Ex Cod. Wibald. epiſt. 58. l. c. p. 234.

SACROSANCTAE Romanae Eccleſiae ſummo Pontifici Eugenio *HENRICVS Dux Saxoniae* promptae & officioſae ſeruitutis deuotionem. Commendamus paternitati veſtrae dilectum dominum meum, venerabilem Corbeienſis eccleſiae abbatem *Wibaldum*, quem pro cauſis eccleſiae ſuae ad veſtrae maieſtatis praeſentiam veniſſe cognoſcimus. Quem etſi in conſpectu veſtro gratiam inueniſſe non ambigimus, pro affectu tamen, quo eum diligimus, noſtra quoque commendatione eum proſequimur. Obſecramus ergo paternitatem veſtram, quatinus eum in ſuis petitionibus clementer exaudiatis, & praecipue pro eccleſia Kaminatenſi, in qua & religionis diuinae cultum, tamquam vir religioſus ac timens Deum reformauit, & ipſius eccleſiae praedia ac poſſeſſiones, quae Iuditha abbatiſſa adiutoribus & amatoribus ſuis poſt depoſitionem ſui plusquam ad centum manſos in beneficio conceſſerat, tamquam vir ſtrenuus, Dei adiutorio & noſtro, fere ad integrum recollegit, & vſibus eccleſiae reſtituit. Salubre itaque nobis exemplum & commonitorium in protegendis & adiuuandis de cetero eccleſiis praeſtabitis, ſi bonum, quod in eadem eccleſia ad laudem Dei inchoauimus, ſecundum petitionem praedicti venerabilis abbatis ſtabile & firmum veſtra auctoritate feceritis. Valete.

No. VIII.

Friderici I. Imperatoris edictum de recuperandis Colonienſis ArchiEpiſcopi praediis ad menſam ſpectantibus, ſententiam dictante Henrico, Bauariae Duce, & Henrico Duce Saxoniae aſſidente. Anno 1153. Ex Schannati Vindemiis litterariis. Tom. II. p. 113.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Rex Auguſtus. Quoniam ordinatione excellentiſſimae Maieſtatis in culmine Imperii conſtituti ſummam rerum regendam ſuſcepimus; dignum duximus ſingulis perſonis, & cunctis Eccleſiis in noſtro Imperio ſitis ſua iura inuiolabiliter conſeruare, & Eccleſias Dei tam opibus quam dignitatibus locupletare. Eo nimirum aequitatis & noſtrae praeceptionis fauore Colonienſi Eccleſiae clementer prouidentes, poſſeſſiones, quae quorundam ArchiEpiſcoporum negligentia a menſa ſeu eleemoſyna Epiſcopali alienata fuere, ſicut in conſpectu patrui noſtri, Sereniſſimi Romanorum Regis Conradi III. petente chariſſimo noſtro ac prudentiſſimo noſtri aeui Principe Arnoldo II. Colonienſi ArchiEpiſcopo, ab innumeris Principibus & tota Curia Coloniae iudicatum eſt; decreuimus auctoritate noſtrae Maieſtatis confirmare, & rei geſtae ſeriem praeſenti pagina certiſſime annotare: Colonienſis ſiquidem Eccleſia, opibus & dignitatibus olim florentiſſima, nunc quorundam negligentia ArchiEpiſcoporum & praecipue Friderici, qui ob quosdam bellorum tumultus gratiam Imperatoriae Maieſtatis offendit, & in eadem bellorum tempeſtate bona de menſa & eleemoſyna Epiſcopali inbeneficiauit, grauiter attrita eſt & conquaſſata; & quia Colonienſi Sede vacante, diuina fauente gratia electus eſt ibidem in ArchiEpiſcopum Arnoldus, Maior in Colonia Praepoſitus, & Domini Conradi III. Romanorum Regis Cancellarius, vir vtique praeclarus genere, expertiſſimus prudentia, ſpectabilis honeſtate; hic cum a clero & populo vniformiter & regulariter in ArchiEpiſcopum electus ad Pontificalem dignitatem traheretur, & a glorioſiſſimo domino Conrado III. Romanorum Rege accipere inueſtituram Epiſcopatus, ſub obtentu Regiae gratiae, Eccleſia humiliter & cum lacrymarum deuotione ad pedes eius proſtrata, ſaepius iuberetur, modis omnibus reniſus eſt conſtantiſſime, praetendens Epiſcopatum vſque adeo diſtractum & laceratum eſſe, vt ſuas pro eo diuitias, ſuam pacem pro tanta inquietudine nullatenus velit commutare, humiliter etiam proponens, ſe ad Pontificale onus omnino eſſe inſufficientem. Verum Sereniſſimus Auguſtus, dominus

dominus Conradus III. Romanorum Rex, praedicti Electi perſonam toti Regno & Sanctae Eccleſiae Catholicae ſalutiferam agnoſcens, motus etiam lacrymarum precibus deuotiſſimi cleri & populi, eidem Electo alienatorum reſtaurationem & lapſorum reparationem clementer obtulit & firmiter promiſit. Poſt haec vero in eadem vrbe memoratus dominus Conradus III. Romanorum Rex in celebri Curia a multis & praecipuis regni Principibus iudicium requiſiuit ſuper bonis a menſa ſeu eleemoſyna Colonienſis Archi Epiſcopi alienatis, & iidem Principes & tota Regia Curia iudicium dedit, quod quotidiana ſeruitia ad Epiſcopalem menſam pertinentia nequaquam inbeneficiari vel inuadiari iure poſſint, eo quod Regno & Eccleſiae debeantur: quod ſi quis fecerit, ſucceſſori ſuo nullum faciat beneficii praeiudicium, vel apud eum ratum iure beneficii teneatur. Ex hoc ſano iudicio piiſſimus Romanorum Rex Conradus praefato Arnoldo, tunc Colonienſi Electo, in omnibus bonis, quae ab Epiſcopatu alienata fuerant, Regia authoritate pacem indixit. Primo vero noſtri Principatus anno in burgo Tremonia a multis Principibus in noſtro conſpectu petente antefato Arnoldo venerabili Colonienſi Archi Epiſcopo iudicatum eſt, quatenus omnia bona, quae Fridericus quondam Colonienſis Archi Epiſcopus in eo bellorum tumultu, quo gratiam Imperatoriae Maieſtatis offendit, inbeneficiauit, ad poteſtatem Archi Epiſcopi redire deberent, nec tales donationes, quae contra pacem Regni factae dignoſcuntur, aliquam vim iuris haberent. Secundo vero noſtri principatus anno, in feſto Pentecoſtes in vrbe Wormatia Curiam ſolemnem celebrantes, rogati ſumus per praefatum Arnoldum venerabilem Colonienſem Archi Epiſcopum, teſtimonium veritatis audire. Vnde iudicio Curiae idem Arnoldus Colonienſis Archi Epiſcopus legitimo teſtimonio nobilium virorum, videlicet Comitis de Arnisbergh, & Marcuuardi de Grumbach in noſtro conſpectu & Principum praeſentia comprobauit, praefatum iudicium ſe coram Domino Conrado Romanorum Rege tertio Coloniae accepiſſe, ſcilicet, vt nulli Epiſcoporum licitum ſit bona ad menſam pertinentia inbeneficiare vel inuadiare; quod ſi quis fecerit, ſucceſſori ſuo nullum faciat beneficii praeiudicium, nec apud eum ratum iure beneficii ſiue pignoris teneatur. Inde illuſtris *Dux Bauariae*, *Henricus*, *patruus noſter*, a nobis commonitus, iudicauit, Colonienſem Archi Epiſcopum ita legitime iam dictum produxiſſe teſtimonium, vt iure noſtra ſit illi auctoritate confirmandum, conſequenter iudicium approbantibus multis Principibus, quorum nomina in teſtimoninum huius paginae ſubter notata ſunt. Vt igitur ea, quae ad noſtram cognitionem perueniunt, & iudicialis ſententiae finem accipiunt, perpetuo robore illibata & inconuulſa permaneant,

ant, praeſentem paginam omni aeuo valituram conſcribi, & noſtrae imaginis caractere ſignari iuſſimus, firmiſſime ſtatuentes, vt iudicium, quod coram glorioſiſſimo Conrado Romanorum Rege, patruo noſtro, Coloniae, ſicut praeſcriptum eſt, de poſſeſſionibus Colonienſis Epiſcopatus a Principibus prolatum, & in noſtra poſtmodum praeſentia praefato modo apud Wormatiam legitimo teſtimonio comprobatum eſt, iudicium quoque quod de bonis Colonienſis Archi Epiſcopatus per Fredericum quondam Archi Epiſcopum alienatis in noſtro conſpectu apud Tremoniam, ſicut praeſcripſimus, eſt promulgatum, nullus hominum audeat temerare, & omnia bona, quae praefatus Arnoldus venerabilis Colonienſis Archi Epiſcopus his fretus iudiciis recollegit, ſcilicet telonium vrbis Coloniae & multa Epiſcopalia ſeruitia, nemo ab ipſius vſu & poteſtate, ſuorumque ſucceſſorum auellere praeſumat. Nihilominus etiam ſanximus & in perpetuum confirmamus, quatenus quaſcunque poſſeſſiones idem Colonienſis Archi Epiſcopus, data pecunia, Eccleſiae conquiſiuit vel requiſiuit, ipſe ſuique ſucceſſores perpetua pace poſſideant, videlicet Vdenkirchen, cum Miniſterialibus, cum ſeruis & ancillis, & omnibus appenditiis ſuis, in Wisfalia Curiam nomine Homede, curiam quoque Aneruſt, Prumeam, Segerode, Wermunte, Wynuſen, bona quoque quae habent Miniſteriales in Geuersdorp, confirmamus eidem Arnoldo Archi Epiſcopo, quicquid auxiliante diuino fauore Eccleſiae ſuae de cetero acquirere vel colligere iure poterit. Quod ſi qua ſaecularis vel Eccleſiaſtica perſona hanc noſtram violauerit ſanctionem, Regiae Maieſtatis offenſam ſe nouerit incurriſſe, quouſque a ſua praeſumptione manum retrahat, & pro mandati Regii transgreſſione XX. libras auri in Camera noſtra perſoluat.

Huius rei teſtes ſunt:

Cunradus Wormatienſis.
Guntherus Spirenſis.
Burckardus Argentinenſis.
Cunradus Auguſtenſis, Epiſcopi.
Waltherus Maioris Eccleſiae in Colonia Praepoſitus.
Albertus Decanus.
Depoldus Xantenſis Praepoſitus.
Nicolaus Abbas de Sigeberg.
Arnoldus Praepoſitus S. Andreae.
Vdalricus de Suſatia Praepoſitus.
Henricus Dux Bauariae.
Henricus Dux Saxoniae, & multi Principes.

De

Digitized by Google

De Familia S. Petri: Hermannus Aduocatus.
Henricus de Wolmundeſtein,
Henricus de Alphein.
Adolphus Dapifer.
Randulphus Pincerna.
Rapoto de Vdenkirchen.
Almericus de Wormisdorp, & alii multi.
Signum Domini Friderici Romanorum Regis inuictiſſimi.
Ego Arnoldus Cancellarius recognoui.
Datum in vrbe Wormatia XVIII. Kal. Iulii Anno Dominicae Incarnationis MCLIII. Indict. I. regnante glorioſo Rege Friderico, anno Regni ſui II. in Chriſto feliciter, Amen.

No. IX.

Henrici Leonis donatio ad Nouum Monaſterium, in caſtris acclamatione totius exercitus facta & confirmata. Anno 1148. Ex Lindenbrog. Scriptor. Septemtr. p. 156.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *HENRICVS Dux Bauariae & Saxoniae.* Ad hoc in culmen poteſtatis nos per gratiam Dei collocatos iuſte recognouimus, vt, quo auxilii noſtri manum protendere, & quibus conſilii curam impendere neceſſarie propter Deum debeamus, facilius & manifeſtius proſpicere valeamus. Sed cum omnibus debitores ſimus, praecipue tamen puſillos Chriſti, qui mundo ſuisque ambitionibus renunciantes, ſub vmbra alarum diuinae protectionis ſe contulerunt, nos manu tenere, eisque in neceſſariis rebus ſubſeruire debere digne perpendimus. Notum ergo eſſe volumus tam futuris, quam praeſentibus, quod & nos pia vota parentum noſtrorum in memoriam reuocare vtile duximus, & eorum bonum propoſitum in his, quibus honorem Dei promouere ſtuduerunt, confirmare proponimus. Siquidem a venerabili *Athelberone*, Hammaburgenſi Archi Epiſcopo, per ſtudium & laborem reuerendi patris, *Vicelini*, in prouincia Holſatiae, in villa ab antiquis Wipenthorp dicta, Nouum Monaſterium inchoatum, & ſeruientes Deo inibi coadunitos & videmus & ſcimus, *patrem* vero meum *Ducem Heinricum*, & *auum meum Imperatorem Lotharium*, locum ipſum oblationibus promouiſſe, donis honoraſſe, & res eidem Eccleſiae collatas priuilegiis ſuis confirmaſſe, veraci relatione didicimus. Pro eo denique, quia vineam Dei ibi plantatam bene fructificantem, in odore eius

multos poſt Deum currentes rudes illius gentis homines ab impietatibus ſuis priſtinis correctos, vicinas gentes Slauorum ab incredibilitate iam conuerſas ad fidem gratanter aſpicimus, locum ipſum digno honore amplectendum arbitramur, & eos, qui ſe ibidem Deo ſeruituros deuouerunt, etiam ex noſtra beneuolentia fouendos, & munificentia conſolandos iudicamus. Qua propter paludem, quae eſt iuxta Wilſteram inter Sladen & Waleburgou, & alteram, quae eſt iuxta *Sturiam* inter Luteſou & Aldeniou, a Comite Adolſo & omnibus Holſatis eidem Eccleſiae collatas adprobamus, & in vſus fratrum eiusdem praedicti Noui Monaſterii cedendas in perpetuum auctoritate noſtra decernimus. Et vt haec collatio rata & inconuulſa omni aeuo permaneat, chartam hanc conſcribi, & Sigilli noſtri impreſſione ſignari fecimus, & nomina eorum, qui affuerunt, aſſignari mandauimus.

Teſtes & fautores & cooperatores huius rei ſunt:

Athelbero Hammaburgenſis Archiepiſcopus.
Hartwicus Bremenſis Eccleſiae maior Praepoſitus.
Comes Hinricus de Bodwide.
Comes Chriſtianus de Aldenburg, cum aliis multis principibus, nobilibus & miniſterialibus.

E numero Holtſatorum hi ſunt:

Marcradus, ſignifer prouinciae, cum filiis ſuis.
Vergotus, filius Daſonis de Ennigge cum fratribus ſuis.
Ethelerus de Vrige.
Godeſcalcus de Gereſthorp.
Haſſo, filius Henrici aduocati de Ottenebotle.
Thiedbernus de Ho.
Heinricus aduocatus de Bamizſtide.
Marcardus de Buſele, cum filiis ſuis.
Eluericus & Hiddo de Eidera: hi Iudices terrae.
Otherus ſignifer Sturmariorum.
Quatuor etiam, qui denominati ſunt Legati eſſe prouinciae:
Marcardus de Stenuelde.
Toto de Kerleggehuſe.
Rothmarus de Hamſtide.
Aluardus de Eiderſtide, & reliqui plures.

Acta ſunt haec *Heikenbutle*, coram frequentia totius exercitus, qui nobiſcum erat, quando reuerſi ſumus accepta victoria de hoſtibus regni Thiedmarskienſibus, qui *Rotholſum* Marchionem, Principem & Comitem ſuum, iam pridem interfecerunt, & confirmata

eſt

Digitized by Google

eſt haec collatio fauore & acclamatione totius exercitus, qui ibidem in Caſtris erat aggregatus.

Anno incarnati verbi MCXLIIX. Indictione XII. Data Idibus Septembris.

No. X.

Conradus III. conqueritur de Henrico Leone, quod in Curiam non venerit & Ducatum Bauariae armata manu occupare conatus ſit. Anno 1150. Ex Cod. Wibald. epiſt. 233. apud Marten. l. c. p. 417.

CONRADVS Dei gratia Romanorum Rex, Wibaldo Corbeienſi abbati, gratiam ſuam & omne bonum. Sanctitati tuae notum ſit, quod nos, ex conſilio & petitione principum, *Duci H. Saxoniae* ad expoſtulandam *beneficialem* iuſtitiam, Curiam Vlmae in octaua Epiphaniae indiximus. Ipſe vero ad eandem curiam non ſolum venire neglexit; verum etiam armata manu Ducatum Bauariae occupare conatus eſt. Nos itaque debitum regalis cenſurae magis, quam eius facta, attendentes, aliam Curiam ex iudicio Principum in feſto Barnabae Apoſtoli Ratisbonae ei praefiximus, querimoniae ipſius Deo auctore ſatisfacturi. Cetera nuntius.

No. XI.

Wibaldus Conrado Regi confirmat, a Leone & a Saxonibus nihil timendum eſſe, modo ipſe compareat in Comitiis. Anno 1151. Indidem epiſt. 240. p. 423.

INCLYTO triumphatori, & magnifico Domino ſuo Conrado, Dei gratia Romanorum Imperatori auguſto, frater Wibaldus eadem gratia id quod eſt in eccleſia Catholica, ſalutem in eo qui dat ſalutem regibus. Licet contra fines Saxonum longiuſcule ſimus poſiti, & crebris eorum colloquiis intereſſe non poſſimus; tamen cum omni ſtudio & inſtantia ſollicite inquirimus, ne forte aduerſus veſtram quietem aliquid quoquo modo agatur. De quibus omnibus, licet Capellanus veſter Herebertus, qui nuper totam terram peragrauit, & vniuerſa ſubtiliter perquiſiuit, veſtram poſſit plenius informare prudentiam; tamen veſtrae celſitudini breuiter ſuggerimus, quod nihil omnino ſentire potuimus, quod veſtram debeat magnanimitatem commouere. Non deerunt tamen aliqui, qui ſub ſpecie firmioris fidei, ſub colore propenſioris

 caritatis,

caritatis, quaedam horribilia & grandia veſtrae ſapientiae proponant, vt hoc tamquam piae ſollicitudinis & praemonitionis titulo emolumentum a vobis accipiant. Sed ingens illa prudentia, quae ab omnium bonorum largitore vobis abundantius collata eſt, omnia probabit, & quod bonum eſt tenebit. Nulli ergo aſſenſum praebeat veſtra maieſtas, dehortanti, quod ad colloquium apud *Cranaba* non veniatis, quoniam Principum veſtrorum animi fatigarentur & quamdam argutae coniecturae materiam ſumerent, quod eos ſuſpectos haberetis, quos *totiens vocatos videre non velletis.* Veniatis autem, ſicut Dominum & Imperatorem decet, maxime cum colloquium breue futurum ſit, &, ſi cuius fides claudicare videtur, ita inſtaurabitis, vt ſi vobiſcum in veritate non operatur, tamen ab inimicis veſtris ei poſtmodum non facile credatur. Nullius autem ſuggeſtio, nullius blanditiae, nullius etiam minae veſtram fortitudinem a propoſito euertant, quin illum hoſtiliter inuadatis & ſub pedibus veſtris conculcetis, qui totum Imperium veſtrum replet mandaciis, & in hoc non ſapienter gloriatur, quod contra vos aliud velle vel poſſe agere exiſtimatur. Per fratrem Iohannem (*) diligenter & fortiter admonebitis Comitem *Herimannum* (de *Wincenburg,*) vt nobiſcum efficacius agat, ne cogamur contra voluntatem noſtram alia patrocinia quaerere.

No. XII.

Conradus III. Rex rogat Henricum Leonem, vt Corbeienſibus auctor ſit percipiendorum fructuum Kemnatenſis Monaſterii. Anno 1151. Ex Cod. Wibald. epiſt. 249. pag. 433.

CONRADVS Dei gratia Romanorum Rex *H. Duci Saxoniae* gratiam ſuam & omne bonum. Recordatur nobilitas tua, quod ſaepe poſt reditum noſtrum de Ieroſolymitana expeditione diligentiam tuam monendo rogaremus, quatenus Corbeienſem eccleſiam & fidelem noſtrum, eiusdem eccleſiae abbatem, in defenſandis & conſeruandis bonis Kaminatenſis eccleſiae adiuuares. Volumus etiam induſtriam tuam meminiſſe, quoniam aduocatiam Kaminatenſem, quam a nobis habueras, ex noſtra petitione de manu Corbeienſis abbatis recepiſti, vnde ad protegenda eadem loca plus ei debitor eſſe coepiſti. Ea propter nobilitatem tuam iterum attente monendo rogamus, vt Thiedericum de *Rekelinge* & filios ipſius de iniuria & contumelia, quam praefato abbati in eisdem bonis

*) Ioannes ille Fredesloënſium Virginum Praepoſitus, & Comes Hermannus de Wincenburg Monaſterii Corbeienſis Aduocatus fuit.

Digitized by Google

bonis irrogant, coërceas, & fratres monachos, quos illi iam ſecundo eiecerunt, clementer in eodem Monaſterio recolligas, ac Deo ibidem ſeruire facias. Hoc quoque tuae prudentiae notum ſit, quod domina illa de Ieſika, quae bona Kaminatenſis eccleſiae diſſipauit, & adhuc diſſipare non ceſſat, ex noſtra permiſſione nequaquam intrauit: immo ſatis miramur tuam & aliorum principum prudentiam, cur talem foeminam bona, quae ad ſeruitium Dei eccleſiae collata ſunt, cum vanis hominibus deperdere & diſperdere permittitis. Contra cuius peruerſitatem & inuaſionem, qua eccleſiam inuaſit, ſi homines abbatis aliquid egerint, nihil contra ius feciſſe videntur, quia, quod nulla lege prohibetur, vim vi repulerunt; ideoque iudicamus, potius vindictam redundare in malefactores, quam in vindicatores. Omnimodis ergo diligentiam tuam rogamus, vt praefato abbati in conſeruandis eiusdem bonis ſtrenue aſſiſtatis, hoc profecto ſciturus, quod ſi benignus ei pro noſtra petitione fueris, nos benignos in tui & amicorum tuorum cauſis & petitionibus experieris.

No. XIII.

Henricus Leo bona Corbeienſis Eccleſiae ſe defenſurum promittit. Anno 1151. Indidem epiſt. 269. pag. 449.

WIBALDO venerabili Corbeienſis eccleſiae abbati, *H. Dei gratia Dux Bauariae & Saxoniae* fidele ſeruitium. Iuxta petitionem veſtram bona eccleſiae veſtrae ſub tuitionis meae munimen recipio, & tam in his, quam in ceteris, quae ad honorem, vel vtilitatis veſtrae profectum reſpiciunt, promptum me & fidelem exhibeo. Vnde ego de veſtra viciſſim beneuolentia ſecurus confido, quod memoria mei in benedictione ſit apud vos tam coram Domino Papa, quam coram Rege.

No. XIV.

Henricus Leo Wibaldum rogat, vt in Curia Ratisbonenſi negotium ſuum gerat. Anno 1151. Ex Cod. Wibald. epiſt. 290. p. 469.

DOMINO Wibaldo venerabili Corbeienſis eccleſiae abbati, *H. Dei gratia Dux Bauariae & Saxoniae* aſcendere in montem Domini, & ſtare in loco ſancto eius. Quoniam virtutis veſtrae

multa experimenta cognouimus; multum in beneuolentia veſtra confidimus. Hac itaque magna praecedente confidentia, quia Dominus & vera loquendi audaciam, eademque diſcrete proferendi vobis prae multis aliis contulit ſcientiam, veſtram adimus obnixe deprecantes beneuolentiam, quatinus in Curia, quam Rex ſecundo Idus Iunii *Ratisbonae* celebrandam indixit, nobis aſſiſtatis, &, quam in nos det, ſententiam audiatis. Pollicitus eſt enim, ſecundum iuſtitiam vel Principum conſilia, qui ad Curiam confluent, ſe nobis reſponſurum. Valete, & de integerrimae dilectionis affectu ex noſtri parte ſitis indubii. Dominum Theodericum *de Rikelingen*, filiosque eius dilectioni veſtrae commendamus, & vt eis benignus exiſtatis, intime rogamus.

No. XV.

Eugenius PP. III. Henrico Leoni Wibaldum Abbatem Corbeienſem commendat. Anno 1152.

Ex Codic. Wibald. epiſt. 335. p. 508.

EVGENIVS &c. *Henrico Illuſtri Duci Saxoniae* &c. Inter praecipua facta virorum potentium nihil eſt, quod Deo noſtro eos ita reddat acceptos, quam ſi eccleſiis & earum praelatis honorem debitum & reuerentiam curauerint exhibere. Vnde quia paterna te caritate diligimus, & de tuae probitatis induſtria meliora ſperamus; dilectum filium noſtrum Wibaldum, Corbeienſem abbatem, qui pro ſuae honeſtatis prudentia honorandus dinoſcitur, ſtrenuitati tuae attentius commendamus, per praeſentia ſcripta nobilitatem tuam rogantes & exhortantes in Domino, quatenus ad recuperanda & conſeruanda eccleſiae ipſius bona pro noſtris precibus fidelis & deuotus coadiutor exiſtas.

Datum Signiae V. Idus Ianuarii.

No. XVI.

Precibus Principum, in quibus Henricus Leo, Conradus III. motus abbatiam Ringelheim tradit Eccleſiae Hildenſemenſi. Anno 1151.

Ex authentico Mſct. habet etiam, ſed deprauatum & corruptum, Leuckfeld. antiquit. Ringelheim. p. 199.

IN nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Conradus diuina fauente clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Si Anteceſſorum noſtrorum regum ſeu Imperatorum piae deuotionis limitem perſequentes

quentes ad cultum diuinae religionis regalibus Abbatiis impoſterum prouidere, & de ſtatu illarum pro debito Regiae Maieſtatis ordinare ſtudebimus, id nobis tam ad praeſentis vitae tranquillitatem, quam ad futuram beatitudinem promerendam profuturum fore non ambigimus. Qua propter omnibus tam futuris quam praeſentibus Chriſti regnique fidelibus notum eſſe volumus, qualiter nos, diuini amoris intuitu, & conſilio & petitione Principum Saxoniae, Vthalrici ſcilicet Halberſtadenſis Epiſcopi, Bernhardi Pathburnenſis Epiſcopi, Heinrici Myndenſis Epiſcopi, Wibaldi Corbeienſis Abbatis, *HEINRICI Ducis*, Friderici Palatini Comitis, Marchionis Alberti, Hermanni Comitis, acquieſcentes, piis quoque precibus Bernhardi Hillesheimenſis Epiſcopi aſſenſum praebentes, Regalem Abbatiam noſtram *Ringelenheim*, quae tam in temporalibus quam ſpiritualibus longo iam tempore diſtracta & turbata fuit, ad reformandum in ea cultum diuinae religionis, praedicto Bernhardo Hillesheimenſi Epiſcopo, omnibus ſucceſſoribus eius canonice ſibi ſubſtituendis, nec non Eccleſiae Hillesheimenſi, cum omnibus ſuis appenditiis, ſcilicet cum miniſterialibus & familia, ceterisque poſſeſſionibus, nec non & Aduocatia praenominatae Eccleſiae, aſſenſu & rogatu eiusdem eccleſiae Aduocati, cum omni iure noſtro legitima donatione in proprietatem contradidimus, eo videlicet pacto, vt praedictus Hillesheimenſis. Epiſcopus Bernhardus, ceterique ſucceſſores ſui, iam praenominatam Abbatiam, Eccleſiae & Epiſcopo Hillesheimenſi pertinentem, omni in poſterum tempore manuteneant, & ordinent, & cultum diuinae religionis ad honorem Dei & matris ſuae Hillesheimenſis Eccleſiae in ea reforment. Et quia hanc donationem iudicio & conſilio Principum, nec non aſſenſu & collaudatione familiae ad praedictam Eccleſiam pertinentis, legitime contulimus, ne quis ſucceſſorum noſtrorum Regum ſeu Imperatorum huius donationis noſtrae ſtatutum ab Eccleſia Hillenesheimenſi diſſoluere ſeu caſſare valeat, edicto regali ſancimus. Et vt haec noſtra regia traditio in perpetuum rata & inconuulſa ab omnibus tam futuris quam praeſentibus habeatur, praeſentis priuilegii noſtri auctoritate, ſubſcripto ſigni noſtri charactere, & Arnoldo Cancellario noſtro recognoſcente, teſtium quoque approbatione, omni munitionis iure corroborantes confirmamus.

Sententia noſtrae huius donationis, a Comite Hermanno requiſita & data, iudicio Principum ceterorumque Nobilium confirmata eſt.

Huius actionis teſtes hi ſunt:

Sigefridus Würtzeburgenſis Epiſcopus.
Albertus Miſnenſis Epiſcopus.
Gebehardus Würtzburgenſis Eccleſiae Praepoſitus.

Regenoldus

Digitized by Google

Regenoldus Hilleneſheimenſis Eccleſiae Praepoſitus.
Gebehardus Praepoſitus de Richenberge.
Canonici Hilleneſheimenſis Eccleſiae: Hermannus. Bruno. Iohannes. Bernhardus.
Fridericus Dux Sueuiae.
Hermannus Marchio de Baden.
Comes Hermannus de Wintzenburg.
Comes Poppo & frater eius Bertoldus.
Comes Wolframus de Wertheim.
Comes Poppo de Richenbach.
Comes Bertholdus de Nitha.
Comes Rapoto.
Bernhardus Vicedominus.
Heinricus de Buttenborch (forte Wurtenberg.)
Sigebodo de Stuben.
Dieterichus de Kichlingen.
Dietericus de Grone.
Dithmarus de Varesflete.
Diethericus de Holthuſen.
Comes Sizo.
Marquardus de Gruombach.
Albertus de Truhentingen.
Depperdus de Spileberch.

Signum Domini Conradi Rom. Regis Secundi Auguſti.

Ego Arnoldus Cancellarius, vice Heinrici Moguntini Archiepiſcopi & Archicapellani recognoui.

Datum Wirtzeburgi tertio Kal. Auguſti. Indictione tertia decima. Anno Dominicae Incarnationis M. C. LI. regnante Romanorum Rege Conrado Secundo Auguſto. Anno vero regni eius tertio decimo.

No. XVII.

Eugenius PP. III. Hildenſemenſi Eccleſiae interceſſore Raynaldo de Daſſel Praepoſito Abbatiam Ringelheimenſem confirmat. Anno 1153. Ex authentico Mſct.

EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Venerabili fratri *Bernardo* Epiſcopo, & dilectis filiis Canonicis Hildenesheymenſibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. In eminenti Eccleſie ſpecula,

ſpecula, diſponente Domino conſtituti, vniuerſarum Eccleſiarum prouentibus exacta diligentia debemus intendere, & que ad ipſas rationabiliter, Deo largiente, proueniunt, confirmatione ſcripti noſtri eis, & auctoritate Apoſtolica communire. Veniens ad Apoſtolice Sedis noſtramque preſentiam dilectus filius noſter *Raynoldus*, Eccleſie veſtre prepoſitus, in audientia noſtra expoſuit, quod illuſtris memorie *Conradus*, quondam Romanorum Rex, fulgore ſuperni luminis illuſtratus, pro anime ſue ſalute, Abbatiam in *Ringelheym* liberam & quietam vobis, & per vos Eccleſie veſtre ab eo, quod ipſe ibi de conſuetudine anteceſſorum ſuorum videbatur habere, dimiſit, ac, ne quod ab eo exinde geſtum eſt, procedente tempore, temeritate alicuius quaſſaretur, & ſucceſſorum ſuorum quilibet de illa Eccleſia vobis, aut ſucceſſoribus veſtris iniuriam irrogaret, aut aliquam ibi ſub obtentu alicuius conſuetudinis violentiam exerceret, factum ipſum, *Curialium ſuorum* & miniſterialium illius Eccleſie aſſiſtente conſenſu, auctoritatis Regie munimine roborauit. Cum igitur id antefatus filius noſter, prepoſitus, ſcripti noſtri petiit aſſercione firmari; & nos petitioni eius dignum duximus prebere conſenſum, & honori Eccleſie veſtre diligentius prouidere; factum ipſum auctoritate Sedis Apoſtolice confirmamus, & ratum futuris temporibus permanere ſancimus. Nulli ergo omnino hominum liceat huius noſtre confirmationis paginam aliqua preſumptione infringere, vel huic facto auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignacionem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli, Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Datum Laterani III. Non. Ianuarii.

No. XVIII.

Henricus Leo confirmat donationem ad Monaſterium Augiae minoris ſeu Weiſſenau ad Schuſſam fluuium prope Altdorfium, a Miniſteriali ſuo Gebizone fundatum.

Anno 1152. Ex diplom. Albae Augiae apud Lunig. Spicil. Eccleſ. T. III. p. 746.

ANNO denique milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo dominus *Gebiſo de Biſenberg*, fundator huius eccleſie, qui miniſteriali conditione & fidelitate annexus erat domino *HEINRICO*, *Duci Saxonie & Bauarie*, acceſſit ad ipſum in Saxoniam, in ciuitatem Merſeburg, vbi illuſtris Rex, dominus Fridericus, huius nominis primus, primo regni ſui anno, cum rege Danie & Nobilioribus regni ſui Pentecoſten celebrans ſolennitatem, negotia reipublice pertractabat. Cumque

 predictus

prediɛtus Dominus Gebiſo coram regibus & principibus aſſiſteret perſonaliter, de voluntate & conſenſu Domini ſui, *HEINRICI Ducis Saxonie & Bauarie*, Eccleſiam Augienſem cum prediis ſuis aquiſitis & aquirendis manumiſit, & libertate donauit, eamque de ancilla liberam fecit; & hanc libertatem priuilegio Domini ſui confirmauit. Quo peracto Dominus Gebiſo ad propria rediit, ac paulo poſt finiuit vitam, & in eccleſia Weingartenſi, in qua tunc nobiles terre ſolebant tumulari, ſepultus eſt.

Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus tam futuris, quam preſentibus, quod ego *HEINRICVS, diuina fauente clementia Dux tam Bauarie, quam Saxonie*, Heriuigeſriiti, Riwinesberc, Hunoldesberc, rogatu cuiusdam Miniſterialis mei, nomine Gebeſen, cuius hec allodia fuerunt, ſita in pago Schuſſengew, aſſentiente *Patruo meo, WELFONE*, cum omnibus pertinentibus ad ea, vtriusque ſexus mancipiis, edificiis, agris, paſcuis, terris cultis & incultis, ſiluis, aquis, molendinis, viis, exitibus, reditibus, queſitis & inquirendis, ſeu cum omni vtilitate, que inde poteſt prouenire, perpetualiter ſancto Petro in *Owe* habenda donaui fratribus, Deo & Sanctis eius ibi ſeruientibus. Preterea libertatem habeant omnes Miniſteriales & Litones, nobis proprio iure attinentes, ibi ſe ſuaque bona tam mobilia, quam immobilia conferendi. Concedimus etiam fori negotium ſine telonei ſolutione cum ſumptibus ſilue pro neceſſitate.

Hoc autem actum eſt Merſeburc in Pentecoſten, Anno dominice incarnationis Milleſimo, centeſimo, quinquageſimo ſecundo, Anno autem Friderici regis primo. Huic oblationi affuerunt:

Dominus Rex Fridericus.
Rex Swein de Thennemarch.
Welfo Dux.
Marchio Cunradus.
Marchio Adelbertus.
Fridericus Palatinus Comes.
Adolfus Comes.
Heinricus de Arnesberc.

No. XIX.

Concambium Gandersheimenſe cum Hermanno Winceburgico praeſente Henrico Leone peractum. Anno 1148. Ex veteri membrana habet etiam Maxime Reuerendus Dn. Harenbergius in Hiſt. Gandersh. p. 122.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Notum ſit omnibus tam preſentibus, quam futuris Chriſti fidelibus, qualiter ego Luitgardis, Dei

Dei gratia Gandrisheimenſis eccleſie Abbatiſſa, conſenſu & conſilio conſororum mearum & principum & nobilium miniſterialium, & litonum eccleſie noſtre conſamulantium, concambium quoddam erga Herimannum comitem feci, ſcilicet hoc modo: Comes Herimannus ſupraſcriptus XIV. manſos, X. in Bryneſſen, & in Haholdeshuſen, & in Hildebechteshuſen, & II. in Siboldeshuſen, atque item II. in Ellethehuſen, (Elueshuſen) cum omnibus pertinentiis ſuis in campis, in ſyluis, in pratis, in paſcuis, in exitibus, & reditibus, & in omni vtilitate, que dici poteſt, vel excogitari, contradidit eccleſie noſtre in concambio, pro ſolo loco caſtri, in monticulo *Schiltberc* dicto. Hanc autem traditionem absque omni contradictione heredum ſuorum confirmauit idem Herimannus iure perhenni in monaſterio noſtro in proprietatem. Et vt hoc concambium & hec traditio perenniter inconuulſe commaneat, & per tempora futura melius obſeruetur, veriusque credatur, impreſſione ſigilli eccleſie noſtre & ſupradicti Herimanni ſigilli impreſſione conſignari iuſſimus.

Acta ſunt hec in Gandrisheim, Anno ab incarnatione Dominica Milleſimo C. XLVIII. Indictione XI.

Regnante Rege Cuonrado; XI. autem anno regni eius.

Bernardo Epiſcopo Hildenesheim preſidente.

Arnoldo Cancellario regni.

Aduocato Eccleſie eodem Herimanno.

His teſtibus & cooperatoribus:

Gerdrute Prepoſita, Berta Decana, omnique congregatione & familia:

Principibus, Friderico Palatino, Athelberto Marchione, *HEINRICO Duce.*

Nobilibusque Folcwino, Widekindo de Sualenberc, Heinrico de Bodenburg, Hahold de Ruden, Hahold de Burnheim & aliis compluribus.

Miniſterialibus vero, Waltero Aduocato, Burchardo Camerario, Theoderico Dapiſero, Heimfrico Pincerna, Marcolſo, Iohanne, Gerhardo, Bertoldo, Dageberto, Baſilio Lendicone (Lenzecone) cum ceteris miniſterialibus & litonibus.

Carta iſta data eſt III. idus Iulii.

Digitized by Google

No. XX.

Bernhardus Hildesheimenſis Epiſcopus, contra mandata duorum Pontificum, Hermannum Comitem inueſtit de caſtro Wincenburg, captans caſtrum Homburg. (*) Anno 1150. Ex authentico Mſct.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Bernhardus Dei gratia Hildeneshemenſis eccleſie Epiſcopus. Notum ſit omnibus fidelibus Chriſti, clericis & laicis, preſentibus & futuris, quia ego Bernhardus Hildenſemenſis eccleſie Epiſcopus caſtrum *Wincenborg*, quod a duobus anteceſſoribus meis & a me ipſo Comes *Hermannus* in beneficio iuſto accepit, ſed offenſa Imperatoris *Lotharii* priuatus erat, michi & meis ſucceſſoribus, vt libre poſſideret eccleſia, libenter, ſi potuiſſem, volui conſeruare. Contrarius vero deſiderio meo predictus Comes, feodalem iuſtitiam de hoc caſtro ſepius a me requirens, & non proficiens, tandem per Regem & Principes ac nobiles homines meos, & miniſtros eccleſie, ſepiſſime quoque per canonicos meos, vt ſuper hoc obtineret iuſticiam, cepit ſatagere. Ita denique precepto Regis, & rogatu Principum, & conſilio amicorum meorum, cleri ſcilicet & populi, precipue quoque, ne pax eccleſie mee turbaretur, conceſſi & permiſi, quod Comes predictus caſtrum predictum ſuo iuri ſtabiliter requiſiuit feodali iuſtitia, cui contradicere non potui, & firma comprobatione ac teſtificatione nobilium & liberorum hominum meorum. Pro hac autem gratia predictus Comes & vxor ſua, Comitiſſa *Lutghardis*, filia Marchionis *Rodolfi*, caſtrum *Homborch* & manſos ducentos, cum omni vtilitate & iure attinenti, in mancipiis, in villis, in campis, in ſiluis, in pratis, in aquis & aquarum decurſibus, in molendinis, in molendinorum ſtationibus, in piſcaturis & venationibus, viis & inuiis, cultis & incultis, exitibus & reditibus, beate Marie in perpetuam proprietatem donauerunt, ea conditione appoſita, vt idem caſtrum & manſos ducentos ipſi & ipſorum filii & filie deinceps illorum heredes in beneficio reciperent, & michi & meis ſucceſſoribus pro eo, ſicut pro alio beneficio ſuo, fideliter ſeruirent. Predia vero, que cum caſtro dederunt, hec ſunt: Capella Huncenhuſen, cum tota villa, & omnibus prediis attinentibus: Vlrikeshagen cum omnibus attinentibus: predium Oſtereſſem cum omnibus attinentibus: predium Odolosdeshem cum omnibus attinentibus: Scorenburnen cum omnibus

*) Obiter adnotamus, quod Bernhardus ille paullo poſt, Anno 1153. ſcilicet, defunctus, merum ſilicernium, & vltimis decem vitae annis talpa caecior fuerit.

omnibus attinentibus. . . . Affuit autem huic donacioni vidua Comitis *Siffridi*, que coram ecclesia confeſſa eſt, ſe nihil iuris aut proprietatis in predicto caſtro aut manſis ducentis habere. Vt igitur hoc donum Comitis & Comitiſſe a filiis & filiabus ſuis, natis aut naſcituris, nequaquam poſtmodum infringeretur; ipſe Comes in reliquiis beate Marie virginis iuramento firmauit, predictos heredes ſuos, quantocyus legitimos annos impleuiſſent, vt etiam ſua collaudatione idem confirmarent, ſeſe adducturum. Duodecim quoque liberos homines, bonis eccleſie ab ipſo infeudatos, mihi & eccleſie tali conditione Comes dedit obſides, vt, ſi forte hoc promiſſum, velut dictum eſt, non impleret, omnes illi bona eccleſie, que prius a manu illius habuerunt, a me vel ſucceſſoribus meis reciperent, & pro eis nullum penitus ad ipſum reſpectum haberent; quorum hec ſunt nomina.

Ludolfus de Woltingerode.
Teodericus de Rikelinge.
Bernhardus Vice-dominus.
Berengerus de Poppenborch.
Henricus de Bodenborch.
Theodericus de Werder.
Adolfus de Nyenkercken.
Bertoldus de Homborch.
Haoldus de Burnem.
Arnoldus de Canteleſſem.
Haoldus de Rudem.
Gherung de Ruden.

Hic autem determinatum eſt, vt tempore inſtante, a me, vel ſucceſſore meo Comes ſuper hoc moneretur, & niſi legitima impediret neceſſitas, infra ſex ſeptimanas, illud impleret. Si autem de Comite fuiſſet ſuſpicio, quod fraude vel dolo promiſſum hoc protraheret, iuramento ſe expurgaret, & iterum nouiter ad terminum prefixum impleret. Inſuper quoque hec donatio in mallo Comitis *Bertholdi*, in cuius Comicia hoc caſtrum ſitum eſt, banno regali, ſecundum iudicium legis peritorum & ſcabinorum, nullo contradicente, confirmata eſt. Iſtis omnibus hoc modo peractis, ego Bernhardus, Hildenſemenſis Epiſcopus, portans reliquias beate Marie Virginis, quas & in mallo Comitis *Bertholdi* mecum habueram, predictum caſtrum, cum clericis & militibus meis intraui, &, ſicut ſcabini & legis periti iudicauerunt, iure proprietatis die & nocte poſſedi. Ibi Comes & Comitiſſa quendam miniſterialem ſuum, Engelgerum nomine, ad predictum caſtrum pertinentem, beate Marie

 ad

Digitized by Google

ad confirmationem predictorum donauerunt, & a cuſtodibus eiusdem caſtri iuramento & fide interpoſita mihi firmatum eſt, ſi forte Comes & Comitiſſa absque filiis & filiabus obirent, idem caſtrum mihi vel meis ſucceſſoribus ſeſe reddituros. Idem mihi factum eſt a cuſtodibus *Wincenburg* in monaſterio ſancti Adriani in Lameſpringe: Preterea Comes *Hermannus* decimam in Otfrideſſem, quam ſuo beneficio dudum addixerat, mihi ad perpetuum vſum Epiſcopi, cui maxime neceſſaria eſt, omnino reſignauit, & centum marcas argenti ad vtilitatem eccleſie perſoluit. Eadem quoque beniuolentia predictus Comes predium quoddam, ſitum in villa Thinkelar, quod ipſe & frater ſuus, Comes *Henricus*, cum eis beneficium Comitis *Siffridi* conceſſi, mihi pro quinquaginta marcis impignorauerant, & ſine redemptione abſtulerant, donec predicta ſolueretur pecunia, mihi reſtituit. Pro tanta ergo humiliatione & ſeruicio Comitis *Hermanni*, quo ipſe propria benignitate, & rogatu Comitiſſe vxoris ſue, me & eccleſiam meam honorauit, Ego quoque Bernhardus Epiſcopus vniuerſum beneficium ſuum & ambo caſtra ſibi & vxori ſue & filiabus ſuis conceſſi, huiusmodi adiecta gratia, ſi filios illis diuina miſericordia daret, primo primus, dum viueret, ac deinde ſecundum aetatem quicunque primus mortuo proximus fuiſſet, predictum beneficium feodali iuſticią poſſideret. Hic quoque determinatum eſt, quandocunque & quoscunque Comes & Comitiſſa predicto caſtro cuſtodes imponerent, idem illi mihi vel meo ſucceſſori iuramento firmarent, ſi forte Comes & Comitiſſa absque filiis & filiabus obirent, ambo caſtra mihi vel meo ſucceſſori, ſicut liberam eccleſie poſſeſſionem, ſeſe reddituros. Determinatum eſt etiam, vt Comes & Comitiſſa & ipſorum filii *Homburg* & *Wincenburg* nulli vnquam in beneficio concederent, immo, vt *Homburg* & *Wincenburg* mihi & ſucceſſoribus meis & hominibus eccleſie, ſi digna cogeret neceſſitas, promptiſſime ſemper in adiutorium & receptaculum paterent. Diffinitum eſt etiam, vt ego ipſum Comitem, ſi a quoquam iniuſte grauaretur, ſicut meum fideliſſimum & eccleſie beniuolum tutorem, pro debito meo conſtanter iuuarem.

Acta vero & terminata ſunt hec Hildesheim, preſente Domino *Hardwico* Bremenſi Archiepiſcopo, aliorumque amicorum meorum conſilio, cleri ſcilicet & populi, dominice incarnationis Anno MCL. Indict. XIII. VIII. Ydus Maii.

Teſtes autem, qui hec audierunt & viderunt, qui in tractato vel terminato negotio mecum aderant, infra notati ſunt:

Dominus Hardwicus, Bremenſis Archiepiſcopus.

Reynoldus ſummus Prepoſitus.

Benno

Benno maioris eccleſie Decanus, & ſancte Crucis Prepoſitus.
Burchardus maioris eccleſie Theſaurarius & ſancti Mauricii Prepoſitus.
Bruno maioris eccleſie & beati Petri Goslarie Prepoſitus & ceteri maioris eccleſie Canonici: Hermannus. Iohannes. Rubertus. Iohannes. Thadiko. Bruno. Otto. Werno. Gerlagus. Bernhardus. Eſicus. Hermannus. Bertoldus. Eilardus. Erpo. Ekhardus. Magiſter Conradus. Theodericus.
Burchardus, abbas ſancti Michaelis.
Fritericus, abbas ſancti Godehardi.
Gherardus, Richenberge Prepoſitus.
Guntherus, Heninge Prepoſitus.
Hartwardus, Lameſpringe Prepoſitus.
Tancherus, ſancti Bartholomei Prepoſitus.
Ethilerus, Betzingerode Prepoſitus.

Nobiles quoque ſeu liberi:
Ludolfus de Woltingerode.
Theodericus de Rikelinge.
Bernhardus Vicedominus.
Comes Wulbrandus.
Comes Berengerus de Poppenborch.
Comes Henricus de Bodenborch.
Comes Theodericus de Werthere.
Adolfus de Nyenkerken.
Cono de Arbergen.
Widekindus de Hottonem.
Bertoldus de Homborg.
Hoaldus de Burnem.
Arnoldus de Canteleſſem.
Hoaldus de Ruden.
Gherungus de Ruden.

Miniſteriales quoque eccleſie:
Ludolfus Aduocatus.
Luppoldus & Hugo frater eius.
Eitzo de Eilſtringe; & Rodericus frater illius.
Odelricus de Riuo.
Cono de veteri foro.
Iſerus & Conradus & Siſridus de veteri villa.

Egbertus

Egbertus & Walterus de Tosheym.
Conradus de Harleſſem.
Theodericus de Mathegeshuſen.
Bernardus de Lengede.
Erneſtus Dapiſer.

Et cum his omnibus numeroſa multitudo proborum virorum, quorum nomina occaſione vitande prolixitatis ſcripta non ſunt. Vt ergo hec omnia, que pro vtilitate & pace eccleſie facta ſunt, rata ſemper & inconuulſa permaneant, predictus Archiepiſcopus, rogatu meo, & ego cum illo, authoritate beati Petri & Eugenii pape, noſtro banno ea firmauimus, & ego preſentem paginam ſigillo meo in teſtimonium veritatis & vniuerſe actionis ſignaui & corroboraui. Statuimus quoque vt ſicut hec omnia, que dicta, firmauit noſtre autoritatis municio, ſic ad maiorem noſtre actionis firmitatem Comitis *Hermanni* firmaret ac corroboraret ſigilli ſui impreſſio.

Appenſum eſt Sigillum, in quo Epiſcopus ſedens in Faldiſtorio: circumſcriptum: SIGILLVM BERNHARDI EPISCOPI HILDEHESHEIMENSIS.

No. XXI.

Innocentii PP. II. mandatum de non alienando caſtro Wincenburg. Anno 1135. Ex authentico Mſct.

INNOCENTIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Venerabili fratri B.... Hildenſemenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sicut eccleſia res alienas non debet rapacitatis ſtudio vſurpare; ita poſſeſſiones ſuas cuiuslibet deſidia vel fauore non debet amittere; nec dubium, quin ea, que ſemel diuini iuris fiunt, in alios vſus nulla poſſunt ratione transferri. Ea propter auctoritate apoſtolica conſtituimus, & ſub anathemate interdicimus, ne caſtrum *Wintzenborc*, a manu vel dominicatu Hildenſemenſis Epiſcopi inbeneficiandi vel ſubtrahendi, tibi vel ſucceſſoribus tuis licentia pateat. Adicientes etiam, vt, quisquis ad dampnum eiusdem Eccleſie idem caſtrum per violentiam occupare preſumpſerit, vsque ad ſatisfactionem excommunicationi ſubiaceat. Dilectum autem filium noſtrum, Tidericum, Eccleſie ſupradicte prepoſitum, ita pro noſtra reuerentia diligas & honores, ita eum de caro habeas cariorem, vt & ipſe preces noſtras apud te ſibi ſentiat profuiſſe, & nos deuotioni tue pro eo referre gratias debeamus.

Data Piſis VII. Kal. Decembris.

Digitized by Google

No. XXII.

Idem mandatum iteratum per Eugenium PP. III. Anno 1149. Ex authentico Mſct.

EVGENIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri B. epiſcopo, & dilectis filiis, clero & populo Hildenſemenſis Eccleſie, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quemadmodum predeceſſores noſtri Romani pontifices Hildenſemenſem Eccleſiam & ciuitatem, tamquam Regni Teutonici famoſam & nobilem, dilexiſſe noſcuntur; ita & nos eorum veſtigia ſequentes, eandem ampliori caritatis affectu diligere volumus & fouere, & ad ipſius honorem diligentius intendere. Hoc ſiquidem intuitu predeceſſor noſter felicis memorie, Papa Innocentius, tibi, frater Epiſcope, precipiendo mandauit, vt caſtrum *Wincenborgh*, quod ad ius Hildenſemenſis Eccleſie pertinere dinoſcitur, nulli vnquam in beneficium traderes, nec aliquo modo alienares, ſed ad ipſius Eccleſie vtilitatem futuris ſemper temporibus permaneret. Nos itaque, quorum precipue intereſt, bene geſta firmare; auctoritate apoſtolica prohibemus, vt neque tu, neque aliquis ſucceſſorum tuorum, prefatum caſtrum inbeneficiandi, aut aliquo modo alienandi facultatem habeatis, ſed ad ipſius vtilitatem Eccleſie liberum, & absque alicuius peruaſione perpetuis temporibus manere decernimus. Si quis autem aliquo vnquam in tempore auſu temerario idem caſtrum inbeneficiare ſeu alienare, aut in beneficium recipere vel occupare preſumpſerit, nouerit, ſe cum fautoribus ſuis pro tanto exceſſu excommunicationis vinculo innodandum. Nihilominus tibi, frater Epiſcope, precipiendo mandamus, quatinus de Goslarienſibus, qui, ſicut accepimus, prepoſituram dilecti filii noſtri C. dum in noſtro eſſet ſeruitio, violenter inuaſerunt, infra XL. dies canonicam ei iuſtitiam facias. Eundem etiam prepoſitum, & dilectum filium noſtrum R. Eccleſie tue Canonicum, caritati tue attentius commendamus.

Datum Viterbii, VI. Kal. Iunii.

No. XXIII.

Victoris PP. IV. mandatum de non alienando caſtro Wincenburg. Anno 1160. Ex authentico Mſct.

VICTOR Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili fratri H. (Hermanno) Hildenſemenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sacroſancta Romana Sedes filios ſuos, pre-

Digitized by Google

ſertim religione & honeſtate magis familiares, pio ſemper affectu coluit & fouit. Quia igitur, frater venerabilis, ſanctitatis tue antiqua cognitio plurimum te nobis commendabilem reddidit, quecunque ad tuum & Eccleſie tue honorem ſeu commodum ſpectare noſcuntur, ſpeciali deuotionis intuitu ſemper volumus prouidere; inde eſt, quod, quieti & tranquillitati Eccleſie tue conſulere cupientes, in verbo Domini precipimus, quo neque tu, neque tuorum ſucceſſorum aliquis caſtrum Wincenborch, quod ad munimentum Eccleſie Hildenſemenſis conſtructum eſt, alicui laicorum infeodare, vel aliquo modo ab vſu & dominicatu Epiſcopi Hildenſemenſis audeat alienare. Quod ſi quis attemptare preſumpſerit; & dator & acceptor, ſeu inuaſor, vel quomodo libet alienator, anathemati ſubiaceat, & nemo eum absque Apoſtolica auctoritate abſoluere preſumat. De cetero diſcretionem tuam monemus & exhortamur in Domino, vt in deuotione & ſeruitio ſancte matris tue, Sacroſancte Romane Eccleſie, & noſtro talem te ſtudeas exhibere, quod dilectio noſtra circa te ſemper augmentetur in melius, & nos in tuis petitionibus ſemper promptiores eſſe poſſimus.

Datum Papie XV. Kal. Martii.

No. XXIV.

Eiusdem Victoris IV. PP. confirmatio priuilegiorum Eccleſiae Hildenſemenſis. Anno 1160.

Ex authentico Mſct.

VICTOR Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſe eccleſie Hildenſemenſi in perpetuum. Iuſtis petencium deſideriis facilem nos conuenit impartiri conſenſum, & vota, que a racionis tramite non diſcordant, effectu ſunt proſequente complenda, quatinus deuocionis ſinceritas laudabiliter innoteſcat, & vtilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Ea propter, dilecti in domino filii, racionabilibus veſtris peticionibus clementer annuentes, eccleſiam Hildenſemenſem cum omnibus ſuis bonis ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus, ſtatuentes, vt, quascunque poſſeſſiones, quecumque bona eadem eccleſia in preſenciarum iuſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largicione Regum vel Principum, oblacione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis preſtante domino, poterit adipiſci, firma vobis veſtrisque ſucceſſoribus &

illibata

illibata permaneant. Preterea inhibemus & autoritate apoſtolica omnino interdicimus, vt nullus Aduocatorum aut alius quilibet Laycus preſumat de cetero moriencium clericorum bona inuadere, vel aliquo modo diſtrahere, aut iuſticiam epiſcopalem ſeu clericorum vſurpare vel diminuere. Decernimus ergo, vt nulli homini omnino liceat prefatam eccleſiam temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere ſeu aliquibus vexacionibus fatigare, ſed illibata omnia & integra conſeruentur, eorum, pro quorum gubernacione & ſuſtentacione conceſſa ſunt, vſibus omnimodis profutura, ſalua nimirum in omnibus ſedis apoſtolice authoritate, & dyoceſani Epiſcopi canonica iuſticia. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisue perſona hanc noſtre conſtitucionis paginam ſciens, contra eam temere venire temptauerit, ſecundo tercioue commonita, niſi preſumptionem ſuam congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe diuino iudicio exſiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſanctiſſimo corpore & ſanguine Dei & domini noſtri Iheſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte vlcioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem eccleſie ſua iura ſeruantibus ſit pax domini noſtri Iheſu Chriſti, quatinus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen.

Datum Papie per manum Magiſtri Gherardi, ſancte Romane eccleſie Subdiaconi XIII. Kal. Octobr. Indictione IX. Incarnacionis Dominice Anno M°. C°. LX°. Pontificatus vero domni Victoris Pape IIII. Anno II°.

No. XXV.

Henrici Leonis donatio ad Richenbergenſe Monaſterium, longo & miro teſtium ſyrmate incedens. Anno 1154. Ex Heinecc. Antiq. Goslar. p. 149.

IN nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia dux Saxonie & Bawarie. Quoniam Deus, cum ſit omnipotens, poteſtatis ſue regimen nobis aliquatenus communicare dignatus eſt; valde congruum arbitrari debemus, munificentiam eius quanta poſſumus deuotione regratiare, quatinus diuinitus conceſſa beneficia poſſimus vberius conſeruare, & aliquantam boni meriti portionem ipſo clementer amminiculante noſtris animabus preparare. Huius rei gratia contuli eccleſie Richenbergenſi, pro anime mee remedio, de iuſta patrimonii mei hereditate duos manſos, in Rantiggerode ſitos cum vni-

uerſis vtilitatibus ad ipſos pertinentibus, qui fuerunt beneficium cuiusdam miniſterialis mei, Godefridi, filii Lendikonis, de riuo, qui Ruma dicitur; ſed ipſe michi eos ad hoc, vt eccleſie conferrem, reſignauit. Verum quia beatiſſime genitricis dei patrocinio me vberius contutari exopto, viſum eſt michi, conſentientibus in hoc ipſum miniſterialibus meis, id ſuperaddere, vt, quicquid iuris & proprietatis poſſederam in monte qui vulgo Nortberch dicitur, predicte eccleſie in poſſeſſionem legitime hereditatis ex integro contraderem, quatinus memoriam meam cunctis inibi conſiſtentibus, preſentibus & futuris, inpoſterum cum benedictione relinquerem. Dedi igitur eccleſie Richenbergenſi quicquid in predicto monte proprium habui, cuius termini ſunt a torrente, qui dicitur Schobike vsque ad riuum qui appellatur Grana, preſente prepoſito eiusdem eccleſie *Ludolfo*, itemque *Annone* miniſteriali meo, aduocato Goslarienſi, & Herezone ciue Goslarienſi, quorum vterque in eodem monte beneficium a me poſſederat, ipſisque donationem meam ſuo conſenſu collaudantibus. Proinde ad perpetuam huius largitionis confirmationem preſentis pagine teſtimonium ſigilli mei impreſſione fideliter communitum prepoſito & eccleſie contradidi, conteſtans omnes preſentes & futuros, ne quisquam heredum meorum hanc meam donationem reſcindere aut irritam facere preſumat. Quod ſi ſciens huius rei veritatem contraria temptauerit, niſi ſe correxerit, iuſti iudicis IESV CHRISTI & ſancte genitricis eius virginis Marie, que eiusdem eccleſie principalis contutatrix eſt, vltioni ſubiaceat. Teſtium, qui preſentes fuerunt hec ſunt nomina. Clerici: Ericus archidiaconus.

de Richenberg — diaconi
Liudolphus prepoſitus, & fratres eius Gerhardus & Rudolphus.
montis Sancti Georgii — presbyter — de Sancto Iacobo
Benno prepoſitus, & Wicbertus. Tidericus; Laici liberi:
de vvalriggerod
Liudolphus comes, & fratres eius Burghardus & Hagerus; Bern-
hildenesheimenſis — de Werniggerod — de meneriſchheim — de Svvalen.
hardus vicedominus. Adelbertus. Liuthardus. Volcouin.
de lippa — de Seildeberg — de getlide
Hermannus. Geroggus. Widego, & frater eius. Adelhartus.
de Hagen — de Riudim — de burne
Guncelinus. Eggebertus filius Haoldi, & Iohannes filius Haoldi.
de burchtorpe — de Dorſtide — de heimburg — de vvida
Adelhardus. Arnoldus. Miniſteriales. Anno. Heinricus.
de hertesberg — de Oſterrod — de Wulferburele — de guſtidde — de derſe
Liuppoldus. Wernerus. Burchardus. Hermannus. Tiedolfus.
de Oſterrod — de Brunſuic — de Wulferburele
Liuchardus. Liudolphus filius Baldewini. Ecbertus & Borchardus
de volcmariggerod
filii Borchardi. Henricus filius Annonis. Fredericus. Baſilius.

Alexander

Eremberti de ſtouſen borch
Alexander. Rudolphus filii. Herewigus. Bertoldus. Erenbertus.
de Derdsheim de Goslaria de Liuneborch de
Edo. Witekindus & Herezo fratres. Walmodus. Sigebodo
pagim de othberg de pagim
frater Bertoldi. Cunnemannus. Bertholdus. Liudolſus filius
de herre de vvalmoden de vverele de gerdine
Bertholdi. Volcmarus. Tidelinus. Tiadolſus. Gerhardus.
de Eimbike de Bomkenhuſen de nankeſſem
Arnoldus. Madelgerus, & frater eius Eilardus. Hartmannus.
Rodolphi filius Herezonis
Vrbani goslarienſes. Odelricus filius. Bodo & Giſelbertus frater
eius & filii eius Garſilius. Bodo & Herezo. Liuddagus & Tidolſus
Wicburgis aduocatus richenbergenſis
frater eius. Volcmarus filius. Thiedericus & fratres eius Erenber-
cuius fuit beneficium
tus & Tidolſus. Arnoldus & fratres eius Henniko & Thiedolſus.
Conradi albus officialis officialis
Herezo. Conradus filius. Hermannus. Fridericus. Bene &
ameconis Woſſiggi niger
filius eius benno. Thiedericus filius. Bodo filius. Rodolſus.
filius VValderi
Adalwardus. Aluoldus. Fridericus & fratres eius Honoldus &
linarius aurifex linarius linarius
Heinricus. Reinwardus. Wernerus. Godeſcalcus. Reinzo.
albus lapicida filius Wicelonis
Thiedericus. Thiedericus. Godefridus. Landfridus & filii eius
nicalar ruffus
Landfridus & broder. Eliko. Rickbertus. Wizelo. Volcmarus.
ruffus filius Odelrici albus
Robertus. Rodolſus. Odelricus. Heinricus. Hartmannus.
campanarius niger de ſcō vito paruus
Godwinus. Eluizo. Gerhardus. Bernhardus. Hawardus.
follitularius. ſcutarii aurifex ſellarius pugil
Hizelo. Rocelinus & Achilles. Thancmarus. Ode. Gerwar-
gener domine de celem & ipſe de Oſterrod Fucarius
dus. Wildinus. Liuderus. Hugoldus. Wideking.
Thancwardus, & alii quamplures.

Anno Dominice incarnationis M°. C°. LIIII°. Indict. II. III°. Non. Iun. tertio anno Frederici regis. Primo uero Brunonis epiſcopi Hildenesheimenſis. Actum goslarie feliciter. Amen.

Digitized by Google

No. XXVI.

Henricus Leo ex praediis ſuis Longobardicis Caualilium donat Monaſterio ad Carceres. Anno 1154. Ex Murator. Antiq. Eſtenſ. Part. I. p. 287.

In nomine Domini Dei & Hominis. Anno eiusdem ſecundum aſſumptam humanitatem poſt Milleſimum Centeſimum Trigeſimum Sextum, Quarto Idus Februarii, Indictione Secunda. Cum Eccleſiae Beatiſſimae Mariae ſemper Virginis, Matris Domini noſtri Ieſu Chriſti, conſtructae in Paduano diſtrictu, *Ateſtenſi territorio noſtro*, in hoc videlicet, vbi *Carceres* nuncupatur, & vbi Venerabilis Pater *Ripandus*, & Fratrum congregatorum Rector, & Praeſidens illius venerabilis loci, in quo diuina miſteria intime celebrantur, hoſpitibus vbique locorum aduenientibus maxime miniſtrantur, Nos HENRICVS diuina fauente gratia DVX SANSONIAE, audientes ſupradicta, & perſonaliter videntes, affectantes etiam ſupplicationes Magiſtri Rambaldi, Archidiaconi Maioris Eccleſiae Sanſonienſis, dilectiſſimi *germani* noſtri atque Capellani, qui multoties ſupplicauit, vt de bonis noſtris Eccleſiae memoratae aliquid donaremus. Quod cum ad noſtrum dominium ſpectent multa oppida, caſtra, atque rura, ſita in Marchia Triuiſana, de quibus nullam vim facimus enarrare per ordinem, niſi partem, & ea quae in Veronenſi diſtrictu habemus, & plenarie poſſidemus, videlicet Comitatum & Terram noſtram *Cauallili* cum toto eius diſtrictu, & territorio, tam vaſallorum, quam emphiteotarum ſpectantium ad dictam terram & Comitatum, eiusdem tamen iura Vaſallorum ſalua, ita tamen, quod non poſſint vendere, donare, nec pro anima iudicare, nec aliquam permutationem facere, niſi filiis ſuis liberis ex ſe deſcendentibus, vel dicto Monaſterio pro remedio animae noſtrae, & eorum omnium, quibus ſucceſſimus, aliquid de bonis noſtris bono animo dare, & offerre decreuimus, attendentes illud praeceptum Euangelicum, quia ſi pro amore Dei de bonis noſtris in eleemoſinas Eccleſiis & aliis elargimur, non ſolum omnia erunt nobis munda, verum in hoc ſeculo centuplum recipiemus, & quod melius eſt, in futuro cum Angelis & Electis Dei aeternam vitam poſſidebimus. Offerimus itaque atque elargimur tibi, Ripande, & Eccleſiae ſupradictae, totam villam *Cauallili* cum toto eius territorio & diſtrictu, cum pertinentiis infra ſcriptis, & cum iuribus ſuperioribus & inferioribus a coelo vsque ad abyſſum cum domibus, terris, cultis & incultis, pratis, ſiluis, nemoribus, paſcuis, paludibus, aquis,

aquarum

aquarum ductibus, tam intra ducentibus, quam extra ferentibus per Atheſis alueum, habendo etiam decurſum per foueam Biſigiati vsque in paludes Malteae, & dictam foueam cum ageribus, cum omnibus piſcationibus ſupradictarum aquarum, tam paludum, quam aliarum, & cum omnibus *venationibus* animalium & volucrum. Inſuper concedimus & donamus plenam atque liberam poteſtatem ponendi, & habendi piſcationes in omnibus aquis, lacubus, atque paludibus Merlariae, & faciendi cogolas graas in dictis aquis, & cum omnibus generibus retarum tam ſagenarum, quam aliarum rerum ad capiendos piſces longos & curtos, operandi ad vtilitatem fratrum exiſtentium Cauallili.

Hae vero ſunt coherentiae dictae terrae. A latere Orientis ora que Auguciarum nuncupatur iuris Merlariae; a parte Meridiei ora, quae dicitur Cratarolum de ſupra dicta terra; a latere Occidentis iura villae Begoſſii noſter diſtrictus; a parte vero Settentrionis iura Terracii & Merlariae. Praeterea offerimus atque donamus Eccleſiae ſupradictae dignitates noſtri Comitatus, & iurisdictionem plenam dictae terrae noſtrae Cauallili, veluti a mero imperio plenarie & libere nos habemus, vt de cetero Rectores ſupra nominatae Eccleſiae, qui ſunt vel in futuro erunt, habeant liberam atque plenam poteſtatem ponendi Vicecomitem, vel Vicecomites in dicta terra Cauallili, qui plenarie poſcentibus, & non poſcentibus, rationem de omnibus litibus, quaeſtionibus, maleficiis, & non maleficiis, iudicandis & abſoluendis, ponendi fodrum, datium victualium, & non victualium, atque rerum omnium, ponendi etiam Decanos, Maſſarios, Camparios, atque Officiales omnes praedictae terrae Cauallili, ponendi Angarias & perangarias, banna, luendi ea, ea abſoluendi, & condemnandi omnes, qui in dictis bannis ceciderint, & faciendi ex eis quicquid melius ſibi fore gratum ſine contradictione aliqua aliquorum, & omnia quae ſpectant ad ſuum commodum & honorem dictis Ruſticis imponantur, veluti Comes verus, primus, liber, & absque ſeruitute aliqua aliquorum Dominorum. Et iterum offerimus, & largimur Decimam totius curiae & diſtrictus Caualili, ſicuti plene & libere habemus in priuilegio Venerabilis viri, Epiſcopi noſtri, & in confirmatione Sanctiſſimi noſtri Papae Caliſti I. per me Notarium viſis & lectis, tam de terris, quam de aquis, & pratis, legnaminibus, animalibus, magnis & paruis, apiculis, auibus domeſticis, & ſilueſtribus, de piſcibus, molendinis, piſtrinis, cabalaticis, circlariis, atque de rebus omnibus, de quibus Antiqui dare Decimam conſueuerunt. Tali vero pacto omnia memorata offerimus & donamus, quod dicta Eccleſia & Rectores teneantur ſemper habere ibi domum in .... praeter guerrarum tempora,

pora, vel alia euidenti de cauſa; & cum poſſibilitas adfuerit, quod per praedictos Coenobium ibi fiat, in quo de dictis Fratribus permaneant, & diuina Officia pro animae noſtrae, Anteceſſorum, atque Succeſſorum noſtrorum, & aliorum viuorum & defunctorum attentiſſime celebrare teneantur. Et inſuper quod praedicta omnia non poſſint vendere, donare, nec vllo modo dictam poſſeſſionem totam, nec partem alienare quoquo modo, ingenio, vel pacto; ſed ſemper firmam, ratam, atque illibatam pertineant in ſubſtentationem ſupradictorum. Et ſi contra praedicta fecerint, omnia memorata ſint irrita, inania & vacua, & dicta omnia perueniant Domibus Vltramarinis in auxilium & iuuamen Terrae Sanctae. Attendentes autem omnia nominata, & eo quidem modo, hanc facimus oblationem, quatenus a praeſenti die & hora in antea dominium eius in te & tuam Eccleſiam ſit translatum; & facies exinde tu & Succeſſores tui ad vtilitatem Eccleſiae tuae, quicquid iuſte & legaliter facere volueritis, ſine omni omnium noſtrum heredumque noſtrorum contradictione. Et ſpondemus atque promittimus Nos & heredes noſtri vobis cui ſupradicto omnia ..... ad affectum, totum, vel partem ab homine defenſare, & ſi defendere non potuerimus, aut ſi vobis exinde aliquid per vim ingeniumue extorquere cognouerimus, tunc in duplum eandem oblationem, vt ſupra legitur, Eccleſiae memoratae reſtituemus, ſicut pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit ſub aeſtimatione in conſimili loco.

Actum eſt hoc in Dolone feliciter Eſten .... manibus Magiſtri Rambaldi Archidiaconi, Ruberti Canonici Sanſonienſis Eccleſiae, Guidonis .... Vincentini, Griphonis, & Iohannis Cauſidicorum, Oderici de Palatio .... Adernardi Militis dicti Ducis, Maltrauerſi de Caſtronouo, atque Vgolini Vicecomitis Eſtenſis teſtium.

Ego Draſolphus Sanſonienſis, *Notarius Welphonis Ducis*, interſui, & praedicta omnia iuſſu legi, ſubſcripſi.

No. XXVII.

Henricus Leo Miniſterialibus ſuis copiam facit legandi ad Eccleſiam de Itingen. Anno 1155.

ex Max. Reuer. Dn. P. Hergott Genealog. Habsburg. T. II. qui continet Codicem Probationum p. 179.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *HEINRICVS* Dei gratia *Bauarie & Saxonie Dux*. Quoniam Deo, immutabili bonorum omnium auctori, placent omnia bona rata & firmata, credimus & nos placere

ei,

ei, ſi in hac parte emulatores eiusdem vtcunque fuerimus. Notum ergo eſſe volumus omnibus, tam preſentis, quam futuri temporis Chriſti fidelibus, quod nos, pro remedio anime noſtre & parentum noſtrorum, eccleſie Dei & S. Laurentii, *Itingen*, *ex hereditate noſtra & parentum noſtrorum conſtructe*, libera donatione conceſſimus, vt quicunque *miniſterialium noſtrorum*, ſpiritu bonitatis inſtinctus, vir, ſiue mulier, eo *aliquid allodii* ſui pro elemoſina conferre voluerit, cum beneplacito noſtro & permiſſu id faciat, nec ab aliquo noſtre partis offenſam ſuper hoc ſentiat, ſed magis noſtra propitiatione munitus de benefacto ſuo gaudeat. Vt autem huius conceſſionis donatio rata & inconuulſa permaneat, Kartam hanc conſcribi & ſigillo noſtro inſigniri iuſſimus, teſtibus his:

Bernardo Hildinisheimenſi Vicedomno.
Adelgozo Auguſtenſi Aduocato.
Heinrico de Stouſe.
Comite Alberto de Werningerod.
Comite Chriſtiano de Aldenburc. i. e. Oldenburg.
Manegoldo de Odolueſwanc.
Luppoldo de Hircsb.
Herimanno Mariſcalco de Rauenesburc.
Meingozo de Ruden.
Wernero Mariſcalco.
Alberto de Rambreteshouen. atque aliis quam pluribus, liberis & miniſterialibus noſtris.

Acta ſunt hec Aſte ciuitate Lombardie, rogatu Gelperadi fratris Conuerſi.

Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti MCLV.

No. XXVIII.

Wibaldus apud Fridericum I. Imperatorem accuſat Widekindum de Swalemberg homicidii & Comitem de Tecklenburg ſpolii cauſa. Anno 1156. Ex Cod. Wibald. epiſt. 412. p. 577.

INCLYTO triumphatori & glorioſo domino ſuo Frederico Dei gratia Romanorum Imperatori auguſto, a Deo coronato, magno & pacifico, frater Wibaldus Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, in eo imperare & regnare, qui dat ſalutem Regibus. Licet rerum veſtrarum ſtatum, & victoriarum veſtrarum gloriam per ſacratiſſimos affatus veſtros cognoſcere non meruerimus, tamen, quoniam fama referente,

Digitized by Google

quae interdum incerta pro veris ſpargere ſolet, de ſoſpitate & proſperitate veſtra verbum bonum, verbum conſolatorium accepimus, omnium bonorum largitori deuotas & aſſiduas grates referimus, ſupplici prece cum fratrum noſtrorum collegio Dei miſericordiam deprecantes, vt vobis longaeuos dies tribuat, & eosdem ſemper in ſua pace feliciter diſponat, & omnes inimicos veſtros ſub pedibus veſtris celeriter conterat. Suggerimus autem ſerenitati veſtrae, quod Oſnebruggenſes Epiſcopi quasdam decimationes non paruae vtilitatis in Nortlandia Corbeienſi eccleſiae iam per longa tempora abſtulerint, in cuius detrimenti reclamatione nos diuina & veſtra freti gratia, in tantum proceſſimus, quod dominus Papa vices ſuas in hac cauſa domino Magdeburgenſi Archiepiſcopo commiſit, qui etiam tam nos, quam dominum Oſnebruggenſem epiſcopum ad praeſentiam ſuam in ciuitate Merſeburch, vigeſima prima die menſis Ianuarii euocauit. Qua propter clementiam veſtram, de qua non parum confidimus, obnixe flagitamus, vt eidem domino Archiepiſcopo imperiales apices deſtinare dignemini, quatenus pro veſtrae iuſſionis reuerentia, cauſam noſtram benigne ſuſcipiat, & ſine dilationis impedimento definiat, nec eccleſiae Corbeienſi aliquatenus obſiſtat, quod dono & priuilegiis anteceſſorum veſtrorum easdem decimationes a fundatoribus ſuis accepit, & longis temporibus in quiete & pace poſſedit, & ſine omni iuris ordine per manifeſtam violentiam amiſit.

Praeterea maieſtatis veſtrae pedibus & animo & corpore aduoluti, iteratam querimoniam ad veſtrae celſitudinis aures referimus de occiſione *Thideri comitis de Huxaria*, qui in expeditione veſtra Italica vobis ſtrenue ac fideliter ſeruiuit, quem *dominus Widekindus de Sualemberch*, ſedentem in iurisdictione ſua, quam hereditariam ſibi a nobis iure obtinuerat, ſuper conſecratum eccleſiae murum propriis manibus cum ſatellitibus ſuis interemit. Inſuper tam nos, quam omnes fratres noſtri potentiae veſtrae flebiliter conquerimur, quod *Comes de Tekeneburch* bona noſtra, & fratrum noſtrorum & pauperum, qui de hoſpitali viuunt, violenter occupauit, volens nos praedis & rapinis perurgere, vt praedium quoddam, quod eccleſia Corbeienſis in tempore quatuor praedeceſſorum noſtrorum abbatum quiete poſſedit, nos absque legum ratione dimittamus, cum nos parati ſimus & ei multociens obtulerimus in veſtro iudicio, ſiue Ducis, ſiue Comitis, nos pro eodem praedio velle ſtare, &, ſi per legem amiſerimus, ſine impedimento a poſſeſſione recedere.

No. XXIX.

Digitized by Google

No. XXIX.

Henricus Leo Friderico I. Imperatori ſignificat, quam ſententiam in placito Corbeienſi tulerit contra Widikindum illum homicidam. Anno 1157. Ex Cod. Wibald. epiſt. 425. p. 588.

SERENITATI veſtrae ſignifico, quod *Widikino de Sualemberg* fore facta ſua remiſimus ſub hac poenitentia, conſilio & petitione domini Patherburnenſis Epiſcopi & fratris ſui *Folcuini*, nec non aliorum amicorum ſuorum. In placito, quod Corbeiae in Rogationibus habui, omnem Teutonicam terram, quam nobis Rhenus diuidit, foriurauit, ad feſtum ſancti Iacobi tranſiturus, nec vmquam, niſi mea vocatione, reuerſurus. Prius autem domino abbati Corbeienſi, nec non viduae & pupillis *Theoderici Comitis*, quem occidit, ſecundum conſilium & praeceptum meum ſatisfaciet & placabit. Caſtrum meum *Daſenberch*, remota omni conditione vel verbo gratiae, recepi, ſicque is, qui prius beneficia ſua beneficiali iure a me perdidit, hoc quoque dimiſit.

No. XXX.

Henricus Leo Wibaldo Abbati omne genus auxilii promittit. Anno 1157. Indidem epiſt. 435. p. 595.

WIBALDO, venerabili ſanctae Corbeienſis eccleſiae abbati, dilectiſſimo domino ſuo, *Henricus Dei gratia Bauariae & Saxoniae dux*, deuotum obſequium cum omni ſincera dilectione. Quod omnia, quae ad honoris veſtri augmentationem ſpectant aequo ordine procedant, toto corde diligimus & optamus. De cetero de curte veſtra *Papenheim*, ſicut nobis inſinuaſtis, libentiſſime prouidebimus, & hanc curam Caſtellanis noſtris in *Daſenberg* diligenter iniungemus. Quod autem dominus Widikinus coram nobis promiſit, & non perſoluit, poſt reditum noſtrum ab expeditione, etſi non gratiis, tamen in beneplacito veſtro & noſtro perſoluet.

No. XXXI.

Diploma, quo Fridericus I. Imperator Henrico Leoni Ducatum Bauariae reſtituit, & Henricum Marchionem cum ampliſſimis priuilegiis Ducem Auſtriae creat. Anno 1156. Ex confirmatione Friderici II. Imperatoris tranſumta Anno 1437. a Leonardo Epiſcopo Patauienſi, habet Dumont. Corp. Dipl. T. I. p. 81. & Fugger. Specul. honor. Auſtriac. p. 168.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis Amen. Fridericus diuina fauente clemencia Romanorum Imperator Auguſtus. Quanquam rerum commutacio ex ipſa corporali inſtitucione poſſit firma conſiſtere, nec ea, que legittime geruntur, vlla poſſint refragacione conuelli; ne tamen rei geſte vlla poſſit eſſe dubietas, Imperialis interuenire debet autoritas. Nouerit igitur omnium Chriſti Imperiique & noſtri fidelium preſens etas, & futura poſteritas, qualiter Nos, eius cooperante gracia, a quo celitus pax miſſa eſt hominibus ſuper terram, in generali noſtra Curia Ratiſpone, in natiuitate Sancte Marie celebrata, in preſentia multorum religioſorum & catholicorum, litem & controuerſiam, que inter cariſſimum noſtrum *patruum*, *Heinricum Ducem Auſtrie*, & inter *nepotem* noſtrum cariſſimum, *Heinricum Ducem Saxonie*, diu agitata exſtitit ſuper Ducatu Bauarie, & ſuper Marchia a ſuperiori parte fluminis Anaſi, terminauimus hoc modo, quod Dux Auſtrie reſignauit Nobis Ducatum Bauarie, & dictam Marchiam, quos tenebat. Qua reſignacione facta, mox eundem Ducatum Bauarie in beneficium contulimus Duci Saxonie. Predictus vero Dux Saxonie ceſſit & renunciauit omni iuri & accioni, quas habebat ad dictam Marchiam, cum omnibus ſuis iuribus & beneficiis. Ne autem in hoc facto honor & gloria patrui noſtri cariſſimi aliquatenus minuatur, de conſilio & iudicio principum, Illuſtri Vladislao Duce Bohemie ſentenciam promulgante, quam ceteri Principes approbabant, Marchionatum Auſtrie, & dictam Marchiam ſupra Anaſum, commutauimus in Ducatum, eundemque Ducatum, cum ſubſcriptis iuribus, priuilegiis & graciis omnibus, liberalitate Ceſarea contulimus predicto Heinrico, patruo noſtro cariſſimo, prenobili ſue vxori Theodore, & liberis eorundem, & ob ſingularem ſauorem, quo erga dilectiſſimum patruum noſtrum Heinricum Auſtrie Ducem, eius conthoralem prenobilem Theodoram, & eorum ſucceſſores, nec non erga terram Auſtrie, que clypeus & cor ſacri Romani Imperii eſſe dinoſcitur, afficimur, de conſilio & aſſenſu Principum Imperii,

perii, dictis coniugibus, eorum in eodem Ducatu ſucceſſoribus, nec non pretacte terre Auſtrie, ſubnotatas conſtitutiones, conceſſiones & indulta, autoritate Imperiali in iura plena & perpetua redactas, donauimus liberaliter vigore preſencium & donamus: primo quidem, quod Dux Auſtrie quibuſuis ſubſidiis ſeu ſeruiciis non tenetur, nec eſſe debet obnoxius ſacro Romano Imperio, nec cuiquam alteri, niſi ea de ſui arbitrii libertate fecerit; eo excepto duntaxat, quod Imperio ſeruire tenebitur in Hungariam duodecim viris armatis per menſem vnum ſub expenſis propriis, in eius rei euidenciam, vt Princeps Imperii agnoſcatur. Nec pro conducendis feodis requirere ſeu accedere debet Imperium extra metas Auſtrie, verum in terra Auſtrie ſibi debentur ſua feoda conferri per Imperium & locari. Quodſi ſibi denegaretur, ab Imperio requirat, & exigat literatorie trina vice: quo facto, iuſte poſſidebit ſua feoda ſine offenſa Imperii, ac ſi ea corporaliter conduxiſſet. Dux eciam Auſtrie non tenetur aliquam Curiam accedere, edictam per Imperium ſeu quemuis alium, niſi vltro & de ſua fecerit voluntate. Imperium quoque nullum feodum habere debet Auſtrie in Ducatu. Si vero Princeps aliquis, vel alterius ſtatus Perſona, nobilis vel ignobilis, cuiuscunque conditionis exiſtat, haberet in dicto Ducatu poſſeſſiones, ab ipſo iure feodali dependentes, has nulli locet, ſeu conferat, niſi eas prius conduxerit a Duce Auſtrie memorato: cuius contrarium ſi fecerit, eadem feoda ad Ducem Auſtrie deuoluta, libere ſibi ex tunc iure proprietatis & directi dominii pertinebunt; Principibus Eccleſiaſticis & Monaſteriis exceptis duntaxat in hoc caſu. Cuncta eciam ſecularia iudicia, bannum ſylueſtrium & ferinarum, piſcine & nemora in Ducatu Auſtrie, debent iure feodali a Duce Auſtrie dependere. Eciam debet Dux Auſtrie de nullis oppoſicionibus vel obiectis quibuscunque, nec coram Imperio, nec aliis quibuslibet, cuiquam reſpondere, niſi id ſua propria & ſpontanea voluerit facere libertate; ſed, ſi voluerit, vnum locare poterit de vaſallis ſeu homolegiis, & coram illo ſecundum terminos prefixos parere poteſt & debet iuſticie complemento. Inſuper poteſt idem Dux Auſtrie, quando impugnatus fuerit ab aliquo de duello, per vnum ydoneum, non in enormitatis macula detentum, vices ſuas prorſus ſupplere, & illum ipſa eadem die ſeu Princeps vel alius quisquam pro alicuius nota infamie non poteſt impetere nec debet impugnare. Preterea quicquid Dux Auſtrie in terris ſuis ſeu diſtrictibus ſuis fecerit, vel ſtatuerit, hoc nec Imperium, nec alia potencia modis ſeu viis quibuscunque debet alio quoquo modo in poſterum commutare. Et ſi, quod Deus auertat, Dux Auſtrie ſine herede filio decedet, idem Ducatus ad ſeniorem filiam, quam reliquerit,


rit, deuoluatur. Inter Duces Auſtrie, qui ſenior fuerit, dominium habeat dicte terre, ad cuius eciam ſeniorem filium iure hereditario deducatur, ita tamen, quod ab eiusdem ſanguinis ſtipite non recedat, nec Ducatus Auſtrie vllo vnquam tempore diuiſionis alicuius recipiat ſeccionem. Si quis in dicto Ducatu reſidens, vel in eo poſſeſſiones habens, fecerit contra Ducem Auſtrie, occulte vel publice, eſt dicto Duci in rebus & corpore ſine gracia condemnatus. Imperium dicto Duci Auſtrie contra omnes ſuos iniuriatores debet auxiliari & ſuccurrere, quoad iuſticiam aſſequatur. Dux Auſtrie, principali amictus veſte, ſuperpoſito pileo ducali, circundato ſerto pinnito, baculum habens in manibus, equo inſidens, & inſuper more aliorum Principum Imperii, conducere ab Imperio feoda ſua debet. Dicti Ducis inſtitucionibus & deſtitucionibus in Ducatu ſuo Auſtrie eſt parendum. Et poteſt in terris ſuis omnibus tenere Iudaeos & vſurarios publicos, quos vulgus vocat *Gawetſchin* ſine Imperii moleſtia & offenſa. Si quibuſuis Imperii Curiis publicis Dux Auſtrie preſens fuerit, vnus de Palatinis Archiducibus eſt cenſendus, & nihilominus in conſeſſu & inceſſu, ad latus dextrum Imperii, poſt *Electores Principes* obtineat primum locum. Dux Auſtrie donandi & deputandi terras ſuas, cuicunque voluerit, habere debet poteſtatem liberam, ſi, quod abſit, ſine heredibus liberis decederet: nec in hoc per Imperium debet aliqualiter impediri. Prefatus quoque Ducatus Auſtrie habere debet omnia & ſingula iura, priuilegia & indulta, que obtinere reliqui Principatus Imperii dinoſcuntur. Volumus etiam, vt, ſi diſtrictus & ditiones dicti Ducatus ampliati fuerint ex hereditatibus, donacionibus, emptionibus, deputacionibus, vel quibuſuis aliis deuolutionum ſucceſſibus, prefata iura, priuilegia & indulta ad augmentum dicti Dominii Auſtrie plenarie referantur. Et vt hec noſtra Imperialis conſtitucio omni euo firma & inconuulſa permaneat, preſentes literas ſcribi & ſigilli noſtri impreſſione fecimus inſigniri, adhibitis ydoneis teſtibus, quorum nomina ſunt hec:

Pilgrinus Patriarcha Aquileienſis.
Eberhardus Archiepiſcopus Saltzburgenſis.
Otto Friſingenſis Epiſcopus.
Conradus Pataulenſis Epiſcopus.
Eberhardus Babembergenſis Epiſcopus.
Hartmannus Brixnienſis.
Hartwicus Ratisponenſis & Tridentinus Epiſcopus.
Dominus WELFFO.
Dux Conradus, frater Imperatoris.

Fridericus

Digitized by Google

Fridericus, filius Regis Conradi.
Heinricus Dux Carinthie.
Marchio Engelbertus de Iſtria.
Marchio Adelbertus de Baden.
Marchio Diepaldus de Vochburg.
Hermannus Palatinus Comes de Reno.
Otto Comes Palatinus, & frater eius Fridericus.
Gerhardus Comes de Sultzbach.
Rudolfus Comes de Sweinsheutt.
Albertus Comes Hallenſis.
Eberhardus Comes de Purckhuſen.
Comes de Putina, Comes de Peylſtein, & alii quamplures.

Signum Domini Imperatoris  *Friderici Romanorum inuictiſſimi.*

Et ego Reynaldus Cancellarius, vice Arnoldi Moguntini Archi-Epiſcopi & Archi-Cancellarii, recognoui.
Regnante Domino Friderico Romanorum Auguſto in Chriſto.
Datum Ratiſpone quinto decimo Kalend. Octobris, indictione quarta. Anno Dominice incarnacionis MCLVI. feliciter Amen. Anno regni eius quinto, Imperii ſecundo.

No. XXXII.

In gratiam Henrici Leonis Fridericus I. Imperator Coenobio Hildewardeshuſenſi inſigne confert priuilegium. Anno 1156. Ex autographo.

C. In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Si ea, que a predeceſſoribus noſtris, vel fidelium deuotione bene tradita, ſtatuta ac confirmata ſunt, noſtris oraculis roboramus; ſi etiam illa, que quacunque neceſſitate corrupta ſunt, Imperiali noſtra auctoritate corrigimus, & in melius commutamus; ſaluti noſtre conſulimus, & Imperiale miniſterium a Domino ſuſceptum exercemus. Ea propter omnium tam futurorum, quam preſentium nouerit induſtria, qualiter nos

nos dilectiſſimi patrui & anteceſſoris noſtri, diue memorie *Cuonradi*, glorioſiſſimi Romanorum Regis, veſtigiis inherentes, Canonice profeſſionis ordinem & ſtatum religionis, quem ipſe in Eccleſia Hildewardeshuſen in melius commutauit, & ſeparatum in vnum & communis cohabitationis reuocauit propoſitum, nos Imperiali auctoritate confirmamus. Hanc itaque patrui noſtri beneuolentiam pari deuotionis ſtudio ac pietatis exemplo imitari cupientes, tam pro eius, quam anime noſtre remedio, nec non ob interuentum dilecti *cognati noſtri*, *HEINRICI*, *Ducis Bawarie & Saxonie*, ceterorumque fidelium noſtrorum, miniſteriales predicte Eccleſie, a iam dicto patruo noſtro ad Regni ditionem & ſeruitium translatos, proprietati Eccleſie reddidimus, ea iuris legitimi ſanctione, vt, ſummotis poteſtatibus omnibus tam eccleſiaſticis, quam ſecularibus, ſoli Eccleſie & prepoſito deſeruiant. Antiqua beneficia, que iuſtitia & conſuetudo Eccleſie indulſit, vel ius parentum per ſucceſſionem eis contradidit, vsque ad prima tempora *Lotharii* Imperatoris predicti miniſteriales quiete obtineant, eo conditionis pacto, & noſtre conſtitutionis decreto, vt, ſi absque legitimis liberis obierint, eorum beneficia ad prebendas ſanctimonialium & prepoſiti, omni contradictione & ambiguitate remota, redeant, eorum omnimodis vſibus profutura. Ea autem beneficia, que poſt ingreſſum *Lotharii* Imperatoris quoquo modo adepti ſunt, nos eis dictante iuſtitia prorſus abiudicamus, & noſtra auctoritate interdicimus; niſi forte ex gratia & conceſſione prepoſiti, atque communi conſenſu Eccleſie ea poſſint obtinere. Que vero iuſte obtinuerint, nulli liceat ex predictis miniſterialibus ea vendere, vel commutare, vel alicui in beneficium preſtare, vel pro aliqua re vel pecunia inuadiare, ſiue aliquo ingenii vel machinationis modo ab Eccleſia alienare. Ceterum hec & omnia bona, que ſupradicta Eccleſia nunc habet, vel inpoſterum iuſte acquiſierit, totius corroborationis noſtro munimine lege in perpetuum valitura eidem confirmamus, ſtatuentes & iuſte decernentes, vt, ſi quis huius pagine, aut Imperatorie conſtitutionis noſtre violator exſtiterit, banno noſtro ſubiaceat, & centum libras auri puriſſimi componat, medietatem Camere noſtre, & medietatem predicte Eccleſie. Quod vt ab omnibus ſemper credatur, & inuiolabiliter obſeruetur, preſentem inde paginam conſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri iuſſimus, adhibitis idoneis teſtibus, quorum nomina hec ſunt:

HEINRICVS Dux Bawarie & Saxonie.
Fridericus Dux Sueuorum.
Cuonradus frater Imperatoris.
Bertoldus Dux de Ceringen.

Bertoldus

Digitized by Google

Bertoldus Comes de Anedeſſe.

Godefridus Comes de Rauensberge.

Albertus Comes de Heuerſten.

Fridericus de Bichiligen.

Lodewicus Comes de Lare.

Marcwardus de Grumbach.

Sigebodo de Scartfeld.

Popo, Comes de Hamerſten, & alii quam plures.

Signum domini Friderici Romanorum Imperatoris inuictiſſimi.

Ego Reinaldus Cancellarius, vice Arnoldi Archicancellarii & Moguntini Archiepiſcopi, recognoui.

Anno incarnationis Domini M° CC° LVI. Indictione IIII. VI°. Idus Maii.

Datum in Caſtro Imperiali *Buomeneburc*. Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo Auguſto. Anno Regni eius V°. Imperii vero primo.

No. XXXIII.

Friderici I. Imperatoris mandatum ad Miniſteriales Hildewardeshuſenſis Eccleſiae, vt pareant edicto ſuo. Anno 1156. Ex autographo.

FRIDERICVS Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus. Vniuerſis Miniſterialibus in Hildewardeshuſen gratiam ſuam & omne bonum. Vniuerſitati veſtre conſtare volumus, quod iura eccleſie veſtre ſecundum tenorem priuilegii noſtri & anteceſſorum noſtrorum illibata conſiſtere volumus. Auctoritate igitur Imperiali vobis diſtricte precipimus, quatinus predicte eccleſie & prepoſito, ſicut ſtatutum eſt, deſeruiatis, & ſi qui ex vobis ſine heredibus mortui fuerint, bona illa ad vſum eiusdem eccleſie cedere permittatis. Cetera etiam, que in priuilegio noſtro & anteceſſorum noſtrorum de vobis ſtatuta continentur, inuiolabiliter conſeruetis; poſſeſſiones etiam eccleſie, ſi quas iniuſte vobis vſurpaſtis, ipſi eccleſie remittatis.

Friderici I. Imperatoris Sigillo appenſo.

Digitized by Google

No. XXXIV.

Fridericus I. Imperator Henrico Leoni pro Coniugis Clementiae hereditate caſtra Hertesberg, Scartfeld, Polede & Burchdorff reddit. Anno 1157. Ex autographo.

C. In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus. Quamquam rerum commutatio ex ipſa corporali traditione poſſit firma conſiſtere, vel ea, que legaliter geruntur, nulla valeant refragatione conuelli; ne qua tamen poſſit eſſe contradendi vel commutandi dubietas, noſtra debet interuenire imperialis auctoritas. Notum ſit igitur omnibus, tam futuris quam preſentibus Chriſti Imperiique noſtri fidelibus, qualiter dilectiſſimus nepos noſter, Heinricus, illuſtris Bauarie & Saxonie dux, hereditatem vxoris ſue, *Clementie*, quam habebat in Sueuia, caſtrum videlicet *Baden*, & centum miniſteriales, & quingentos manſos, nobis in proprium contradidit, hac videlicet ratione, vt nos quedam regni predia, ex vicinitate ſibi magis competentia, proprietatis donatione in eum conferremus. Verum quia Imperatorie maieſtatis eſt, rem publicam ſemper augere & nunquam alicuius rei vel perſone gratia vel in aliquo minuere, tam ex conſilio, quam ex iudicio principum, Alberto Marchione ſententiam promulgante, & ceteris principibus collaudantibus, quedam allodia noſtra, que a Comite Rabodone, tum per paternam hereditatem noſtram, tum per pecuniam non paruam comparauimus, in ius & proprietatem Regni legitime contulimus, vt aliqua de prediis Imperii in predictum cariſſimum nepotem noſtrum licentius transfundere poſſemus. Ea itaque predia, que nos Regno contulimus, propriis duximus exprimenda vocabulis, caſtrum videlicet *Liznich* cum beneficio Heinrici Burchgrauii, & cum omnibus reditibus ſibi pertinentibus; caſtrum *Colidiz* & *Temonem* miniſterialem noſtrum cum liberis ſuis, & cum omnibus prediis & beneficiis ſuis, quorum ſumma in XX. villis conſiſtit; munitionem quoque *Luzecke* & forum cum ceteris redditibus attinentibus; curtem *Zolen* cum foro & ceteris redditibus ad illam pertinentibus; montem *Glizberch* & redditus ad illum pertinentes; montem *Genzege*; caſtrum *Morungen* cum redditibus ſibi attinentibus. Collatis itaque his prediis Regno, ſicut predictum eſt, ex conſilio & iudicio principum, pro his iure concambii ademimus Regno predia hec, & dilectiſſimo nepoti noſtro Heinricho Duci Bawarie & Saxonie

Saxonie in proprium perpetualiter tradidimus; caſtrum videlicet *Hirzesberch* & caſtrum *Scartſelt*; curtem quoque *Polede* cum omnibus pertinentiis ſuis, preter Wiltpan, quem in foreſto Harz a nobis in beneficio habet; Adelhardum quoque de *Burchdorff*, pro quo ſuperius *Temonem* de Colidiz Regno contulimus, eidem nepoti noſtro cum liberis & allodio & beneficio, quod a Regno habet, tradidimus. Vt autem hec noſtra traditio & commutatio nobis & Imperio, nec non iam ſepedicto nepoti noſtro perenni ſtabilitate firma ſemper & inconvulſa permaneat, preſentem inde paginam conſcribi & *aurea bulla* noſtra ſignari iuſſimus, annotato ſigni noſtri caractere, & adhibitis idoneis teſtibus, quorum nomina hec ſunt:

Wickmannus Magdeburgenſis Archiepiſcopus.
Hartwicus Bremenſis Archiepiſcopus.
Bruno Hildesheimenſis Epiſcopus.
Albertus Marchio.
Fridericus Dux Sueuorum.
Detericus Marchio.
Fridericus Palatinus Comes de Wittelinesbach & frater eius Otto iunior.
Fridericus Palatinus Comes de Sumereſcheburch.
Comes Heinricus de Witin.
Comes Otto de Rabensberch.
Florentius Comes Hollandie.
Comes Bertolfus de Andeſſe.
Comes Boppo de Blanchenburg & filii ſui Conradus & Sigefridus.
Lutolfus de Daſſele frater Cancellarii.
Marquardus de Gruombach.
Liuttardus de Meinersheim.
Heinricus de Wida.
Luppoldus de Hirzberch.

Signum Domni Imperatoris  *Friderici Romanorum inuictiſſimi.*

Ego Reinaldus Cancellarius vice Arnoldi Magontini Archiepiſcopi & Archicancellarii, recognoui.

Datum Goslarie Kal. Ianuarii, Indictione VI. Anno Dominice Incarnationis MCLVII. Regnante domino Friderico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, Anno Regni eius VI. Imperii vero III.

Appendet aurea bulla.

No. XXXV.

Henrico Leoni a Friderico I. Imperatore confertur Comitatus & foreſtum in Liſga pro ſe & vtriusque ſexus heredibus. Anno 1157. Ex autographo.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis, Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Imperialem celſitudinem condecet anteceſſorum ſuorum Regum & Imperatorum pia facta non ſolum inuiolabiliter obſeruare, ſed etiam cenſurae ſuae auctoritate alacriter confirmare, ne prolixitas temporum poſteris haec reddat dubia vel incerta. Nouerit igitur omnium Chriſti Imperiique noſtri fidelium tam praeſens aetas, quam ſucceſſura poſteritas, qualiter dilectiſſimus *nepos* noſter, *Henricus*, *Dux Bawariae & Saxoniae*, adiens maieſtatem noſtram, obtulit nobis priuilegium praedeceſſoris & progenitoris noſtri diuae memoriae *Cuonradi* Imperatoris, in quo continebatur, quod *Comes* quidam olim, *Vto* nomine, praedium vxoris ſuae *Beatricis*, *Niordinge* nominatum, ſitum in pago *Nikkerga*, & item aliud praedium ſuum, *Holzhuſen* nominatum, ſitum in pago *Heſſiga*, in comitatu quondam Wernerii Comitis, cum omnibus pertinentiis ſuis, praefato Imperatori *Cuonrado* in proprium donauerit, & qualiter Imperator e contra, praeter multa praedia, quae praefato Comiti Vtoni & vxori eius Beatrici iure concambii contulerit, quod plenius inibi eſt inſertum, duo eiusdem Comitis Vtonis beneficia, comitatum ſuum videlicet, & foreſtum in montanis, quae dicuntur Harz, ſibi ſuaeque vxori Beatrici, eorumque poſt ſe vtriusque ſexus haeredibus, in beneficium perpetualiter tradiderit & ſtabiliuerit, eo videlicet tenore, vt, quicunque ſuorum vtriusque ſexus haeredum praedium illorum in loco, qui *Einbike* vocatur, obtineret, is quoque praedicta duo beneficia, foreſtum videlicet & comitatum praedicti Comitis Vtonis in *Liſga*, tam a ſua, quam ab omnium ſucceſſorum ſuorum Regum & Imperatorum donatione, ſine omni contradictione, iure beneficiali poſſidere deberet. Verum quia ſupra nominatus *nepos* noſter Henricus, Dux Bawariae & Saxoniae, praetaxatum praedium in Einbike ſitum haereditario iure nunc poſſidet, & a praefato

praefato Comite Vtone & vxore eius Beatrice conſanguinitatis ſucceſſione originem ducere perhibetur, ex diui patris & anteceſſoris noſtri Cuonradi Imperatoris inſtitutione, quae tamquam diuinum oraculum inuariabilis & perennis ſtabilitatis meretur priuilegium, nos, eius veſtigiis inhaerentes, ſaepedicto nepoti noſtro Heinricho Duci, haeredi videlicet Comitis Vtonis, comitatum ſuum & foreſtum in montanis Harz, lege in perpetuum valitura, in beneficio, conceſſimus, & omni corroborationis noſtrae munimine confirmauimus, vt tam ipſe, quam omnes vtriusque ſexus ſui haeredes, eadem ſaepe dicta beneficia, comitatum videlicet & foreſtum in montanis Harz perhenni immutabilitate teneant & poſſideant. Quod vt verius credatur, & omni aeuo inuiolabiliter obſeruetur, praeſentem inde paginam conſcribi, & aurea bulla noſtra ſignari iuſſimus, adhibitis ydoneis teſtibus, quorum nomina haec ſunt:

Wickmannus Magdeburgenſis Archiepiſcopus.
Hartwicus Bremenſis Archiepiſcopus.
Bruno Hiltensheimenſis Epiſcopus.
Albertus Marchio.
Fridericus Dux Sueuorum.
Tetericus Marchio.
Fridericus Palatinus Comes de Wittellesbach, & frater eius Otto iunior.
Fridericus Palatinus Comes de Summerſcheburg.
Comes Henricus de Witin.
Comes Otto de Rabensberch.
Florentius Comes Hollandiae.
Comes Bertolfus de Andehſe.
Comes Boppo de Blanchenburch, & filii ſui Cuonradus & Sigefridus.
Ludolfus de Daſſele, frater Cancellarii.
Marquardus de Gruombach.
Luthardus de Meineresheim.
Henricus de Wida.
Lupoldus de Hirtzberch.

Signum Domini Imperatoris



Friderici Romanorum inuictiſſimi.

Ego Reinaldus Cancellarius vice Arnaldi Magontini Archiepiſcopi & Archicancellarii recognoui.

 Datum

Datum Goslariae Kal. Ianuarii, Indictione VI. Anno Dominicae incarnationis. MCLVII. Regnante Domino Friderícho Romanorum Imperatore glorioſiſſimo. Anno Regni eius ſexto, Imperii vero tertio.

Appendet bulla aurea.

No. XXXVI.

Fridericus I. Imperator concedit Henrico Leoni ius hereditarium inueſtiendi Epiſcopos in Slauia. Anno 1157. Ex autographo.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Rex. Quia ad regiae dignitatis apicem Dei gratia conſcendimus, id circo dignum eſt, ipſius, a quo omnis eſt poteſtas, notitiam, honorem, cultum, ampliare & dilatare; vt ſicut ab eius gratia ſunt omnia, ita eius gloriae ſeruiant vniuerſa. Notterit ergo tam futurorum quam praeſentium induſtria, qualiter nos dilecto noſtro *Heinrico, Duci Saxonie*, iniunximus, vt in prouincia vltra Albim, quam a noſtra munificentia tenet, Epiſcopatus & Eccleſias, ad dilatandum Chriſtiani nominis imperium, inſtituat, plantet & aedificet, liberamque ei conceſſimus poteſtatem, vt Eccleſiis illis de bonis Regni conferat, prout voluntas ſua perſuaſerit, & terrarum ſpatioſitas permiſerit. Cui negotio vt ſtudioſius & deuotius inſiſtat, ipſi & omnibus ſibi in hac prouincia ſucceſſuris concedimus inueſtituram trium Epiſcopatuum *Aldenburc, Michelinburc, Racezburc*: vt quicunque in locum Epiſcoporum ibidem ſubrogandi ſunt, a manu ipſius, quod regii iuris eſt, tanquam a noſtra recipiant. Id etiam adiungimus, quod ſi in prouinciis circum quaque, in quibus necdum Chriſtiana religio tenetur, Epiſcopatus ſua ſtrenuitate fundare potuerit, in his eadem poteſtate fungatur. Et vt haec noſtrae conceſſionis autoritas ſtabilis & inconuulſa per ſucceſſura temporum momenta permaneat, hanc chartam inde conſcriptam manu propria, vt infra videtur, corroborantes, ſigilli noſtri impreſſione iuſſimus inſigniri.

Acta autem ſunt haec, annuentibus Regni Principibus his:

Archiepiſcopo Magdeburgenſe Wichmanno.
Epiſcopo Hildenesheimenſe Brunone.
Epiſcopo Fardenſe Herimanno.
Epiſcopo Brandenburgenſe Wichero.
Electo Cicenſe Bertoldo.

Abbate

Digitized by Google

Abbate Corbienſe Wickbaldo.
Marchione Conrado.
Marchione Adelberto.
Palatino Friderico.
Prouinciali Comite Luodewico.

Appendet aurea bulla.

No. XXXVII.

Ad preces Henrici Auſtriaci, Bauariae Ducis Eugenius PP. III. Ranshouenſibus bona ſua & priuilegia confirmat. Anno 1147. Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. III. p. 144.

EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Dilectis filiis, *Manegoldo*, Praepoſito *Ranshouenſis* Eccleſiae beati Pangratii Martyris, eiusque fratribus, tam praeſentibus quam futuris, regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Ad hoc vniuerſalis Eccleſiae cura nobis a prouiſore omnium honorum Deo commiſſa eſt, vt religioſas diligamus perſonas, & bene placentem Deo religionem ſtudeamus modis omnibus propagare. Nec enim Deo gratus aliquando famulatus impenditur, niſi ex charitatis radice procedens a puritate religionis fuerit conſeruatus. Ea propter, dilecti in Domino filii, *HEINRICI, illuſtris Bauarorum Ducis* precibus inclinati, veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, & praefatam beati Pangratii martyris Eccleſiam, in qua diuino vacatis officio ſub beati Petri Apoſtolorum Principis tutelam protectionemque ſuſcipimus, & Apoſtolicae Sedis priuilegio communimus. Inprimis ſiquidem ſtatuentes, vt ordo canonicus, qui ſecundum beati *Auguſtini* regulam in eodem loco noſcitur inſtitutus, ibidem perpetuis temporibus inuiolabiliter conſeruetur. Praeterea quaſcunque poſſeſſiones, quaecunque bona eadem Eccleſia in praeſentiarum iuſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis Deo propitio poterit adipiſci, firma vobis veſtrisque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus haec duximus propriis exprimenda vocabulis: Eccleſiam videlicet S. Michaëlis cum decima & iure parochiali: capellas Neukirchen, Hantenberge, Gerolteſperge cum pertinentiis earum. Sane laborum veſtrorum, quos propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſiue de nutrimentis veſtrorum animalium, nullus omnino a vobis decimas exigere praeſumat. Porro ſacramenta Eccleſiaſtica a Dioeceſano ſuſcipiatis Epiſcopo, ſiquidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apoſtolicae Sedis habuerit,

erit, eaque gratis, & abſque aliqua prauitate vobis voluerit exhibere: alioquin catholicum, quemcunque malueritis, adeatis antiſtem, qui nimirum noſtra fultus auctoritate, quod poſtulatur, indulgeat. Obeunte vero te, nunc eiusdem loci Praepoſito, vel ad alterius eccleſiae regimen tranſeunte, ſiue tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia praeponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, aut pars conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem, & beati Auguſtini regulam prouiderint eligendum. Ad haec quoniam locus veſter eſt ſic inſtitutus, vt Aduocatus bonorum praefati *Ducis* in partibus illis eiusdem quoque loci ſit Aduocatus, prohibemus, vt, nec ipſi, nec alicui ſubminiſtro eius, liceat eundem locum iniuſtis grauaminibus inueſtare. Quod ſi fecerit, & ſecundo ac tertio commonitus non emendauerit, conſilio & auxilio ipſius *Ducis* ipſa Aduocatia ab inutili auferatur, & alius idoneus loco eius ſubſtituatur. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe concedimus, vt eorum, qui ſe illic ſepeliri deliberauerint, deuotioni & extremae voluntati, niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalua iuſtitia matricis eccleſiae. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat praefatam Eccleſiam temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut quibuslibet moleſtiis fatigare; ſed omnia integra conſeruentur, eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, vſibus omnimodis profutura, ſalua Sedis Apoſtolicae auctoritate, & Dioeceſani Epiſcopi canonica iuſtitia. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſaecularisue perſona hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentauerit, ſecundo tertioue commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, poteſtatis, honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant & apud diſtrictum iudicem praemia pacis aeternae inueniant. Amen.

Datae *Trecis* per manum Guidonis ſanctae Romanae eccleſiae Diaconi, Cardinalis & Cancellarii IV. Idus Aprilis, Indictione X. Incarnationis Dominicae anno M. C. XLVII. Pontificatus vero Domini Eugenii III. PP. anno III.

No. XXXVIII.

Digitized by Google

No. XXXVIII.

Henrici Bauariae & Saxoniae Ducis precibus motus Adrianus PP. IV. Ranshouenſibus priuilegia bonaque omnia confirmat. Anno 1157. Indidem p. 143.

ADRIANVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis, *Megenardo*, Praepoſito *Ransbouenſis* Eccleſiae beati Pancratii martyris, eiusque fratribus, tam praeſentibus quam futuris, regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus apoſtolicum conuenit adeſſe praeſidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incurſus aut eos a propoſito deterreat, aut robur, quod abſit, ſacrae religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, *HENRICI* Illuſtris *Bauariae & Saxoniae Ducis*, precibus inclinati, veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, & praefatam beati Pancratii martyris Eccleſiam, in qua diuino vacatis officio, ſub beati Petri Apoſtolorum Principis tutelam protectionemque ſuſcipimus, & Apoſtolicae ſedis priuilegio communimus. Inprimis ſiquidem ſtatuentes, vt ordo canonicus, qui ſecundum beati *Auguſtini* regulam in eodem loco noſcitur inſtitutus, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur. Praeterea quascunque poſſeſſiones, quaecunque bona eadem eccleſia in praeſentiarum iuſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, aut aliis iuſtis modis praeſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis, veſtrisque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: Eccleſiam videlicet S. Michaëlis cum decima & iure parochiali; capellas in Winkirchin, Hantinberge, Geroltisberge, & capellam S. Stephani in Brunoue cum pertinentiis eorum; capellam Hochberch cum pertinentiis ſuis, in ea libertate, in qua frater noſter, *Eberhardus* Saltzburgenſis Archiepiſcopus, vobis ſcripto proprio rationabiliter confirmauit; vt videlicet nullus in eis, praeter ipſum Archiepiſcopum & Eccleſiae veſtrae Praepoſitum, aliquid debeat ordinare. Sane noualium veſtrorum, quae propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſiue de nutrimentis veſtrorum animalium, nullus a vobis decimas praeſumat exigere. Porro ſacramenta Eccleſiaſtica a Dioeceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſi quidem Catholicus fuerit, & gratiam atque Apoſtolicae Sedis communionem habuerit, eaque gratis & abſque aliqua prauitate vobis voluerit exhibere; alioquin, quemcunque malueritis, catholicum adeatis antiſtitem, qui nimirum noſtra fultus auctoritate, quod poſtula-

 tur,

Digitized by Google

tur, indulgeat. Obeunte vero te, nunc eiusdem loci Praepoſito, vel ad alterius Eccleſiae regimen tranſeunte, ſiue tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus qualibet ſurreptionis aſtutia, ſeu violentia praeponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, aut pars conſilii ſanioris, ſecundum Dei timorem & beati Auguſtini regulam, prouiderint eligendum. Ad haec quoniam locus veſter ſic eſt inſtitutus, vt Aduocatus bonorum *praefati Ducis* in partibus illis eiusdem quoque loci ſit Aduocatus, prohibemus, vt nec ipſi, nec alicui ſubminiſtro eius liceat eundem locum iniuſtis grauaminibus infeſtare; ſed eum vice iam dicti *Ducis*, ſicut ipſe inſtituit, & ſcripto ſuo firmauit, cum mancipiis & poſſeſſionibus ſuis idem Aduocatus defendere & tueri debet; eo tenore, vt querimonias tam veſtras, quam mancipiorum veſtrorum audiat, & congruam iuſtitiam faciat: *paratam* vero nullam a vobis propter hoc exigat; ſed tantum de horreo praefati *Ducis* ſecundum antiquam conſtitutionem tempore ſuo accipiat. Super haec enim nullam poteſtatem diſponendi in clauſtro, vel mancipiis, aut poſſeſſionibus veſtris memoratus *Dux* eidem Aduocato concedit; ſed vt loco ſuo vos protegat, & aeternam retributionem tantum inde requirat. Exactiones quoque ſuper vos, vel ſuper mancipia veſtra, a quoquam fieri idem *Dux* penitus interdixit. Nos quoque haec omnia vobis concedimus, & auctoritate apoſtolica confirmamus. Si autem ipſe Aduocatus contra haec venire tentauerit, & ſecundo ac tertio admonitus non emendauerit; conſilio & auxilio praefati *Ducis* ipſa Aduocatia ab inutili auferatur, & alius idoneus eius loco ſuſtituatur. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe concedimus, vt eorum deuotioni & extremae voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberauerint, niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat: ſalua tamen iuſtitia matricis Eccleſiae. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat praefatam Eccleſiam temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare; ſed illibata omnia & integra conſeruentur, eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, vſibus omnimodis profutura; ſalua Sedis Apoſtolicae auctoritate, & Dioeceſani Epiſcopi canonica iuſtitia. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſaecularisue perſona noſtrae conſtitutionis paginam hanc ſciens contra eam temere venire tentauerit, ſecundo tertioue commonita, niſi praeſumptionem ſuam congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae vltioni ſubiaceat.

ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem praemia aeternae pacis inueniant. Amen.

Datum Romae apud S. Petrum, per manum Rolandi S. Romanae Eccleſiae Presbyteri, Cardinalis, & Cancellarii IV. Calend. Februar. Indictione VI. Incarnationis Dominicae Anno M. C. LVII. Pontificatus vero Domini Adriani PP. IV. anno (tertio.)

No. XXXIX.

Henricus Leo commercium ſalis & telonium de ponte Veringen bona gratia Imperatoris Monachium transfert. Anno 1158. Ex Hundii Metrop. Saliſb. T. I. p. 77. habet id etiam ex authentico Mſc. Meichelb. hiſtor. Friſing. T. I. p. 337.


In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Fridericus, diuina fauente clementia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, dilecto patruo ſuo, Ottoni, Friſingenſi Epiſcopo, eiusque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum. Ex quo diuina benignitate Romani Imperii gubernacula tenemus, dignum eſt, vt eius opitulatione, quantum poſſumus, quieti temporum & paci Eccleſiarum curemus prouidere. Ita enim & in praeſenti commiſſum nobis orbem pacifice gubernari, & in futuro a Rege Regum ſempiterne retributionis premio donari ſperamus. Inde eſt quod controuerſiam, que inter te, Kariſſime patrue, qui inpreſentiarum Friſingenſis Epiſcopatus geris dignitatem, & nobiliſſimum *conſanguineum* noſtrum, *Henricum Ducem Bawarie & Saxonie* ſuper foro apud Veringen & Munichen dignoſcitur agitari, ita coram noſtra & principum preſentia decidere curauimus, vt deinceps omnis contentionis, que ob hanc rem inter vos haberi poſſit, ſublata credatur occaſio. Huius autem transactionis, vtriusque veſtrum aſſenſu & voluntate celebrate talem fuiſſe tenorem preſentibus innoteſcat & futuris. Forum, quod eſſe ſolebat apud *Veringen*, & pons ad theloneum de cetero iam ibidem non erit, neque moneta. In eius autem rei recompenſationem *conſanguineus* noſter *Henricus dux* Eccleſie Friſingenſi contradidit tertiam partem totius vtilitatis, que prouenire poterit de theloneo fori ſui apud Munichen, ſiue in tributo ſalis, ſiue aliarum rerum, magnarum, vel minutarum, ſeu venientium, ſeu inde redeuntium. Thelonearium vero aut ſuum habebit vterque veſtrum pro beneplacito ſuo, aut, ſi hoc viſum fuerit, ambo vnum, qui teneatur vtrique veſtrum ad reſpondendum.

Digitized by Google

De moneta ſimiliter erit, quod tertiam partem eius penſionis Epiſcopus accipiat, due in vſus Ducis concedant. Hoc autem fideliter ex parte Ducis laudatum eſt, vt ſine dolo & malo ingenio ſingula hec ecclesie Friſingenſi in perpetuum absque contradictione perſoluantur. Moneta tamen ad arbitrium Ducis locari debebit. Denique monetam Friſingenſem ad voluntatem ſuam locabit Epiſcopus; tertiam tantum ſuae redditionis partem Dux habebit nomine feudi, conceſſurus, ſicut & modo conceſſit, cuilibet hoc ipſum, ſiue multum ſiue parum ad petitionem Epiſcopi. Statuimus ergo, & preſentis inſtrumenti pagina roboramus, vt huius conuentionis hinc inde pari conuenientia facte ratum & inconuulſum omni tempore maneat firmamentum, & vterque veſtrum, quod accepit, teneat, & quiete poſſideat, veſtris, veſtrorumque ſucceſſorum vſibus iugiter profuturum. Porro ne huius facti memoria futuris quibusque temporibus oblitteretur, ſcripto illud notari, ac ſigilli noſtri impreſſione muniri, manuque propria, vt infra apparet, corroborantes, teſtes quoque, qui aderant, ſubternotari fecimus, quorum nomina hec ſunt:

Arnoldus Moguntinenſis Archiepiſcopus.
Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus.
Geuchardus Werzeburgenſis Epiſcopus.
Hermannus Vardenſis Epiſcopus.
Cuonradus Auguſtenſis Epiſcopus.
Euerhardus Bauenbergenſis Epiſcopus.
Fridericus Dux Sueuorum.
Herimannus Marchio Veronenſis.
Tidericus Marchio de Luſiz, & frater eius Heinricus.

Signum Domini Imperatoris



Frederici Romanorum inuictiſſimi.

Ego Reinaldus Cancellarius vice Domini Moguntini Archiepiſcopi & Archicancellarii recognoui.

Dat. Auguſte XVIII. Kal. Iul. anno Dominicae Incarnationis MCLVIII. Indict. VI. Regnante Friderico Romanorum Imperatore Auguſto, anno Regni eius VII. Imperii vero III. Amen.

No. XL.

Digitized by Google

No. XL.

Henrico iuniore tam Bauariae quam Saxoniae Ducatum tenente, Hermannus Verdenſis Epiſcopus Bardouicenſi Eccleſiae Decanum dat, & Capitulo omnia bona confirmat. Anno 1158. Ex Diplomat. Bardewic. Mſc.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Hermannus diuina fauente clementia ſancte Verdenſis eccleſie humilis miniſter, cunctis Chriſti fidelibus in ipſo ſalutem. Vniuerſis opus pietatis amantibus notum fieri decreuimus, quod in Bardowicenſi eccleſia, quae de Canonicorum illorum inſtitutione & prebenda inequaliter diſpoſita inuenimus, equalius ac miſericordius, intuitu Dei ac ſancti Petri, diſponere curauimus. Sepe namque ac multum prefatis Canonicis, de importabili prebende ſue defectu miſerabili queremonia ad aures noſtras clamantibus, debito paterne charitatis affectu commiſereri dignum duximus, quippe quorum Prepoſitus Bardouicenſis de facultatibus eiusdem eccleſie quaſi quinque partes ad vſus proprios retinuit; quaſi ſextam vero partem vel paulo plus predictis fratribus pro ſtipendiis canonicalibus diſtribuit. Data nobis itaque opportunitate, videlicet cum eadem prepoſitura vacaret, nos clamorem pauperum fratrum depónere volentes, conſilio honeſtarum ac religioſarum perſonarum communicato, multitudinem rerum ad prefatam Eccleſiam pertinentium, iuſſu noſtro in vnam ſummam computatam, duas inde partes in vſus fratrum predictorum tum pro indigentie ſue ſupplemento, tum pro paucitatis ſue numero in tribus perſonis adaugendo donari ſtatuimus; reliquam vero tertiam partem Prepoſito pertinere cenſuimus, hoc videlicet adhibito moderamine, vt Prepoſitus, ſua contentus portione, nullatenus ſe de cetero de portionibus fratrum intromitteret, nec aliqua eos inſolentia grauaret; fratres vero, nulli amplius Prepoſito obnoxii, Decanum canonice eligant, & electum Epiſcopo offerant; illi ab Epiſcopo confirmato & inueſtito ex conniuentia Epiſcopi obedientiam promittant; decedentibus autem Canonicis, fratres, qui ſuperſunt, ſine alicuius perſone, Prepoſiti videlicet vel alterius, ni forte vellent, interpoſitione, alios in locum eorum libere & canonice eligant, electosque per manum Decani inueſtiant, & ne Prepoſitus de portionibus fratrum de cetero aliquid ſibi vendicare preſumeret, eas a portionibus Prepoſiti determinate ſegregatas in preſenti pagina mox nominatim ſcribi annuimus: decima in Vogelſen, decima in Mechterſen: decima in Ludorff, decima in Reudorff, Winſen, Handorff, Heſebeck minori;

decima in Rapelsdeſtorp, Goldern, Hintberg; duo modii de decima in Quarrendorff. Preterea in augmentum prebende illorum contulimus eccleſiam ſancti Viti cum duobus panſtalibus & tribus areis, & duo panſtalia a Prepoſito Hiahone fratribus in prebendam collata, & duodecim areas in Bardewick duodecim ſolidos perſoluentes. Item domum in Pizion duodecim ſolidos perſoluentem, & decimam de eadem domo. Item domum in Ludorff duodecim ſolidos perſoluentem: domum in Reudorff octo ſolidos perſoluentem: domum in Schwanchildisborſtel ſolidum ſoluentem, prata inter Bardewick & Wittorff ſita; Item partem curie Prepoſiti ad granarium eorum locandum.

Huic vero inſtitutioni a nobis in Bardewicenſi Eccleſia factae ex multis idoneis teſtibus, qui aderant, paucos, prout ſufficere conſiderauimus, ſubſcribi precepimus.

Abbas Luneburgenſis Gotſchalchus.
Item Abbas Vllecenſis Brunchius.
Item de Domo Verdenſi Bernardus Prepoſitus.
Hugo Canonicus.
Item Conradus Prepoſitus Bardouicenſis.
Albertus Decanus, Vigardus Cuſtos. Bruno. Conradus Scole Magiſter. Thidewigus, Henricus, Borchardus.
Item Comes Wolradus eiusdem Eccleſie Aduocatus.
Item N. Abbas de Razeborch.
Hugoldus Aduocatus.
Waſmodus Aduocatus.
Hinricus.
Item conciues Bardouicenſes, Gotſchalcus, Wilhelmus, Volckwardus, Lodewigus & multi de cetera numeroſitate ipſorum.

Prefatam igitur inſtitutionem auctoritate Dei patris & filii & Spiritus ſancti ac beati Petri corroborauimus, banni quoque noſtri impoſitione muniuimus, vt, ſi quis temerarius adhuc ſuperſtitum vel poſterorum, ſiue Epiſcopus ſiue Prepoſitus, ſiue alia eccleſiaſtica vel ſecularis poteſtas prenominatas Bardouicenſium Canonicorum res ac poſſeſſiones inuadere, aut ab eis aliquid vel in paruo alienare preſumſerit, aut a nobis de libertate & religione eorum ſollicite inſtitutum mutare vel infringere tentauerit, omni honore ſuo diuinitus priuatus, anathema ſit. Vt autem rata & inconuulſa hec eadem inſtitutio permaneat, ſigilli etiam noſtri impreſſione eam inſigniri & muniri iuſſimus.

Data Verdie XII. Cal. Iunii Anno incarnationis Domini Chriſti MCLVIII. Indictione ſexta:

Domino

Digitized by Google

Domino Adriano ſancte Romane Sedis beatiſſimo Antiſtite. Imperatore Friderico Romani Imperii habenas flectente. *Hinrico Iuniore tam Saxonie quam Bauarie Ducatum tenente* feliciter!

No. XLI.

Gerhohi Praepoſiti Reichersbergenſis epiſtola ad Henricum Leonem, qua eum ad fortiter defendendam Eccleſiam incendit. Anno 1154. Ex Pez. Cod. Dipl. Part. I. p. 590.

Glorioso & victorioſo Bauariae & Saxoniae Duci, *Henrico*, Frater *Gerhohus* de Richerſperge deuotas orationes cum fideli obſequio. Quouſque, Princeps Nobiliſſime, tua fraudabor notitia ſimul & gratia tali, tam familiari, qualem in conſpectu Patris tui habui, qui me, puſillum licet atque tanti Principis gratia & amicitia indignum, dignatus eſt habere inter gratos & amicos; non eos, qui dilexerunt ſua, non ipſum; ſed eos, qui ſincere dilexerunt ipſum? Inde illi familiares collocutiones mecum de ſalute animae ſuae, de ſtatu & honore Sanctae Dei Eccleſiae. Nam de ſaecularibus ad ipſum pertinentibus illi abundabant conſiliarii, filii huius ſaeculi, prudentiores filiis lucis in generatione ſua, quemadmodum tuae quoque Nobilitati nobiles abundant adſtipulatores, quorum prudenti conſilio tractes negotia mundana. Mihi vero de ſalute animae tuae, de ſtatu & honore Sanctae Dei Eccleſiae Tibi aliqua ſuggerere ſuggeritur a Spiritu illo, vt credo, qui ſuggerit nobis omnia, quaecunque dixerimus, vtilia, ſalubria, & vera. Eſt quippe Spiritus veritatis, qui docet omnem veritatem, & quae ventura ſunt, annuntiat in ſe credentibus, vt & ipſi annuntient ea, ſe audire volentibus. Iſte nimirum Spiritus veritatis in ſcripturis veritatis annuntiauit bona & mala per Reges ac Duces bonos vel malos Eccleſiae Dei euentura, quae iam partim, ſicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Dei noſtri, dum exemplo *Dauid* Regis, *Ezechiae* ac *Ioſiae* Regum bonorum, ſimiliterque Ducum bonorum ſanctorum *Machabaeorum Iudae*, *Ionathae*, *Simonis* quidam Reges ac Duces templum Dei, quod eſt Eccleſia, honorauerunt, & exemplo Salomonis aedificauerunt, vel etiam coronis aureis ornauerunt faciem templi, ſublata inde ſpurcitia ſpiritalis *Antiochi*. Verum tamen faex eiusdem ſpurcitiae nondum eſt exinanita. Propterea tales Duces optamus, qualis fuit Iudas Machabaeorum Dux egregius, & praedicto *Antiocho* Regi penitus contrarius. Nam ille templum *Dei* profanauit, iſte mundauit, & coronis aureis ornauit: illc ſacerdotium vendidit,

vendidit, iſte venditorem expugnauit, & emtores de Sacerdotio exterminauit: per illum ceciderunt multi de populo, per iſtum facta eſt laetitia magna in populo. Dum Te ſtudioſe intento ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, pax eſt in populo. Peramplius autem & perfectius laude dignum eſt, quod concordiam inter Sacerdotium & Regnum ſtudes confirmare, pro qua cauſa diligentius peragenda Te vocante, Te mediante, venerunt Legati Apoſtolicae Sedis, tamquam ciues Apoſtolorum, illuminare patriam, portantes pacem. Sed ipſi non inuenerunt in via pacem, quia inciderunt in manus praedonum crudelium, contra quos, o Princeps nobiliſſime, vtendum Tibi eſt ea poteſtate, quam Tibi Deus contulit ad vindictam malefactorum. Verum tamen quia in omnibus pauenda & cauenda eſt ira Dei omnipotentis, quae omnino eſt ineffugibilis, hoc tuae prudentiae fideliſſime ſuggero, vt in ducendo exercitu cimiteriis & Eccleſiis Deo ſacratis tutelam prouideas, atque a pauperum vexationibus & oppreſſionibus milites & ſcutiferos, quantum praeuales, compeſcere ſtudeas, ne laetitia magna, quae Dei gratia fauente per Te facta eſt in populo, vertatur in triſtitiam: quod Deus auertere dignetur, qui & Tibi vindictas iuſtas exercenti ſemper ſit propitius, & inimicis Tuis inimicus. Cetera Celſitudini Tuae per meam paruitatem ſuggerenda, ſi tamen dignaberis me audire more paterno, in tempus opportunum reſeruo.

No. XLII.

Adriani IV. PP. Epiſtola ad Fridericum I. Imperatorem, qua per Henricum Leonem ad reconciliationem cum eo adſpirat. Anno 1158. Ex Radeuici Lib. I. de geſtis Friderici I. c. 22. apud Vrſtiſium Tom. I. pag. 490.

Ex quo vniuerſalis Eccleſiae curam, Deo, prout ipſi placuit, diſponente, ſuſcepimus, ita in cunctis negotiis magnificentiam tuam honorare curauimus, vt de die in diem animus tuus magis ac magis in amore noſtro & veneratione Sedis apoſtolicae debuiſſet accendi. Vnde ſine grandi admiratione non ferimus, quod, cum audito ex ſuggeſtione quorundam nuntio animum tuum aliquantulum contra nos fuiſſe commotum, duos de melioribus & maioribus fratribus noſtris, *Rolandum* ſcilicet Cancellarium Tituli S. Marci, & Bernhardum Tituli Sancti Clementis presbyteros Cardinales, qui pro tuae maieſtatis honore in Romana eccleſia ſoliciti ſemper extiterant, pro voluntatis tuae cognitione ad tuam

tuam praeſentiam deſtinauimus, aliter quam Imperialem decuerit honorificentiam, ſunt tractati. Occaſione ſiquidem cuiusdam verbi, quod eſt, *beneficium*, tuus animus, ſicut dicitur, eſt commotus: quod vtique nedum tanti viri, ſed nec cuiuslibet minoris animum merito commouiſſet. Licet enim hoc nomen, quod eſt *beneficium*, apud quosdam in alia ſignificatione accipiendum fuerat, quam nos ipſi poſuimus, & quam ex inſtitutione ſua noſcitur retinere. Hoc enim nomen ex *bono & facto* eſt editum, & dicitur *beneficium* apud nos non feudum, ſed *bonum factum*. In qua ſignificatione in vniuerſo ſacrae ſcripturae corpore inuenitur, vbi ex *beneficio* Dei non tanquam ex *feudo*, ſed velut ex *benedictione & bono facto* ipſius gubernari dicimur, & nutriri. Et tua quidem magnificentia liquido recognoſcit, quod nos ita bene & honorifice Imperialis dignitatis inſigne tuo capiti impoſuimus, vt *bonum factum* valeat ab omnibus iudicari. Vnde quod quidam verbum hoc, & illud ſcilicet, *Contulimus tibi inſigne imperialis coronae*, a ſenſu ſuo viſi ſunt ad alium retorquere, non ex merito cauſae, ſed de voluntate propria, & illorum ſuggeſtione, qui pacem regni & eccleſiae nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum *Contulimus*, nil aliud intelleximus, niſi quod ſuperius dictum eſt, *impoſuimus*. Sane quod poſtmodum perſonas eccleſiaſticas a debita ſacro ſanctae Romanae eccleſiae viſitatione, vt dicitur, reuocare iuſſiſti, ſi ita eſt, quam inconuenienter actum ſit, tua, fili in Chriſto chariſſime, diſcretio, vt credimus, recognoſcit. Nam ſi aliquid apud nos amaritudinis habebas, per nuntios & literas tuas nobis fuerat intimandum, & nos honori tuo curauiſſemus, ſicut filii chariſſimi, prouidere. Nunc igitur quoniam ad *commonitionem* dilecti filii noſtri, *Henrici*, *Baioariae & Saxoniae Ducis*, duos de fratribus noſtris, *Henricum* Tituli S. Nerei & Achillei, & *Iacinctum*, Sanctae Mariae in Coſmidin diaconos Cardinales, prudentes ſiquidem & honeſtos viros, ad tuam praeſentiam deſtinauimus, celſitudinem tuam monemus & hortamur in Domino, quatenus eos honeſte & benigne recipias, & quod ab eis ex parte noſtra tuae magnificentiae fuerit intimatum, a ſinceritate cordis noſtri nouerit tua excellentia proceſſiſſe, ac per hoc cum eisdem filiis noſtris, *mediante* iam dicto *filio noſtro Duce*, ita celſitudo tua ſtudeat conuenire, vt inter te ac matrem tuam ſacroſanctam Romanam eccleſiam, nullius diſcordiae ſeminarium debeat remanere.

Digitized by Google

No. XLIII.

Receſſus Imperii Wirceburgicus de tuendo Paſchali Papa & de repudiando Rolando ſeu Alexandro tertio. Anno 1166. Ex veteri Codice Mſct.

FREDERICVS Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Clericis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus & omnibus fidelibus ſuis ſalutem & omne bonum. Cunctis notum eſt populis, qualiter exorta quondam inter Eccleſiae Romanae Cardinales de Apoſtolicatu diſcordia in Reges ac Regna impetu peſtifero eſt diffuſa. Pro qua ad optabile pacis bonum reuocanda quantos poſt beatae memoriae Papae *Victoris* electionem ac confirmationem catholicam Papiae, Laudae, Mediolani, Laonae atque in diuerſis Imperii finibus, in corpore noſtro labores tam nos, quam incliti Principes noſtri, pertulerimus, quantas rerum copias zelo iuſtitiae impenderimus, in extremis quoque mundi partibus iam auditum non dubitamus. Denique beatiſſimo papa *Victore* ad paradiſi gaudia aſſumpto, & in eius locum ab Epiſcopis ac Cardinalibus almae Sedis Apoſtolicae domino *Paſcali*, viro Chriſtianiſſimo, in praeſentia Epiſcoporum & religioſorum Longobardiae ac Tuſciae, illuſtris quoque Praefecti vrbis Romae, ac multorum nobilium Romanorum, catholice ſubſtituto; ipſum etiam dominum *Paſcalem*, ex eccleſiae ac Principum Imperii iudicio atque conſilio, in Papam & patrem catholicum ſollempniter recepimus, debitoque honore ſemper venerari intendimus. Proinde obſtinata ſciſmaticorum perfidia, mortem viri iuſti ſuis ſucceſſibus aperta fronte anhelans Sireneis ſuis blandiciis fidelium quorundam animos adeo molita eſt de nouo immutare, vt, niſi morbis nouis noua remedia maturius obiicerentur, pars quorundam noſtrorum non immodica videretur ex fiducia noſtrae lenitatis ſeducenda. Igitur zelo reformandi decoris domus Dei ardentius accenſi, cum Regem Francorum, qui nulla noſtra culpa praeeunte, vna cum *Rolando*, Imperii noſtri hoſte publico, eiusque ſequacibus Imperialem noſtrum honorem manifeſte molitur auferre, poſt multos noſtros ammonitus irreuocabilem perſenſimus; vniuerſis noſtri Imperii Principibus in ſancto Pentecoſte curiam generalem *Virzeburch* indiximus. Quorum coetu celeberrimo ibidem ſolempniter celebrato, Eccleſiae Dei ſtatum, ac domini Papae *Paſcalis* negotium ſerio ac magnifice duximus roborandum. Inuocata igitur deuotiſſime Spiritus Sancti gratia, & vniuerſorum, qui aderant, conſilio altius communicato, ad remouendam

remouendam omnem prorſus ambiguitatem, ipſi nos manu propria ſuper Sanctorum reliquias iuramentum publice praeſtitimus, quod *Rolandum* ſciſmaticum, vel eum, quem pars ipſius elegerit, in propria nunquam recipiemus, nec ad eum recipiendum alicui vnquam aſſenſum praebebimus: nulli etiam fautorum eius gratiam noſtram vnquam reddemus, niſi ab errore viae ſuae ad vnitatem Eccleſiae fuerit conuerſus: Dominum *Paſcalem* Papam manutenebimus ſemper atque promouebimus, eique, tanquam patri Catholico & vniuerſali paſtori, obedientiam, honorem atque reuerentiam exhibebimus, & ab ipſo eiusque parte, vita comite, nunquam recedemus. Electos quoque, qui ſub eo aut eius ſucceſſore, quem pars ipſius electione & conſecratione receperunt vel adhuc receperint, honore aut ordinibus ſuis pro eius obedientia nunquam priuari permittemus: Et huius abſolutionem ſacramenti nunquam requiremus, nec oblatam recipiemus. Praeterea noſtri Imperii ſucceſſor, quem Principes vniuerſi elegerint, hunc honorem Dei Eccleſiae atque Imperii & hanc partem noſtram ſub eodem iuramento tuebitur ſemper atque tenebit. Idem quoque iuramentum Archiepiſcopi, omnes Epiſcopi atque Electi, qui fuerunt numero XL. ſuper ſancta Dei Euangelia manu propria, vnusquisque ſub ſtola ſua, praeſtiterunt, & publice firmauerunt. Nichilominus vniuerſi Principes ſeculares, *Dux* ſcilicet *Saxoniae* ac *Bauariae*; Marchio *Adelbertus* ſenior; *Conradus* Palatinus Comes Rheni & *Lodoycus* Lantgrauius, ac reliqui omnes, ſuper reliquias Sanctorum id ipſum iurauerunt. Repente autem Spiritus Sanctus mentes omnium adeo fecit vnius voluntatis, quod Electi, qui praeſentes aderant, primo *Raynaldus*, Colonienſis electus, & Ytaliae Archicancellarius, deinde cuncti, omnes in Sabbatho quatuor temporum ad laudem Dei & honorem Imperii ſacros ordines deuotiſſime ſuſceperunt. Firmiter quoque a nobis & ab vniuerſis decretum eſt, vt, quicunque ſuperſunt ordinandi, in proximis IV. temporibus ſimiliter exſequantur; alioquin dignitatis honore, omni remota dilatione priuentur. Ad hoc honorabiles legati Illuſtris amici noſtri H. glorioſi Anglorum Regis, ad nos ab ipſo transmiſſi, in totius noſtrae Curiae praeſentia ſuper Sanctorum reliquias ex parte Regis Angliae nobis iurauerunt publice, quod Rex ipſe cum toto ſuo regno in parte noſtra fideliter ſtabit, dominum papam *Paſcalem*, quem nos tenemus, nobiſcum tenebit; de *Rolando* autem manutenendo ſe de cetero non intromittet. Nos vero, in tua dilectione & fidelitate plurimam fiduciam habentes, mandamus, attentius monentes & poſtulantes, quatenus, conuocatis in vnum omnibus eccleſiae fidelibus, clero videlicet, beneficiatis & miniſterialibus, abbatibus & praepoſitis, prae-

latis & preſbiteris parochianis, hoc idem praedictum iuramentum, vt ipſi Principes iurauerunt & confirmauerunt, ipſe coram omnibus publice facias: tuos quoque Archidiaconos, & praepoſitos, & eccleſiarum praelatos & Abbates, & omnes villarum presbyteros de toto Epiſcopatu tuo hoc ipſum iuramentum diſtincte iurare facias, & in publica eorum miſſa, ſicut edictum eſt & ſancitum a nobis & a Principibus, publicam orationem pro domino papa *Paſcali* nominatim & aſſidue facias recitari. Edictum quoque & ſtatutum eſt, vt haec omnia iuramenta infra VI. ebdomadas ab omnibus compleantur. Quod ſi aliquis clericorum vel laycorum huic confirmationi & edicto noſtro aliquo modo ſe opponendo contradixerit, ex totius Herbipolenſis concilii decreto firmiſſime praecipimus, vt, ſi quis, ad mandatum ſui antiſtitis, aut prouinciae praeſidis, vel domini ſui, ſacramentum non praeſtiterit, ſi clericus ſit vel monachus, eccleſiaſtico priuetur honore; ſi laycus, allodia & beneficia, quaecunque poſſidet, noſtra ipſi auctoritate a ſuo iudice vel domino prorſus adimantur, & toto Imperio noſtro eiiciatur.

Actum eſt hoc anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti MCLXVI. apud Vurzeburg VI. nonas Iunii.

No. XLIV.

Henricus Leo in conuentu Hanouerano Flechtorpienſi coenobio decimas eius villae confirmat.

Anno 1163. Ex Hermanni Crombachii S. I. annalibus Vbiorum Mſctis qui Coloniae aſſeruantur.

HEINRICVS Dei gracia *Bauarie* & *Saxonie Dux*. Ignorare nolumus modo & ſemper Chriſti fideles, quod eccleſia beate Dei genitricis Marie in *Flegtorp* decimam ſuper eandem villam in bene placito Abbatis & totius Conuentus Corbeienſis juſtiſſimo concambio acquiſiuit, ſicut teſtantur priuilegia *Bernardi quinti* Epiſcopi Paderbrunnenſis, & *Folmari* predicte Corbeienſis Eccleſie Abbatis. Quod concambium vt euidentioris & *recencioris* ſcripti teſtamento roboretur, Nos, ſpiritu dei, & monicione Domini noſtri Pape *Victoris* & victorioſiſſimi Imperatoris *Friderici* commoniti, preſentis pagine inſpectione & ſigilli noſtri impreſſione muniuimus in perpetuum & ſtabiliuimus. Nulla vnquam ergo perſona factum, tantorum virorum autoritate corroboratum, retractare ad infirmandum preſumat.

Huius rei teſtes ſunt viri nominati, qui Curie noſtre *Hanouere* intererant:

Epiſcopi

Digitized by Google

Epiſcopi vero *Euergiſus* Paderbrunnenſis.
Wernerus Mindenſis.
Abbates: Conradus Corbeienſis, &
Conradus Paderburnenſis.
Comes Otto & frater eius Henricus de Rauensberg.
Comes Henricus & frater ipſius Fridericus de Arnesberg.
Comes Volquinus, & frater eius Widekindus de Swalenberg.
Comes Adelbertus de Euerſtein.

Acta ſunt hec in predicto Hanouere Conuentu anno M C LXIII. Indictione II. (*immo potius XI.*)

No. XLV.

Traditio Mindenſi Eccleſiae facta, auctore Epiſcopo Siwardo, confirmatur in mallo Comitis Hildeboldi de Rothen. Anno 1140. Ex Illuſtr. D. Grupenii Origin. Hanouer. p. 39.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. S. Dei gracia Mindenſis Epiſcopus. Nouerit dilectio fidelium noſtrorum, tam futurorum, quam preſentium, qualiter Sanctimonialis quedam in Wuneſtorp, Raſmoda nomine, delegauit eccleſie noſtre omnia predia, que ſibi auunculus ſuus Thuringus iure propinquitatis reliquerat, exceptis his in Grene & in Wolkereſſen & in Aſterthecberen, & caſtello prope ipſam villam ſito, & beneficio Fritheboldi in Withen, & dimidio manſo in D. his, inquam, exceptis, cetera omnia predia auunculi ſui, & de prediis patris ſui, Eiconis, duos manſos in Wegerderen, & vnum in Bordenou tradidit eccleſie noſtre, cum omnibus appendiciis & pertinentiis ſuis, cum mancipiis vtriusque ſexus, areis, edificiis, terris cultis & incultis, viis & inuiis, exitibus & reditibus, aquis aquarumue decurſibus, molendinis, piſcationibus, venationibus, pratis, paſcuis, ſiluis priuatis & communibus, cum omni vtilitate, que ſcribi vel nominari poteſt. Hanc traditionem fecit prefata Raſmoda, cum conſenſu & collaudatione mundiburdi ſui, Luidolfi de Waltingerothe, & cum conſenſu & collaudatione ſororis ſue legitime heredis Bertheide ſanctimonialis in Frikkenhus, que & ipſa eundem Luidolſum habuit mundiburdum, ſibi etiam in hac re conſentientem & collaudantem. Hec traditio a predictis perſonis facta & ſecundum legem patrie corroborata eſt in pago Merſtemen, in occidentali ripa Himene fluminis, in placito *Comitis Hildeboldi de Rothen*, ſub teſtimonio multorum nobilium ac liberorum.

Prebuit quoque prediƈte traditioni conſenſum & collaudationem altera ſoror, & legitima heres Raſmode, nomine Wicburga, &, conſentiente & collaudante marito ſuo & mundiburdo Mirabili, confirmauit eam in villa Diddelinchuſen in placito comitis Theodorici de Holthuſen, coram multis teſtibus nobilibus ac liberis. Nos vero, habito, cum fidelibus noſtris conſilio, perſoluimus eidem Raſmode & ſorori eius Berteide denariorum XC. talenta & vnum. Wicburge vero & marito eius Mirabili conceſſimus in beneficio V. talenta. Luidolfo X. ſoli Raſmode XV. in Hemmege tria, in Welekenburge I. in Bettenhuſen II. in Himmenenen I. de ſeruitio noſtro in Wuneſtorpe V. in Minden & Hille & Rugithorpe I. in Libbike & Holthuſen I. in Suleghen & Alethen I. Hac interpoſita diſtinƈtione, vt ipſa nichil horum cuiquam in beneficium concederet, ſed in diebus ſuis ad honorem & vtilitatem ſuam eis frueretur; poſtea vero abſque omni contradiƈtione in vſum eccleſie noſtre redirent. Et vt hec legitima traditio omni tempore firma & inconcuſſa permaneat, hanc cartam inde conſcriptam ſigilli noſtri impreſſione ſignauimus, teſtibusque idoneis, nobilibus ac liberis, corroborauimus. Quicunque ergo aliquid horum furto vel aliqua fraude infringere vel alienare temptauerit, eum niſi ad ſatisfaƈtionem redeat, ex auƈtoritate ſanƈte Trinitatis & principali poteſtate beati Petri Apoſtoli, cuius nos indigni vicem gerimus, in perpetuum excommunicamus, ne ſit ei pars in terra viuentium, ſed corpore & anima deſcendat in infernum.

Hi ſunt teſtes huius traditionis & conuentionis:

Heinricus Prepoſitus.
Rotbertus Diaconus (Decanus.)
Rembertus Presbyter.
Conradus Subdiaconus.

Nobiles: Widekindus Aduocatus.
Hildeboldus Comes, & eorundem prediorum Aduocatus.
Gerbertus Comes (de Stottele.)
Liudolfus de Weltingerothe.
Egilbertus de Welepe.
Theodoricus de Riclingen.
Theodoricus de Holthuſen, & duo filii ſui, Theodoricus & Othelricus.
Theodoricus de Adeneſſen.
Theodoricus de Sperſe.
Haoldus de Burnen.

Reinbertus

Digitized by Google

Reinbertus de Slon.
Kerſten de Lone.
Regiwardus de Huſen.
Bezelinus de Herebergen.

Liberi: Wernherus. Egilwardus. Rothwigus. Hogerus. Alſwardus. Hoico. Ethelerus. Reginboldus. Adelbertus. Hogerus. Theodoricus. Berningus. Liuthardus. Eico. Meinfridus.

Miniſtri Eccleſie: Vaſtmarus. Heinricus. Wicmannus. Luidolfus & filius ſuus Luidolfus. Egilwardus & filius ſuus Vaſtmarus. Ecco & duo filii ſui Bernhardus & Ecco. Gerbertus. Poppo. Alſwardus. Wolframmus. Siſridus. Herewardus. Othelricus. Othelricus. Lantfridus. Williko. Werno. Theodoricus. Gerlagus.

No. XLVI.

Henricus Leo de Aduocatia Pollingenſi ab Hartmanno Brixinenſi Epiſcopo inueſtitum ſe agnoſcit. Anno 1160. Ex Hundii Metrop. Salisb. T. III. p. 80.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *Henricus* diuina clementia *Bauariae atque Saxonum Dux.* Quotieſcunque ſuper eccleſiaſticis negotiis religioſorum petitiones admittimus, a Chriſto, cuius miniſtri ſunt, deuotionem noſtram remunerari non dubitamus. Quapropter notum eſſe volumus, tam praeſentis quam futuri temporis Chriſti fidelibus, quod nos, ad petitionem Praepoſiti & fratrum Pollingenſis Eccleſiae, Aduocatiam eiusdem loci a Domino noſtro *Hartmanno*, venerabili ſanctae Brixinenſis Eccleſiae Epiſcopo, feudali iure recepimus, eo nimirum tenore, vt nunquam a manu noſtra vel haeredum noſtrorum ad ſubaduocatos vel vicarios beneficiali iure deſcendat, ſed perſonaliter ditioni ac protectioni noſtrae pertineat, & ſi forte in aliquo caſu hoc per nos vel legitimos ſucceſſores noſtros immutari contigerit, praedicti fratres reclamandi, & alium ſibi Aduocatum eligendi liberam habeant facultatem, factumque exiſtimatione careat. Praeterea decernimus, nullam exactionem vel paratam a nobis vel a Vicario noſtro ſeu haeredum noſtrorum inibi fieri, niſi iuxta antiqua iura & Conſtitutiones Imperatorum vel Regum. Emolumentum enim noſtrum vita aeterna. Vt ergo huius deliberationis vel conſtitutionis noſtrae ſolemnitas rata permaneat, chartam

Digitized by Google

tam hanc conſcribi & ſigillo noſtro inſigniri iuſſimus. Teſtes vero qui huic actioni intererant, hi ſunt.

Fridericus Palatinus Comes.
Marchio Bertoldus.
Adelgoz Auguſtenſis Aduocatus.
Eberhardus de Vrichenthorp.
Henricus de Wida.

Acta ſunt haec anno dominicae incarnationis Milleſimo Centeſimo LX. Indictione VII. Anno Imperii Domini Friderici inuictiſſimi Romanorum Imperatoris VI.

No. XLVII.

Henrico Leoni Reichersbergenſe coenobium eiusque Praepoſitum Gerhohum commendat Eberhardus I. Salisburg. Archiepiſopus. Anno 1160.

Ibidem p. 167.

EBERHARDVS Dei gratia Saltzburgenſis Eccleſiae Archiepiſcopus, *glorioſo & victorioſo Bawariorum & Saxonum Duci*, *HEINRICO*, ſinceram dilectionem & omne bonum. Quia Ducibus tanquam a Deo miſſis ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, hoc debet Eccleſia, vt pro eorum ſalute, diuinam clementiam iugiter exoret; conueniens eſt, vt & ipſi pro pace ac defenſione fidelium ſanctae Dei Eccleſiae laborent. Vnde rogamus nobilitatem veſtram, in ea fiducia, qua vobis Eccleſia Saltzburgenſis confidit, vt *Richerſpergenſe* Coenobium, quod quantum attinet ad poſſeſſionem legitimam, cum omnibus quae ad ipſum pertinent, noſtri eſt iuris, & quantum ad regimen ſaeculare, veſtram Celſitudinem reſpicit, ſpecialiter habeatis pietati ac principatui veſtro commendatum, iure veſtro contra iniurioſos defendendum & manutenendum: dilectum quoque fratrem noſtrum *Gerhohum*, eiusdem coenobii Praepoſitum, tum pro noſtri dilectione, tum pro beatae memoriae *patris veſtri HENRICI Ducis*, cui Praepoſitus idem fidelis & familiaris exſtitit, vt pluribus veſtrorum eſt notum, vos, tanquam paternae pietatis haeres, in eadem gratia foueatis, & manuteneatis, in qua eum pater veſter habuit: & vbicunque vel eius perſona, vel praedicta congregatio veſtrae defenſionis indiget ſolatio & auxilio, contra iniquorum violentias, vos eius tutelae ſecundum iuſtitiam dignemini prouidere. Atque hoc ipſum vicinis eius, quos ipſe nobis deſignauerit, attentius commendare curetis, vt iam dictum Coenobium, veſtrae defenſioni

Digitized by Google

deſenſioni per nos commiſſum, cauſa Dei vt veſtri tueantur contra omnes violentias iniquas. Porro ſi quis aduerſus ipſum Coenobium vel habet, vel habebit querelam, veſtrae ſit poteſtatis, tam ex iure veſtro, quam ex commiſſo noſtro, cauſam ventilare, ac ſecundum iuſtitiam terminare, ſaluo iure Aduocatorum ſuper eiusdem Coenobii praedia per nos conſtitutorum, ſemoto iniquo grauamine ac nomine ſubaduocatorum, tam ſpirituali quam ſaeculari iudicio abiudicatorum, niſi quantum admittuntur ex conſenſu eorum, qui Eccleſiis praeſident. Quibus &, ſi fuerint importuni vel iniurioſi, eorundem petitione debent ſubmoueri, quia vocati ſunt ad iſtam ſubaduocatiae procurationem non per ius beneficii, ſed per conuentionem gratuiti beneplaciti. Atque vt haec noſtra commendatio nulla dubietate vacillet, ſed memoriale certum vobis veſtrisque in Ducatu ſucceſſoribus perſeueret, chartam hanc inde conſcriptam, & ſigillo noſtro communitam in praedicto Coenobio conſeruari praecepimus.

No. XLVIII.

Henricus Leo Aduocatiam Coenobii Reichersbergenſis adminiſtrat. Anno 1160.

Indidem p. 168.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: Ego *HEINRICVS Dux Bauariae ſimulque Saxoniae*, a venerabili Archiepiſcopo Saltzburgenſi vocatus in Aduocatiam praedii, quod dicitur Munſteur mutuati ab Eccleſia Babenbergenſi, cum ſuis appendiciis, in priuilegio Babenbergenſis Epiſcopi comprehenſis, & in poſſeſſionem Richerſpergenſium fratrum legitima delegatione iure Aduocati ſuſceptis, confirmo iſto praeſenti ſcripto, vt haec ipſa, quam ſuſcepi, Aduocatia ſemper ab iniquis grauaminibus libera permaneat, nullus ibi, vel ex parte mea, vel mihi ſuccedentium ſtatuat vel exigat ſibi a colonis tribuendum, vel quoquo modo in vſus ſuos redigendum, praeter tertios bannos, iuxta conſuetudinem antiquam Aduocatis perſoluendos. Nam duo pertinent ad Eccleſiae ſatisfactionem pro damnis illatis emendandis. Et quia Eccleſia in emendatione damnorum non quaerit, niſi ſimplum ſibi reſtitui, quod tamen leges Imperiales in duplum, vel amplius iubent reddi; ſi quis malefactorum in praedio ſub hac Aduocatia comprehenſo damnum fecerit, & ſine auxilio Aduocati vel eius Miſſi non poterit ad emendationem prouocari vel coarctari, damnum ſimplum Praepoſito reſtituat; quod vero inſuper ad compoſitionem illatae iniuriae requirendum iure iudicabitur,

Digitized by Google

Aduocato vel eius Miſſo in vſum ſuum perueniat: quia dignus eſt operarius mercede ſua; quanquam nos in hac Aduocatia praecipue ac ſolummodo caeleſte requiramus praemium, noſtriſque ſucceſſoribus requirendum ſtatuamus. Annectimus praeterea, vt nulli ſubaduocato, vel qualicunque principalis Aduocati Miſſo, haec Aduocatia beneficiali concedatur iure, ſed ita ei, cui Praepoſitus poſtulauerit, commendetur, vt, eodem vel congregatione poſtulante, valeat ſubmoueri. Si autem conſtiterit, eum eſſe inutilem aut damnoſum, & hoc ſecundo tertioue commonitus, emendare neglexerit, id omne & quod ipſe non poterit emendare, ad noſtram, vel ſucceſſoris noſtri perſonam referri debebit; quod ex officio Ducatus, pariterque Aduocatiae, non ſine cauſſa gladium portamus. Ne autem noſtra haec inſtitutio impoſterum valeat imminui aut mutari, noſtro eam ſigillo roboratam ſucceſſuris temporibus in Coenobio Richerſpergenſi volumus conſeruari.

No. XLIX.

Henrici Leonis priuilegium Wisbuenſe. Anno 1163. Ex Lambecii mantiſſa ad Rer. Hamburg. Lib. II. p. 78.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *HENRICUS* diuina fauente clementia *Bauarorum atque Saxonum Dux.* Nouerit cunctorum tam praeſentium quam futurorum Chriſti fidelium ſagacitas, qualiter nos, ob amorem pacis & reuerentiam Chriſtianae religionis, maxime autem contemplatione retributionis aeternae, diſſenſionem inter *Theutonicos* nec non *Gutenſes*, inſtigante ſpiritu nequitiae diu male habitam, vnitati & concordiae antiquae reformauimus. Qualiter etiam multimoda mala, videlicet odia, inimicitias, homicidia, ex vtriusque gentis diſſenſione orta, Spiritus Sancti gratia cooperante perpetua pacis ſtabilitate condonauerimus, & poſtmodum *Gutenſes* in noſtrae reconciliationis gratiam benigne receperimus. Iuris igitur & pacis eiusdem decreta, *Gutenſibus* quondam a Sereniſſimo Romanorum Imperatore, Domino *Lothario* piae memoriae, *auo noſtro*, conceſſa, Nos in omni deuotione factis eius inclinantes, ſimili pietate *Gutenſibus* contradimus, vniuscuiusque iuris traditionem per ſingula capita diſtinguentes.

Per vniuerſae poteſtatis noſtrae ditionem *Gutenſes* pacem firmam habeant, ita vt, quicquid diſpendii & rerum ſuarum, ſeu iniuriae infra terminos noſtri regiminis pertulerint, plenam ex iudiciaria poteſtate iuſtitiam & correctionem conſequantur.

Hanc

Hanc eis gratiam adiicientes, vt in omnibus ciuitatibus noſtris a teloneo liberi permaneant.

Item ſi quis Gutorum in quibuscunque ciuitatibus noſtris, vbi pacem ſub iure iurando firmauimus, peremptus fuerit, capitis ſententia reus ille puniatur.

Si quis vero armis vulneratus vel debilitatus fuerit, manu reum truncari decreuimus.

Inſuper ſi quiſpiam fuſte vel pugno impie laeſus fuerit, iuri ciuitatis, in qua id contigiſſe dinoſcitur, reus item ſubiaceat.

Similiter autem quicunque Gutenſium in itinere eundo vel redeundo in die non legitime occiſus fuerit, peremptor cum haeredibus & cognatis occiſi XL. marcis monetae illius prouinciae, in qua nefas perpetratum eſt, componat.

Si quis vero eorum in quacunque ciuitate noſtra mortuus fuerit, bona ſua haeres vel cognatus eius, ſi forte praeſens eſt, recipiat, & in multa pace fruatur. Sin autem, bona illa in eadem poſſeſſione, qua ille obierit, annum & diem in diſtrictu reſeruentur. Si vero nullus infra tempus denominatum bona iſta requiſierit, iudex ciuitatis ea recipiat.

Nouiſſime autem eandem gratiam & iuſtitiam, quam noſtris mercatoribus decreuimus, eandem omnibus Gutenſibus in perpetuum ſtatuimus fideliter conſeruandam, hoc videlicet pacto, vt grata viciſſitudine idem noſtris & ipſi exhibeant, Nos quoque & terram noſtram de cetero arctius diligant, & portum noſtrum in *Lubeke* diligentius frequentent.

Huius autem rei teſtes ſunt hi:

Epiſcopus Geroldus (Lubecenſis.)
Euermodus Epiſcopus (Raceburgenſis.)
Berno Magnopolitanus Epiſcopus.
Marchio de Vohborg.
Adolphus Comes.
Sifridus Comes.
Wolradus Comes.
Henricus Comes de Ratzeburg.
Luthardus de Meinerſſen.
Adolphus de Woltingeroth.
Guncelinus.
Anno Camerarius.
Ludolphus Dapiſer.
Reinoldus Comes de Lubeke.

Acta ſunt haec anno Domini M°. Centeſimo ſexageſimo tertio, regnante glorioſiſſimo Domino Frederico Romanorum Imperatore Auguſto, anno Regni ſui decimo, Imperii ſeptimo.

Datum in Erteneborch XV. Kal. Nouembris.

No. L.

Comites Holſatiae mercatoribus Wisbuenſibus & Gutlandicis ſeruare in terris ſuis ſpondent priuilegia olim ab Henrico Leone impetrata. Anno 1255. Indidem

IOHANNES & Gerardus Dei gratia Comites Holtzatiae, Stormariae & Schouwenborch, omnibus tam praeſentibus, quam futuris cupimus eſſe notum, quod nos, ob dilectionem dilecti Patris noſtri, vniuerſos ciues, tam in oppido *Wisby*, quam in ipſa terra *Godlandiae* manentes, noſtrique deſtrictus terminos cuiuscunque negotii cauſa tranſeuntes, tam in eorum tranſitu, quam reditu, cum omnibus mercimoniis & bonis ſuis, in noſtram recipimus protectionem, conductus noſtri ſecuritatem eisdem plenius conferentes, talemque gratiam ac libertatem ipſis concedentes, videlicet, vt iidem omni iure, quo dilecti patris noſtri ſuorumque praedeceſſorum tempore feliciter vſi ſunt, ſicut illuſtris *HEINRICI Ducis Brunſwich* felicis memoriae priuilegia, iam dictis ciuibus ſuper eadem libertate collata continent, perpetuo libere perfruantur. Et vt haec donatio noſtra ſtabilis & inconuulſa perenniter perſeueret, praeſentem charticulam cum ſigillorum noſtrorum munimine duximus roborandam.

Acta ſunt haec anno Domini M°. CC°. LV°. tertio Idus Iunii.

No. LI.

Henrici Leonis fundatio & dotatio collegii Canonicorum Lubecenſis. Anno 1164. Ex Diplomatar. Lubec. apud Lunig. Spicileg. Eccleſ. T. II. p. 291.

IN nomine ſacroſanctae & indiuiduae Trinitatis. *HINRICVS* diuina fauente clementia *Saxonum & Bauarorum Dux*. Si Praedeceſſorum ac ſublimium progenitorum noſtrorum veſtigia ſequimur, non ſolum Eccleſiarum Dei curam gerimus, verum etiam earum ſeruitores continuis honoribus, beneficiis, & congruo quorumlibet petentium deſideriis ſtudio pietatis impartiri docemur. Nouerit ea propter tam praeſentium, quam futurorum ſacroſanctae Dei eccleſiae fidelium ſagacitas, qualiter nos, ex conſenſu ac pia voluntate felicis memoriae *Geroldi*, venerabilis

Lubecenſis

Lubecenſis eccleſiae Epiſcopi, quasdam de Epiſcopali iure ſuo in beneplacito ipſius obtinentes decimationes ac villas, eidem Eccleſiae, in honore ſanctae Dei genitricis ac perpetuae virginis Mariae, & ſancti Iohannis Baptiſtae dedicatae, in vſus & augmentum praebendae fratrum inibi famulantium, ipſo praedicto Epiſcopo cooperante & adſtipulante, pro remedio animae noſtrae contradidimus. Decimationem videlicet cum cenſu totius prouinciae in Aldenborch: Decimationem totius prouinciae in Luctikenborch: Decimationem totius prouinciae in Susle: Decimationem totius prouinciae cum cenſu in Radegowe: Decimationem cum cenſu totius prouinciae in Pule: Decimationem cum cenſu totius villae Gumahe cum ceteris appendiciis, pratis, paſcuis, aquis: Medietatem decimae totius parochiae in Chodeslo, ſalua tamen iuſtitia ſacerdotis. Statuimus autem, vt de his omnibus in vnum collectis cuilibet fratrum XV. meſae frumenti, & duae marcae nummorum, Praelatorum vero, vtpote Praepoſito, Decano, Cuſtodi, Scholaſtico, tres annuatim perſoluantur. Si vero de praedictis villis & prouinciis in futurum maior forte fructus & vtilitas, annuente Domino, prouenire contigerit, volumus & decernimus, vt in vſum ac poteſtatem Epiſcopi praedicti ſalua tamen integritate praebendae fratrum cedat & reſeruiat. Ad maiorem autem huius canonicae inſtitutionis promotionem contulimus eidem eccleſiae quoddam nimirum praedium trans Albiam, quod dicitur Vnminchart, cum duobus molendinis, ac ceteris appendiciis, paſcuis, campis, pratis, ſiluis, cultis & incultis, aquis, aquarumque decurſibus, viis & inuiis, exitibus & regreſſibus, eo ſcilicet rationis tenore, vt vna pars eiusdem praedii in die dedicationis eccleſiae, altera in anniuerſario noſtro, ad ſeruitium & conſolationem fratrum perueniat, tertia vero eodem die pauperibus largiatur. Dedimus inſuper in vſus & augmentum praebendae fratrum tres manſos Hollandrenſes iuxta caſtrum Ertenebureh, cum omnibus attinentiis. Statuimus etiam ad veſtituram fratrum de thelonio nauium ad eandem ciuitatem applicantium XXVII. marcas nummorum annuatim perſoluendas. Sicut autem omnia praenominata, ita etiam hac conceſſione & auctoritate glorioſiſſimi Domini *Friderici* & inuictiſſimi Romanorum Auguſti Imperatoris largimur, & in perpetuum donamus eisdem fratribus duas villas, videlicet in Darſowe, & vnam in prouincia Pule, & tres alias a Comite Adolpho, felicis ac piae memoriae, nobis gratanter & benigne dimiſſas Lanchowe & Ginni, ac Buſſowe, cum omnibus decimis ac vtilitatibus, campis, paſcuis, pratis, ſiluis, cultis & incultis, aquis, viis & inuiis. Et vt haec noſtrae conceſſionis auctoritas in Dei nomine pleniorem obtineat vigorem, & a Dei

& ſanctae Eccleſiae fidelibus noſtriſque verius credatur, & diligentius per futura tempora conſeruetur, praeſentem paginam inde conſcribi iuſſimus, & ſigilli noſtri impreſſione ſignauimus, & venerabilium dominorum Hammenburgenſis Archiepiſcopi, Hartwici, & Geroldi, ſaepe fatae ciuitatis Epiſcopi, auctoritate, Apoſtolorum Petri & Pauli banno & anathemate, nulla perſona parua vel magna reclamante, confirmari fecimus.

Huius etiam rei teſtes hi ſunt:

Marquardus, Abbas de Luneburg.
Harwicus, Praepoſitus de Hammenburg.
Otbertus, Decanus maioris eccleſiae Bremenſis.
Luduicus de Wippera, Magadeburgenſis Canonicus.
Hinricus, Praepoſitus Sancti Stephani in Bremen.
Echelo, Praepoſitus Lubicenſis.
Luidolphus Sigebergenſis Praepoſitus.
Hermannus Praepoſitus de nouo monaſterio.
Ludmodus, Praepoſitus Heslingae.
Burchardus de Wildeshuſen.
Comes Adolphus de Scowenburg.
Henricus, Comes de Schwartzburg.
Comes Syfridus de Blanchenburg.
Comes Hinricus de Schota (forte Sladen.)
Comes Hinricus de Raceburg.
Comes Wolradus de Dannenberge.
Comes Hermannus de Luchowe.
Lutgartus de Meinerſen.
Ludolfus de Waltingeroth.
Gunzelinus de Hagen.
Adolphus de Nienkerchen.
Rembertus de Richelinge.
Tydericus frater eius.
Reynoldus de Ertheneburg.
Bono de Vrtburg.
Ericus de Gatersleue.
Ludolfus Aduocatus de Brunſchwich.
Ecbertus de Wolferbutle.
Gerardus de Lache & filii ſui.
Ludolphus de Paine.
Henricus Aduocatus de Luneburg.

Gherardus

Gherardus Sculterus de Barduic, & alii multi fideles & catholici viri.

Acta ſunt haec Anno Domini M. C. LXIV. Indictione VIII. Anno regni Domini Friderici inuictiſſimi Romanorum Imperatoris Auguſti XII. Imperii vero IX.

Data apud Ferdiam, per manum Hartwici, Notarii noſtri, IV. Idus Iulii, feliciter Amen.

No. LII.

Onus expeditionis Longobardicae ab Hermanno Hildenſemenſi Epiſcopo pecunia redemtum. Anno 1166. Ex Mſct. authentico.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Hermannus dei gracia Hilden. eccleſie Epiſcopus in perpetuum. Notum ſit omnibus, tam preſentibus quam futuris, quod, *ad perſoluendas quadringentas marcas, quas, vt a labore Longobardice expeditionis paruitatem noſtram abſolueret, Dno Imperatori polliciti fuimus*, curtem noſtram in Smitenſtede, *cum omnimoda vtilitate* (*) ad eam pertinente Dno Othelrico de Riuo, Miniſteriali noſtro, & vxori eius, & proli vtriusque ſexus pro ſeptuaginta marcis in pignore poſuimus, & in beneficium contulimus, hoc videlicet pacto, vt eam iure beneficiali absque omni inquietationis moleſtia poſſideant, & eam denuo nobis reſignent, & vtilitati noſtre plenarie promittant, cum poſt trium annorum curricula eam totidem in areis (lege *marcis*) redemerimus, vel aliquis noſtrorum ex ordine ſucceſſorum. Vt autem huius actionis noſtre ratio tam ex noſtra, quam ex eorum parte firma & indiuulſa permaneat, idem Othelricus ita ſe executurum vel eius ex ordine heredes fide interpoſita certiſſime pollicitus eſt, & nos paginam iſtam dignitatis noſtre ſigillo impreſſam inde conſcribi precepimus. Idem ſepe dicti Miniſterialis noſtri amici, qui aderant, compromiſerunt: quorum nomina ſubnotata ſunt:

Ludolffus de Walthingeroth.
Lippoldus de Inſula.
Erneſtus Dapifer.
Conradus Pincerna.

Siffridus

*) Formula in diplomatibus Germanicis toties occurrens: *Mit aller ſchlachte nut: Cum omnis generis vtilitate:* de cuius vero ſenſu inter ſe digladiantur minorum gentium Dii.

Siffridus & Iohannes de veteri villa. (Oldendorp.)
Wernerus de Berningerode.
Vdo de Intheleche (forte Vithelaha, Widela.)

Teſtes autem huius actionis hii ſunt:

Richbertus Decanus.
Bertoldus, Lampertus, Presbiteri.
Otto, Eilhardus, Theodericus, Erpo, Conradus, Harderadus, Berno, Diaconi.
Theitmarus, Hoaldus, Gozmarus, Iohannes, Subdiaconi, & Laici prenominati.

Actum Dominice Incarnationis Anno M.C.LXVI. Indictione XIIII. Data Hilden. VIII. idus Auguſti. In Dei nomine feliciter Amen.

No. LIII.

Hermannus Epiſcopus Hildenſemenſis aedificationem Capellae in Hemmenthorp confirmat.

Anno *1166*. Ex Mſct. authentico.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Hermannus dei gracia Hilden. eccleſie Epiſcopus in perpetuum. Debitum officii noſtri omnimodis hoc exigit, vt fidelium eccleſie filiorum & maxime ſollicitudini noſtre commiſſorum peticioni & commodo & vtilitati, quantum & vbi poſſumus, conſulamus: ita tamen, vt iuſticiam legitimam eccleſiarum Dei nulla ex parte minuamus, aut minorari permittamus. Proinde vniuerſitati filiorum Dei, ad quos preſentis ſcripti pagina peruenerit, notum facimus, quod Venerabilis & Precordialis amicus noſter, eccleſie *Corbeienſis* Abbas, Domnus *Conradus*, & fidelis noſter *Vuarch* Aduocatus & totus populus de *Hymmentorp* licenciam a nobis petiuerunt, Capellam ibi edificandi, vt eciam, ad Miſſarum ſolempnia in ea celebranda, conſecracione debita promoueremus. Deuote igitur peticioni eorum annuimus, & conſenſu venerabilis fratris noſtri *Eilhardi*, Oldenthorpenſis eccleſie Archidyaconi, & aliorum fratrum noſtrorum, deſiderio eorum ſatisfecimus, ea videlicet condicione, vt antedictus Abbas Capellam illam manſo vno, quinque ſolidos ſoluente, dotaret, vtque ab eo vel eius ſucceſſore ſacerdos de Aldendorp, vel eius ex ordine ſucceſſor, iure beneficiali eam abſque ſeruicio poſſideret, & neque baptiſmi, neque vnctionis, neque ſepulture ſacramentum, niſi in peregrinis

&

& pauperibus, in ea celebretur, ſed tantum Miſſarum ſolempnia peragantur, & omnem obedienciam & obſequium ſiue ad neceſſitatem, ſiue ad decorem, ſicut antea, eccleſie in Aldentorp exhibeant, & in Dominicis & aliis maioribus feſtis ad Miſſarum & Proceſſionis ſolempnia ibi de more conueniant. Verum quia cenſus predicte dotis minime ad aſſiduum ſacerdotis laborem recompenſandum ſufficere poterit; ſtatuimus, collaudacione ciuium de *Hemmentorp*, vt ei per ſingulos annos XXIIII. ſolidos ſuperaddant, donec de ſumptibus ſuis reditus XX. ſolidos ſoluentes ad dotem Capelle illius augendam comparent, & inſuper luminare prouideant. Vt igitur huius noſtre conſtitutionis racio firma & indiuulſa ex nunc & deinceps omni euo permaneat, paginam iſtam inde conſcribi & noſtre dignitatis ſigillo iuſſimus inſigniri. Si autem Domnus Abbas vel ſupradictus populus huic noſtre conſtitucioni contraire temptauerit, ſtatuimus, vt & reliquie deferantur, & diuinorum officiorum vſus ibi nullatenus celebretur.

Teſtes autem huius actionis ſubnotantur:

Egghehardus Decanus.

Werno. Bertoldus. Ricbertus. Lambertus, Presbiteri.

Eilhardus. Theodericus. Otto. Erpo, Dyaconi.

Bertoldus. Themarus. Hoaldus, Subdyaconi.

Erneſtus Dapifer.

Conradus Pincerna.

Actum Anno Dominice Incarnationis M°. C. XLVI. (M°. C.LXVI.) Indictione XIII.

Datum Hildenesheim VIII. Kls Septembr. In Dei nomine feliciter. Amen.

No. LIV.

Congregationis Seguſienſis Coenobii epiſtola ad Epiſcopum & Capitulum Hildenſemenſis Eccleſiae de Hermanno Epiſcopo Seguſii defuncto & ſepulto, & de miraculis eius. Anno 1170. Ex Mſct. authentico.

A (*) . . . . venerabili patri & domino, Hildenſemenſi *Epiſcopo*, & omnibus eiusdem eccleſie reuerendis clericis congregatio Secuſienſis coenobii ſalutes Iachob. Mundanas verborum ſuperfluitates declinantes, & nenias poſtponentes, ſinceram & puram de egregio

*) Adelgoto.

gio & ſancto viro, *Erimanno*, quondam veſtro Pontifice, nunc autem noſtro Preſule, ſanctitati veſtre ſcribendam cenſuimus narrationem. Redeunte eo a ſepulchro Domini, apud nos depoſito corporis onere, celeſtibus ſociatus ciuibus, celeſtem aſcendit patriam. Ad teſtimonium igitur eius glorie ad ſepulcrum eius per Dei gratiam crebra fiunt miracula.

Quicunque febricitantes venerint, ſtatim eius liberantur precibus.

Quidam per annum oculorum amiſſo lumine, mox vt ſancti viri deuotus tumulum petiit, omnino viſum recuperare meruit.

Cuidam mulieri vir ſanctus in ſomnis apparuit, & arens brachium, quod per plures annos diuturna infirmitas abſtulerat, integerrime ſanitati reſtituit.

Et, vt breuiter concludamus, euangelico vtentes teſtimonio, ad tanti patris tumulum, diuina interueniente miſericordia, demones effugantur, claudi curantur, leproſi mundantur, & innumere infirmitates, prout petentium fides exigit, a deuote ſupplicantibus, eius meritis expelluntur. Teſtis enim eſt Deus, cui cuncta ſunt aperta, qui & illuminat abſcondita tenebrarum, quia, ſicut ipſe eſt ipſa veritas, ita & ea, que de ſancto viro ſummatim tangendo ſcripſimus, vera eſſa promittimus. Soſpitatem veſtram Chriſti gratia conſeruare dignetur.

No. LV.

Teſte Henrico Leone Abbatiam Nienburgenſem ad Bodam Wichmanno Archiepiſcopo Magdeburgenſi ſubiicit Fridericus I. Imperator. Anno 1166. Ex Becman. Hiſtor. Anhalt. Part. III. p. 436.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. In eminenti throno maieſtatis Imperatorie conſtituti, ſicut rebelles celſitudinis noſtre dextera debita percellere vindicta, ſic eos, qui iugi & ſincera deuotione ſtudent Imperii honorem promouere, regie libertatis munificentia beare conſueuimus. Nouerit igitur vniuerſorum fidelium tam preſens etas, quam ſucceſſura poſteritas, quod nos, attendentes deuota dilecti Principis noſtri *Wigmanni*, ſancte Magdeburgenſis eccleſie Archiepiſcopi, obſequia, que frequenter nobis exhibuit, ipſum honorare, & eccleſiam Magdeburgenſem de gratia Imperiali alicuius honoris exhibitione ampliare decreuimus. Vnde volumus, vt eccleſia *Nyenborgenſis*, que vsque ad hec tempora Imperatorie maieſtati ſubiecta fuit, iuſticiam & reuerentiam, quam ſecundum priuilegia anteceſſorum noſtrorum nobis exhibere tenebatur,

tenebatur, prediĉto Archiepiſcopo Magdeburgenſi & eccleſie ſue de cetero exhibeat, non libertatis venditione, ſed perpetua nominis noſtri recordatione. Sed ne quis malignantium poſtmodum prediĉte Nyenborgenſi eccleſie occaſione aliquam iaĉturam vel grauamen aliquod inferre poſſit, propter quod anime noſtre periculum timere debeamus; hanc conditionem interponimus, quatenus nec eccleſia Nyenborgenſis, nec Abbas in beneficiis & familiis ſuis aliqua parte iuſtitie & honoris ſui detrimentum vel diminutionem patiatur. Verum ſi ipſe Epiſcopus vel quisquam alius contra hanc noſtram ordinationem preſcriptam eccleſiam Nyenborgenſem moleſtare vel grauare preſumpſerit, ſepe diĉta eccleſia ad Imperatorie Maieſtatis excellentiam ac tuitionem, ſicut ante conſueuerat, liberum habeat refugium, & ibidem de cetero in ſuis neceſſitatibus condignum accipiat patrocinium. Vt autem hec ordinatio rata & inconuulſa in perpetuum permaneat, hanc cartam conſcribi & ſigilli noſtri impreſſione iuſſimus inſigniri.

Huius rei teſtes ſunt:

Chriſtianus Maguntienſis Archiepiſcopus.
Arnoldus Treuirenſis Archiepiſcopus.
Conradus Wormatienſis Epiſcopus.
Rodulfus Leodienſis Epiſcopus.
Hermannus Bauenbergenſis Epiſcopus.
HENRICVS Dux Saxonie.
Matheus Dux Lotharingie.
Theodoricus Marchio Orientalis.
Hugo Comes de Dagesborg, & alii quam plures.

Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris inuiĉtiſſimi.

Ego Godefridus Cancellarius, vice Chriſtiani Moguntini Archiepiſcopi & Archicancellarii, recognoui.

Aĉta ſunt hec Anno Dominice Incarnationis milleſimo centeſimo ſexageſimo ſexto. Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo. Anno Regni eius XIIII. Imperii vero XII.

Datum Norinbergk.

No. LVI.

Friderici I. Imperatoris bonorum permutatio, auctoritate Ducis Welfi & Henrici Bauariae & Saxoniae Ducis cum Archiepiſcopo Magdeburgenſi Wichmanno ſuſcepta. Anno 1166. Indidem.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Fredericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Quicquid in legitimis contractibus vel concambiis ordinabiliter a fidelibus proponitur vel ſtatuitur, merito literis eſt annotandum, & in ſcripto redigendum, ne per maliciam hominum, qui ſemper nituntur in contrarium, vel per aliquam obliuionem apud poſteros dubium reddatur vel incertum. Ea propter cognoſcent vniuerſi fideles Imperii, preſentes & futuri, quod nos in recti concambii viciſſitudine ſancte Magdeburgenſi ecclesie & Wicmanno, eiusdem ecclesie Archiepiſcopo, & omnibus ipſius ſucceſſoribus, ex conſilio & ſententia Principum, eo iure, ſicut nos poſſedimus, Abbatiam Nuenburgenſem legitime dedimus cum liberis & miniſterialibus, & cum omni iure & honore & vtilitate, & cum omnibus bonis pertinentibus, excepta Aduocatia. Item in eiusdem concambii viciſſitudine predicte Magdeburgenſi ecclesie & noſtro dilecto Wicmanno & omnibus eius ſucceſſoribus eiusdem rationis tenore dedimus caſtrum Vreckenleuch cum liberis & miniſterialibus & omnibus bonis attinentibus in eadem iuſtitia & honore et . . . . ſicut ad nos deuenerat, & ſicut nos habuimus. Pro his autem, quia tam larga gratia & donatio viciſſitudinis equitatem exigebat a predicto Wicmanno, caſtrum Schonenburgh cum omnibus ſuis pertinentiis, liberis & miniſterialibus, villa quoque Wiſele & curia Wegenheim cum omni iure & honore & vtilitate, ſicut Magdeburgenſis ecclesia & Wicmannus Archiepiſcopus habuerat ea, recepimus, ſub hoc pacto & ſub hac ratione, vt predictum caſtrum cum liberis & miniſterialibus & omnibus ſuis pertinentiis Regno in perpetuum pertineat. Et ne id, quod rationabiliter in concambio Magdeburgenſi ecclesie & Wicmanno Archiepiſcopo donauimus, & id, quod ab ipſo & eius ecclesia ex viciſſitudinis equitate recepimus, ab aliquo noſtro ſucceſſore poſſit infringi, vel ab ipſius ſucceſſoribus repeti, preſentem inde paginam conſcribi, ac noſtre maieſtatis ſigillo iuſſimus inſigniri, adhibitis idoneis teſtibus, quorum nomina hec ſunt:

Godefridus Spirenſis Electus.
Otto Conſtantienſis Electus.

Egeno

Egeno Curienſis Electus.
Hartmannus Campidonenſis Electus Abbas.
Otto Magdeburgenſis Maior Prepoſitus.
Dux WELPHO.
HEINRICVS Dux Bauarie & Saxonie.
Dux Fridericus de Stoupha.
Otto Maior Palatinus de Withelisbach.
Comes Rodulphus de Phullendorf.
Comes Albertus de Dilingen.
Comes Bertholdus de Berge, & Frater eius Vlricus.
Comes Euerhardus de Kirberch & filii ſui.
Burcardus Burgrauius Magdeburgenſis.
Waltherus de Arneſtede.
Arnoldus de Biuerbach.
Lodouicus de Wecthersbach.
Teginhardus de Hellenſten.
Henricus de Reueningen,
Witho de Honſten.
Ricardus & Henricus de Alsleue.
Hedenricus & Henricus de Seburch.
Siegfridus de Solcherhuſen.
Hartmannus Camerarius & alii quam plures.

Signum Domini Frederici Romanorum Imperatoris Auguſti.

Ego Chriſtianus Sacri Palatii Cancellarius & Moguntine Sedis Electus recognoui.

Acta ſunt hec anno Dominice Incarnationis M. C. LXVI. Indictione XIIII. Regnante Domino Friderico Imperatore victorioſiſſimo, anno Regni eius XIII. Imperii autem XI. feliciter Amen.

Datum apud *Vlmam* VIIII. Idus Marcii.

No. LVII.

Conradus Epiſcopus repetit, quae laica manus perficere ex ſua opinione non potuit. Anno 1164.

(1166.) Ex Diplomatario Lubecenſi apud Lunig. Spicil. Eccleſ. Tom. II. p. 292.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego Conradus, Dei gratia Lubicenſis Epiſcopus. No-

uerint tam poſteri, quam moderni, quod venerabilis anteceſſor noſter Gheroldus Sedem Epiſcopalem, quae eatenus in Aldenburg erat, in Lubeke, propter incurſus paganorum & crebras infeſtationes tranſpoſuit, & congregationem Canonicorum inſtituit, ad quorum ſuſtentationem haec, quae ſupter notata ſunt, pro remedio animae ſuae ſucceſſorumque ſuorum contulit. Decimationes prouinciae in Luctelenburg. Decimationes prouinciae inſulae. Decimationes prouinciae in Rategowe. Decimationem prouinciae in Pule. Decimationem cum cenſu totius villae Gumele, & ceteris cultis & incultis. . Medietatem decimae parochiae in Choteslo ſalua iuſtitia ſacerdotis. Statutum eſt autem a praedicto anteceſſore noſtro, vt cuilibet fratrum XV. meſae frumenti, & duae marcae nummorum perueniant; Praelatis vero, vtpote Praepoſito, Decano, Cuſtodi, Scholaſtico tres annuatim perſoluantur; ſi vero de praedictis redditibus in futurum maior vtilitas prouenerit, ſalua integritate praebendae fratrum, in vſus Epiſcopi cedat. Et quod praedictus anteceſſor noſter, morte praeuentus, licet banno, minime tamen priuilegio hanc donationem confirmauit; Nos, qui ſucceſſione & vice eius fungimur, praedictam donationem ratam decernentes & banno confirmantes, paginam hanc ſcribi fecimus, & ſigilli noſtri impreſſione ſignauimus. Praedictae etiam eccleſiae *illuſtris Dux Saxoniae ac Bauariae* contulit de telonio nauium XXVII. marcas nummorum, tres villas a Comite Adolfo ſibi reſignatas, Lancovve, Ghinni, Buſſowe, quarum decimas nos fratribus contradidimus. Contulit & praedictus Dux duas villas in Dartzawe, vnam in Pule, & praedium quoddam Vmmenhard cum duobus molendinis ac caeteris appendiciis, aruis, paſcuis, pratis, ſiluis, cultis & incultis, aquis, aquarumque decurſibus, viis & inuiis, exitibus & reditibus, tres etiam manſos Hollandrenſes in palude, iuxta Ertheneburg, cum omnibus attinentiis. Haec omnia praenominata praedictus Dux ad reſtaurationem eccleſiae auctoritate glorioſi Romanorum Imperatoris Auguſti, Friderici, contulit, adſtantibus & banno confirmantibus:

Hartwico, Hammenburgenſium Archiepiſcopo.
Gheroldo, anteceſſore noſtro.
Euermodo, Raceburgenſium Epiſcopo.
Bernone, Zwerini Epiſcopo, & aliis quam pluribus
& praeſentibus qui teſtes ſunt:

Marquardus, Luneburgenſes abbas.
Hartwicus Hammenburgenſis praepoſitus.

Otbertus

Otbertus Bremenſis Decanus.
Echelo, Lubecenſis Praepoſitus, cum omnibus confratribus ſuis.
Comes Volradus (de Dannenberge.)
Gunzelinus de Zwerin.
Lutgardus de Meinerſem & alii quam plures.

Acta ſunt haec anno Dominicae Incarnationis M. C. LXIV. Indict. octaua feliciter amen.

No. LVIII.

Conradus Epiſcopus Lubecenſis Canonicis ſuis confert Eccleſiam S. Petri & Pauli in ciuitate Lubecenſi. Anno 1170. Indidem p. 293.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego Conradus, Dei gratia Lubecenſis Epiſcopus. Notum ſit vniuerſis Chriſti fidelibus, tam praeſentibus, quam futuris, quod Gheroldus, praedeceſſor noſter piae memoriae, Sedem, quae prius in *Aldenburg* erat, noſtris peccatis exigentibus a paganorum incurſu annullatam, conſilio & voluntate *Henrici Ducis*, ceterorumque fidelium, in ciuitate, quae vocatur *Lubike* tranſtulit, & congregationem Canonicorum, ſub patrocinio beati Iohannis Baptiſtae, Deo famulantium ibidem inſtituit, quam omni ſtudio cupiens promouere decreuit ex ſuo iure tam nouellae inſtitutioni in omnibus ſubuenire, nec ſolum ex reditibus ſuis largam impenſam adhibuit, verum etiam in ſpiritualibus donis benigniſſimum ſolatium impendit. Nam forenſem eccleſiam cum omni vtilitate, & oblationes totius ciuitatis ad ipſius promotionem, aeternae mercedis intuitu, contradidit. Sed quod morte praeuentus haec munimine priuilegii non confirmauit, Nos, diuina vocante clementia, loco illius ſuccedentes, & tam ſanum propoſitum eius attendentes, tum pro remedio animae illius, tum etiam pro noſtra ſalute ſtuduimus haec omnia adimplere, & anathematis mucrone munire. Contigit etiam per ſucceſſionem temporum, numero creſcente fidelium, in praedicta iam ciuitate conſtrui eccleſiam in honore beatorum Petri & Pauli & Sancti Thomae dedicatam. Hanc ex noſtra munificentia eisdem Canonicis ad praedicta contulimus, vt noſtri memoriam perpetuam faceremus. Statuimus quoque ad prouehendum matricularis eccleſiae noſtrae prouictum, vt per totum Epiſcopatum noſtrum, ſine omni contradictione ius ſepulturae pro voluntate petentium licenter obtineat. Ne autem ſpirituales ſeculareſue perſonae aliquatenus huic noſtrae inſtitutioni contraire praeſumant, praeſentem

tem paginam conſcribi fecimus, & ſigilli noſtri impreſſione ſignauimus. Et vt haec inconcuſſa permaneant, Petri & Pauli Apoſtolorum & banni noſtri auctoritate firmauimus, contranitentes vero perpetua vltione reos damnamus.

Teſtes autem huius rei ſunt hi:

Echelo, maioris Eccleſiae Praepoſitus.

Odo, Decanus.

Wizo, Herbordus, Arnoldus Cuſtos, Nicolaus, Henricus, Cono, Volckerus, Sibernus eiusdem eccleſiae Canonici.

Helmoldus Praepoſitus.

Heroldus, Albertus, Ronerus.

Acta ſunt haec anno Dominicae incarnationis M.C.LXX. Anno ordinationis noſtrae VI.

Datae Lubecae XI. Kal. Decembris, feliciter Amen.

No. LIX.

Henricus Leo Eccleſiae Mindenſi, cum in ea Mathilden Anglicanam ſibi ſubarrharet, donat Curiam Lothe, conſentiente prioris tori filia & herede Gertrude, Friderici Ducis vidua. Anno 1168. Ex tabulario Canonicorum pontificalis Eccleſiae Mindenſis, vbi autographum & vetus apographum in membranis.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *HEINRICVS* Dei fauente clementia *Bawarorum & Saxonum Dux.* Quoniam Apoſtoli exhortatione commonemur bonum operari ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei; noſtra intereſt, & omnium, qui ſpiritu Dei reguntur, maxime eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis, qui domeſtici fidei dicuntur, miſerationibus & eleemoſinarum largitione prouidere, vt mercedem recipiamus in tempore oportuno vitam eternam. Eapropter notum facimus vniuerſitati fidelium, tam preſentibus quam future poſteritatis ſucceſſoribus, qualiter nos, pro remedio anime noſtre & parentum noſtrorum, allodium noſtrum, quod hereditario iure ad nos vsque deuolutum eſt, Curiam ſcilicet, que dicitur *Lothe*, & eam ſolam, cum ſolis & omnibus ei attinentibus, cultis videlicet & incultis, paſcuis, pratis, molendinis, aquis, aquarumue decurſibus, cum ſolis mancipiis eam inhabitantibus, & ex his tempore huius donationis generatis, ſeu inpoſterum generandis, manſos enim ad eandem curiam pertinentes ab

hac

hac excepimus largitione, eccleſie beatorum Petri & Gorgonii in Minda, conſenſu legitimi *heredis* noſtri, kariſſime videlicet *filie* noſtre *Gertrudis*, libera donatione contradidimus. Hanc itaque legitimam donationem, contemplatione eterne retributionis bone fidei argumento, in augmentum ſtipendiorum fratribus eiusdem eccleſie collatam, ratam haberi fecimus, ſtatuentes, vt nulli omnino hominum liceat hoc factum noſtrum immutare, violare, vel aliquatenus ei contraire: ideoque ad perpetuum munimentum preſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione & teſtium aſtipulatione iuſſimus communiri.

Teſtium vero nomina ſunt hec:

Wernerus Mindenſis Epiſcopus, cum Abbatibus, Prepoſitis, Decanis & vniuerſo Clero.

Otto & frater eius Heinricus, Comites de Rauensberg.

Widikinus Aduocatus.

Adolfus de Nienkierken, & fratres eius, Rembertus & Tiedericus.

Conradus de Rothe.

Euerhardus & Heinricus de Landesberg.

Philippus & Baſilius Eilo.

Bernhardus de Wilipe, cum Comitibus & Nobilibus fere omnium circumiacentium Prouinciarum, & omnibus Miniſterialibus.

Acta ſunt hec Minde anno Dominice incarnationis M. C. LXVIII. Indictione I. *quando Heinricus Dux Bawarie & Saxonie Machtildem, filiam regis Anglie, ididem ſubarrauit*, Kalendis Februar.

Data Minde per manum Hartwici Vtledenſis, Bremenſis Canonici.

No. LX.

Henricus Leo monaſterium Reinhuſen in tutelam ſuſcipit, eique bona ſua & priuilegia confirmat. Anno 1168. Ex Diplomatar. Reinhuſ. Mſcr.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis, Amen. *HEINRICVS* diuina fauente clementia *Bauariae & Saxoniae Dux.* Si Eccleſias DEI & earum praedia ac poſſeſſiones in protectionem noſtram ſuſcipimus, & auctoritatis noſtrae munimine confirmamus, ab eo retributionem expectamus, cuius regnum & imperium permanet in ſecula ſeculorum. Eapropter notum eſſe volumus tam praeſentis, quam futuri temporis Chriſti fidelibus, quod nos, pro reuerentia Dei, atque amiciſſimi noſtri *Reinhardi*, primi Abbatis, interuentu, debitique reſpectu, Coenobium *Reinhuſen* cum omnibus pertinentiis ſuis, in noſtra iurisdictione

conſtitutum, in defenſionis noſtrae & heredum noſtrorum ſingulare munimentum recipimus, & omnia bona, quae pia deuotione ab anteceſſoribus ſeu parentibus noſtris, vel aliis Dei fidelibus inibi pro ſalute animarum ſuarum collata ſunt, vel inpoſterum conferenda, eidem Eccleſiae auctoritate noſtra in perpetuum confirmamus, ſcripto noſtro ſingula conſignantes. Centum videlicet manſos, quos *Herimannus, prouincialis Comes* in Marcha eiusdem villae cultos & incultos, cum toto monte, in quo ſitum eſt Coenobium, ſibi ſeu maiori natu ius tantum patronatus reſeruans, praedictae Eccleſiae optulit. Praeterea montes, qui *Lichen* dicuntur, cum ſyluis adiacentibus, & Ballenhuſerberch, & eccleſiam in Lengelere, cum omnibus ad eam pertinentibus; In Geſe VIII. manſos, & duos litonum: In Dimerden VI. manſos, cum litonibus & vorwarcum de tribus manſis & molendinum & ſiluam, quae dicitur Caldenlith; In Hardingeroth duos manſos & dimidium; In Herborgeshuſen vnum manſum; In Badenhuſen tres manſos & duas ſyluas; In occidentali Lengethe vnum manſum litonis; In Suechhuſen manſum integrum, perſoluentem decem ſolidos, cum vtilitatibus pratorum ac ſyluarum; In Landolueshuſen vnum manſum litonis; In Abbenroth integrum manſum litonis; In Bredenbike vnum manſum; Item villam Eddinhuſen: In Scrozinroth quatuor manſos, & duas partes illius marchae; In Elkershuſen duos dimidios manſos; In Machelmeshuſen tres dimidios manſos; In Thedenroth tres manſos, & tertiam partem marchae, in ſyluis & paſcuis; In Wittenburnen dimidium manſum. Praeter hanc oblationem Comitis Herimanni ſenioris confirmamus eidem Eccleſiae oblationem Reinhardi, venerabilis Halberſtadenſis Epiſcopi, dimidium ſcilicet manſum & ſyluam, quae dicebatur Gerolthi, incultam & tres manſos: Oblationem quoque, quam *Elika* Abbatiſſa de Ringelen in dedicacione eiusdem eccleſiae optulit, confirmamus; quinque ſcilicet manſos & dimidium, & omnia que habebat in ſiluis & pratis; in Orientali Sneen dimidium manſum; Item duas partes eccleſiae in Bernsroth & duas partes curiae, quae dicitur Sedelhoff, & duas partes marchae illi pertinentes in pratis & ſyluis, & decem manſos, & ſeptuaginta agros, quae ſunt oblatio Comitis Herimanni, & Comitis Olrici de Wartbike; In Sutheym quatuor manſos, quos idem Comes Olricus optulit. Item in Sutheim vnum manſum litonis, quem Comes Herimannus iunior Eccleſiae contulit. In Buren duos manſos, quos pro remedio animae vxoris idem Comes Herimannus optulit. In Thiderishuſen & in *Aldengrone* duos manſos. In Ballinhuſen tres manſos, quos Azo optulit. Item vnum manſum, quem Othwinus optulit. In Aldwerdeshuſen duos manſos.

In

In Poppenroth duos manſos, quos Poppo & vxor ſua optulit, cum vtilitatibus, quas habuerunt in ſyluis & in pratis. Item in Alwerdeshuſen vnum manſum, quem Helmwicus in concambio dedit pro manſo in Bodinhuſen. Item dimidium manſum in Reinhuſen, quem pro anima Ludolſi mater Comitis Herimanni iunioris Eccleſiae contulit. In Mergeshuſen manſum vnum, quem frater Luitbertus Eccleſiae contulit. In Eluerikeroth vnum manſum. In Eddinhuſen VIII. manſos. In Gandera nouem manſos, & duos in Gellingehuſen, quos Comitiſſa Sophia Eccleſiae contulit. Item tres agros, quos Guntherus Eccleſiae contulit: In Offernlengethe dimidium manſum. In Diskenroth quatuor manſos, quorum duos Helwicus in concambio dedit pro quatuor, quos habuerunt in Themmeroth. Vt igitur haec noſtrae confirmationis pagina conſcripta, rata & inconuulſa permaneat, eam ſigillo noſtro inſigniri, & perpetuae memoriae commendari iuſſunus.

Haec autem facta ſunt Anno Dominicae Incarnationis, M°. C°.LX°VIII°. IV. Non. Iunii, Indictione XII°.

Henricus curiae Prothonotarius recognouit.

Appendet Sigillum grande, in quo viſitur Eques cataphractus cum vexillo & ſcuto: circumſcriptum: ✠ *HENRICVS* † *Y. GRA. DVX BAWARIE ET SAXONIE.*

No. LXI.

Henrici Leonis fundatio & dotatio Suerinenſis Eccleſiae. Anno 1170. Ex Maderi Antiquit. Brunſuic. pag. 234.

In nomine ſanctae & indiuiduae Triuitatis. *HENRICVS* Dei gratia *Baioariae* atque *Saxoniae Dux*. Summa aeterna prouidentia poteſtatem & adminiſtrationem in temporalibus idcirco nobis contulit, vt bonum operemur ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. Si itaque in promouendis vel ordinandis rebus Eccleſiae, vel Eccleſiaſticarum perſonarum commoditatibus deuoti & ſtudioſi aemulatores fuerimus, emolumentum laboris noſtri ab eo exſpectamus, qui dat mercedem bonam ſuſtinentibus ſe. Qua propter notum facimus vniuerſis, tam praeſentibus quam futuri temporis Chriſti fidelibus, quomodo nos, pro remedio animae noſtrae, & parentum noſtrorum, ad propagandam Chriſtianam religionem in terra Slauorum transalbina, in loco horroris & vaſtae

ſolitudinis, tres Epiſcopatus conſtruximus, quos allodiis & reditibus menſae noſtrae dotauimus, atque inſuper ea, quam gladio & arcu noſtro quaeſiuimus, haereditate ampliauimus. Praerogatiuam quoque totius Eccleſiaſticae libertatis, iuxta formam ſanctorum Canonum & leges Imperatorum, tam Eccleſiis, quam Eccleſiaſticis perſonis, Deo ibidem ſeruientibus, noſtrae auctoritatis edicto firmauimus, & banno Apoſtolorum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum corroborari fecimus. Ex quibus Epiſcopatum *Swerinenſem*, quem poſtremo omnium conſecrari & in honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctae Dei genetricis Mariae & ſancti Iohannis Euangeliſtae dedicari fecimus, *trecentis manſis*, & duabus villis, ac duabus curiis allodii noſtri dotauimus. Villa ſcilicet *Boriſt*, in *Sadelbant*; villa Virkin, Chotendorp cum duabus curiis. Huic in eadem dote adiunximus terram, quae vocatur *Butſuue*, & caſtrum *Werle* dictum, ex vtraque parte aquae Warnouue, & Caſtrum *Barth* cum terra attinenti, videlicet *Tribedne* vocata, & terram Pithne vocatam, & duas terras prope Demmin, videlicet Weſtroſe & Loſis dictas, & decem villas Ilowe, Moyſle, Darſis, Gugoluoſei, Paſtrowe, Notzta, Pamii, Montino, Quatzutin, Loſow, Gneſdig, & villam Sancti Godehardi, quae prius Godrach dicebatur, cum omni vtilitate, & attinentiis ſuis, & molendinum ex auſtrali parte eiuſdem villae; Duas villas in Barda, villam Meiritz, & aliam in Warnow. Item prope Zwerin duas villas, Rampe & Liſcowe; quae mutato nomine Alta villa vocatur, & Inſulam Schverin adiacentem, & aliam Inſulam prope Dobin, quae Lipha dicitur. Ipſam ciuitatem *Sverin* a domo piſcatoris Svek ſuper auſtrale ſtagnum poſita, vſque ad antiquum coemeterium, & inde protendit in directum vſque ad minorem ſcalam, cuius medietatem ad areas fratrum deputamus, maiorem vero ſcalam vſque ad praedictam Inſulam & molendinum in Aquilonari parte ciuitatis ſitum. (*) Haec itaque omnia, auctoritatis noſtrae munificentia, ſaepe dictae Eccleſiae, in vſus Epiſcopi, libera donatione, cum omni iure & vtilitate donauimus, interpoſita nimirum aſtipulatione eorum, quorum beneficia ante fuerunt, & banno Epiſcoporum, qui aderant, roborari fecimus. Haec autem ad vſum Canonicorum cedant: Duae praedictae villae prope Schverin, Rampe & Alta villa, in Brezin triginta manſi; in Yloua quatuor villae de decem ſupra dictis, cum omni vtilitate, & attinentiis ſuis; nauale thelonium in Sverin, vbi tamen excipiuntur homines Epiſcopi. Parochiam in Sverin cum omni iure. Medietatem decimae in Slatzne, tertiam partem

*) Deeſt aliquid.

tem decimae in Muchelberg & in Ylowe. In Warnow & in Muritz tertiam partem decimae. Quia vero decimae Slauorum tenues ſunt, de tot prouinciis Canonicis ad ſtipendia ſua deputatae ſint. Nam cum Deo donante decimae poſtmodum more Chriſtianorum conualuerint, in Epiſcopi diſpoſitione tunc praeſidentis ſit, vt Canonicorum numero, qui tunc erit, ſtipendia ſufficiant, & de reliquo aliae congregationes ſubſtituantur. De duabus vero villis, & duabus curiis ſupra nominatis, quas Dominus Dux de allodio haereditatis ſuae dotauit, reditus in tres partes diuidantur, ita quod in anniuerſario Ducis vna pars redituum Canonicis, altera pars pauperibus ad ſeruitium conferatur, tertia vero in dedicatione Eccleſiae, ad ſeruitium tribuatur. Haec ſiquidem omnia cum omni integritate & vtilitate nunc & poſtmodum profutura ſine aliqua exceptione Eccleſiae contulimus. Ne ergo inpoſterum deleantur miſerationes, quas fecimus in domo Dei, ſed in perpetuum valeant, cartam hanc conſcribi, & Sigilli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus.

Teſtes autem hi aderant:

Euermodus Epiſcopus Ratzeburgenſis.
Berno Epiſcopus Suerinenſis.
Ancellinus Praepoſitus.
Godefridus Capellanus.
Dauid, Baldewinus, Chonradus, Reinoldus.
Magiſter Bartholdus, Helmwicus, Hartwicus, Liborius.
Comes Henricus de Rauensberge.
Otto Comes de Benthem.
Caſemarus de Demmin.
Pribitzlaus de Kitzin.,
Guncelinus Comes de Swerin.
Bernhardus Comes de Ratzeburg.
Conradus Comes de Regenſtein.
Hermannus Comes de Luchowe,
Conradus Comes de Rhodin.
Reinbertus de Richlinge.
Meinricus de Mosburch.

Miniſteriales: Henricus Burgrauius de Hetſane.
Iordanis Dapifer.
Otto de Erthinebroch, & alii quam plures.

Acta ſunt haec VIII. Idus Septembris, in dedicatione eiusdem Eccleſiae, Anno Dominicae Incarnationis MCLXX. Indictione IV.

Data per manus Heinrici, Praepoſiti Bremenſis Eccleſiae ſancti Stephani.

No. LXII.

Henricus Leo, conſentiente Coniuge Mathilde & filia Gertrude, quamdam bonorum permutationem ſuſcipit. Anno 1170. Ex Diplomat. Northeim. Mſct.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. *HEINRICVS* Dei gratia *Dux Bauarie & Saxonie* omnibus Chriſtianis in perpetuum. Si terrene dignitatis gloriam circa principatus noſtri excellentiam querimus dilatari; dignum eſt, nos diuini miniſtros officii & loca diuino mancipata cultui honorare, & de ſacro predeceſſorum noſtrorum exemplo pie venerari. Nouerint igitur vniuerſi fideles, tam preſentis, quam future vite ſucceſſores, qualiter nos Curiam vnam *Hönde*, cum omnibus appendiciis ſuis, eccleſie Northeimenſi dotali iure attinentem, in beneplaciti noſtri vſus per aſſenſum domini abbatis Wicelini, totiusque ſacri prefate eccleſie conuentus, accepimus, & in reſtaurationem & in concambii commutatione bona noſtra, que habuimus in villa Bernneſtorp, ſimiliterque bona noſtra, que habuimus in villa Tuilikin, itemque bona noſtra, que habuimus in villa Winediſſa, & decem manſus in Northeim & in Hilleſin, cum omnibus attinentiis, ex libera traditione & abſque alicuius contradictione, ſub teſtimonio eorum, quorum nomina ſubſcripta ſunt, Northeimenſi cenobio contradidimus. Vt autem huius pagine traditio a generatione in generationem ab omni noſtro ſucceſſore rata & inconuulſa permaneat, ſigilli noſtri impreſſio tanquam de rationabili auctoritate ea corroboret.

Teſtes vero ſunt, qui hec viderunt & audierunt:

Comes Conradus de Reginſtein.
Comes Liudolfus de Waltinerot.
Comes Guncelinus.
Domnus Bernhardus de Huckelum & frater ſuus Godeſcalcus.
Domnus Tiedericus de Rikelinc.
Domnus Arnoldus de Dorſtat.
Anno Camerarius.
Iordanis Dapifer.
Heinricus Pincerna.
Heinricus Marſcalcus.
Bertholdus de Wolbernneshuſen.
Liudolfus Aduocatus de Bruneſuic.
Ecbertus de Wolferbutele.

Digitized by Google

Conradus de Bodenſtein & frater ſuus Otto.
Wirnherus Camerarius.
Ermbertus de Stouſinburch.
Conradus de Horehuſin.

Acta autem ſunt hec anno dominice Incarnationis M°. C°. LXX°. Indictione tertia.

Data in Heretesberch II. idus Nouemb.

. Domnus Baldewinus notarius domini Ducis aſſignauit.

Omnia hec acta ſunt ex aſſenſu glorioſiſſime domne *MATILDIS*, *Bawarie & Saxonie duciſſe*, nec non ex pio aſſenſu domne *GERTHRVDIS*, *filie Ducis*, feliciter in perpetuum.

Appendet Sigillum magnum rotundum e ſerico pendens viridi *in cera albeſcente, in quo exhibetur eques cataphractus cum* vexillo *& ſcuto ad pectus applicato verſus dextram equum incitans:* cum *inſcriptione* ✠ *HEINRICVS. DI. GRA. DVX. BAWARIE. ET. SAXONIE.*

No. LXIII.

Henricus Leo tres in Slauia Epiſcopatus a ſe inſtitutos denuo confirmat, &, quid Sede vacante in vnoquoque obſeruandum ſit, praecipit. Anno 1170. Ex Diplomatar. Lubec. apud Lunig. Spicil. Eccleſ. T. II. p. 292.

In nomine ſacroſanctae & indiuiduae Trinitatis. *HENRICVS*, Dei gratia *Bauariae & Saxoniae Dux*. Quia diuina clementia ſorte dignitatis nos fecit plerisque mortalibus praecellere, conuenit auctorem dignitatis & poteſtatis agnoſcere, & ei digna gratiarum actione, prout nempe dedit, reſpondere. Quod tunc digne facimus, ſi eccleſias Dei & loca religionis defenſare, ampliare & magnifacere ad cultum Dei ſtudeamus. Qua propter notum ſit tam praeſentibus, quam futuri temporis ſucceſſoribus, quod nos pro remedio animae noſtrae, & felicis memoriae, *LOTHARII Imperatoris, aui noſtri*, & reliquorum patrum noſtrorum, auctoritate & conceſſione inuictiſſimi Romanorum Imperatoris, Frederici, tres Epiſcopatus in Tranſalbina Slauia, ad propagandum Chriſtianae religionis cultum, Deo adiutore, inſtituimus, & trecentis manſis ſingulos dotauimus. Vt autem quieti illorum, & paci impoſterum prouideamus, ordinauimus atque conſtituimus, vt nulli liceat in praedictis manſis exactiones facere, vel paratas accipere, angarias

rias requirere, ſed immunes ſint ab omni exactione & grauamine, & cenſu Ducis, qui Woiwodi Traha dicitur. De capitalibus autem cauſis duae partes compoſitionum Epiſcopo, tertia vero Aduocato proueniat; aliae vero cauſae tantum ad Epiſcopum, vel ad eius diſpenſatorem referantur. Ceterum volumus, vt praedicti coloni maximam conſuetudinem, tenere placita noſtra, quae Mardhink vocantur, obſeruent, & expeditiones ſequantur & Borchwere operentur. A quo tamen iure cuilibet Epiſcoporum X. Vorwercos emancipauimus. Cenſus autem Slauorum de vno tres menſurae, quod dicitur Kuriz & ſolidus vnus. Ordinauimus quoque, vt, quolibet eccleſiarum praedictarum Epiſcopo decedente, nullus Aduocatus, vel aliqua alia perſona, bona Epiſcopi praeſumat inuadere, vel in vſus proprios mancipare, ne ſacrilegii crimen incurrat, ſed ſecundum ſanctionem Canonum prima pars pro remedio animae Epiſcopi in vſus pauperum diſtribuatur, ſecunda in vſus Eccleſiae, tertia ſucceſſuri Epiſcopi ſubſidio reſeruetur. Vt autem haec rata & inconuulſa permaneant, paginam hanc ſcribi fecimus, & ſigilli noſtri impreſſione roboratam ſignauimus. Epiſcoporum quoque Euermodi, Raceburg. Conradi Lubec. Bernonis Zwerin. banno firmari ſtatuimus.

Acta ſunt haec anno Dominicae incarnationis M. C. LXX. Indictione autem tertia.

Teſtium vero, qui haec viderunt & audierunt, nomina ſunt haec:

Euermodus Raceburgenſis Epiſcopus.
Conradus Lubecenſis Epiſcopus.
Berno Zwerinenſis Epiſcopus.
Marquardus, Abbas Luneburgenſis.
Theodoricus, Praepoſitus Sighebergenſis.
Gherardus, Praepoſitus de Aletburgh.
Balwinus, Praepoſitus de Ratzenburgh.
Balwinus Capellanus Ducis.
Magiſter Dauid Sacerdos curiae Ducis.
Odo Lubecenſis eccleſiae Decanus.
Fulcherus & Sighebnus eiuſdem eccleſiae Canonici.
Gunzelinus Comes.
Henricus Comes.
Bernhardus Comes.
Conradus, Vicedominus de Hildeshem.
Conradus Comes Reniſtene.
Meinricus, Comes de Buzeb.

Ludegerus

Ludegerus de Hardeſtorp.
Comes Albertus de Scoweborch.
Walterus de Berghe.
Hinricus, Aduocatus de Luneborgh.
Iordanus Dapiſer, & Lotarius frater eius.
Hinricus Pincerna.
Lippoldus Pincerna.
Wernerus Camerarius.
Rohardus & Suichardus de Hadelsleue.
Walbertus miles.
Georrius de Hildeshaler. (Hildesacker.)
Hildebrandus. Marchardus.
Honerbode, Marquardus filius eius
& Humo de Holſcatia.

Data in Herteneburc. VI. Idus Nouembris.

Dominus Hartwicus Bremenſis eccleſiae Canonicus & Notarius Ducis aſſigniuit.

No. LXIV.

Nomina Comitum, Nobilium & Miniſterialium Bauariae, qui Henrico Leoni in Curia ſolenni Moſpurgenſi adſtiterunt, cum Monaſterio Admontenſi traderetur praedium in Haueheim. Anno 1171. Ex Hund. Stemmatograph. Bauar. T. I. p. 4.

Hi ſunt teſtes per aurem tracti:
Otto Palatinus ſenior, & Fridericus frater eius Palatinus.
Gebhardus Comes de Sultzbach.
Heinricus Burggrauius, & frater eius, Otto Landgrauius.
Fridericus Comes de Reichenberch.
Arnoldus Comes de Dachaw.
Marchio de Voheburgc, & frater eius Diepoldus.
Marchio Engelbertus de Craiburc.
Theodoricus Comes de Waſſerburc.
Comes Conradus de Valei.
Siboto Comes de Valckenſtain.
Wolframus Comes de Dornberg.

Wernherus de Kirchpergh.
Burckhardus de Lapide.
Weinhardus de Horepach.
Babo de Eringen.
Vdalricus de Haſelpach.
Eberhardus de Frikendorf.
Hartwicus de Richolteſtorf.
Altmannus & Eberhardus de Abineſperch.
Waltherus de Tannenperc.
Heinricus de Spilberc.
Syfridus & Otto de Liubenowe.
Erchenprecht de Moſepach.
Theodoricus & Otto de Moſn.
Luitholdus de Hagenowe.
Bernhardus de Rute.
Eberhardus de Maiſach.
Vlricus de Seehowen.
Hartwicus Iudeman.
Wernherus de Giebeſtorf.
Rupertus Wolf de Pockſperg.
Wolfram de Dornperg.
Rudolph de Waldecke.
Pernhart de Praitenoue.
Conrat de Rota.
Gebolf de Hochenhaim.
Conrat Achtar.
Vlricus Vicedominus.
Hainricus de Wolmotſa.
Weriant de Lus.
Albero de Pruckeperge.
Hartnid de Ratndorf.
Diethmar de Wolfheringen.
Hainrich de Viſchach.
Bruno de Lengenueld.
Hainrich de Stouphe.
Pertold de Stratzperc.
Hainricus de Nitekke.
Hainricus de Puirbach.
Habart de Nuiph.

Hartwicus

Hartwicus de Sundeching.
Ezzo de Stratzburch.
Vlricus de Ronege.
Vlricus de Scrobenhuſen.
Berchtold de Eſchelenbach.
Hermannus Fuz.
Ettich de Schnaitſe.
Wernherus & Eberhardus de Lengenueld.
Wernherus de Vochburg.
Vlricus de Lochuſen.

Actum Anno 1171. Ind. IIII. Regnante Friderico Imperatore Anno Regni eius 20. Imperii autem 17. ſub *HAINRICO Iuniore, Duce Bauariae & Saxoniae* apud Moſpurch.

No. LXV.

Henricus Leo in itinere Hieroſolymitano ex ſalina Reichenhallenſi donationem facit ad Monaſterium S. Zenonis. Anno 1172. Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. III. p. 356.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. *HEINRICVS* Dei gratia *Dux Bauariae atque Saxoniae.* Notum ſit omnibus tam praeſentibus quam futurae aetatis ſucceſſoribus, qualiter nos, ob amorem diuinae pietatis, Fratribus Eccleſiae ſancti Zenonis, Deo & ſanctis ibi patrocinantibus, eidemque iugiter famulantibus, aquam vnam in ſalina *Halla* de aſſere vno hauriendam, absque omni angariatione & promulgatione ſententiae, quam nos in eandem aquam habuimus, in tranquillitate & absque alicuius opponente contrarietate poſſidendam permiſimus. Si vero in huius aquae traditione voluntas noſtra varietate diſpenſationeque temporis & conſilii immutata fuerit, centum talenta praefatis Fratribus reddemus, & nos in ſupradictam aquam ſententiam, ſicut iuſtitia dictauerit, in iudicio noſtro in eandem aquam dandam non negabimus. Vt vero huius paginae ordo in ſupradicto conditionis pacto ratus & incommutabilis permaneat, teſtimonialis noſtri impreſſio ſigilli eum corroborat.

Qui autem huius diſpenſationis ordini intererant, eorum nomina ſunt haec:

Comes Pertoldus de Andechſe.
Otto maior, Palatinus de Witilineſpach.

Heinricus de Stouphe.
Eberhardus de Frichindorf.

Datae *Ratiſponae* Anno Dominicae incarnationis MCLXXII. glorioſiſſimi autem *HENRICI* Ducis Bauariae & Saxoniae *Anno peregrinationis primo.*

Baldwinus Notarius Domini Ducis aſſignauit.

No. LXVI.

Henrici Leonis conſtitutio de tribus lampadibus Hieroſolymis ad ſepulcrum Chriſti iugiter arſuris. Anno 1172. Ex autographo.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Notum ſi omnibus tam praeſentibus quam futuris ſanctae matris Eccleſiae filiis, quod ego *HENRICVS* per Dei gratiam *Bauariae* & *Saxoniae Dux*, miſericordiae inſtinctu tactus, pro remiſſione omnium peccatorum meorum, & inclytae vxoris meae *Duciſſae Mathildis*, magnifici Anglorum Regis filiae, & eorum, quos Deus miſericordiae ſuae dono mihi dederit heredum, nec non & totius generis mei, tres lampades perpetuo ad honorem Dei ardentes, in Dominicae reſurrectionis Eccleſia locari conſtitui & ordinaui: quarum lampadum vna coram glorioſo Domini ſepulchro ardeat; altera vero in Caluariae loco ante Dominicam paſſionem; tertia autem coram viuifico ſanctae Crucis ligno conſtituatur. Verum ad ſupplendum & perpetuo hoc miſericordiae opus ſubminiſtrandum, quingentis Biſantiis domos *Michaëlis Turbitoris*, muro Dominicae reſurrectionis Eccleſiae contiguas, libero Domini Ieroſolimorum Regis conceſſu, emi, quae domus annuatim viginti Biſantios cenſuales reddunt, vnde oleum ad opus lampadarum perpetuo ardentium emi debet. Et tam Dominus Patriarcha, quam ſanctae reſurrectionis Eccleſiae conuentus, mihi fideli verbo promiſerunt, quod de reditu domus, praedictis tribus lampadibus oleum annuatim emetur, & die noctuque ardebunt. Et vt hoc inconcuſſum tam ab ipſis, quam a ſucceſſoribus ſuis cuſtodiatur & teneatur, ſigilli Domini Patriarchae & noſtri, & nichilominus ſanctae Reſurrectionis Eccleſiae impreſſione hoc priuilegium inſigniri feci.

Ego vero A. Dominicae Reſurrectionis Eccleſiae Patriarcha, hoc miſericordiae opus approbaui, & laudaui, & ſi quis inuidiae filius inpoſterum illud caſſare praeſumſerit, anathematis vinculo, donec reſipuerit, ligatus

ligatus teneatur. Cunctis vero hoc cuſtodientibus ſit pax & miſericordia a Domino noſtro Ieſu Chriſto, Amen.

Factum eſt hoc anno Dominicae Incarnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, praeſidente venerabili A. Patriarcha in Patriarchali cathedra, & A. inclyto Latinorum Rege quinto, in Ieruſalem regnante.

Huius vero rei teſtes ſunt:

Dominus Patriarcha A & P. Dominicae reſurrectionis Eccleſiae Prior, & eiusdem Eccleſiae Subprior, & plures alii Canonici & Clerici.

De hominibus autem meis:

Comes Gounzelinus.
Comes Sigebodo.
Comes Helgerus.
Comes Rudolphus.
Comes Bernhardus.
Iordanus Dapifer. Iuſarius frater eius, & plures alii.

Appendent tria Sigilla plumbea.

No. LXVII.

Donatio facta ad Sanctum Sepulcrum, media Denckendorffenſi eccleſia. Anno 1142: Ex Beſoldi Document. rediuiuis Monaſterior. Wurtemberg. T. I. p. 453.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis, Patris & Flii & Spiritus Sancti Amen. Notum ſit omnibus fidelibus, tam Clericis, quam Laicis, tam praeſentibus, quam futuris, quod ego Berchtoldus, natura liber & ingenuus, omnia quaecunque praeſenti die iure poſſideo, tam in agris, quam in vineis, villis & hominibus, vel quibuſcunque aliis poſſeſſionibus (iure Sucuorum libere omnia ſunt, ego ea poſſideo) tam in agris, quam in vineis &c. pro remedio animae meae, cunctorumque parentum meorum, dono, & concedo, abſque omni contradictione, Dominico Sepulchro, ea videlicet conditione, vt, quamdiu vixero, easdem ſupra dictas poſſeſſiones, a Domino Wilhelmo Patriarcha, & Petro Priore, & Canonicis Dominici Sepulchri, pro beneficio habeam, & vnoquoque anno ad confirmandum idem ſupradictum donum, decem ſolidos publicae monetae pro cenſu reddam. Et ſi forte mihi in animo euenerit, vt omnia relinquam, in Eccleſia ſancti Sepulchri Hieruſalem, vel in ea, que

eſt in Denckendorff, diuine Religioni me ſubdam, Dominus Patriarcha & Prior cum Conuentu Dominici Sepulchri abſque omni contradictione me recipiant, & omnia ſupradicta poſſideant libere. Confirmo etiam hoc praeſenti priuilegio donum, quod quondam Eccleſiae Dominici Sepulchri donaui, Eccleſiam videlicet, que eſt in Denckendorff, cum omnibus pertinentiis ſuis. Et ſi ego deuians ſupradicta bona alicui vendere, vel donare praeſumpſerim, nullo modo, poſt hoc primum & legale donum, poteſtatem habeam. Et omnia ſupradicta confirmans, propria manu ſubſcribo. S. S.

Huius donationis teſtes ſunt, nobiles Viri, quorum praeſentia hoc donum factum eſt, quorum haec ſunt nomina:
Siſridus, Ottwinus, Dietricus, Preſbiteri.
Conradus de Torimbach.
Wolframus de Bernhuſen.
Wolbotto & Reinaldus de Cuſtringen.
Ruodolffus de Rinuelden.
Rondegerus de Botobore.
Arnoldus de Spira, cum ceteris multis.

Et quoniam proprium ſigillum non habui, omnia quae praeſcripta ſunt, ſigillo Dominici Sepulchri & Canonicorum eiusdem confirmari impetraui.

Facta ſunt haec omnia in Capitulo Dominici Sepulchri, Anno Dominicae Incarnationis M. C. XL. II. Indictione V. decimo Kal. Maii.

No. LXVIII.

Amalricus Hieroſolymae Rex Piſanis portum Tyri liberum cum domibus in ciuitate confirmat.

Anno 1165. Ex Tronci Annal. Piſ. p. 117.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Notum ſit omnibus tam preſentibus, quam futuris, quod ego *AMALRICVS* per Dei gratiam *in ſancta ciuitate Hieruſalem Latinorum Rex V.* vniuerſis mundi hominibus, cuiuscumque ſint lingue, ſeu nationis, tam modernis, quam modernorum ſucceſſoribus concedo & confirmo ſpatium illud terrae, quod eſt ſuper ſpatium *Tyri* inter ciuitatis domos & aquam portus, quatenus ipſorum commoditati in ſempiternum expeditum pateat. Ita quoque ne aliquis ibidem aliquam manſionis ſtabilitatem facere praeſumat. Propter hanc liberationem Piſani Petro Siniſcalco Archiepiſcopi quadringentos biſancios

cios dederunt, quatenus domum ſuam, quam in eadem terra aedificatam habuit, auferret, & terram, in qua domus fuerat, liberam communi omnium hominum vſui, ſicut ſupra determinatum eſt, in ſempiternum relinqueret. Vt autem hec mea conceſſio firmata & inuiolata permaneat, teſtibus ſubſcriptis, & ſigilli mei impreſſione corroborari feci.

Factum eſt hoc anno Incarnationis Dominice M. C. LXV. Indictione XIII.

Sunt autem hi teſtes:

Fridericus Archiepiſcopus Tyri.
Henricus Conſtabularius.
Gherardus de Sydonia.
Philippus de Monte Regali.
Henricus Butilus.
Hugo Caeſarienſis.
Grimundus de Tribiade. (Tiberiade.)
Guillelmus Mareſcalcus.
Otto de Riberg.
Arnoldus de Ardaſt.
Guido de Meirere.
Arnoldus Vicecomes Tyri.
Petrus Hugonis Vicecomes Accon.
Iohannes de Moneta de Accon.
Ioannes de Guido.

Datum apud Accon per manum Radulphi Epiſcopi Bethlem Regisque Cancellarii Idibus Martii.

Ego Benincaſa, quondam Leonardi Caſcinenſis filius, Domini Friderici Inuictiſſimi Romanorum Imperatoris Iudex & Notarius, Authenticum huius vidi, legi, & obſcultaui *Accon* in Eccleſia ſancti Petri Piſani praeſentibus Gontulino de Ponte, Roberto Tormuli, Vgulino Notarius quondam Bandini, & aliis teſtibus ad haec rogatis, Dominicae Incarnationis anno ſecundo curſ. Piſ. 1249. Indictione ſexta pridie Kal. Aprilis. Ideoque prout in originali munito ſigillo plumbeo pendenti, in quo ab vno latere erat impreſſa quaedam ciuitas circumdata his litteris ✠ *CIVITAS REGIS REGVM OMNIVM*, & ab alia quaedam imago eiusdem Regis coronati in Regali Sede, & tenentis in manu dextera quandam crucem, & in ſiniſtra quandam pallam rotundam cum parua cruce circumdata his litteris *AMALRICVS DEI GRATIA REX IERVSALEM*, non vitiato neque cancellato, non abolito neque in aliqua ſui parte raſo, ita per ordinem de verbo ad verbum nihil addens

neque

neque minuens de mandato nobilis viri Domini Guidonis de ſancto Caſſiano quondam Galli Conſulis communi Piſanorum Accon, & totius Siriae tranſumpſi & in publicam formam redegi.

No. LXIX.

Henricus Leo Eccleſiae S. Crucis in Hildesheimenſi partem de ligno Domini donat.

Anno 1172. Ex autographo.

VNIVERSO ſanctae Hildenſemenſis Eccleſiae tam clero quam populo *HEINRICVS* Dei gratia *Dux Bawariae* & *Saxoniae* ſalutem, & indeficientis boni perſunctionem. Honorabilem & induſtrioſam vniuerſitatem veſtram ſcire volumus, quod, pro ſalute & remedio animae Noſtrae, & Vxoris Noſtrae, ac Liberorum Noſtrorum, nec non omnium Haeredum vel Propinquorum Noſtrorum, quos praeterita, praeſens, vel futura pariet generatio, Eccleſiae S. Crucis *in Ciuitate Noſtra Hildenſemenſi*, de ipſa Dominici ligni ſubſtantia Crucem quandam contulimus, prouido Noſtrae diſcretionis conſilio ſtatuentes, quatenus non vni de fratribus, vel duobus, verum vniuerſo eiusdem Eccleſiae fratrum collegio ſeruanda & cuſtodienda committatur. Et ſi quid pro reuerentia Noſtri Redemptoris, qui in eadem paſſus eſt, Deo fideles & deuoti ad eandem venerandam Crucem obtulerint, ſecundum diſpenſationem fratrum in profectus Eccleſiae redigatur. Vt autem hoc ratum & illibatum omni temporum curriculo permaneat, ſuper hoc Noſtrae Autoritatis apices conſcribi iuſſimus & ymagine Noſtri Sigilli in perpetuum roboramus.

Impreſſum eſt ſigillum maius, in quo eques ad dextram conuerſus cum vexillo, circumſcriptum: SIGILLVM HEINRICI DEI GRATIA DVCIS BAWARIAE ET SAXONIAE.

No. LXX.

Abbas Wiſmarienſis accepti ab Henrico Leone ſanguinis Dominici portionem conuentui S. Aegidii in ciuitate Brunſwicenſi donat. Anno 1283. Ex Rethmeyer. Antiqu. Eccl. Brunſuic. Part. II. p. 197.

VNIVERSIS Chriſti fidelibus praeſentia viſuris *Iohannes* Dei gratia *Abbas*, totuſque conuentus *in Wiſmaria*, Lubecenſis dioeceſeos,

ceſeos, ordinis beati Benedicti, aeternam in Domino ſalutem. Licet ſecundum Apoſtolum patres theſaurizare filiis teneantur, non tamen filii vituperantur, ſed potius commendantur, ſi illorum habundantia paternae inopiae ſuo tempore gratuitum tribuat ſupplementum. Hinc eſt, quod nos, diuina diſponente clementia, habentes theſaurum magnum, in vaſis manufactis depoſitum, videlicet pretioſi ſanguinis Dominici portiunculam, cum eccleſia beati Aegidii in Brunſwig, de qua originem traximus, & tanquam a matre filia egreſſi & translati ſumus, memores vberum maternorum, huiusmodi theſauri particulam cum omni deuotione liberaliter duximus diuidendam. Quem theſaurum olim *illuſtris Princeps*, *HENRICVS*, *Dux Bauariae & Saxoniae*, de Graecia tranſtulit, & ſuo familiari, felicis recordationis, *Henrico*, *Epiſcopo Lubecenſi*, pro parte contradidit, pro ſuorum exigentia meritorum. Poſtmodum idem Epiſcopus, cum noſtri loci fundator exiſteret, & vberius & felicius monaſterium noſtrum, ab ipſo fundatum, dotare non poſſet, praedictum glorioſi ſanguinis theſaurum, tanquam largitor munificus, in perpetuam rei memoriam noſtrae eccleſiae dereliquit: quod praeſentibus litteris proteſtamur.

Datum in *Wiſmaria* per manum magiſtri Gerardi, theſaurarii Lubecenſis eccleſiae. Anno Domini M. CC. LXXXIII. in die beati Auctoris, Archiepiſcopi Treuerenſis.

No. LXXI.

Fridericus I. Imperator confirmat permutationem ſiluae ſitae ante Hartum iuxta riuum Goldbecke in Comitia Henrici Leonis. Anno 1173. Ex Kettneri Antiquit. Quedlinburg. p. 188.

F*RIDERICVS* diuina fauente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Inter caetera poteſtatis a Deo nobis conſtitutae molimina, praecipuam Eccleſiarum ſollicitudinem gerere commonemur, vt quae ad pacem ſunt, in eisdem ordinemus, quorum orationibus fructum vitae aeternae poſſidere mereamur. Notum ſit igitur omnibus Imperii fidelibus tam futuris quam praeſentibus, quod fidelis noſtra Adelheidis, Eccleſiae Quidelingeburgenſis & Gandersheimenſis Abbatiſſa, facto quodam concambio cum fratribus de Lapide S. Michaëlis contuli & dedit eis ſyluam quandam cum fundo, ſitam ante Hartum, iuxta riuum, qui dicitur Goltbecke, in *Cometia* dilecti conſanguinei noſtri, *HENRICI Ducis Bauariae & Saxoniae*, ad cuius ſyluae recompenſatio-

nem praedicti fratres de Lapide ſancti Michaëlis quatuordecim manſos & dimidium bonorum ſuorum, VII. talenta & dimidium ſoluentes praefatae Abbatiſſae & Eccleſiae Quidelinburgenſi tribuerunt. His autem finibus eiusdem nemoris termini concluduntur. Verſus auſtrum montem includit minorem Stopenberg & latus tangit maioris Strobenberg, inde ad occidentem riuo, qui praeterfluit, finitur; ad orientem vero ſitu viae, quae aquarum via dicitur, cingitur, & vſque in campi planitiem extenditur. Indeque per viam quae de Lencze, in Goldorph ducit, ſicque in riuum Goldbecke pertingit. Et quoniam idem concambium ad commodum vtriusque Eccleſiae rationabiliter ordinatum eſt, nos quoque praedictam ſyluam Eccleſiae in Lapide Sancti Michaëlis noſtra authoritate confirmamus. Placuit etiam nobis alias eiusdem Eccleſiae poſſeſſiones omnes noſtra confirmatione roborari, videlicet Dominicale Euingeroth cum appendiciis ſuis & Dominicalia Calersue & Halſingen, cum noualibus & appendiciis ſuis, & quaecunque nunc poſſidet Eccleſia, vel in futurum iuſte poſſidebit in agris, pratis, paſcuis, ſyluis, terris, cultis & incultis, aquis, aquarumue decurſibus, piſcatibus, molendinis & caeteris vtilitatibus, quae ſunt ſupra terram. Vt autem haec omnia ſupra dicta rata ſemper & inconuulſa permaneant, praeſentem paginam inde conſcriptam ſigillo noſtrae Maieſtatis iuſſimus communiri, diſtincte prohibentes, ne quis auſu temerario fratres & Eccleſiam praenominatam in bonis ſuis inquietare praeſumat. Quod qui fecerit, L. libras auri componat, dimidietatem camerae noſtrae & medietatem fratribus Eccleſiae eiusdem perſoluat.

Huius rei teſtes ſunt:

Arnoldus Treuirenſis Archiepiſcopus.
Conradus Wormatienſis Epiſcopus.
Regishardus Herbipolenſis Epiſcopus.
Burchardus Abbas Fuldenſis.
HENRICVS Dux Bauariae & Saxoniae.
Otto Marchio de Brandenburg.
Berthold Comes de Andeſſe.
Ludouicus Landgrauius.
Ludolfus Comes de Waltingerode.
Conradus Comes de Regenſtein.
Gonzelinus Comes de Swerin.
Albertus Comes de Werningerothe.
Cuno de Minzenberg.
Henricus de Gatersleue.

Iordanus

Iordanus de Blankenburg.
Lupoldus & Anno frater eius de Heimenburg.
Ludolfus Aduocatus de Bruneſuick.
Ecbertus de Quidelingeburg.
Cunemanus de Blankenburg & alii quam plures.

Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris inuictiſſimi.

Ego Godefridus Cancellarius, vice Chriſtiani Moguntini Archiepiſcopi & Archicancellarii, recognoui.

Acta ſunt haec Anno Dominicae Incarnationis MCLXXIII. Indict. VI. Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo. Anno regni eius XXII. Imperii vero XX.

Datum apud Frankenfurt VI. Idus Iulii feliciter Amen.

No. LXXII.

Diploma Henrici, Boioariae & Saxoniae Ducis, quo Monaſterio Cremiſanenſi in Auſtria ſuperiore Maiorum ſuorum donationes confirmat, nouas ipſe addit. Anno 1174.

Ex Simonis Rettenpacheri Annal. Monaſterii Cremiſanenſis. p. 163.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti. *HEINRICVS Dei gratia dux Wawariae & Saxoniae.* Exemplaris nobis forma ab anteceſſoribus generis noſtri relinquitur, vt deuoti Domino Deo ſimus, & Eccleſiis Dei, vbi poſſumus, prompto ſemper aſſiſtamus auxilio. Ea propter decens eſt, quatenus ſequaci pede diligenter eorum innitamur veſtigio doctrinali obſeruantia, & quicquid illi ſtatuerunt, a quibus originem ſanguinis traximus, in conferendo aliqua bona ſua rationabiliter alicui Eccleſiae pro remedio animarum ſuarum, vt illud ratum habeamus. Notum igitur eſſe volumus modernis, & poſt futuris, quomodo bona illius Eccleſiae, quae dicitur in vulgari ſermone *Chremeſmunſtur*, contermina ſunt bonis Anteceſſorum noſtrorum ſita a flumine, qui dicitur Horenbach ſeorſum vſque in Chremiſam. Et illa ſaepe dicti anteceſſores noſtri libera donatione praenominatae Eccleſiae contulerunt: (*) & nolumus ſtatuta illorum trahere in irritum, ſed potius priuilegii noſtri auctoritate coadfirmare. Bona, inquam, illa, ſicut iam dictum eſt, ſita a flumine Horenpach ſeorſum vſque in Cremiſan, quae fuerunt anteceſſorum noſtrorum, videlicet parentum noſtrorum, huius priuilegii noſtri titulo ſtabilita facimus Eccleſiae iam

(*) Sic de Welfone Duce Stainportz Alramo contributum: data quoque ſilua in Prenpach. Anno 1093. ibid. p. 148.

totiens nominatae, vt ſicut ipſi, parentes noſtri ſcilicet, in liberam poſſeſſionem illi dederunt Eccleſiae, ita & nos ius poſſidendi perpetuo tradimus tempore. Similiter de manſo illo, quod vulgo dicitur Hoba in Halle, quem *Auus* (proauus) noſter *Dux WELFO* beatae memoriae eidem Eccleſiae, ſcilicet Chremeſmunſter, dedit, ratum permanere volumus & inconuulſum. Quemdam alium etiam manſum habet eadem Eccleſia iam ante pluries nominata in monte vicino, qui fuit reſtauratus alterius manſi concambio, quem pius *pater* noſter *Dux HENRICVS* Eccleſiae illi dederat, & volumus etiam vt ille manſus, quem habet Eccleſia per concambium loco illius manſi, quem pius *pater* noſter Eccleſiae contulerat, immutabiliter permaneat. Vt autem haec ſtabili durent permanentia, & ne aliquis poſterorum haec bona Eccleſiae poſſit auellere, iuſſimus ſigillum noſtrum paginae huic aſſigillari loco perpetui teſtimonii.

Et ecce nomina perſonarum, quae preſentes erant, vbi haec fecimus.

Dominus Thietbaldus Patauienſis Epiſcopus.
Abbas Sifridus de Alderſpach.
Abbas Fridericus de Aſpach.
Et Capellani noſtri, Dominus Dauid Sacerdos, & Gerhardus Notarius, & Dominus Chunradus Sueuus.
Marchio Bertholdus de Iſtria.
Iunior Burgrauius Heinricus.
Comes Rapoto de Ortenberch.
Sifridus Comes de Bilſtein, & frater ſuus Comes Chunradus.
Comes Liupoldus de Pleii, & frater ſuus Comes Heinricus.
Heinricus de Stouph. (forte Stumpenhuſen.)
Iordanus Dapifer, & frater ſuus Iuſarius.
Otto de Ror.
Warmundus de Lewenſtain.
Gundakerus de Styria.
Fridericus de Brunnowe.
Poppo & fratres ſui, Otto & Engelſcalcus de Vrach.
Albertus Officialis de Purcſtat.
Vgo de Lonſtorph, & alii quam plures.

Acta ſunt haec anno Dominicae Incarnationis MCLXXIV. Indictione VII.

Data in Curia Hering. XV. Kalend. Octob. per manum Gerhardi notarii.

No. LXXIII.

No. LXXIII.

Friderici I. Imperatoris confirmatio donationum, a Welfis monaſterio Cremiſanenſi factarum.

Anno 1181. Indidem.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *FRIDERICVS* Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus in perpetuum. Ad aeterni regni meritum, & ad temporalis coronae gloriam apud Regem Regum nobis profuturum non dubitamus, ſi Eccleſias Dei & quaelibet loca religioſa fauore Imperialis gratiae amplectimur; ſi ea in ſuo iure fouemus, ſi a Principibus noſtris eis collata noſtra auctoritate ipſis confirmamus. Proinde nouerint vniuerſi Imperii noſtri tam praeſentes, quam poſt futurae aetatis fideles, quod nos Cremeſae Monaſterium priuilegii noſtri robore communiri cupientes, bona a Ducibus Wawariae, a quibus & nos originem ducimus ſanguinis, eidem Monaſterio collata, praeſentis ſcripti autentico ei confirmamus, videlicet bona illa, quae ſita ſunt a flumine Horembach ſeorſum vsque in fluuium Cremeſam. Item manſum in Halle, quem *proauus noſter Dux WELFO* beatae memoriae eidem Monaſterio contulit, ratum ei volumus permanere. Similiter & alium quendam manſum ei confirmamus, quem habet idem Monaſterium in monte vicino; qui fuerat commutatus ante alterius manſi concambio, quem *auunculus noſter* piae memoriae *Dux HENRICVS* illi Coenobio dederat: ſtatuentes, vt ille manſus, quem habet Monaſterium per concambium loco illius manſi, quem auunculus noſter contulerat, eidem Monaſterio inuiolabiliter permaneat. Denique Vlricus Abbas ſaepe dicti loci ad noſtram accedens praeſentiam in ſolemni curia, ſua nobis queſtione oſtendit, quod Engelſchalcus de Huzinpach in bonis Monaſterii a Cremeſa per villam Viſchen ſtratam publicam violenter ſibi vſurpauerit, & occaſione eiusdem ſtratae circiter ipſam viam vndique pro placito ſuo aedificia locauerit. Et quia eadem violentia Principibus & toti Prouinciae conſtitit, nos per curiae noſtrae ſententiam conſenſu Principum approbatam, eandem ſtratam inhibemus, & in irritum ducimus, & ipſa bona, per quae ſtrata ducitur, Cremeſmonaſterio ad vſus fratrum auctoritate imperiali confirmamus. Vt autem haec omnia ab omnibus rata & inconuulſa in omne aeuum permaneant, praeſens priuilegium inde iuſſimus conſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione communiri, teſtibus ſubternotatis, qui ſunt:

Chunradus Saltzburgenſis Archiepiſcopus.
Otto Babenbergenſis Epiſcopus.
Chuno Ratiſponenſis Epiſcopus.
Diepoldus Patauienſis Epiſcopus.
Eglolfus Aiſtetenſis Epiſcopus.
Otto Dux Wawariae.
Liupoldus Dux Auſtriae.
Marchio Bertholdus de Iſtria, & filius ſuus.
Marchio Bertholdus de Vohburch, & frater ſuus.
Fridericus Burgrauius Ratiſponenſis, & frater eius Otto.
Lantgrauius de Steuening.
Comes Liupoldus de Pleiie, & eius frater.
Comes Chunradus de Bilſtein.
Comes Cunradus de Dorimberch.
Caſtellanus de Nurimberch.
Otto de Lengebach.
Heinricus de Schowenberch.
Wernherus de Griezbach.
Wernhardus de Horbach.
Chunradus de Rote, & alii quam plures.

Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris inuictiſſimi.

Ego Gotfridus Imperialis aulae Cancellarius, vice Chriſtiani Moguntinenſis Archiepiſcopi & Germaniae Archicancellarii recognoui.

Acta ſunt haec anno Domini MCLXXXI. regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo. Anno regni eius XXX. Imperii vero XXVII. Indictione XIV.

Datum Norimberch III. Kal. Martii feliciter Amen.

No. LXXIV.

Bulla Alexandri PP. III. qua monaſterii Cremifanenſis poſſeſſiones omnes, & in his donata a Welfis, recenſentur & confirmantur. Anno 1178. Indidem p. 167.

ALEXANDER Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Vdalrico Abbati Chremſemonaſterii eiusque Fratribus tam praeſentibus, quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Piae poſtulatio voluntatis effectu proſequente compleri debet, quatenus & deuotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & vtilitas poſtulata vires indubitanter

Digitized by Google

bitanter aſſumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, & praefatum Monaſterium, in quo diuino mancipati eſtis obſequio, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & praeſentis ſcripti priuilegio communimus. Statuentes, vt, quaſcunque poſſeſſiones, quaecunque bona idem Monaſterium in praeſentiarum iuſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis praeſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Parochiam videlicet Kirichperg, cum tota decima & dote ſua, omnique integritate iuris, quod a *Theobaldo*, Pataurienſe Epiſcopo canonice ſuſcepit, & priuilegio ipſius cum omni vtilitate quiete poſſidet. Parochiam in Chemnaten cum tota decima & dote ſua. Eccleſiam Rore inferiorem & ſuperiorem cum tota dote ſua. Parochiam *Halle* cum omni decima & dote ſua. Parochiam Riede cum tota decima & dote. Parochiam Waeizchirchen cum omni dote ſua. Eccleſiam Cellae cum tota decima & dote ſua. Parochiam Welſae cum omni decima & dote. Baſilicam ſancti Aegidii in ponte cum dote ſua. Parochiam Taleheim cum omni decima & dote ſua. Parochiam Pulehchirichen cum tota decima & dote ſua. Parochiam Wartperch cum omni decima & dote ſua. Eccleſiam Chirichdorf cum tota decima & appendiciis ſuis. Parochiam Gaerſten cum omni decima & dote ſua. Parochiam Steinechirichen cum omni decima & filiabus ſuis. Cellae & Viſchenheim cum caeteris capellis ſuis. Eccleſiam Viehtwanch cum dote ſua & omnibus appendiciis ſuis, parochiali iure legitimo. In monte ſancti Martini parochiam cum omni dote & praedio, a quadam Comitiſſa & filiis praefato Monaſterio tradito, cum omni vtilitate. In Pehſtal baſilicam cum dote & omni vtilitate. Praedium a *Duce Bawariae* Monaſterio veſtro traditum, a flumine Horenbach ſeorſum vsque in Chremeſam. Manſum vnum in *Halle*. Alium manſum in monte vicino, alterius manſi concambio a *Duce Bawariae HENRICO* receptum & confirmatum, & pacifice retentum. In praenominatis autem parochiis ex iure fundi liberam inueſtituram, & petitionem, ſepulturam quoque loci ipſius liberam eſſe concedimus, vt eorum deuotioni & extremae voluntati, qui illic ſepeliri deliberauerint, niſi forte excommunicati ſint, vel interdicti, nullus obſiſtat, ſalua tamen iuſtitia parochialium Eccleſiarum, in quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Chriſma vero, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſeu baſilicarum, ordinationes etiam Monachorum, qui ad ſacros ordines promouendi ſunt, a dioeceſano ſuſcipiatis Epiſcopo, ſiquidem

ſi quidem Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apoſtolicae Sedis habuerit. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis clauſis ianuis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce diuina officia celebrare. Obeunte vero te, nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia praeponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem & beati Benedicti regulam praeuiderit eligendum. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat praefatum Monaſterium temere perturbare, aut ſuas poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſeruentur, eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, vſibus omnimodis profutura, ſalua Sedis Apoſtolicae auctoritate, & dioeceſani Epiſcopi canonica iuſticia. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſaecularisue perſona, hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire temptauerit, ſecundo tertioue commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco iura ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem praemia aeternae pacis inueniant, Amen!

Ego Alexander Catholicae Eccleſiae Epiſcopus.
Ego Hubaldus Hoſtienſis Epiſcopus.
Ego Ioannes Presbyter Cardinalis Sanctorum Ioannis & Pauli tituli Pamachii.
Ego Ioannes Presbyter Cardinalis S. Marci.
Ego Petrus Presbyter Cardinalis tituli S. Suſannae.
Ego Cynthius Presbyter Cardinalis tituli S. Caeciliae.
Ego Iacobus Diaconus Cardinalis S. Mariae in Coſmidyn.
Ego Ardicio S. Theodori Diaconus Cardinalis.
Ego Rainerius Diaconus Cardinalis S. Gregorii ad velum aureum.
Ego Rainerius Diaconus Cardinalis S. Adriani.
Ego Chunradus. - - - -

Datum Lateranis per manum Alberti, ſanctae Romanae Eccleſiae Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, Menſe Aprili. Indictione XII. Incarnationis Dominicae anno MCLXXVIII. Pontificatus vero Domini Alexandri Papae tertii anno XX.

No. LXXV.

No. LXXV.

Henrici Leonis repromiſſio de Aduocatia Inticenſi Alberto I. Friſingenſi Epiſcopo data, in qua mentio filii Henrici adoleſcentis, filii tunc, inquam, vnici.

Anno 1176. Ex Meichelbeck. Hiſtor. Friſing. T. I. p. 371.

H*EINRICVS Dei gratia Dux Bawariae & Saxoniae.* Cum inter nos & dilectum Dominum noſtrum *Albertum* Friſingenſem Epiſcopum, negotia agitarentur de Aduocatia *Inticenſi* & ad eam pertinentibus, laudatum eſt a nobis, ſi is, quem praefecerimus Aduocatiae, Domino noſtro ſupra nominato ingratus extiterit, & oculis eius diſplicuerit, quod eo depoſito & amoto alium ſubſtituamus loco illius, qui gratiam iam dicti Domini noſtri Epiſcopi demeruit, & dampnum ab eo illatum ſecundum cauſae aequitatem emendari ſtatuamus. Laudauimus etiam & compromiſimus, quod in bonis, quae ſub illa continentur, Aduocatia, nullum caſtrum fabricabitur, niſi conſenſu & petitione Domini Epiſcopi. Duas hubas apud Ruſſan, quoniam non pertinent ad Aduocatiam, non expetemus. Hoc laudamentum in manum Epiſcopi data dextra propria firmauimus, & vt *filius noſter H. qui in praeſentiarum adoleſcit*, vel ſi quos alios filios habuerimus, cum ad puberem aetatem Deo propitio peruenerint, vt idem laudamentum eodem pacto ſe ſeruaturos ſpondeant, fideliter efficiemus. Omnes quoque poſteri haeredes noſtri, ad quos Aduocatia illa de iure venire debet, cum eam in beneficio accipiant, praeſentis ſcripti cartula commoniti, praefatum laudamentum facere & ſeruare tenentur. Praeterea Comes *Heinricus* de Struph, & Miniſteriales noſtri, Her. de Puchlon, & Vlricus de Pheten, & Gerungus de Perge, & H. de Vbingen, & Ch. Milleiureiurando, Iordanus etiam fidelis noſter, & Hartmannus de Sibenaich, data fide promiſerunt, quod nos hoc laudamentum, dum vixerimus, ſine fraude & malo ingenio obſeruabimus, &, vt filii noſtri, ſeu haeredes, qui forte illis viuentibus creuerint, idem ſpondeant, faciant & obſeruent, ipſi fideliter adiuuabunt. Haec autem ſingula inter nos & ſucceſſores noſtros, & inter Dominum noſtrum *Albertum*, Friſingenſem Epiſcopum, & ſucceſſores eius pari voluntate decretum eſt, vt ſemper obſeruentur, ſcilicet vt Epiſcopus non teneatur concedere Aduocatiam, priusquam haec omnia fideliter promittantur, & a Miniſterialibus noſtris, & haeredum noſtrorum ſacramento iurisiurandi obſeruanda firmentur.

Acta ſunt Friſingae ſub praeſentia teſtium, quorum haec ſunt nomina:
Hii Nobiles: Maior Palatinus Comes.
Walchun de Steinpach. Eber. de Meiſa.
Erchenbertus de Moſebach. Pabo de Eringen.
Liebhardus de Eckerſtorf. Dietrich de Moſen.
Albertus de Mochingen. Luitolt de Hagenawe.
Ch. Aduocatus de Mosburch.
Comes Sifridus de Luibenawe.
Ch. de Dornberch.
Palatinus Comes de Tiuinge.
Hii Miniſteriales Eccleſiae Friſingenſis:
Waltman de Paſtperch, & filii eius Waltman & Fridericus.
Heinricus Camerarius.
Rudolfus de Waldekke.
Hertwicus de Richolfesdorf.
Rudolfus & frater eius Gerwich de Pubenhuſen.
Adeloldus de Dornipach.
Ainwicus & filius eius Rudolf de Hittenſort.
Eber. & frater eius Liebhart Chaſte.
Fritilo & fratres eius Ch. & Sighardus de Iſmaning.
Albericus Dapiſer.
Alban Pincerna.
Eber. & frater eius Helenwich de Weltmoch.

No. LXXVI.

Henricus Leo confirmat donationem Ludolfi de Peina monaſterio Aegidiano apud Brunſuicenſes factam. Anno 1175. Ex autographo.

C. In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *HEINRICVS Dei gracia Bawarie & Saxonie Dux.* Ea que in tempore geruntur, tempore tranſeunt, & caduce ſunt temporum actiones. Ea propter compertum habentes, veritatem ſuis inſtrumentis deſtitutam nonnumquam periclitari; neceſſarium duximus rationabilibus eccleſiarum, que noſtre dicioni ſubiecte ſunt, actionibus noſtre auctoritatis munimenta parare, & iniquis inpoſterum malignandi aditum vsquequaque precludere. Notum ſit igitur vniuerſis fidelibus, tam futuris quam preſentibus, qualiter *Ludolfus de Peine* in villa, que dicitur Erkeroth, XI. manſos, & vnum manſum in villa, que dicitur Tome Rothe cum capella

Digitized by Google

capella in Erikeroth, & tribus molendinis, aquis, earumque meatibus ac decurſibus, ſiluis ac nemoribus cum ſuis vtilitatibus, pratis ac paſcuis, & eorum iuſticiis, eccleſie beate virginis Marie & ſancti Egidii in Bruneswich, & fratribus inibi Deo ſub monaſtica profeſſione famulantibus acceptis ab eis centum marcis puri argenti, vendiderit, concurrente in hanc venditionem noſtra permiſſione, & legitimorum heredum ſuorum compromiſſione: Idemque Ludolfus in preſentia noſtra, accepta a Frederico iam dicti loci abbate, & Reingero ſacerdote & monacho, cuius induſtria & labore hec emptio facta eſt, pretaxata pecunia, hanc vendicionem recognouit, & in Reliquiis beate Virginis absque omni contradictione optulit predia, que prediximus, & Abbas banni auctoritate vſibus eccleſie ea addixit. Quoniam autem preſentis temporis generatio praua atque peruerſa eſt; vt haec predia tam rationabiliter empta eidem eccleſie & vſibus fratrum perpetuo iure addicantur, atteſtationem noſtram, preſenti pagina conſcriptam, adhibuimus, eamque ſigilli noſtri impreſſione contra omnem iniuſticiam & violenciam munimus.

Acta ſunt hec in ciuitate noſtra Bruneſwich, anno Dominice Incarnacionis M. C. LXXV.

Teſtes hii ſunt:

Heinricus Prepoſitus.
Godefridus Prepoſitus.
Fridericus Abbas.
Erneſtus Prior.
Syfridus Sacerdos.
Reingerus Sacerdos.
Elias, Arnoldus diaconus.
Albertus, Titmarus Diaconus.
Rotholfus Subdiaconus.
Iordanis. Rederus Subdiaconus.
Ludolfus de Waltingeroth.
Arnoldus de Dorſtat.
Ludolfus Aduocatus.
Rotherus de Veltheim.
Iordanis Dapifer.
Iuſarius frater ſuus.
Fridericus de Winethuſen.
Willehelmus frater ſuus, & alii quam plures.

(L. S.)

 No. LXXVII.

No. LXXVII.

Henrici Leonis fundatio & dotatio Sacelli S. Ioannis Euangeliſtae ad Lubecam. Anno 1175.

Ex veteri Diplomatar.

HENRICVS *Dei gratia Bawariae & Saxoniae Dux.* Omnibus tam praeſentibus quam futuris in perpetuum. Ei, qui noſtram ſemper ſalutem auget & gloriam, gratias ſemper agere, & eius, quantum per nos fieri poteſt, cultui ampliando conuenit indeſinenter intendere. Ea propter cum Lubecenſem Inſulam, de altis nemoribus nuper erutam, receptioni nauium aptam & idoneam prouidiſſemus, & in ea eccleſiam in honorem ſancti Iohannis Baptiſtae & Nicolai Confeſſoris, ad quam eiusdem Inſulae ciues & totius Wagriae populi quaſi ad Sedem Epiſcopalem reſpectum habere deberent, Deo fauente, inſtituiſſemus; augendae adhuc religionis gratia, Capellam etiam in vicino contra ſeptentrionem in honorem ſancti Ioannis Euangeliſtae a fundamentis ereximus & dedicari fecimus, eamque redditibus, ad opus ſacerdotis in ea deſeruituri, huiusmodi dotauimus: tribus videlicet manſis ad orientem iam dictae Inſulae iuxta alueum Wakenitze ſitis, eorumque decimationibus. Itemque telonei in Oldeslo decimatione, quam ad duas marcas argenti aeſtimauimus; quarum vnam in purificatione, alteram in natiuitate beate Virginis perſolui debere ſtatuimus. Similiter omnium decimationum per vniuerſam prouinciam Radekowe medietatem, quae noſtris hactenus ſolebat aggregari granariis, venerabili domino Henrico, iam dictae Lubecenſis Eccleſiae Epiſcopo conſentiente, & autoritatem praeſtante, eidem Capellae in perpetuum dimiſimus; decimationibus tamen agrorum ad menſam Epiſcopalem pertinentium, nec non agrorum, qui ad praebendam Canonicorum ſupradictae maioris Eccleſiae, ſeu etiam Monaſterio B. Iohannis Euangeliſtae, quod in eadem eſt inſula, attinent, exceptis; ſimulque decimatione territorii noſtri, quod Poppenkenhus nominant, excepta: quam decimationem, videlicet in Poppenkenhus, vt idem territorium modis omnibus integrum nobis remaneret, praenominatus Epiſcopus totaliter nobis reſignauit & dimiſit. Hanc igitur donationem, ſecundum quod propter occupationes imminentes nobis nunc occurrere potuit, facientes, eandem Capellam noſtram oportunitate habita amplioribus redditibus honorandi non ſolum voluntatem nos fixam retinemus; verum etiam *baronibus noſtris*, omnibus videlicet *Northalbingiae Comitibus*, quibus forte Deus inſpirauit, de ſuis, quae a nobis tenent, feudis

vnum

vnum vel duos & vſque ad ſex manſos eidem capellae conferendi ſecuram indulgemus autoritatem & licentiam. Vt autem haec noſtra praeſens, vel etiam talis, quam diximus, futura donatio, firma ſemper manere debeat & inconuulſa, praeſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione communiri fecimus, ſubſcriptis teſtibus, quorum nomina ſunt haec:

Euermodus Raceburgenſis Epiſcopus.
Berno Zwerinenſis Epiſcopus, qui & ipſi hanc noſtram donationem banno ſuo confirmauerunt.
Item Erſelinus Lubecenſis Praepoſitus & Odo Decanus ibidem.
Theodoricus Segebergenſis Praepoſitus.
Henricus Comes de Rauensburg.
Henricus Comes de Suualeburg.
Henricus Comes de Dannenberg.
Bernardus Comes de Raceburg.
Gunzelinus Comes de Zwerin.
Adolphus Comes Holſatiae.
Marquardus Ouerbode.
Wilbrandus de Barmeſtede.
Item ciues Lubecenſes hi:
Lenerat de Soſtato, Raceman, Lutbertus, Lenzing.
Ioannes de Bruneſwich, & alii quam plures.
Acta ſunt haec anno Dominicae incarnationis MCLXXV.

No. LXXVIII.

Albertus Comes Palatinus Saxoniae Mariae Vallenſi Monaſterio, in quo pater eius Fridericus ſepultus iacet, omnes eius & ſuas donationes confirmat. Anno 1164.

Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Albertus diuina fauente clemencia Comes Palatinus. Quoniam tumultuantis ſeculi crebros aſſultus ſuſtineo, & anime infructuoſis occupationibus vsquequaque detineor, recognoſco, quod ferre congruum iuſticie fructum nullatenus ſufficio. Inter hec ſalubre michi occurrit & ſuccurrit conſilium, vt videlicet, cum ſim lignum aridum, Chriſti pauperes, tanquam palmites fructum ſalutis ſibi ſuiſque ſuſtentatoribus ferentes (nam fuſti ſepe parcitur propter vitem) ſubuencionis adminiculo portem. Inde eſt, quod Vallis ſancte Marie preſertim fratres beneficiis ſubleuare, & quamdiu vita & honore, Domini miſeracione, fruar, contra infeſtantes defenſare

non deſiſtam. Ille nimirum locus in predio meo eſt conſtructus: illius loci ſum aduocatus: ibi pater meus eſt ſepultus. Ea propter donationem quorumcunque bonorum, quarumlibet poſſeſſionum, quos *pater meus* piae memoriae *Fridericus*, ſeu *mater* mea *Lucardis* contradiderunt, aut ego cum eis, vel ſine eis quoquomodo contuli eccleſie illi, conſenſu approbo, eorumque dationi & mee per hec ſcripta confirmationis manum appono. Ex quibus XI. manſos propriis nominibus exprimere, & qualiter in ius fratrum memoratorum deuenerint, propalare dignum duxi. Ego & pater meus a noſtra poteſtate emancipauimus manſos in Mamendorp ſitos, ille prius quatuor pro XXV. marcis & pro III. talentis, & II. ſolidis; ego poſtmodum III. pro marcis XXVIII. quos fraternitati, que eſt in Valle, integro ac perpetuo iure dedimus poſſidendos. Item duos predicte ville manſos, dum *apud Vallem ſepulture patris mei* intereſſem, manumiſi, ac pro anime illius remedio ſuper altare optuli. Poſtremo in eadem villa, alios duos pro XVI. marcis a me commutatos, illi coenobio tradens, perpetue poſſeſſionis titulo aſſignaui. Hac igitur ratione Vallis ſancte Marie XI. manſos poſſidet in Mamendorp, quos omnes cum omnibus ſuis pertinentiis fratrum de Valle vſibus omnimodis profuturos ſcripto preſentis priuilegii ſtabilio, atque teſtimonio ſigilli mei confirmo.

Donacioni autem huic, videlicet duorum manſorum pro XVI. marcis peracte, omniumque confirmacioni, aderant teſtes ex liberis hominibus:

Odelricus de Ammersloue.
Oneke de Eskenrode.
Thithericus & Bernardus de Sigersloue.
Yſo & Albertus de Querenbeke.

De Miniſterialibus meis:

Volbertus & frater eius Hildebrandus de Vmbreuen.
Georgius de Somerſtorph.
Odelricus aduocatus de Orden.
Odelricus Marsloue.

Actum in Caſtro meo *Lewenberch*, dominice incarnationis anno MCLXIIII. Indictione XII. VIII. Idus Martii, feliciter.

Appendet Sigillum equeſtre, in quo eques vexillum ſine figura in dextra gerit, ſiniſtra clypeum praetendens oblongum & purum. Circumſcriptum: ✠ *ADILBERTVS. DI. GRA. PALATINVS. COMES.*

No. LXXIX.

No. LXXIX.

Fridericus Palatinus Comes Saxoniae Monaſterii Vallis Mariae prope Helmſtadium conditor.

Anno 1146. Ex autographo.

IN nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Odelricus dei gracia ſancte Halberſtadenſis Eccleſie epiſcopus. Quando pro exhibicione noſtri miniſterii cuncta ex diuini muneris gracia expedit nobis defenſare, corroborare atque munire, notum eſſe volumus cunctis fidelibus, tam preſentis temporis quam futuri, qualiter Dominus *Fridericus Palatinus*, homo magne nobilitatis, quandam abbaciam, nomine *Vallis ſancte Marie*, quam fundauit pro redempcione animarum carorum ſuorum & ſue, in ordine Ciſtercienſi tradiderit beato Stephano, in cuius Epiſcopatus territorio ſita eſt, cum omnibus appendiciis ſuis.

Facta eſt autem hec donacio in preſentia noſtri anteceſſoris beate memorie Rudulfi Epiſcopi, milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto anno incarnationis Domini, ſubnotatis teſtibus:

Herpone videlicet, Decano maioris eccleſie.
Odelrico Prepoſito ſancte Marie.
Conrado Camerario.
Henrico Magiſtro, adſtantibus multis tam nobilibus quam de plebe.

Vt autem hec oblatio inconuulſa permaneat, eccleſie, cui auctore Deo preſideo, hanc ſententiam noſtri banni confirmo, & cartam hanc ſuper hoc in maius teſtimonium cera impreſſi, ſignitam imagine noſtri ſigilli.

No. LXXX.

Adrianus PP. monaſterio Vallis Mariae a Friderico Palatino Comite condito, poſtea ab eius coniuge Lucarde & filio Alberto vberius dotato, omnia iura & bona confirmat. Anno 1158. Ex autographo.

ADRIANVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis, Dudelino Abbati Monaſterii Vallis ſancte Marie, eiusdemque fratribus, tam preſentibus quam futuris, regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus apoſtolicum conuenit adeſſe preſidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incurſus aut eos a propoſito reuocet,

reuocet, aut robur, quod abſit, ſacre religionis infringat. Eapropter, dilecti in domino filii, veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, & prefatum monaſterium, in quo diuino mancipati eſtis obſequio, ad exemplar predeceſſoris noſtri ſancte recordacionis Eugenii Pape, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, ac preſentis ſcripti priuilegio communimus imprimis ſiquidem ſtatuentes, vt ordo monaſticus, qui eſt ſecundum Dei timorem & beati Benedicti regulam & Ciſtercienſium fratrum inſtitucionem, ibidem perpetuis temporibus inuiolabiliter conſeruetur. Preterea quaſcunque poſſeſſiones, quecunque bona idem monaſterium in preſenciarum iuſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largicione regum vel principum, oblacione fidelium ſeu aliis iuſtis modis, preſtanſte Domino, poterit adipiſci, firma vobis, veſtrisque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipſum, *Vallem* ſcilicet ſancte *Marie*, ab illuſtri viro *Frederico*, *Palatino Comite*, omnipotenti Deo ad ſtatuendam ibi religionem pia deuocione oblatam, cum viginti manſis, pratis, paſcuis & nemoribus, ad ipſos manſos pertinentibus. Curtem que dicitur Steinthorp, cum ſuis appendiciis, paſcuis videlicet pratis ac nemoribus. Ex dono *Luchardis Comitiſſe* curtem Liuteſtorph cum ſuis appendiciis & decimis. Quartam partem ſilue que dicitur Lapenwolt. Ex dono *Ermenchardis Marchioniſſe* quatuor manſos in Liuteſtorp cum appendiciis & vtilitatibus ſuis, & quecunque in eadem villa commutata ſunt cum fratribus eccleſie *Wallebhec* a fundatore predicte eccleſie. Ex dono *Hode Comitiſſe* quatuor manſos in Auentorp cum omnibus vtilitatibus ſuis. Ex dono Burchardi & Willeri tres manſos & dimidium in Brandesleue. Ex dono *Ducis Hinrici* vnum manſum cum ſaltu in eadem villa. Ex dono Ludolphi ſeptem iugera in eadem villa, cum aſſenſu heredis ſui, videlicet Frederici de Amfridesloue: quatuor iugera & pratum, que a Burchardo de Gersleue emiſtis. Item ex dono iam dicti *Friderici Palatini Comitis* dimidium manſum in eadem villa. Ex dono Wilhelmi de Amersleue tres manſos in eadem villa, & quecunque in eadem villa commutata ſunt cum ſororibus Quideneburgenſis eccleſie & Wallebhec. Molendinum & dimidium manſum cum area, que in Brandesleue maiori emiſtis: quatuor manſos in Offensleue & quatuor manſos in Mammendorp: dimidium manſum Cowelle, in quo prefatus Comes Palatinus contulit eccleſie dimidium manſum. Ex dono *Lucardis Comitiſſe* duos manſos precio conparatos in eadem villa. Ex dono *Alberti Palatini Comitis*, *filii eiusdem Comitiſſe*, duos manſos in Nortgermesleue. Ex dono Friderici, miniſterialis prefati principis, dimidium

manſum

manſum in Hoetmersleue. Ex dono *Agnetis*, *filie Ducis de Linburbc* tres manſos: vnum in Brandesleue minori, & duos in Wadentorp. Ex dono Beatricis quatuor manſos in Ortorp. Ex dono *Volradi Comitis* duos manſos in eadem villa, & decimam forwerci veſtri in Brandesleue. Ex dono Erici vnum manſum Winninche. Ex dono predicte *Lucardis Comitiſſe* vnam aream in Santorp, cum ſaltu quodam, qui ſpectabat ad ipſam. Ex dono memorati Palatini Comitis duos manſos: vnum in Somerſtorp & alium in Ekenbardenleue & Othmersleue. Ex dono *Hinrici Ducis* villam, que dicitur Bardenbeke cum ſuis appendiciis, videlicet pratis, paſcuis ac nemoribus. Item ex dono *Agnetis*, *filie Ducis de Linburbc*, quartam partem ſilue, que dicitur Lapenwolt, Haskenroht & Biſcobroht cum omnibus appendiciis ſuis, videlicet pratis, paſcuis, riuis & ſaltu: inſuper & villam ipſi predio adiacentem cum decima eiusdem villule, & ſilua que dicitur Lobectze, que omnia Halberſtadenſis Epiſcopus ad peticionem Nodtigeri de Godersleue, miniſterialis ſui, qui eadem bona beneficii iure ab ipſo poſſederat, canonice vobis conceſſit. Sane noualium veſtrorum, que propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſiue de nutrimentis veſtrorum animalium, nullus a vobis decimas preſumat exigere. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat ſupradictum monaſterium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexacionibus fatigare, ſed illibata omnia & integra conſeruentur eorum, pro quorum gubernacione & ſuſtentacione conceſſa ſunt, vſibus omnimode profutura, ſalua nimirum apoſtolice ſedis auctoritate & dioceſani Epiſcopi canonica iuſticia. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisue perſona hanc noſtre conſtitucionis paginam ſciens, contra eam temere venire temptauerit, ſecundo tercioue commonita niſi preſumpcionem ſuam congrua ſatisfactione correxerit, preſtantis honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & domini redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte vlcioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſeruantibus, ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatinus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen! amen! amen!

Datum Laterani per manum Rolandi ſancte Romane eccleſie presbiteri Cardinalis & Cancellarii IIII. Nonas Marcii. Indictione VII. Incarnationis dominice anno Milleſimo CLVIII. Pontificatus vero domini Adriani Pape IIII. Anno quinto.

Signauit inter alios: *Iacinthus Diaconus Cardinalis S. Mariae in Coſmedyn.*

No. LXXXI.

Conradus ante Saliſburgenſis, nunc Moguntinenſis Archiepiſcopus, memoriae prodit, quomodo lis quaedam, fratri Ottoni de Wittelsbach, qui tum Comes Palatinus, poſtea Bauariae Dux fuit, definienda commiſſa, deciſa fuerit.

Anno 1183. Ex Dn. Ioannis Script. Rer. Moguntin. Tom. II. pag. 467.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Conradus dei gracia Maguntine Sedis Archiepiſcopus. Cum omni iuri, tam diuino quam humano, congruat, ſucceſſores ea, que fiunt a predeceſſoribus pietatis intuitu & largitatis, memoria inuiolata firmitate corroborata conſeruare: Idcirco ego Conradus, Dei gracia Maguntine Sedis primo electus & confirmatus, ſedens pro tribunali, inter alia negociorum emergencia litem motam inter moniales Dieſendal, & Burchardum, prepoſitum ſancti Petri ſuper quadam eccleſia, quam vtraque pars ſuam eſſe contendebat, pluribus aliis occupatus, terminare eam non valens, cognoſcendam & rationali fine decidendam Domino Chriſtiano, tunc Maguntine Sedis prepoſito, & *Othoni*, viro ſtrenuiſſimo, *fratri noſtro*, qui poſtea *Dux* fuit *Bauarie*, tunc vero *Palatino*, vicem noſtram demandauimus; qui, allegatis hinc inde diligenter viſis & inſpectis, prefatam eccleſiam Burchardo prepoſito ſancti Petri adiudicauerunt, hoc excepto, vt quidam Arnoldus, monialium prepoſitus, quia dicebant, magnas expenſas in illa eccleſia & propter illam feciſſe, haberet omnes redditus illius eccleſie, donec viueret, & inde ſe aleret, & quod ſuperflueret ad moniales deueniret in vita iſtius.

Teſtes Laici:

Merbodo de Sobbelnheym.

Otto Palatinus Comes.

Conradus. Winzo. Ditherus villicus & alii quamplures.

Acta ſunt hec anno Dominice incarnacionis MCLXXXIII. Indict. I. XV. Kal. Decembris.

No. LXXXII.

No. LXXXII.

Philippus Colonienſis Archiepiſcopus ad defenſionem noui Ducatus in Weſtphalia caſtrum aedificat, idque pro dimidia parte Wittekindo de Swalenberg in feudum confert. Anno 1183. Ex illuſtris Dn. Grupen Origin. Pyrmont. & Swalenbergicis. p. 19.

IN nomine ſanĉte & indiuidue Trinitatis. Nos Philippus, diuina fauente clemencia ſanĉte Colonienſis Ecclesie Archiepiſcopus, omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum. Sicut ex ſuſcepti regiminis officio allodia Ecclesie nobis commiſſe tenemur ampliare, ita & ex ſtatutis canonum iuſte & rationabiliter acquiſita monemur & iubemur, ſollerti cuſtodia deputare, ne vel longeua temporum ſucceſſione vel iniuſta hominum inuaſione poſſint a noſtra Ecclesia alienari. Ad omnium hominum tam futurorum quam modernorum noticiam peruenire volumus, quod hic in partibus Saxonie quoddam allodium Vdiſtorp emimus cum omnibus pertinentiis, videlicet Miniſterialibus, mancipiis, manſis, molendinis, agris, cultis & incultis, paſcuis, pratis, ſiluis, montibus & vallibus, & cum omni iure, quo illud prior poſſeſſor habebat. Idemque allodium beato Petro & cunĉtis ſucceſſoribus noſtris in perpetuum poſſidendum tradidimus. Placuit autem nobis & viſum vtile eſt, infra eiusdem allodii continentiam, *ad defenſionem & maiorem tuitionem Ducatus noſtri in Weſtphalia*, municionem & caſtrum edificare, quod caſtrum ad honorem beati Petri eius Karaĉtere inſigniuimus. A Petro namque *Petri mons* nuncupatum eſt. Cum autem hoc ipſum caſtrum intra Comitatum & Iurisdiĉtionem Domini Wittikindi & fratris Volquini de Permunt erat, dimidietatem caſtri eidem Wittikindo & heredibus ſuis in perpetuum poſſidendam iure feodali conceſſimus. Ea conditione, vt ipſe & heredes ſui beato Petro & nobis, cunĉtisque ſucceſſoribus noſtris impoſterum fidelitatem teneant, & in omni neceſſitate noſtra de eodem caſtro nobis & Ecclesie Colonienſi auxilium de certo portent. Compromiſſum eſt etiam, quod ſi idem Wittekindus vel heredes ſui ad alienum breuius ſeruicium propter honorarium compelleretur, nobis caſtrum noſtrum integrum & ſine difficultate reſignare deberet XIV. ſeptimanas ante, quam ad alium ſeruicium migret. Confederationem aliam fecimus, ne quis in eodem caſtro par ipſi Wittekindo vel heredibus ſuis recipiatur, preterea nullus Vrbanus inde de conſilio ſuo vel heredum ſuorum. In huius officii recompenſationem idem ſepe diĉtus Wittekindus

omne allodium ſuum in Louenzhuſen cum omni ea integritate, qua ipſe illud habebat, nobis & beato Petro in proprietatem perpetuo poſſidendum tradidit, & illud a noſtra manu in beneficio recepit. Vt ergo hec traditio noſtra eidem Wittikindo rata & inconcuſſa permaneret, preſentes inde Kartas annotari, & ſigilli noſtri munimine confirmari, & in teſtimonium aſſignari fecimus, autoritate Beati principis Apoſtolorum Petri, & Pauli Apoſtoli, atque ſub anatematis comminatione prohibentes, ne quis hoc inpoſterum irritare preſumat.

Huius rei teſtes ſunt:

Bruno maior in Colonia Prepoſitus.
Adolfus maior Decanus.
Vlricus Capellanus.
Philippus, Prepoſitus Xanetenſis.
Nolouer. (forte Nobiles.)
Henricus Comes de Arensberg.
Arnoldus & Fridericus Comites de Althene.
Hermannus Comes de Rauensberg.
Widekindus de Waldege.
Bernhardus de Lippia.
Widekindus de Reden.

Miniſteriales:

Hinricus de Dolmodiſſen, & Bernhard frater eius.
Hermannus Scultetus Suſatus. (forte Suſatie.)
Hildegerus.
Themo, Brunſen.
Reinboto & alii quam plures.

Acta ſunt Anno Dominice incarnationis MCLXXXIII. Indictione VIta. Data Colonie die nona Aprilis.

No. LXXXIII. (a)

Sifridi Hersfeldenſis Abbatis conuentio cum Bernhardo Duce Saxoniae & Comite in Aſchersleue de iuribus Aduocatiae in villa Scawize. Anno 1194. Ex Becman. Hiſtor. Anhalt. Part. III. p. 440.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Siſridus Dei gratia Hersfeldenſis Ecclesie Abbas. Quoniam temporum volubilitas, & viciſſitudinum mutabilitas indiſcreta minus diſcretorum facta frequenter permutare

mutare conſueuerunt, cenſura diſcretorum hoc decreuit, & exinde hoc inoleuit, vt ea, que ad permanentiam rationabiliter ordinant, ſcripti memorie & ſtabilitatis fidei committantur: Igitur preſentis ſcripti teſtimonio ad noticiam fidelium tam futurorum quam preſentium deducimus, quod nos cum *duce Bernardo*, qui aduocationem in villa Scawitze de manu noſtra tenet, & cum domino Heinrico de Kocſtede, qui eandem aduocatiam in poſſeſſione habet, vna cum prepoſito Conrado Eccleſie in Mimeleiben, ad quam villa eadem totaliter pertinet, pro iure eiusdem aduocatie conuenimus ita, vt de quolibet manſo vnum Kotenenſe maldrum, dimidium tritici & dimidium ſiliginis ei pro ſua iuſticia & defenſione eorundem bonorum annuatim perſoluatur. Statuimus etiam, vt, ſi manſi in predio collecti aliquo caſu mediante ad ruſticos denuo redeant, aduocati ab ipſis nihil preter antiquam conſtitutionem exigant, que conſtitutio alia non fuit, niſi duo modioli de quolibet manſo per omnem villam, qui duo modioli modo vix conficiunt vnum ſchephilum Kotenenſem. Idem predium tres habet manſos & dimidium, a iure aduocati penitus liberos. Hoc quoque firmiſſimo pacto ſtatuimus, vt aduocati nec ad petitiones, nec ad exactiones, neque ad aliqua grauamina, nec a prepoſitis & ciuibus euocati, ad eandem villam veniant, & nichil ibi exigant preter ea, que ad ſanguinis effuſionem ſpectant. Et ſi quis eiusdem ville ciuium, contra conciuem ſuum cauſam habens, aduocatum inuitauerit, ſolus ei ſumptum & expenſam ſoluat; cuius tamen ſumptus ſuus aduerſarius, ſi in cauſa ceciderit, particeps fiat. Reliqui ciues ab hac expenſa immunes permaneant. Et ſi in eadem cauſa vel alia aliquod lucrum aduocato proueniat, prepoſitus eiusdem lucri ſuo iure particeps fiat. Conſilio etiam vtriusque partis decretum eſt, vt tribus vicibus in anno currus de quatuor manſis cum quatuor equis in obſequium aduocati paretur, ita vt eadem die exeant & ad ſua redire valeant, vel maxime ſecunda. Hoc quoque, aduocato annuente & filiis eius Conrado & Burchardo, ſtatuimus, vt, ſi aliquis aliquem manſorum in predio collectorum repetat, aduocatus contra reſpondere & querimoniam eius compeſcere teneatur. Ordinauimus etiam, vt idem predium ſine omni grauamine peticionis & exactionis ſeu etiam manſionatici ab aduocatis permaneat, vt nec in his, nec in aliis predium illud inquietare preſumant. Et vt aduocatus & ſucceſſores ſui hec omnia inconuulſa relinquerent, ſtatuimus, & ad hoc prepoſitum induximus, quod de rebus eccleſie ſue decem marcas Dno Heinrico aduocato & filiis eius contulit. Ad maiores quoque huius negotii confirmationes tam Dominus Heinricus aduocatus, quam filii eius Conradus & Burchardus, *Duci Bernardo* dextras dederunt, & tenere in fide

promiſerunt. Vt hec indiſcuſſa permaneant, etiam ſcripto commiſimus & ſigilli noſtri impreſſione ſignauimus.

Teſtes:

Bernardus Dux Saxonie & Comes in Aſchersleue.

Liberi: Sifridus, Burchgrauius Brandenburgenſis, & frater eius Comes Badericus de Thornburg.

Albero de Biſenrot &c.

Actum Anno ab Incarnatione Domini MCLXXXXIIII. Regnante glorioſiſſimo Romanorum Imperatore & ſemper Auguſto Heinrico VI.

No. LXXXIII. (b)

Bernhardi Saxoniae Ducis & Comitis in Aſchersleue inſtrumentum de eadem re. Anno 1194.

Indidem p. 441.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *BERNHARDVS Dei gratia Dux Saxonie & Comes in Aſchersleue.* Quoniam temporum volubilitas & viciſſitudinum mutabilitas indiſcreta minus diſcretorum facta frequenter permutare conſueuerunt, cenſura diſcretorum hoc decreuit & exinde hoc inoleuit, vt ea, que ad permanentiam rationabiliter ordinantur, ſcripti memorie & ſtabilitatis fidei committantur. Igitur preſentis ſcripti teſtimonium ad noticiam fidelium tam futurorum, quam preſentium deducimus, qualiter ego in preſentia Domini mei, Hersfeldenſis Abbatis *Sifridi*, conſentiente Domino Cunrado, Mimislebienſis Eccleſie prepoſito, de aduocatia in Scawice, que villa totaliter ad eum pertinet, diſpoſui cum Heinrico de Kocſtede & filiis eius, qui eandem aduocatiam in poſſeſſione retinent &c. Et vt indiſcuſſa permaneant, que ſuper his ordinauimus, & ſcripto commiſimus, & ſigillo noſtro ſignauimus.

Teſtes ſunt:

Dominus meus, Abbas Hersfeldenſis, Sifridus, in cuius preſentia hec acta ſunt.

Liberi: Sifridus Burchgrauius de Brandenburg, & frater eius Comes Bethericus de Thorenburg.

Albero de Biſenrode &c.

Actum

Actum Anno ab Incarnatione Domini MCLXXXXIIII. Regnante glorioſiſſimo Romanorum Imperatore & ſemper Auguſto Heinrico VI.

Preſidente Hersfeldenſi eccleſie Domino meo, venerabili Abbate *Siſrido*.

No. LXXXIII. (c)

Bernhardus Dux Saxoniae & Comes de Aſchersleue monaſterio Kolbicenſi ſalis aram apud Stasfurt ex hereditate ſua donat. Anno 1195.

Indidem p. 470.

Nos *BERNHARDVS Dux Saxonie & Comes de Aſchersleue* tam preſentibus quam futuris in perpetuum. Si catholicorum & glorioſorum parentum & predeceſſorum meorum exemplo ſancte venerabili matri noſtre, catholice videlicet eccleſie, rebus & obſequio debitum adhuc honorem exhibere non potero; fidem tamen & deuotionem eorum interim in eo imitari deſidero, quod ab eisdem oblata ſiue collata, ſpe eiusdem remunerationis a Deo in poteſtate tradita, ſummopere conſeruare ac defenſare curabo, vel circa quoslibet Chriſti filios & eccleſie, contemptores huius mundi, precipue filialem matris dilectionem nunc voluntatis affectu, poſtmodo operis effectu Deo inſpirante demonſtrabo. Huius rei gracia Colebicenſem Eccleſiam, in fundo Babenbergenſis Eccleſie ſitam, & ab eiusdem eccleſie venerabili Epiſcopo Ottone defenſioni ac protectioni mee commiſſam, & fratres eandem eccleſiam inhabitantes, & in ea Deo die noctuque deuote ſeruientes, ſpecialiter amplecti, diligere ac honorare, & eodem ſtudio, ac ſi in hereditate mea ſita fuiſſet, modis omnibus placuit promouere. Hoc vero preſenti priuilegio tam preſentes, quam ſuccedentes ſcire cupio, qualiter ego *Bernardus Dux* peticione cuiusdam ſupra memorate eccleſie Colbicenſis Prepoſiti, religioſi viri, nomine Eueruinus, ſalis aram apud Stasfurt, in hereditate mea ſitam, conſenſu heredum meorum pro amore Domini & pro ſalute anime patris & matris mee, nec non pro remedio anime mee & filiorum meorum, ſuper altare beati Magni martiris in Colbike ad ſubſidium fratrum inibi Deo ſeruientium in perpetuum donaui. Si vero de hac oblatione futuris temporibus vlla controuerſia ſuboriatur, imago mea preſenti cere impreſſa teſtis fideliſſimus producatur.

Sunt autem huius rei teſtes:

Conradus Comes & frater eius Bedericus.

Gero

Digitized by Google

Gero & Bernhardus Volue &c.

Anno Dominicе Incarnationis MCLXXXXV. . . .

- - - a Luidolfo Archiepiſcopo in Caſtro *Berneburg*. VII. Idus Februarii.

No. LXXXIV.

Renunciationem bonorum pro Marienthaenſibus coram Praefecto & Scabinis factam confirmat Comes Bernhardus de Aſchersleue. Anno 1174.

Ex autographo.

IN nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Ego *BERNHARDVS dei gracia Comes in Aſchersleue.* Cum omnibus ad nos confugientibus promptum ſemper ferre debeamus conſilium & auxilium, maxime tamen hoc viduis & orphanis, eccleſiis eccleſiaſticisque perſonis, eſtimamus conferendum. Quapropter nouerit fidelium vniuerſitas, quod dominus Northungus de Gattersleue, (*) conſenſu pie memorie domini Olrici Halberſtadenſis epiſcopi, cuius miniſterialis extitit, & heredum ſuorum, in remedium anime ſue carorumque ſuorum, villam, que dicitur Eſekenroth, cum pratis, agris, paſcuis, nemoribus, aquis & aquarum decurſibus, & omnibus ſuis vtilitatibus, cenobio vallis beate Marie legitimo donationis titulo profuturam contradidit. Porro multo poſt elapſo tempore filia prefati Northungi, Adelheidis nomine, pretaxatis fratribus de Valle ſuper iniuſta retentione ſue hereditatis queſtionem mouit, atque ad huiuſcemodi querelam maritum ſuum, filios & filias, animauit. Verum predicti fratres de Valle, malentes dampna rerum incurrere, quam pertinaciter contendere, impetitoribus ſuis pacis gracia pecuniam tradiderunt, ea videlicet conditione interpoſita, vt omni, quod in prelibatis bonis habere videbantur, iure hereditario in noſtro iudicio cum coheredibus ſuis ſe abdicarent. Vnde factum eſt, vt prememorata Adelheidis, & maritus eius Wedego, filiique ipſorum, Northungus & Wedego, Heinricus & Erkenbertus, filie quoque eorum, Iuditha & Sophia, in preſentiam noſtram in iudicium noſtrum in Aſchersleue venirent, & ſecundum terre conſuetudinem iuri ſuo coram omnibus, prefecto videlicet & ſcabinis noſtris, in pretaxatis bonis renunciarent. Nos etiam, prout ad nos pertinuit, eadem bona ſepe dicte eccleſie ſub banno regio & auctoritate noſtra confirmauimus. Ne ergo inpoſterum hec bona quisquam inuadere, aut eccleſiam diueſtire attemptet, hec omnia in ſcriptum redigi iuſſimus, & ſigilli noſtri impreſſione communiri.

Teſtes

(*) Idem, qui ſupra p. 537. dictus *Nodtigerus de Godersleue.*

Teſtes huius actionis ſunt:

Fridhericus de Hakeburne, eiusdem iudicii prefectus.
Euerhardus Vronebode.
Fridhericus de Wedeſtorp.
Fridhericus de Hardeſtorp.
Wedekinus de Snetlinge.
Borchardus de Waterlinge.
Borchardus de Irineſtorp.
Fridericus de Snetlinge.
Wernherus de Tortlinge.
Thidericus de Iersleue, & frater eius Arnoldus.
Conradus de Sedshorp.
Albertus de Winninge.
Comes Otto de Valckenſteine; frater eius Theodericus.
Gardolphus de Hatmersleue.
Ekgehardus de Wiegenleue.
Heinricus de Snetlinge.
Fridericus de Winninge.
Gerhardus de Gundersleue.
Miniſteriales:
Heinricus de Berge.
Theodericus de Aſchersleue.
Wedego de Tſelinge.
Heinricus Hak, & alii complures.

Actum anno dominice incarnationis M. C. LXXIIII. Indictione II. (VII.)

(L. S.)

No. LXXXV.

Fridericus I. Imperator translationem pontis, telonii & monetae Veringa Monachium reſcindit.

Anno 1180. Ex Meichelbec. Hiſtor. Friſing. T. I. p. 365.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *FRIDERICVS* Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus. Quae imperiali ſtatuuntur auctoritate, litteris competit annotari, ne vel tranſeuntium temporum antiquitate in obliuionem deueniant, vel prauorum hominum fraudulentis machinationibus indignam ſui mutationem incurrant. Nouerint igitur vniuerſi, tam praeſentis quam poſt futurae aetatis Fideles

Imperii, qualiter dilectus noſter Adilbertus, Friſingenſis Epiſcopus, ad Maieſtatis noſtrae praeſentiam accedens, humiliter nobis conquerendo ſignificauit, quod nobilis vir, *HAINRICVS de Bruneſwic, quondam Dux Bawariae & Saxoniae,* forum in Veringen cum ponte, quod Eccleſia ſua a longe retro actis temporibus quiete poſſederat, deſtruxerit, & illud in villam *Mynichen* violenter tranſtulerit. Cuius ſiquidem rei veritas etſi noſtrae conſtaret ſerenitati, ipſe tamen eam *ſeptem legitimis teſtibus* in noſtra comprobauit audientia. Sunt autem hi: Chunradus Saltzburgenſis Archiepiſcopus. Chuno Ratiſponenſis Epiſcopus. Bertoldus Marchio Yſtriae. Gebehardus Comes de Sultzbach. Otto Palatinus maior, & Frater eius Otto iunior. Fridericus Burcgrauius. Conſequenter igitur ſuper eadem cauſa a Principibus curiae noſtrae requiſita ſententia, iudicatum eſt, quod praefati *HAINRICI* factum temerarium in irritum ducere Imperialis deberet auctoritas. Quocirca ſecundum iuris tenorem, translationem praedicti fori in vacuum reuocantes, ipſum forum cum ponte memorato fideli noſtro Epiſcopo Friſingenſi ſuisque ſucceſſoribus reſtituimus, & praeſentis ſcripti priuilegio eis & ſuae Eccleſiae in perpetuum confirmamus. Item ad inſtantem praetaxati venerabilis Epiſcopi poſtulationem ex indulgentia Imperialis clementiae permiſimus, & beneuolo approbauimus aſſenſu, vt praedia, quaecunque ſumtibus ſuis conquiſiuit, pro libitu ſuo Eccleſiis vel aliis religioſis locis, ſeu ad altaria quaelibet poſſet contradere, & de eorundem praediorum reditibus pro ſuo arbitrio ordinare. Et vt haec noſtra conſtitutio in omne aeuum rata permaneat & inconuulſa, praeſentem paginam in memoriam facti conſcribi fecimus, & Maieſtatis noſtrae bulla communiri.

Teſtes huius rei:


praedictus Chunradus Archiepiſcopus.
Chuno Ratisbonenſis Epiſcopus.
Bertoldus Marchio Yſtriae.
Otto Palatinus maior.
Otto Palatinus iunior.
Gebehardus Comes de Sultzbach.
Fredericus Purcgrauius.

Item alii teſtes, qui eidem negotio intererant:

Dietpaldus Patauienſis Epiſcopus.
Hainricus Curienſis Electus.
Gaſſidonius Mantuenſis Epiſcopus.
Gotefridus Cancellarius.
Rudolfus Notarius.

Romanus

Celestinus eps servus servorum dei. Dilecto filio Nobili viro h
quando fidelium omnium mater Romana iudicatur ecclesia cuiquam princi
habuisse recolitur aliquid prerogatiue clementer indulgere quod eam decet ex
onus uel absurdum. Eapropter dilecte in domino fili tuis iust
uotione quam erga predecessores nostros hactenus habuisti et ad personam
tas. ne cuilibet passim liceat te per ecclesiasticam sententiam temere
sedis apostolice indulgemus. ne quis in personam tuam ut personas filiorum
gato specialiter ab ipsius latere destinato. nisi de speciali forte mand
cationis sententiam audeat promulgare. nisi forte talis excessus fu
importet. Quod si aliqua forte fuerit lenitate presumptum. sententia
latam. decernimus non tenere. Nulli ergo omnino hominum liceat h
ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presu
beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat.
Petrum Non. Aug. Pontificatus nostri



Digitized by Google

Romanus Praepoſitus Haluerſtatenſis.
Hainricus Purcgrauius.
Siboto Comes de Niuwenburc.
Hainricus de Altendorf.
Deginhard de Halenſtein.
Chunrad Purcgrauius de Nurnberc.
Fridericus de Truhendingen, & frater eius Albertus.
Amelbrecht de Lochhuſen.
Hainricus Marſchalchus de Papinheim.
Burchardus Camerarius.
Rudolfus de Waldekke.
Hainricus felix Puer.
Adilolt de Dornbach.
Engilwan de Ahedorf & frater eius Hainricus.
Rudolfus de Riede.
Hartwicus Marſchalchus.
Bertold de Richershuſen.
Sibot de Holtzhuſen.
Wolfherus de Holzhuſen.

Ego Gotefridus Imperialis aulae Cancellarius, vice Domini Chriſtiani Moguntinae Sedis Archiepiſcopi, Germaniae Archicancellarij recognoui.

Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris inuictiſſimi.

Acta ſunt haec anno ab Incarnatione Domini MCLXXX. Indictione XIII. Regnante Friderico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, anno Regni eius XXVIIII. Imperii vero XXVI.

Data Ratiſponae in ſolempni Curia tertio Idus Iulii feliciter, Amen.


No. LXXXVI.

Fridericus I. Imperator caſtrum Homburg, feudum Henrici Leonis, Eccleſiae Hildenſemenſi adiudicat, aſſidente Bernhardo, Weſtphaliae & Angariae Duce. Anno 1181. Ex authentico Mſct.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *FREDERICVS*, Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus. Imperialis manſuetudinis decet ſollertiam, vt non ſolum ortas lites debito clauda-

mus ſine, verum &, ne oriri incipiant, prouida ſtudeamus cautione, precipue cum negotia eccleſiaſticarum rerum cognoſcimus, quas feruentiori ſtudio quiete poſſidere cupimus. Ea igitur, que de caſtro *Homborg* coram nobis cum multa Principum frequentia tractata ſunt, poſteritati cognoſcenda transmittimus. In curia Erfordie celebrata, cum nos in caſtro *Hoemburc* nobis ius diceremus, & iudicio illud peteremus, dictante ſententia, *Athelbous*, Hildishemenſis Epiſcopus, proprietatem eiusdem caſtri ſibi nomine Eccleſie ſue pertinere inſtrumentis & viuis teſtibus ſufficienter oſtendit. Porbauit enim coram nobis legitimo bonorum virorum teſtimonio, Hogeri & Borchardi de Waltingeroth Comitum, Theoderici de Inſula, Widekindi de Sualenberg, Comitis Hinrici de Slatheym, Engelmeri & Frederici, quod Hildenſemenſis Eccleſia proprietatem dicti caſtri XXX. annis & amplius quiete poſſediſſet, & *HENRICVS quondam Dux* ab Epiſcopis Hildenſemenſis Eccleſie illud in beneficio tenuiſſet. Nos ergo tam inſtrumentorum quam teſtium ratione permoti, proprietate predicti caſtri Hildenſemenſi Eccleſie aſſignata, Caſtrum illud eidem Eccleſie confirmauimus, & ne de cetero ſuper hoc quaeſtio moueri debeat, literis authenticis noſtro ſigillo impreſſis cauimus, teſtibus annotatis, quorum nomina ſubter ſcripta ſunt:

Philippus Colonienſis Archiepiſcopus.
Wichmannus Magdeburgenſis Archiepiſcopus.
Siſridus Bremenſis Archiepiſcopus.
Anno, Mindenſis Epiſcopus.
BERNHARDVS Dux Weſtfaliae & Angariae.
Otto, Marchio Brandenburgenſis.
Comes Albertus de Ebirſtein.
Ludolſus iunior de Waltingeroth.
Siboto Comes de Scartſelt.
Luppoldus Aduocatus.
Ludolſus de Payne.
Theodericus de Goltorne.
Conradus de Kemme, & alii quam plures.

Signum Domni Imperatoris  *Friderici Romanorum inuictiſſimi.*

Et

Et ego Gothefridus, Imperialis aulae Cancellarius, vice Chriſtiani Moguntinae Sedis Archiepiſcopi & Germaniae Archicancellarii, recognoui.

Acta ſunt haec anno dominicae Incarnationis M. C. LXXXI. Indictione XV. Regnante domino Frederico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, anno regni eius XXX°. Imperii vero XXVIII°.

Datum in Curia Erfordiae celebrata, Kal. Decembr. feliciter, Amen.

No. LXXXVII.

Caſtrum Homburg Adelogus Hildenſemenſis Epiſcopus partim Ludolfo de Daſſele & partim Bodoni de Homburg in feudum confert. Anno 1183.

Ex authentico Mſct.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Adelhogus Dei gratia Hildenſemenſis Eccleſie Epiſcopus. Nouerit tam preſentium quam futurorum vniuerſitas, quod *duce HENRICO* caſtro Homborch, ſicut ceteris beneficiis ſuis, per ſententiam principum priuato, nos eiusdem caſtri medietatem cum ſuis attenentiis Ludolfo de Dasle & fratri eius Adolfo, conſilio maioris Eccleſie noſtre fratrum, beneficiatorum & miniſterialium, ſub huius conditionis forma conceſſimus: Fratrum iam dictorum alterutro decedente, medietas illa caſtri ad ſuperſtitem, vel ad feodales alterutrius heredes feodi iure deuoluetur: ſi Eccleſiam guwerra vel alia neceſſitate laborare contingat, ipſi fratres & eorum poſteri, in propriis perſonis nobis, vel canonice nobis ſubſtituto, contra quemlibet caſtrum ſeruabunt. Eccleſie etiam contra quemlibet ſeruiant, niſi cui eos nocere euidens conſanguinitatis vinculum, vel fidelitatis debitum prohibuerit. Homines vero ipſorum in caſtri preſidio poſiti nobis & legitimo ſucceſſori noſtro contra quemlibet, nullo excepto, deſeruient: homines etiam noſtri beneficiati ſiue miniſteriales in propriis vel Eccleſie neceſſitatibus ad Eccleſiam Hildenſemenſem habebunt recurſum, & ab ea percipient in iure ſuo fidele ſubſidium. Huius autem conuentionis ſecuritas ex noſtra parte facta eſt fratrum maioris Eccleſie, beneficiatorum & miniſterialium noſtrorum firma promiſſione. Ex parte altera ad huius rei firmamentum ab ipſis fratribus iam dictis ſacramentum eſt preſtitum, & ex hominibus eorum propriis X. obſides ſub hac forma dati, vt ſi de

illa caſtri medietate nocumentum aliquod vel dampnum Eccleſie fuerit datum, vel predicte conuentioni in aliquo derogatum, & domini in prouincia conſiſtentes infra VI. ſeptimanas poſt denunciationem eis factam non ſatisfecerint; obſides Eccleſie ſub iure miniſterialium tranſeant. Obſides autem hi ſunt: Thidericus & Giſeler de Aldenthorp. Hartwig de Borgberge. Ludolf de Embere. Conrad de Bennethe. Albrecht de Mackenhuſen. Hermann de Dasle. Richart de Deueſſe. Volkwin de Iambike. Thideric de Stemme. Filii predictorum predictam ſecuritatem, ſicubi propter hominum defectum innouanda fuerit, in eiusdem beneficii ſuſceptione innouabunt, & eandem, quam patres eorum, ſecuritatem Eccleſie preſtabunt. Sub eadem prope forma reliquam caſtri medietatem *Bodoni* & fratri eius *Bertoldo*, conſilio fratrum, beneficiatorum & miniſterialium Eccleſie conceſſimus, hoc tamen adiecto, quod tam ipſi fratres, quam homines eorum, nobis, vel ei, qui nobis canonice ſucceſſerit, contra quemlibet, nullo excepto, caſtrum ſeruabunt, & Eccleſie libere deſeruient. Ipſi etiam in omnibus ſuis neceſſitatibus ad Eccleſiam habebunt refugium, que ipſis tanquam filiis fideliſſimis promptum & indeficiens in iure ſuo preſtabit auxilium. Ab ipſis etiam ſuper hac re ſacramentis preſtitis & obſidibus ſub predicta forma datis facta eſt ſecuritas. Obſides: Henricus. Franco de Holthuſen. Ludolfus de Voranwalde. Rodolfus de Tecencampe. Ob hanc vero gratiam *Ludolfus* & *Adolfus* XL. marcas dederunt Epiſcopo: ad prebendam autem fratrum maioris Eccleſie duos manſos contulerunt, vnum in Walteringhehuſen, alium in Weſterem. Preterea curtem in Dungerbicke cum omnibus ſuis attinentiis, ſcilicet quindecim manſos, Eccleſie donauerunt, ita vt iam dictum predium ipſi & eorum heredes filii vel filie iure beneficii ab Eccleſia teneant. *Bodo* vero & *Bertoldus* LX. marcas dederunt Epiſcopo; ad prebendam autem fratrum XII. marcas. Eccleſie vero ſimiliter XV. manſos ſub predicta forma contulerunt; in Einem VIII. manſos, Wenethuſen II. Hugeshus III. Brokhuſen II. Sicut iam dicti caſtri medietas, ita quelibet beneficia, que tenentur ab Eccleſia, alterutro horum vel illorum fratrum decedente, ad ſuperſtitem vel ad ſeodales alterutrius heredes feodali iure tranſibunt, & ad alium neminem vnquam, a quo ea ſuſcipiant, niſi voluntate ſua, transmittentur, ſed tantum a nobis vel a ſucceſſore noſtro legitime tenebunt ea iure perpetuo.

Huic autem facto preſentes affuerunt:

Thiodericus Abbas S. Godehardi.

Thiodericus Abbas S. Michaëlis: Prepoſitus ſummus.

Fratres

Fratres maioris eccleſie Sacerdotes: Bruno Cellarius & Godefridus. Herobordus. Hilarius Scholaſticus.

Diaconi: Ioannes. Widekindus. Thietmarius. Heinricus. Elbertus. Hartbertus.

Subdiaconi: Ioannes. Bertoldus Cuſtos. Egkehardus. Poppo.

Acolythi: Rudolfus. Hermannus. Ludolfus. Burchardus. Fridericus.

Laici beneficiati:

Comites de Poppenborch. Fridericus. Albertus. Conradus.

Kono de Depenowe, & eius filius (Tidericus.)

Bernardus de Pleſſe.

Ludolfus de Halremunt.

Arnoldus de Dorſtat.

Vnargus de Volkerſen.

Fridericus de Nouali, & eius frater Egelmarus.

Eſchwinus de Diſeldesheim.

Gerhardus de Rimeſtide & eius frater Egkericus.

Miniſteriales:

Ecbertus Camerarius.

Lippoldus Aduocatus, & fratres eius Hugo & Heinricus.

Lippoldus de Eſcherte.

Gerungus de Toshem, & frater eius Thiodericus.

Henricus de Toſſem, & Hermannus frater eius.

Erneſtus Dapifer.

Theodericus de Goltorne, & Henricus filius eius.

Baſilius de Rutenberge.

Thiodericus de Alten & Euerhardus frater eius.

Vt autem huius facti firmitas omni euo inconuulſa permaneat, preſenti pagine eam commiſimus, & ſigilli noſtri charactere roborauimus.

Actum in facie totius Eccleſie fratrum, beneficiatorum & miniſterialium. Anno Dominice incarnationis M°. C°. LXXXIII°. Indictione I. XI. Maii.

No. LXXXVIII.

No. LXXXVIII.

Caſtrum & Burgum Stadii Fridericus I. Imperator, proſcripto Henrico Leone, Sifrido Archiepiſcopo & Eccleſiae Bremenſi donat. Anno 1181. Ex Lindenbrog. Scriptor. Septemtr. p. 168.

IN nomine ſacroſanctae & indiuiduae Trinitatis. *FRIDERICVS*, diuina fauente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Digna animi conſideratione attendentes, quam piam, quamque ſollicitam circa facta Eccleſiarum anteceſſorum noſtrorum diuae recordationis Imperatorum & Regum deuotio ſe exhibuerit, quantumque diuinum per eos obſequium, diſponente Domino, ſuſceperit incrementum, nos, qui Dei ordinatione eadem maieſtate, & per eius clementiam non minori temporum felicitate pollemus, ipſorum veſtigia imitantes, de imperiali quoque munificentia venerabiles Dei Eccleſias, pro rerum & temporum oportunitate, duximus adiuuandas: vt ſicut de factis priorum celebris habetur memoria, ita & noſtri in benedictione nonnunquam recordari debeat poſteritas ſucceſſura. Hoc profecto intuitu vniuerſis Imperii fidelibus, praeſentibus & futuris, notum fieri volumus, quod nos, attendentes honeſtatem, prudentiam & diſcretionem dilecti Principis noſtri, *Sigfridi*, Bremenſis Archiepiſcopi, ad preces ipſius & fratrum ſuorum, accedente etiam conſilio & multa petitione aliorum Principum & Magnatum, in ſolemni curia noſtra Erbsfordia exiſtentium, caſtrum *Stadii* & Burgum, cum miniſterialibus & vniuerſis pertinentiis & omni iure ſuo, Eccleſiae Bremenſi, cum libera donatione contulimus, quatenus ipſa inde Eccleſia honoris & vtilitatis incrementum percipiat, nobisque penes ipſam de impenſae beneficientiae gratia memoriale perpetuum reſeruetur. Factam itaque donationem, quo plenius ac certius aetas ſuperuentura cognoſceret, praeſentis priuilegii auctoritate cum ſigilli noſtri impreſſione roborandam duximus & confirmandam. Statuimus igitur, & imperiali firmiter auctoritate decernimus, vt nulla omnino perſona, humilis vel alta, ſecularis vel Eccleſiaſtica, praedicto Archiepiſcopo & ſucceſſoribus eius in ſupradicta donatione iniuriam, aut aliquam audeat moleſtiam inferre. Quod qui auſu temerario attentauerit, Maieſtatis noſtrae offenſam, cum perſonae & rerum ſuarum periculo vsque ad condignam emendationem ſe nouerit incurſurum.

Huius rei teſtes ſunt:

Philippus Colonienſis Archiepiſcopus.

Wichmannus Magdeburgenſis Archiepiſcopus.

Otto

Otto Babenburgenſis Epiſcopus.
Th. Haluerſtadenſis Epiſcopus.
Vdo Cicenſis Epiſcopus.
Adelhogus Hildenſemenſis Epiſcopus.
Euerhardus Marçeburgenſis Epiſcopus.
Martinus Miſſenenſis Epiſcopus.
Arnoldus Oſnaburgenſis Epiſcopus.
Sigfridus Abbas Herſueldenſis.
Otto Marchio Miſnenſis.
Otto Marchio de Brandenburch.
Th. Marchio de Landesberch.
Comes Dedo de Grozce.
Bernardus Dux Saxoniae.
Comes Sigfridus de Orlamunde.
Chonradus Burchgrauius de Nurenberch.
Comes Adolfus de Scowenburch.
Comes Boz de Waltingerodhe & Comes Hoyerus frater ſuus.
Comes Albertus de Veltheim.
Comes Widekinus de Stumphene.
Comes Hludewicus Siuesdorff.
Ambo fratres de Halremund.
Burchardus Burggrauius Magdeburgenſis, & frater ſuus.
Chonr. de Bockesberch, Crafto frater eius.
Albertus de Hildenburch.
Albertus de Grombach.
Wernerus de Ponlant.
Cono de Mincenberg.
Hugo de Warda.
Themo de Coldiz.
Item de ciuitate Bremenſi: Otto maior Praepoſitus.
Iacobus Th. Hartwicus.
Rodolfus Praepoſitus Burchardus.
Miniſteriales quoque: Gerungus Hs. filius eius. Ericus Engelbertus, F. Thielwardus, Adelhardus, Arnoldus Albertus, H. F. Conſtantinus, Th. & alii quam plures.

Ego Gotfridus Imperialis aulae Cancellarius, in vice Chriſtiani Moguntini Archiepiſcopi, Germaniae Archicancellarii recognoui.

Actum Anno Dominicae incarnationis MCLXXX. Indictione XIV. Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore glorio-

ſiſſimo & ſemper Auguſto, Anno Regni eius XXIX. Imperii vero XXVII.

Datum apud Herbsfordiam in ſolenni curia XVI. Kal. Decembr. feliciter Amen.

No. LXXXIX.

Philippus Colonienſis Archiepiſcopus Corbeienſes Coenobitas damni ab exercitu ſuo in bello Saxonico Corbeienſibus dati reſarciendi cauſſa a telonio vini Nuſſienſi liberat. Anno 1180. Ex Schatenii Annal. Paderborn. T. I. p. 853.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *PHILIPPVS* ſanctae Colonienſis Eccleſiae Archiepiſcopus, vniuerſis Chriſti fidelibus tam futuris quam praeſentibus in perpetuum. Quoniam ex werra Saxonica, quam nos pro multa neceſſitate Colonienſis Eccleſiae contra ſaeuitiam Domini *HENRICI de Brunſwich* aggreſſi ſumus, Eccleſia Corbeienſis ab exercitu noſtro multa in ſtipendiis fratrum incommoda, & non modicam rerum ſuarum pertulit deuaſtationem; placuit nobis & ſalutare viſum eſt, aliquam eidem Eccleſiae damnorum ſuorum conferre reſtaurationem. Nouerit itaque vniuerſitas Chriſti fidelium, tam futurorum quam praeſentium, quod praefatae Eccleſiae fratribus theloneum Nuſſienſe in perpetuum condonauimus, ita vt ipſi annuatim in vino ſuo deducendo immunes ſint ab hoc theloneo. Cum ergo vita hominum breuis, memoria labilis ſit, ne quis tam pium & rationabile factum demoliri poſſit in poſterum, praeſentem inde paginam conſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione communiri iuſſimus, ſub horrendi anathematis interminatione diſtricte praecipientes, ne aliquis hoc apud nos piae deuotionis intuitu actum in irritum reducat, vel huius rei violator exiſtat.

Teſtes huius rei ſunt:

Arnoldus Treuirenſis Archiepiſcopus.
Athelogus Hildeſienſis Epiſcopus.
Siſridus Paderburnenſis Epiſcopus.
Herimannus Monaſterienſis Epiſcopus.
Arnoldus Oſnabrugenſis Epiſcopus,
Anno Mindenſis Epiſcopus.
Lotharius Bunnenſis Praepoſitus.
Volricus Reſſen. Praepoſitus.
Bernardus Suſacienſis Praepoſitus.

Theodoricus

Theodoricus Comes de Hoſtadin. Otto frater eius.
Hermannus Comes de Rauensberg.
Albertus Comes de Euerſtein.
Widekindus de Waldekke.
Fratres de Hallermund, Ludolſus & Wilbrandus.
Fratres de Dasle, Ludolſus & Adolſus.
Henricus de Lippia.
Conradus de Sconinberg.
Reinerus de Froizprecht.
Henricus de Vore.
Rudolſus de Steinuorde.
Fratres de Voldeſteine, Heinricus & Gerardus.
Godeſcalcus de Padberg.
Hermannus, Scultetus Suſacienſis.
Gozwinus de Altina, & alii quam plures.

Acta ſunt haec Dominicae Incarnationis Anno MCLXXX. Indictione. - - - Regnante Fritherico glorioſiſſimo Romanorum Imperatore Auguſto.

Data in expeditione Saxonica prope Brunſwich IV. Idus Auguſti.

No. XC.

Wittekindi, Abbatis Corbeienſis, iudicium de illa compenſatione ex epiſtola ad Abbatem veteris Corbeiae in Gallia ſcripta. Anno 1196. Ex vetuſto Chartulario Mſct.

REVERENDO & eximio Domino, Patri Gerardo, ſanctae Corbeiae veteris Abbati, ego Wedechindus, nouae Corbeiae ad Wiſara Abbas, ſalutem in Domino, promtumque in omnibus poſſibilitatibus obſequium.

Feliciter a pia matre ad filiam eius, mihi in Domino *fideliter* commiſſam, reuerſus, amoris & beneuolentiae arrhabonem, aureum annulum, omnibus cum gaudio monſtraui, humanitatem veſtram commendans ſingulariter, eumque, ceu cimelium, apud alterum, quo Wigboldum, cuius anima quieſcat in pace, donauit Counrat Rex ſolemniter, & me etiam, quamuis indignum, iure ſucceſſionis fecit & creauit ſempiternum Aduocatum, Cuſtodem & Patronum ſanctorum S. Viti Lipſanorum, poſui. Quae dignitas excellentiſſima eſt, & nobis tantum data ex

ex ſingulari gratia. Poſtquam enim Counrat Abbas annulum hunc a rapace coruo ſuo ablatum, recepit, fidelius nunc cuſtoditur, & eſt quaſi Palladium aliquod. Expedit nunc ad ſtabiliendam Eccleſiae ſalutem foedus inire cum Colonienſi. Nauicula enim parua, niſi ad maiorem alligetur, vix per turbulentum vaſtumque meabit pelagus. Triſtia tempora ſunt, & *HEINRICVS Dux* multum vaſtauit terram noſtram. In cuius damni recompenſationem Philippus Colonienſis telonium donauit. At non ſufficit iſta retributio pro tantis vexationibus. Interim in ſpe & ſilentio ponimus robur noſtrum. Quando poterit Frater Humbertus mittatur ad antiquam matrem ſuam, vt porro creſcat & proficiat apud Deum & homines, quod pater & mater eius, probae animae, ſpecialiter nuper coram me petebant & vrgebant, in caſtro eorum Slachen, (*Sladen*) cum Gozlaria redirem. Reliquias ex veſtra Corbeia allatas ſcrinio argenteo intuli, mittamque per Fratrem Humbertum particulam de faſciis B. M. V. quibus inuolutus fuit Saluator mundi in praeſepi, digitum B. Bouici Epiſcopi, & alia. Bardo de Segelſthen apud nos impriſonatus crimina ſua defleuit amariſſime. Spiritualis fraternitas & arctior amicitia inter vos & nos, inter matrem & filiam, pie reſtabilita, multa afferet commoda, caduca & aeterna. Albertus, frater noſter, ex Wittemone Annae ſuae ſymbolum luminis perpetuum S. Vito adſatomauit: ideo beneficium hoc ei fecimus, vt aliquando in cucullo iaceret. Mandaui etiam, vt Monaſterium noſtrum nouae Eccleſiae in omnibus precibus & ſacrificiis omnium veſtrum ſemper memor eſſe velit. An vero quod nuperrime per epiſtolam quaeſiuit reu. V. Paternitas, Germani nonnulli *podagram* (*) coluerint, penitus ignoro. Ego eam cum tota Congregatione diuinae gratiae commendo.

Datum apud caſtrum noſtrum Brunsberg in Wharſo Wiſarach, anno M.CXCVI. in clauſo Paſchae.

No. XCI.

Henrico Comiti de Arnsberg Philippus Colonienſis Archiepiſcopus primum feudum in Weſtphalia vocaturum promittit. Anno 1185. Ex Chartulario veteri Mſct.

PHILIPPVS diuina fauente clementia ſanctae Colonienſis eccleſiae Archiepiſcopus omnibus Chriſti fidelibus. Sicut ad ea, quae pacem & concordiam ſapiunt, ex iniuncto nobis officio tenemur intendere,

*) Vid. Helmold. Lib. I. c. 83. n. 3.

intendere, ita ea, quae pro pace & concordia a nobis pie facta ſunt, ratio exigit, perpetua ſtabilitate confirmari. Proinde notum eſſe volumus, quod, cum Henricus, Comes de Arnsberg, nobis & Eccleſiae Colonienſi ſaepius fideliter deſeruiuiſſet, & praecipue cum in guerra Saxonica, quae fuit inter nos & *HENRICVM Ducem Saxoniae,* grauia damna, & magnos labores, in obſequio noſtro pertuliſſet, feudum Bernardi de Lippia, quod ab eccleſia Colonienſi tenuit, quod & ipſe pro grauamine nobis & eccleſiae noſtrae illato demeruerat, ipſi Henrico Comiti conceſſeramus. Poſtmodum, guerra Saxonica compoſita, iam dictus Bernardus feudum ſuum repetiit; quod negotium cum multo tempore inter Comitem, & eundem Bernardum de Lippia, actitatum fuiſſet, maluimus illud amica compoſitione terminare, & eccleſiae noſtrae hominem reſeruare, quam perpetuam inter eos diſcordiam remanere. Induximus ergo ad hoc Comitem de Arnsberg, vt idem feudum in manus noſtras reſignaret, & nos illud Bernardo de Lippia conceſſimus. In recompenſationem huius feudi de primo feudo, quod nobis ex ea parte, quae reſpicit Weſtphaliam, contingeret vacare, ad annuos reditus 25. marcarum ſaepe dicto Comiti & filiis ſuis nos conceſſuros compromiſimus. Si vero haec promiſſio noſtris temporibus adimpleta non fuerit, ſtatuimus, vt, cuicunque ſucceſſorum noſtrorum primum feudum vacauerit, eam promiſſionem ipſi Comiti adimpleat. Vt autem ea Comiti, & filiis eius, inuiolabiliter obſeruentur, praeſentem inde paginam adnotari, & ſigilli noſtri impreſſione corroborari fecimus.

Teſtes: Bernardus Praepoſitus Suſatienſis.
Piligrimus Decanus.
Gerlacus Canonicus Suſatienſes.
Hermannus Comes de Rauensberg.
Arnoldus Comes de Altena.
Reinerus de Frotzbrecht.
Henricus de Vore.
Hermannus de Rodenberg.
Henricus Niger de Arnsberg.
Elias de Buren, & Bertoldus & Tietmarus fratres eius.
Euerhardus de Ardeia.
Henricus de Volmundeſtein.
Godeſcalcus de Padberg.

Acta ſunt haec anno Dom. incarnat. MCLXXXV. Indictione III.
Regnante Friderico & filio eius Henrico.
Data Suſatiae III. Idus Martii.

No. XCII.

Adelogus Hildenſemenſis Epiſcopus in fundo Henrici Leonis ſacellum in villa Oberge conſtructum confirmat. Anno 1189. Ex autographo.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *ADELOGVS* Dei gratia Hildhemenſis epiſcopus. Commiſſi nobis regiminis tenemur officio, vtilitatibus eccleſiarum a Deo nobis conceſſarum vigilanti conſideratione intendere, & amplificandae domus Dei ſine graui diſpendio earum eccleſiarum, quae ex antiquo conſtructae fuere, operam dare, prout in canone determinatum eſt, ea temperamenti aequitate ſeruata, vt ei, cui confertur, congruum tribuatur ſubſidium, & cui aufertur, grauia dampna non infligantur. Ea propter notum eſſe volumus vniuerſis Chriſti fidelibus, praeſentibus & futuris, quod ex noſtra permiſſione *Capella Obergen* aedificata eſt *in fundo Ducis HEINRICI, accedente ſua voluntate, iusque patronatus ad ipſum ſpectat*, tantumque a *ciuibus* eiusdem villae elaboratum eſt, quod ex noſtra conceſſione in beniuolentia archidiaconi Iocelini & ſacerdotis Hizeli ab eccleſia Monigſtide praedicta Capella cum *ciuibus* praefatae villae exempta eſt quod ad ius baptizandi & funerandi; liberum etiam eis eſt eligere, quem voluerint, ſacerdotem. In recompenſatione autem huius libertatis praefatae matri eccleſiae manſum vnum, in eadem villa Obergen ſitum, dederunt, ſoluentem X. ſolidos ſingulis annis, ad praebendam & vſum ſacerdotis, qui fuerit Monigſtide, & in aedificiis & neceſſariis maiori tenebuntur eccleſiae. Vt autem haec omnia in poſtfutura tempora ſtabilia permaneant & inconuulſa, ſigilli noſtri atteſtatione haec conſignauimus, & tam matri eccleſiae, quam Capellae ius ſuum banni noſtri auctoritate firmauimus.

Teſtes huius rei ſunt:

Berno Decanus.
Bruno Cellerarius.
Praepoſitus Godefridus.
Praepoſitus Ludoldus de ſancta Cruce.
Praepoſitus Eilbertus.
Dominus Letmarus de curia dominorum.
Magiſter Gerungus de ſancta Cruce.
Laici: Lyppoldus de Eſcherte.
Lyppoldus de Stocken.
Eilardus de Illeche.

Erneſtus

Erneſtus Dapifer.

Iohannes de Obergen. Eilardus filius ſuus. Iohannes filius ſuus.

Bernardus de Obergen. Tidericus filius eius.

Edelgerus de Smethenſtide.

Praepoſitus Gerardus de Stiderburg. (*)

Acta ſunt haec, anno Milleſimo C.LXXXVIIII. VI. Kal. Iulii.

No. LXCIII.

Diploma Filiarum Comitis Conradi de Waſſele, quae ſiluam penes Helmſtadium & manſum in Liſpenroth Monaſterio Montis S. Mariae partim vendunt, partim pro anima tradunt. Anno 1189. Ex autographo ſigillato.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Nos due ſorores, *ADELHEIT* & *FRITHERVN*, filie *Comitis CONRADI de WASSELE*, Vicedomini de Hildenesheim. Notum eſſe cupimus tam futuri temporis quam preſentis fidelibus, quod nos, interpellante dilecta *matre* noſtra *ADELHEIDA*, fundum cuiusdam ſilue, penes *Helmenſtat* iacentem, & larem vnum in Lirſpenroht cum X. iornalibus in eodem iure, quo nobis ex patre noſtro, iam praedicto Comite *CONRADO*, hereditario iure ſucceſſerunt, in perpetuum ius ſancte Dei Eccleſie & eius genitricis, que foras ciuitatem eſt Helmenſtat, & dicitur in ſancte Marie Monte, ex parte vendidimus, ad ſoluenda bona noſtra, que in vadimonio fuerunt precipue in Hathebere, & ex parte contulimus pro remedio anime patris noſtri *CONRADI* Comitis, & *aui* noſtri *BERNHARDI Vicedomini*, & vt nos cum dilecta matre noſtra participium habeamus oracionum inibi Deo famulancium, hic & in perpetuum amen.

Acta ſunt hec anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXXVIIII. Non. Iunii, ſecus Hildenesheim, in curte noſtra que dicitur *Henethem*, coram teſtibus:

Bertoldo de Henethen.

Waltero de Waſſele.

Benigo, Canonico maioris eccleſiae in Hildenesheim, Capellanis noſtris.

duobus Comitibus, Heinrico & Burchardo, filiis materterae noſtrae. Heinrico

*) Is ipſe, quo valde familiariter vſus eſt Henricus Leo, & cui debemus hiſtoriam vitae & rerum geſtarum huius Principis non ineleganter ſcriptam, &, quod caput rei eſt, ab omni fuco & adulatione liberam.

Heinrico de Wiringen.
Conrado de Rieten.
Reinholdo Clerico, & fratre ſuo Ottone de Berneberge.
Conrado & Hermanno de Hamersleue.
Hermanno, Heinrico, Gerlago, Walmodo de Kogersdorp, Miniſterialibus.

Appendet ſigillum, in quo apparet vir paludatus ſed capite nudus, qui dextra fraenum equi regit, manu ſiniſtra falconem geſtat. Circumſcriptum: ✠ SIGILL. CWRADI COMITIS. DE EVASSLE.

No. XCIV.

Henrici Leonis bonorum commutatio cum monaſterio Riddageshuſano. Anno 1190.

Ex autographo.

C. In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *HEINRICVS Dux.* Si vtilitatibus ſeruorum Dei de noſtra poſſeſſione haereditaria, vel de bonis noſtrorum miniſterialium, vbicunque ipſorum bona voluntas & iuſta peticio a nobis expoſtulauerit, aliqua ad temporalis emolumenti ſubſidium inpendimus, nobis in aeternae retributionis praemio profuturum ſperamus, & Dei cultoribus ad explenda karitatis & diuinae religionis opera, in augmento ſanctarum virtutum, neceſſarium & magis vtile eſſe credimus. Notum ſit itaque tam futuris quam praeſentibus vniuerſis Chriſti fidelibus, quod, intuitu Dei & perpetuae virginis, petente dilecto domino Abbate Bertrammo in Ritddagishuſen, nec non annuente ſimulque poſtulante fideli noſtro Liudolfo aduocato, vna cum filiis ſuis Balduino & Liudolfo legitimis cohaeredibus ſuis, concambium fecimus de haereditate noſtra, quae beneficium praedicti Aduocati dinoſcitur, in decem manſis & dimidio in Vffinleiue, & Alogothisthorph, de quibus manſis in Vffenleiue VII. ſunt & dimidius; in Alogothiſthorp tres habentur. In commutatione huius concambii nos recepimus de praefato Monaſterio ſanctae & perpetuae virginis Mariae in Huunsleiue V. manſos & dimidium; in Winnigſtide quatuor & dimidium; in Nenthorp dimidium, & eosdem manſos aduocato dimiſimus in beneficio. Idem in noſtra praeſentia aduocatus de haereditate propria fecit concambium cum praetaxato domino Abbate, in Vffeleiue ad tres manſos & dimidium, & in Alogothiſthorph in quatuor manſis. Pro hac commutatione aduocatus recepit duos manſos in Begerſtide, in Wobyke

ke manſum & dimidium, & hic manſus & dimidius pro ſolo tantum computatur in concambio. In Wattinſtide duos & dimidium. In Weuerlingen duos. In his vero, quae ex noſtra haereditate commutata ſunt, ad noſtram haereditatem in commutationem praeferuntur duo manſi & dimidius in Thimerbere, duo in Sichere & dimidius. Item aduocato in commutationem ſuae haereditatis praeferuntur in concambio duo manſi & dimidius in Daleheim eiusdem aduocati. Vt autem haec facta commutatio vtrobique rata & inconuulſa permaneat, teſtibus aſſcriptis, huius rei firmamentum, ſigilli noſtri impreſſione roborari iuſſimus.

Teſtes hii ſunt:

Hartmannus Abbas ſancti Aegidii.
Dauid Praepoſitus in Liubyke.
Balduinus Capellanus curiae, & ſancti Blaſii Canonicus.
Magiſter Ekbertus.
Frithericus de Veltheim, Canonicus.
Iohannes de Obergin.

Laici hii ſunt:

Cuonradus de Rothen.
Liudolfus de Hagin, liber & nobilis.
Iordanis Dapifer.
Heinricus de Scordirſtide, Dapifer.
Heinricus de Rolſtide.
Rotherus de Veltheim, & alii quam plures.
Willehelmus de Folmare.

Acta ſunt haec anno incarnationis Dominicae M°. C°. Nonageſimo.
Data in Sceningen, per manum S. Notarii.
S. Bertoldus de Carsbik.

No. XCV.

Marquardus Abbas Fuldenſis commutationem Edelgeri de Ilefeld cum Walckenriedenſibus initam ratam habet. Anno 1155. Ex Schannat. Tract. de clientel. Fuldenſ. Beneficar. inter Probat. p. 202.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Ego *MARQVARDVS* gratia Dei Fuldenſis Abbas notum facio poſteritati futurae, quod Fratres de *WALKENREDE*, conſenſu meo & voluntate, paludem quandam in Heringen, virgultis & arbuſtis obſitam, quae ad Fuldenſem eccleſiam ſpectabat, Ludouico Landgrauio inbeneficiatam, cum

EDELGERO de *ILFELT*, qui ipſam beneficiali iure ab eodem Lantgrauio ſuſceperat, praediis ſuis, quae in Werthere & Weſungen poſſederant, permiſſione ſaepe dicti Landgrauii cambiuiſſe, & ſic quieta poſſeſſione mutans (lege *mutatis*) praediis, vtramque Eccleſiam bona ſibi conceſſa in vſus ſuos redegiſſe: haec noſtra authoritate rata eſſe volumus & ſigilli noſtri impreſſione corroborata.

Acta ſunt haec Anno Domini MCLV. coram his teſtibus:

Lantgrauio Ludewico.
Comite Ludewico de Lare.
Sigebodone de Scartfelt, cum filio ſuo eiusdem Nominis.
Friderico de Bichelingen.
Friderico de Kircberg.
Godefrido de Lingenhagen.
Bobbone de Blankenheim cum filiis ſuis, & aliis multis.

No. XCVI.

Teſte Edelgero Comite de Honſtein Bertoldus Epiſcopus Nuenburgenſis confirmat Walkenriedenſibus bona, a Praepoſito ſuo ipſis vendita. Anno 1197.

Ex authentico Mſct.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *BERTOLDVS* Dei gratia ſanctae Nuemburgenſis Eccleſiae Epiſcopus, omnibus ad quos praeſens pagina peruenerit in perpetuum. Notum eſſe volumus, quod temporibus Domini Dithmari, Abbatis in Walkenrede, de conſenſu noſtro & Capituli ſancti Mauricii in Nuemburc, Praepoſitus eiusdem capituli Reinhardus monachis de Walkenrede nouem manſos & dimidium in Merbeche, & XIII. & dimidium in Nore, nouem in Heinrode, vnum in Magedon, pro certa pecunia vendidit, videlicet CC. marcis & vna, qui tunc ſoluebant IX. talenta monetae de Northuſin. Nos ergo venditionem ab eo factam ratam habentes, praedicto Abbati praefata bona cum praememorato Praepoſito, praeſentibus Canonicis Eccleſiae noſtrae Nuenburgenſis, & Miniſterialibus noſtris quam plurimis, in Burgwardo *Cuſcbburk*, vbi tunc pro negotiis Imperii nos & Principes, videlicet Euerhardus Merſeburgenſis Epiſcopus, Thimo Bauenbergenſis tunc electus, *Dux de MERAN*, Marchio Cunradus de Luſiz, & plures liberi & Eccleſiarum Miniſteriales conueneramus, donauimus, hac cauſa inducti, quod iam dictus Praepoſitus ab Eccleſia de Cruceberk, cum conſenſu Herſueldenſis Abbatis, praedium Eccleſiae ſuae plus expediens comparauit cum pecunia, quam a Monachis de Walkenrede recepit,

pit, & inſuper LX. & IIII. marcas de pecunia Eccleſiae ſuae adiecit, videlicet XI. manſos in Ekkeſtede & molendinum & areas cum paſcuis & pratis. In Vipeche VIII. & dimidium. In Bacheſtede VII. & dimidium, quae omnia tunc ſoluebant XIIII. libras & dimidium & IIII. ſolidos Erfordienſis monetae. Quia igitur contractus, qui rationabiliter inter Eccleſias & Monaſteria fiunt, conuenit irrefragabiliter conſeruari, ne per conſequentia temporum poſteris noſtris poſſit venire in quaeſtionem & in dubium; vtile duximus rationabile factum Walkenredenſis Eccleſiae & beati Mauricii in Nuenburc ſcripto commendare, & impreſſione ſigilli noſtri roborare, & teſtes idoneos adhibere.

Adhibuimus itaque teſtes huius rei:

Euerhardum Merſeburgenſem Epiſcopum,

Thimonem Bauenbergenſem Electum.

Hartmannum maioris Eccleſiae Nuembergenſis Praepoſitum.

Conradum Scholaſticum. Wolkwinum Cuſtodem Canonicos.

Ottonem de Lobdeburc. Gerlagum de Heldrungin Canonicos S. Mauricii.

Sacerdotes: Adolphum, Gebehardum, Criſtanum.

Laicos: Hermannum Landgrauium & Saxoniae Palatinum.

Cunradum Marchionem de Luſiz.

Liberos: Luodwicum Comitem de Lare.

Edelgerum Comitem de Honſtein.

Albertum de Drouzc.

Miniſteriales noſtros: Hugonem de Hukkenwalde. Luodewicum de Croſzuc. Rudolfum de Bunowe.

Acta ſunt haec anno ab incarnatione Domini Milleſimo, Centeſimo XCVII. Indictione XIIII. Epactis XVIII. Concurrente I. VII. Idus Auguſti. Pontificatus noſtri anno duodecimo. Regnante glorioſiſſimo Imperatore Henrico.

No. XCVII.

Coeleſtini PP. III. priuilegium pro Henrico Leone & filiis eius, ne qua excommunicari poſſint niſi a ſummo Pontifice vel Legato eius a latere. Anno 1191.

Ex autographo. (*)

COELESTINVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio, Nobili Viro, *HENRICO Duci* &c. ſalutem & apoſtolicam benedi-

*) Cum aditus ad Tabularium commune Sereniſſimae Domus nuper nobis conceſſus inter

benedictionem. Si aliquando fidelium omnium mater, Romana videlicet Eccleſia, cuiquam Principum, quem puram ſemper erga ſe deuotionem habuiſſe recolit, aliquid praerogatiuae clementiae indulget; quod eam decet, exſequitur, nec alicui videri graue debet aliquatenus, vel abſurdum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis iuſtis precibus inclinati, & feruorem deuotionis, quam erga praedeceſſores noſtros hactenus habuiſti, & ad perſonam noſtram ſpecialiter habere dinoſceris, attendentes, ne cuilibet paſſim liceat te per eccleſiaſticam ſententiam temere praegrauare, nobilitati tuae de benignitate Sedis apoſtolicae indulgemus, ne quis in perſonam tuam, vel perſonas filiorum tuorum, excepto Romano tantum Pontifice, vel legato ſpecialiter ab ipſius latere deſtinato, niſi de ſpeciali forte mandato noſtro, ſeu illorum, qui nobis ſucceſſerint, excommunicationis ſententiam audeat promulgare, niſi forte talis exceſſus fuerit, qui ex ipſo facto poenam excommunicationis inportet. Quodſi aliqua forte fuerit laeuitate praeſumptum, ſententiam talem, velut in contemptum Sedis Apoſtolicae latam, decernimus non tenere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam indulgentiae noſtrae infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praeſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Datum Romae apud ſanctum Petrum. Non. Auguſti. Pontificatus noſtri anno primo.

No. XCVIII.

Eiusdem Coeleſtini III. bulla pro Fratribus Vallis Sanctae Mariae ad Helmſtadium. Anno 1191.

Ex autographo.

C*OELESTINVS* Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis, Abbati & Conuentui monaſterii Vallis ſancte Marie, Ordinis Ciſtercienſis profeſſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis

nter plura alia genuinae vetuſtatis monumenta etiam Chartam hanc nobis exhibuerit, iuxta authenticum exemplar eam quam curatiſſime in aere deſcribi curauimus, atque in auerſa pagina (Tab. XXVI.) Lectori exhibemus. Plura huius generis egregia diplomata, quae rerum harum ſtudioſis gratiſſima fore arbitramur, iam Calcographi induſtriam exercent, cum Tomo IV. propediem, ſi Deo placet, proditura.

bis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit racionis, vt id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in domino filii, veſtris iuſtis poſtulationibus annuentes, monaſterium veſtrum cum omnibus, que in preſenciarum racionabiliter poſſidet, vel in futurum iuſtis modis patrocinante domino poterit adipiſci, ſub beati Petri & noſtram protectionem ſuſcipimus; ſpecialiter autem poſſeſſiones inferius annotatas, ſicut eas iuſte & ſine controuerſia poſſidetis, vobis & per vos eidem monaſterio auctoritate apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Inprimis curtem Brandesleue cum ſuis appendiciis; ſiluam eidem curti contiguam, quam commutaſtis cum illuſtri femina Regilinda, & filio eius Geuehardo compromittente. Ex dono nobilis viri Teoderici de Sunnebeke agrum, eidem curti contiguum, & decimam eius. In villa Kiſelinge tredecim manſos; ſeptem in vſus fratrum, & ſex ad eccleſiam in eadem villa ſitam primitus ex dono nobilis Principis, *ADELBERTI* Palatini, deinde Wichmanni Magdeburgenſis Epiſcopi. Ex dono Comitis Frederici & fratrum ſuorum de Amuordesleue octo manſos: quatuor in maiori Amuordesleue, tres in minori, & vnum in Eueringe. Ex dono *LVCHARDIS* Comitiſſe manſum & dimidium in villa, que dicitur Grasleue. Ex dono Conradi de Holdenſtidde in villa, que dicitur Criſpenrod, dimidium manſum. In villa, que dicitur Winienſtede, dimidium manſum precio conparatum. In villa, que dicitur Vppenrod, dimidium manſum. Ex dono nobilium virorum Ottonis & Friderici de Harbiche aream vnam in Rodensleue. Ex dono nobilis femine Wille manſum vnum in villa, que dicitur Memenich. In minori Rodensleue manſum vnum, oblatum pro Ottone de Grinde. Pro Hinrico de Drenleue dimidium manſum in villa, que dicitur Remkeleue. In minori Sigersleue manſum vnum precio conparatum. In villa, que dicitur Mammendorp manſos & molendinum vnum, empta ab Henrico de Neyndorp. Saltum vnum ab Rimone conparatum. Ex dono Gertrudis de Amuordesleue dimidium manſum in Brandesleue. Ex dono nobilis viri Hilbrandi de Sehuſen dimidium manſum in Brandesleue. In villa que dicitur Hogendorp octo iugera ex dono Adelradi pro patre ſuo. In ciuitate Helmſtat quasdam curtes & quasdam areas tam dono, quam empcione conparatas. In ciuitate Magdeburgenſi quasdam areas tam dono, quam empcione acquiſitas. Sane laborum veſtrorum, quos propriis manibus aut ſumptibus colitis, tam de terris cultis, ſiue de nutrimentis animalium veſtrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere preſumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre pro-

tectionis, confirmacionis & conſtitucionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignacionem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Rome apud ſanctum Petrum II. Kalendas Februarii. Pontificatus noſtri anno primo.

No. XCIX.

Compoſito inter Henricum VI. Imperatorem & Richardum Angliae Regem, vi cuius Rex, ſoluta ſtipulata pecunia, cuius ſumma diminuitur, ſi Henrico Leoni quies ſuadetur, e carcere dimittitur. Anno 1193.

Ex Rymer. Actis Anglic. T. I. p. 84.

In nomine Patris & Flii & Spiritus Sancti Amen. Haec eſt forma compoſitionis inter Dominum Imperatorem ſemper Auguſtum, & Dominum Richardum illuſtrem Regem Angliae. Dominus Imperator mittet nuncios ſuos cum nunciis domini Regis, qui Londonias ibunt, & ibi recipient centum millia marcarum puri argenti ad pondus Coloniae, quae pecunia, a nunciis Imperatoris accepta & ponderata, ſigillabitur in praeſentia nunciorum ipſius, & in conductu Regis per regni ſui terminos ducetur, ita vt, ſi eam in regno ſuo perdi contigerit, periculo Regis perdatur. Poſtquam vero ad terminos Imperii venerit dicta pecunia, per nuncios Regis nunciis domini Imperatoris praeſentabitur, qui eam illico ibi recipient, &, ſi forte in partibus Imperii eam perdi contigerit, periculo Imperatoris perdetur, & Rex in ea non tenebitur, nec obſides ſui. Alia quoque quinquaginta millia marcharum argenti dabit Rex Imperatori & Duci Auſtriae, & pro illis ponet obſides, ſcilicet domino Imperatori pro triginta millibus marcarum ſexaginta obſides; Duci vero Auſtriae ſeptem obſides pro viginti marcharum millibus. Solutis ergo centum millibus marcharum, & datis obſidibus Rex libere recedet. Si autem dominus Rex ſoluerit promiſſionem, quam domino Imperatori de *HENRICO* quondam *Duce Saxoniae* fecerat, Imperator de quinquaginta millibus marcharum Regem liberum dimittens & abſolutum, pro ipſo Rege ſoluet Duci Auſtriae viginti millia marcharum, & Rex non tenebitur dare Duci Auſtriae ſeptem obſides, nec Imperatori ſexaginta. Cum igitur Rex praedictam promiſſionem de *HENRICO* quondam *Duce Saxoniae* impleuerit, & centum millium marcharum ſoluerit, libere recedet. Praeterea Rex fecit iurare in animam ſuam, quod neptem

neptem ſuam, filiam Comitis Britanniae, tradet nuptui filio Ducis Auſtriae infra ſeptem menſes, poſtquam liberatus fuerit, & in terram ſuam redierit, & eam transmittet vsque ad introitum Imperii, ſi eam recipere voluerint; & ſi noluerint, erit abſolutus. Item ſi promiſſio de *HENRICO* quondam *Duce Saxoniae* completa non fuerit, quinquaginta millia marcharum, quae reſiduae ſunt, ſoluentur infra ſeptem menſes, poſtquam Dominus Rex in terram ſuam redierit. Cum autem Rex liberatus fuerit, & redire voluerit, Imperator dabit ei conductum per terram ſuam vsque ad fines Imperii ſui, & in portu illo, vbi mare intrabit, quam diu ibi ſtabit, donec proſpero vento recedat. Praeterea ea omnia, quae tam in his, quam in aliis familiaribus litteris, ſigillatis ſigillis Imperatoris & Regis, ſuper contractibus inter eos ordinata ſunt, vterque pro parte ſua rata & firma habebit, & bona fide obſeruabit.

No. C.

Richardus Angliae Rex Cantuarienſi Archiepiſcopo ſignificat, Spirae ſe Regem Prouinciae coronatum iri. Anno 1193. Ex Rymer. l. c. T. I. p. 83.

RICHARDVS Dei gratia, Rex Angliae & Dux Normanniae & Aquitanniae, & Comes Andegauiae, venerabili Patri in Chriſto, & amico chariſſimo, Huberto, eadem gratia Cantuarienſi Archiepiſcopo, ſalutem, & ſincerae dilectionis plenitudinem. Quoniam certi ſumus, quod liberationem noſtram plurimum deſideratis, & quod liberatio noſtra admodum vos laetificat; idcirco volumus, quod laetitiae noſtrae participes ſitis. Inde eſt, quod dilectioni veſtrae dignum duximus ſignificare, Dominum Imperatorem certum diem liberationis noſtrae nobis praefixiſſe, in diem Lunae proximam poſt viceſimum diem natalis Domini, & die Dominica proxime ſequenti coronabimur de regno Prouenciae, quod nobis dedit. Vnde mittimus in Angliam literas Domini Imperatoris ſuper his patentes vobis, & ceteris amicis noſtris, & beneuolis. Vos autem interim pro omni poſſe veſtro, quos ſcitis nos diligere, conſolari velitis, & quos ſcitis promotionem noſtram deſiderare.

Teſte me ipſo apud Spiram 22. die Septembris.

No. CI.

Henricus VI. Imperator Angliae Magnatibus Regis Richardi liberationem & inſtantem coronationem de regno Prouinciae ſignificat. Anno 1193.

Indidem p. 84.

HENRICVS Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus, dilectis ſuis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, Baronibus, Militibus, & vniuerſis aliis fidelibus RICHARDI, illuſtris Regis Angliae, gratiam ſuam & omne bonum. Vniuerſiti veſtrae duximus intimandum, quod dilecto amico noſtro RICHARDO, illuſtri Regi Anglorum, domino veſtro, certum diem liberationis ae ſtatuimus a ſecunda feria poſt diem Natiuitatis Domini, in tres ſeptimanas, apud Spiram, ſiue apud Wermaciam, & inde, in ſeptem dies oſuimus ei diem coronationis ſuae de regno Prouenciae, quod ei proiiſimus; & hoc certum habeatis & indubitatum. Noſtri ſiquidem ropoſiti eſt & voluntatis, praefatum Dominum veſtrum, ſicut amicum oſtrum ſpecialem, promouere & magnificentius honorare.

Datum apud Geallusam (*Gelenhuſam*) vigilia beati Thomae Apoſtoli.

No. CII.

Philippus Auguſtus Galliarum Rex Ingeburgi, nouae nuptae, dotalitium conſtituit. Anno 1193.

Ex Baluz. Miſcell. T. VII. p. 245.

PHILIPPVS &c. Notum &c. quod nos EGEMBVRGI, nobiliſſimae cariſſimi noſtri Regis Daciae ſorori, quam per Dei gratiam ducimus in vxorem, donamus in dotalicium, quicquid ertinet ad praepoſituram Aurelianenſem & Checiacum & Caſtrum nouum : Nouillam. Quod vt perpetuam obtineat firmitatem &c.

Actum Ambianis anno Domini MCXCIII.

No. CIII.

Ingeburgis Reginae Francorum epiſtola ad Coeleſtinum PP. III. Anno 1195. Ex Baluz. Miſcell. T. I. p. 422.

INOPINATI doloris anxietas me compellit exordium vobis proponere doloroſum, in gemitu cordis veſtro apoſtulatui mea grauamina flebiliter

liter enarrare. Iam enim triennium eſt elapſum, quod Rex Franciae me in aetate nubili deſponſauit, & mihi, prout naturalis ordo requirit, debitum reddidit maritale. Poſtmodum vero, inſtigatione diabolica & quorundam malitioſorum Principum perſuaſione ſeductus, filiam Ducis S. ſuperinduxit & retinet pro vxore; me vero in quodam caſtello incarcerari praecepit, vbi ſic proſcripta dego, quod ad coelum leuare oculos non audeo, neque poſſum. Nullam allegat praeterea parentelam, nullamue cauſam alicuius exceſſus, pro quo ab illo debeam ſeparari, ſed facit de voluntate decretum, de pertinacia legem & de voluptate furorem. Doleo quidem, & non triſtari non poſſum, qui panem comedo cum dolore, & potum cum lacrymis aſſidue permiſcere compellor, & non pro me tantum, ſed etiam pro Rege, qui ...... orthodoxae fidei, Chriſtianis & vniuerſis de regno ſuo exemplum tribuit malignandi. Proh dolor! ſpernere veſtrae ſanctitatis litteras non formidat, audire Cardinalium iuſſa recuſat, Archiepiſcoporum & Praeſulum dicta contemnit, & admonitiones religioſorum quorumlibet aſpernatur. Ego autem quid dicam & quid faciam, ex toto ignoro, quoniam innumerabilibus anguſtiis circumuenior. Vnde niſi veſtra miſericordia mihi miſereri dignetur, morti ſuccumbam in proximo temporali.

No. CIV.

Forma, in qua conſulit Dominus Papa (Innocentius III.) de diuortio celebrando. Anno 1198.

Ex Baluz. Miſcell. T. VII. p. 245.

DOMINVS Papa conſulit, vt vtramque cauſam praetendat, ſcilicet cauſam affinitatis & maleficii. Vnde ſi in cauſa affinitatis Regina teſtes producere noluerit, Domino Papae placebit. Sed ſi voluerit producere teſtes, non poterit ei denegare. Nec propter hoc timeat Dominus Rex, quia illos teſtes faciet Papa recipi per ſuum procuratorem. Nec cauſetur Rex moram, quia modo maior mora eſt propter timorem. In cauſa maleficii ſic parcit Dominus Papa Domino Regi, quia, ſi Rex in animam ſuam iurare fecerit, quod Reginam cognoſcere tentauit, & non cognouit, & ob aliam cauſam eam principaliter exoſam non habet, credetur Regi, ſi Regina non iuret, ſe fuiſſe cognitam, & quod non iuret Dominus Papa credit eam de facili poſſe induci. Vnde ſi Rex timet, quod contra eum feratur ſententia de praedictis, poterit differri, ne feratur ſententia. Et tunc Rex erit in eo

Digitized by Google

iuncto, in quo modo eſt. Vnum quid eſt, in quo Dominus Papa non poſſet parcere Domino Regi, quin tentaret iterum eam cognoſcere, quia huiusmodi maleficia per orationes abolentur.

No. CV.

Rex Philippus Landgrauio Thuringiae promittit, ſe filiam eius ducturum, ſi eum apud Pontificem a Regina Ingeburge liberare poſſet. Anno 1210. Indidem.

HAEC eſt conuentio, quam fecimus iurari in animam noſtram, quod nos filiam Landegraui Turingiae accipiemus in vxorem, niſi ita eſſet indecens, quod nobis diſpliceret, ſi dictus Landegrauus procuraret erga Dominum Papam, quod diuortium celebraretur inter nos & I. Reginam, vxorem noſtram, vel niſi ei tantum daremus de pecunia noſtra, quod quitaret nos de hac conuentione.

Actum Pariſius anno Domini MCCX. menſe Nouembri.

No. CVI.

Henrici VI. Imp. confirmatio priuilegiorum Monaſterii ad Leones Brixienſis, raris teſtibus munita, & in his Henrico, Henrici Saxoniae Ducis filio. Anno 1194. Ex Murator. Antiq. Ital. T. I. p. 843.

IN nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *HENRICVS Sextus* diuina fauente clementia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus. Si Eccleſiarum Dei vſibus proſpicimus, ad eterne vite meritum & proſperiorem temporalis glorie decurſum nobis proficere credimus. Quocirca omnium Sancte Dei Eccleſie, Imperiique noſtri fidelium, preſentium ſcilicet ac futurorum, nouerit vniuerſitas, qualiter dilectus noſter *Gunterius*, venerabilis Abbas Monaſterii Domini Saluatoris & Sancti Benedicti, quod per *Deſiderium* Regem Lombardorum in territorio Brixiano conſtat eſſe fundatum, in loco, qui dicitur *Leones*, aſſumptis ſibi pluribus interceſſoribus, preſentauit noſtris obtutibus Precepta Predeceſſorum noſtrorum Regum & Imperatorum, videlicet *Caroli*, *Lodowici*, *Berengarii*, *Hugonis*, & *trium Ottonum*, atque *Henrici*, & *Friderici*, que eidem ſancto & venerabili loco ab eiſdem conceſſa & confirmata ſunt, petens & ſuppliciter poſcens, vt, ob amorem Dei, ea omnia inuiolata ſtatuere, atque Precepti noſtri auctoritate confirmare & corroborare

borare dignaremur. Cuius precibus, ob diuine remunerationis premia, clementer acquieſcentes, hanc noſtre auctoritatis paginam perenniter & immutabiliter obſeruandam fieri iuſſimus, per quam omnia, que iam dicto Leonenſi Monaſterio quocumque auctoritatis modo collata fuerint, & ea omnia, que hic ſubter annotantur, abſque cuiusquam inquietudine vel diminutione prefato *Gunterio* Abbati eiusque ſucceſſoribus, cunctisque Fratribus in iam dicto loco Deo famulantibus confirmamus & corroboramus, atque integerrime largimur. Id eſt Monaſterium cum ſuis adiacentiis, cum Baptismali Eccleſia Sancti Iohannis, cum omnibus eidem Monaſterio pertinentibus in ſummo Lacu, in Vignole, ... Omnia igitur hec ſuperius inſerta, & per Precepta Predeceſſorum noſtrorum tradita & confirmata, iuſte & legaliter acquiſita vel acquirenda, perpetua ſtabilitate concedimus prefato Monaſterio poſſidere, habere. Preterea ſi aliquid eſt, vel inueniri poteſt tam in circuitu eiusdem Cenobii, quamque aliorum ſupra nominatorum locorum ad ipſum pertinentium, quod ad Regale ius, defitientibus olim hereditariis ſucceſſoribus, deuenerit, eidem Cenobio, ob anime noſtre remedium, noſtra preceptali donatione & largimur & confirmantes roboramus. De ſeruis vero & ancillis, ipſi loco a ſuo conditore in ſeruitium Monachorum Deo ſeruientium inibi traditis, qui ſuos filios vel filias, occaſione alienandi eos vel eorum filios a ſeruitio, liberis coniugio tradunt, aut e contra ſuſcipiunt, conſtituimus & firmamus, vt, iuxta quod in predeceſſorum noſtrorum Regum & Imperatorum (Priuilegiis) conſtitutum habent, ſiue de paterna, ſeu de materna generatione deſcendunt, nullatenus a famulatu diſcedant, ſed in perpetua ſeruitute permaneant, & in ſuorum parentum, ſeruorum ſcilicet, conditione perdurent. Statuentes itaque iubemus, vt nulla Imperii noſtri magna paruaque perſona preſcripti Monaſterii Abbatem de omnibus prenominatis moleſtare vel diſueſtire ſine Imperiali iudicio audeat, aut liberos, vel famulos in terra Abbatie locatos aliqua publica functione diſtringere, vel inquietare, & infra Abbatiam placitare preſumat; ſed liceat ipſius Monaſterii Abbati habere & ordinare Aduocatum quemcunque ſibi, vel prefato Cenobio fidelem eſſe perſpexerit, & ipſi Aduocato data licentia ab Abbate liceat ſuos mittere, qui duellum & ſacramentum valeant facere: hominesque eiusdem Monaſterii nullas redditiones aut publicas excubias ſiue angarias, ſeu exſtructiones murorum perſoluere, aut pontium nouorum vel veterum ſtructuras facere, vel renouare compellantur. Ad hec concedimus, vt liceat Abbati omnes res eiusdem Monaſterii per furtum, vel pignore, aut alio aliquo infortunio perditas, per tres ſacramentales recuperare, & ſine vllius contradictione

 tenere.

tenere. Annullamus etiam omnes ſcriptiones, videlicet libellarias, precarias, commutationes, quas contra iuſtitiam & vtilitatem ipſius loci Abbas eiusdem Monaſterii viderit eſſe factas. Inſuper ſtatuimus, vt in repetendis illius Eccleſie poſſeſſionibus nulla temporis niſi *centum annorum preſcriptio* Abbati & Fratribus eiusdem Cenobii queat obſiſtere tam in preteritis, quam in futuris; & vt ipſi ſe *quadraginta annorum preſcriptione* contra quemlibet impetentem poſſint tueri. Ex clementi etiam benignitate noſtra indulgemus & remittimus ſacramenti calupniam (iuramentum calumniae) Abbati predicti Monaſterii, & Fratribus eorumque ſucceſſoribus in omnibus Eccleſie ſue negotiis, ſiue agant, ſiue conueniantur. Si quis igitur, quod abſit, huius noſtri Precepti violator exiſterit, componat auri puriſſimi libras mille: medietatem Camere noſtre, & medietatem prefato Monaſterio. Quod vt verius credatur, diligentiusque ab omnibus obſeruetur, preſentis Priuilegii paginam fecimus inde conſcribi, & maieſtatis noſtre ſigillo roborari. Huius rei teſtes ſunt:

Lanfrancus Pergamenſis Epiſcopus.
Oda Nouarienſis Epiſcopus.
Arditio Placentius Epiſcopus.
Vbertus Bobienſis Epiſcopus.
BONEFACIVS Marchio Montisferrati.
PHILIPPVS frater Domini Imperatoris.
HENRICVS, filius Henrici Ducis Saxonie. (*)
Robertus de Durne.
Hartmanus de Butingen.
Blickerus de Steina.
Walterus de Eichelberch.
Marquardus Dapifer.
Cunradus de Smideuelt.
Hildebrandus Marſcalcus, & alii quam plures.

Signum Domni Imperatoris



Henrici Sexti Romanorum inuictiſſimi.

Ego Siglous Imperialis Aule Cancellarius, vice Domini Adolfi Colonienſis Archiepiſcopi, & totius Italie Archicancellarii, recognoui.

Acta

(*) Memorabilis titulus, quo certiſſime euincitur, Henrico Leoni Ducatum Saxoniae valide ereptum fuiſſe numquam. Ecqui enim filius eius alias praeſente Imperatore patrem ita ſalutare auſus eſſet?

Acta ſunt hec Anno Incarnationis Dominice MCXCIV. Indictione XII. Regnante Domino Henrico Sexto Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, Anno Regni eius XXIV. Imperii vero III.

Datum apud Placentiam per manus Alberti Imperialis Aule Prothonotarii, III. Nonas Iunii.

(*Signum bullae pendentis deperditae.*)

No. CVII.

Henricus Leo vnacum filio primogenito, Henrico, Walckenriedenſibus proprietatem bonorum a vaſallis ſuis eis venditorum concedit. Anno 1191.

Ex authentico Mſct.

C. In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *HEINRICVS Dux, vna cum filio ſuo HEINRICO.* Quoniam de bonis temporalibus & tranſitoriis, quae hereditaria ſucceſſione & ex nobili progenitorum noſtrorum proſapia poſſidemus, aeternae nobis vitae praemia a Deo donari credimus, ſi ea Chriſti fidelibus ad vſus cottidianos inpendere curamus; idcirco nos vniuerſis Dei famulis, vbicumque ipſorum iuſtum & ſanctum deſiderium ita expoſtulat, in rebus neceſſariis ſubuenire volumus, vt Deus, qui eſt totius boni principium ac finis, crimina delictorum in nobis deleat, & in futuro ſortem electorum nobis conferat. Notum ſit itaque tam futuris, quam praeſentibus vniuerſis Chriſti fidelibus, quod noſtri miniſteriales de *Medeheim*, tres fratres, Othrabanus, Liudolfus, & Heinricus, acceptis XX. & VIII. marcis argenti a Domino Thietmaro, venerabili Abbate in Walkinrethe, & ab vniuerſis eiusdem Eccleſiae dilectis Dominis & fratribus, de bonis ſuis noſtro aſſenſu vendiderunt manſum & dimidium, cum pratis & paſcuis attinentibus, ſitis eisdem bonis in dominicali Eccleſiae *Kinderothe*, ad contiguam Parrochiae villam Nore. Vt itaque per ſuccedentia tempora huius facti haberetur memoria, petente tota Eccleſia praedictorum fratrum in Walkinrethe, praedicta noſtrorum bona miniſterialium ſanctae & perpetuae virgini Mariae donauimus, quatinus pro hac temporali hereditate diuina retributionis conſequamur praemia, donationem hanc ſolempnem ſcripto pariter & ſigillo noſtro eidem Eccleſiae & fratribus perpetuo confirmantes, in omnibus his, & ante omnia ſtatuentes, ne quis heredum noſtrorum ex poteſtate ſeculari, qua fruitur in bonis collatis, praefatum ſanctae Mariae Monaſterium inquietare praeſumat.

Huius rei teſtes hii ſunt:

Hartmannus Abbas S. Aegidii.

Bertrammus Abbas in Riddagishuſen.

Gerhardus Praepoſitus S. Apoſtoli (Iacobi) in Stidereburc.

Anſelmus Praepoſitus maioris Eccleſiae in Halberſtat.

Iohannes Praepoſitus Fridislarienſis & Embycenſis Eccleſiae.

Dauid Praepoſitus Liubycenſis.

Balduwinus Capellanus & Canonicus.

Laici: Bernhardus de Lippia.

Bernhardus de Wilepa.

Comes Conradus de Rothin, ſenior & iunior.

Comes Conradus de Poppinburch.

Liudolfus Comes de Waltingerothe.

Liudolfus de Hagin.

Iordanis Dapifer.

Heinricus Dapifer.

Willehelmus de Volckmarrothe.

Rotherus de Veltheim, & alii quam plures.

Helmoldus de Pleſſe vnus teſtium.

Acta ſunt haec anno incarnationis Dominicae MC. nonageſimo I. Indictione VIIII. Regnante Imperatore Heinrico, huius nominis ſexto.

Data in Bruneſwich, ad S. Blaſium, VIII. Idus Iunii.

Appendet ſigillum, in quo ſiſtitur Leo gradiens: circum: HEINRICVS DVX.

No. CVIII.

Conuentio inter Philippum Regem Franciae & Richardum Regem Angliae Meſſanae facta, & a Comite Pertici firmata. Anno 1191. Ex Rymer. Act. Angl. T. I. p. 69.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis, Amen. *PHILIPPVS* Dei gracia Francorum Rex. Nouerint vniuerſi, praeſentes pariter & futuri, quod pax firma inita eſt inter nos, & amicum, & fidelem noſtrum, & fratrem, *RICHARDVM*, illuſtrem Regem Angliae, & ipſe pacem firmauit nobis ſacramento in hunc modum. Praedicto Regi bono corde & bona voluntate concedimus, quod a modo libere, quamlibet voluerit, ducat vxorem, non obſtante illa conuentione inter nos & ipſum facta de ſorore noſtra *Aelois*, quam debebat ducere in vxorem.

Praeterea

Praeterea quitauimus ei & haeredibus ſuis maſculis, ex eo & vxore ſua deſponſata naſcituris, & viuentibus poſt deceſſum Regis Angliae, & terram tenentibus, Giſortium & Melpham & nouum caſtellum de Sancto Dioniſio, & Mulcaſium Normannum cum pertinentibus ſuis. Et ipſe nobis conceſſit, quod ſi eum mori contingeret ſine maſculo haerede ex eo & vxore ſua deſponſata, tam cito Giſortium, & Melpham, & nouum Caſtellum, & Mulcaſium Normannum cum pertinentiis ſuis ad nos vel haeredes noſtros maſculos, ex nobis & vxore noſtra deſponſata, reuenient. Et ſi nos mori contingeret ſine maſculo haerede ex nobis & vxore noſtra deſponſata, viuente poſt deceſſum noſtrum, & terram tenente, volumus, quod Giſortium, & Melpha, & Nouum Caſtellum, & Mulcaſium Normannum cum pertinentiis ſuis ad dominum Normanniae reueniant. Et, ſi Rex Angliae haberet duos haeredes maſculos, aut plures, voluit & conceſſit, vt maior natu teneat in capite a nobis totum id, quod debet tenere a nobis citra mare Angliae; & alius vnam ex Baroniis tribus tenebit a nobis in capite, videlicet dominium Normanniae, aut dominium Andegauiae & Cenomanniae, aut dominium Equithaniae & Pictauiae. Et propter haec ſupradicta donauit nobis praedictus Rex Angliae decem millia marcas argenti, ad pondus Trecenſe; quarum tria millia ſoluet nobis, vel nuncio noſtro certo, in proximo feſto omnium Sanctorum apud Caluum montem: & alia tria millia in alio feſto omnium Sanctorum: & duo millia in tertio feſto omnium Sanctorum: & alia duo millia in quarto feſto omnium Sanctorum. Praeterea concedimus & conceſſimus, quod de omnibus feodis, quos praedeceſſores ſui a noſtris tenuerant, homo noſter ligeus eſt, ſicut praedeceſſores ſui fuerant praedeceſſorum noſtrorum, & nos recepimus in hominem ligeum de praedictis feodis. Ipſe autem quitauit nobis feodum Exondini, & feodum Cracaii cum omnibus pertinentiis, & quicquid habebat, & quicquid expectabat habendum in Aluernia, tam in feodo, quam dominio ſuo. Nos autem quitauimus ei Caturcum & Caturcin integre cum pertinentiis ſuis, exceptis duabus Abbatiis regalibus, videlicet Fiſiaco & Sellaco cum pertinentiis ſuis, quae noſtrae ſunt, & ad nos pertinent. Ipſe autem nobis conceſſit, quod de terra Comitis Sancti Egidii nichil de cetero occupabit vltra hoc quod diximus, quamdiu Comes Sancti Egidii in curia noſtra ſufferre iuſtitiam voluerit, aut potuerit. Si vero Comes Sancti Egidii in curia noſtra de iure deficeret, nos ex tunc Regi Angliae pro Comite Sancti Egidii, non noceremus, niſi ſponte noſtra ipſum vellemus adiuuare. Si autem praedictae Conuentiones inter nos ad inuicem, ſicut ſuperius dictae ſunt, fuerunt obſeruatae, volumus &

concedimus,

concedimus, quod Rex Angliae habeat & teneat in bona pace omnia tenementa in feodo & dominio, quae habebat die, qua iter Ieroſolimitanum arripuit. De Conuentionibus autem praedictis mutuo obſeruandis Regi Angliae damus fideiuſſores & obſides Comitem Pontinum cum toto feodo in hunc modum, quod, ſi praedictas Conuentiones omnes non obſeruaremus, praedictus Comes aut haeres eius inter tres ſeptimanas, ex parte Regis Angliae, vel haeredis ſui requiſitus & ſubmonitus in propria perſona vel ad domum ſuam, vbi ſolitus eſt habitare, veniet ad Regem Angliae, ſine contradictione aliqua, cum omnibus feodis ſuis integris, ad id faciendum teneri, quod Carta ſuper hoc facta teſtatur, donec Conuentio ſalua ſit & firma. Omnes alii, qui ſubſcripti ſunt, eodem modo dati ſunt fideiuſſores & obſides, hoc idem obſeruaturi, quod idem Comes; & inde litteras ſuas patentes dabunt Regi Angliae, vel eius certo nuncio, & iurabunt praedictas Conuentiones ſe obſeruaturos, ſecundum poſſe ſuum, bona fide, & ſine malo ingenio. Hii autem fideiuſſores ſunt, poſt Comitem, de praedictis Conuentionibus tenendis:

Beurad. de ſancto Walerico, vel ille ex haeredibus ſuis qui ſanctum Walericum tenebit, cum toto feodo ſuo.
Will. de Borry, vel haeres eius cum toto feodo ſuo.
Iohannes de Terria, vel haeres eius cum toto feodo ſuo.
Dominus Cencellarius, vel haeres eius cum toto feodo ſuo.
Punen. de — vel haeres eius, cum toto feodo ſuo.
Comes Robertus, vel haeres eius, cum toto feodo ſuo.
Hugo de Caſtello, vel haeres eius, cum toto feodo ſuo.
Comes Partici, vel haeres eius, cum toto feodo ſuo.
Dominus Iſondom, vel haeres eius, cum toto feodo ſuo.

Conceſſit etiam nobis Rex Angliae, quod, infra menſem primum a reditu ſuo remittet in Franciam, ſine contradictione aliqua & impedimento, *Aelaes* ſororem noſtram, ſiue viui fuerimus, ſiue mortui. Volumus etiam, vt ſeruitia & iuſtitias ex feodis, quae a nobis tenet, nobis reddat, ſicut anteceſſores ſui noſtris anteceſſoribus reddiderunt; ſaluis Conuentionibus, quae hic ſupraſcriptae ſunt. Quae omnia, vt perpetuam obtineant ſtabilitatem, ſigilli noſtri auctoritate confirmamus.

Actum Meſſanae anno incarnati verbi Milleſimo Centeſimo Nonageſimo, menſe Martii.

No. CIX.

No. CIX.

Richardus Rex Angliae Coniugi Berengariae dotalitium conſtituit, teſte Gaufrido de Pertico.

Anno 1191. Ex Marten. collect. ampliſſ. T. I. p. 995.

RICHARDVS Dei gratia Rex Anglorum omnibus &c. Vniuerſitati veſtrae notum facimus, quod nos aſſignauimus in dotalitium *Berengariae*, vxori noſtrae, Reginae Angliae, Duciſſae Normanniae, Comitiſſae Andegauiae, ea omnia, quae habemus in Waſconia vltra Guaronam, ciuitates, caſtra, villas & omnia dominia noſtra, vt ea habeat & poſſideat in vita matris noſtrae *Alienor* Reginae illuſtris, bene & in pace, integre & plenarie, & honorifice, ſicut ea modo tenemus in manu noſtra. Poſt deceſſum vero iam dictae matris noſtrae, ſi eadem vxor noſtra ſuperſtes fuerit, praedicta omnia vltra Guaronam ſibi aſſignata in pace dimittet; & aſſignauimus ei in Anglia tum habendum dotalitium Reginarum, illud videlicet, quod Pater noſter *Henricus* Rex ſaepedictae matri noſtrae aſſignauit ibidem: In Normannia caſtrum noſtrum Faleſiae & villam cum appenditiis ſuis; caſtrum de Danfront, & villam cum appenditiis ſuis; in Turona caſtrum de Lochiis, & villam cum omnibus appenditiis ſuis: in Pictauia villam de Iaſnai cum omnibus appenditiis ſuis, caſtrum de Merevaut, & villam cum omnibus appenditiis ſuis, & Cleronum cum omnibus appenditiis ſuis. Supradicta omnia ei conceſſimus & aſſignauimus in dotalitiis cum foreſtis & cum omnibus appenditiis ſuis, volumusque ea habeat & poſſideat bene & in pace, libere & quiete, integre, & plene, & honorifice. Vt autem ratum & ſtabile habeatur, praeſenti carta illud duximus confirmandum.

Teſtibus me ipſo, & Epiſcopo Ebroienſi.
Garnerio de Neapoli, Magiſtro Hoſpitalis de Ieruſalem.
Andrea de Chaliron.
GAVFRIDO de Partico.
Roberto de Sabl.

Datum apud *Liumazon* per manum Magiſtri Philippi, Clerici camerae noſtrae, duodecimo die Maii.

No. CX.

Conuentio inter Philippum Regem Franciae & Iohannem, fratrem Richardi Regis Angliae, qua inter caetera Comiti de Pertico proſpectum. Anno 1193.

Ex Rymer. T. I. p. 85.

IOHANNES Comes Moreſti, vniuerſis, ad quos praeſentes litterae peruenerint, ſalutem. Nouerit vniuerſitas veſtra, quod tales Conuentiones factae ſunt inter me & cariſſimum dominum meum, Philippum Regem Franciae, quod ipſe debet habere in perpetuum in Normania totam terram, quae eſt citra Sequanam, ab eo loco, vbi Sequana cadit in mare vsque Franciam ſicut Sequana currit, & ex ea parte Normaniae, in qua ſitum eſt Rothomagum, excepta villa Rothomagi & duabus leucis circa Rothomagum. Praeterea Rex Franciae debet habere vallem Rothelii, cum Caſtello, & cum pertinentiis ſuis, & totam partem Normaniae, quae eſt citra fluuium, qui dicitur Iton, ſicut idem fluuius currit vsque ad Cheſnebrum, cum ipſo Cheſnebro, & cum pertinentiis ſuis, & caſtrum Vernelii cum pertinentiis ſuis, & ciuitatem Ebroicenſem, cum pertinentiis ſuis, & etiam aliis Caſtellis, & munitionibus, & terris citra Iton. In Turonia vero debet habere Rex Franciae ciuitatem Turonenſem, & pertinentia vsque ad Arras, & feodum montis Tricardi & Ambaſiae, & praeterea montem Baſon, cum pertinentiis ſuis Regi Franciae. Caſtellum vero de Lochis cum pertinentiis ſuis Regi Franciae, & caſtellum de Caſtellione cum pertinentiis ſuis, & caſtellum de Burencois cum pertinentiis ſuis, Regi Franciae remanebunt in perpetuum. Comes vero Ludouicus, conſanguineus meus, habebit caſtella de Troa & de la Chaſtre, cum pertinentiis ſuis, & feodos de Freteual & de Vandoſme. Comes vero *PERTICI* habebit in Normania caſtella de Molins & de Bonmolins cum pertinentiis ſuis. Comes vero Engoleſmi tenebit terram ſuam a Rege Franciae, illam ſcilicet, de qua fecit ei homagium; a me vero tenebit aliam terram, quam a me debet tenere. Ego vero faciam pacem cum Comite ſancti Egidii, ad laudem & conſilium Regis Franciae. Philippo etiam de Giemo dabo de terra mea, quam conquiram, ad laudem & conſilium Regis Franciae. Eccleſia vero ſancti Martini Turonenſis habebit in Pictauia, & Andegauia, & Turonia, & Caenomania iura, libertates & conſuetudines ſuas, ſicut tempore Gaufridi Comitis Andegauiae, & ſicut tempore Wilhelmi Comitis Pictauiae habuit. Ego vero habebo ciuitatem Rothomagenſem, & duas leucas circa Rothomagum, totam terram Normaniae, praeter ſupradictam, &

quam

quam Rex Franciae debet habere, & totam terram Caenomaniae & Andegauiae, & totam terram Aquitaniae, & in Turonia totam terram, praeter illam, quam Rex Franciae & Comes Ludouicus nepos meus debent in Turonia habere, ſicut ſupra dictum eſt. De praedictis vero terris ego Regi Franciae, & ſucceſſoribus ſuis Regibus Franciae faciam ſeruitia & iuſtitias in curia ſua pro ſingulis feodis, vnusquisque feodus — ſicut anteceſſores mei anteceſſoribus ſuis fecerunt; & ſi duos haeredes aut plures habuero, vnusquisque eorum a Rege Franciae teneret illam Baroniam, quam haberet. De illis vero, qui cum Rege Franciae feodus inibunt, ſic erit; quod ego dabo eis terram ad laudem & conſilium Regis Franciae. Sin autem Ricardus, frater meus, Rex Angliae cum Rege Franciae faceret pacem, & pro ipſo offerret mihi pacem, ego, ſine voluntate Regis Franciae, cum Rege Angliae pacem facere non poſſem. Et, ſi Rex Franciae faceret pacem cum Rege Angliae, ipſe faceret mihi pacem erga Regem Angliae, ita quod ego terram, quam haberem pro pace a Rege Angliae, ita eam tenerem ab eo, quod pro nulla cauſa venirem ad ſubmonitionem eius, ſed ſemper per Aduocatum, aut per nuntium abſens agerem aut reſponderem, & ratum ibi facerem per Aduocatum, aut per nuncium meum, aut acquirendum aut perdendum, tanquam ſi ibi praeſens eſſem; nec compelleret ire in exercitum, vel equitationem, ſed mitterem tot milites, quot ordinatum fuerit in pace, quando pax fiet. Comes autem Ludouicus, nepos meus, tenebit a Rege Franciae in feodum & homagium Caſtella de Tria & de la Chaſtre, cum pertinentiis ſuis, & feodis de Freteual & de Vandoſme. *Comes* vero *PERTICI* tenebit a me Molins & Bonmolins. Praeterea Rex Franciae conceſſit amico & fideli ſuo & meo, Hugoni, Conſtantienſi Epiſcopo, quod ſi pacem fecerit cum Richardo Rege Angliae, fratre meo, dictum Epiſcopum in pace ſua mittet; ita quod idem Epiſcopus Eccleſiam ſuam Conſtantienſem habebit, & poſſeſſiones, & iura ad ipſam pertinentia, ita libere & pacifice, ſicut ante guerram habebat; & ſi Rex Angliae non teneret ei pacem, quae fieret, Rex Franciae tantum inde faceret, tanquam ſi Rex Angliae pacem Regi Franciae infringeret. Ego vero in propria perſona iuraui, quod ego omnes praedictas Conuentiones obſeruabo, & bona fide, & ſine malo ingenio eas tenebo. Rex autem Franciae Bartholomaeum militem ſuum fecit iurare, quod ipſe bona fide, & ſine malo ingenio, omnes praedictas Conuentiones obſeruabit. Quod vt ratum ſit & inconcuſſum, praeſentem paginam ſigillo meo confirmo.

Actum Pariſius, Anno Incarnati verbi Milleſimo, Centeſimo, Nonageſimo Tertio, menſe Ianuarii.

 No. CXI.

No. CXI.

Formula pacis inter Iohannem Angliae & Philippum Franciae Reges, ſignata inter alios a Gaufrido Comite Pertici. Anno 1200. Ex Rymer. T. I. p. 117.

PHILIPPVS Dei gratia Franciae Rex, vniuerſis, ad quos praeſens Charta peruenerit, ſalutem. Noueritis, quod haec eſt forma pacis factae inter nos, & dilectum & fidelem noſtrum Iohannem Regem Angliae: ſcilicet quod ipſe tenebit nobis pacem, quam Rex Ricardus frater eius fecit nobiſcum inter Exoldunum & Charrolium; exceptis iis, quae per praeſentem Chartam excipiuntur, vel mutantur propter interceptiones, quas idem Rex Ricardus fecit de illa. Scilicet quod Rex Iohannes donauit nobis & haeredibus noſtris, ſicut rectus haeres Regis Ricardi fratris eius, ciuitatem Ebroicarum & Ebroicen. cum omnibus feodis & dominiis, ſicut ſubſequentes metae determinant (metae autem ſunt poſitae in media via inter Ebroicinum & Nouum Burgum) & totum id, quod erit intra has metas ex parte Franciae, erit noſtrum; id autem quod erit ex altera parte verſus Nouum Burgum, erit Regis Angliae. Et quantum terrae habebimus verſus Nouum Burgum, tantum terrae habebimus verſus Conches, & verſus Akenny; ad eandem menſuram, ex ea parte vbi Abbathia de Noa ſita eſt, ſicut aqua Itoniae currit Guitebo, vbicumque ſit, donauit nobis Rex Angliae. Tilleriae cum pertinentiis ſuis, & Danuilla remanent Regi Angliae; ita tamen quod dominus de Bruerolis habebit id, quod debet habere in dominatu de Bruerolis. Conceſſit etiam de Epiſcopatu Ebroicenſi nobis id quod eſt intra has metas, vnde Epiſcopus Ebroicenſis nobis & haeredibus noſtris reſpondebit; idem autem Epiſcopus Regi Angliae & haeredibus ſuis reſpondebit de hoc, quod erit extra has metas. Et ſciendum, quod neque nos, neque Rex Angliae poterimus firmare intra metas conſtitutas intra Nouum Burgum & Ebroicinum, neque apud Guitebo; neque Rex Angliae ex parte ſua, neque nos ex parte noſtra, niſi vbi firmatum eſt infra metas praedictas. Praeterea fortalitiae de Porris & de Landes in continenti diruentur, neque ibi aliae fortalitiae poterunt reaedificari. Haec autem omnia, quae Comes Ebroicenſis infra has metas tenebat, fecit nobis quittari a recto haerede Ebroicenſi; de Vulcaſione Normano, terra erit Regi Angliae, & haeredibus ſuis; remanent feoda & dominium, ſicut Archiepiſcopus Rothomagenſis ex modo tenens erat, die quo fecit excambium de Andeliaco; totum reſidium Vulcaſino nobis remanet.

Nos

Nos vero non poterimus firmare retro Gamag. ex parte Norm. neque vltra finem Foreſtae Vernonis, ſed infra; neque Rex Angliae retro foreſtam Andel. poterit firmare, ſed infra. Dedit autem in maritagio *Ludouico filio* noſtro cum filia Regis Caſtellae, nepte ſua, feodum Exolduni; item feodum Eraſcarii, & feoda Bituresii, ſicut Andreas de Caluiniaco ea tenebat de Rege Angliae: Item de omnibus iis erimus nos ſaiſiti, vsque dum matrimonium praedictum ſit conſummatum, &, quicquid contingat de matrimonio, priusquam factum fuerit, nos tenebimus praedicta feoda tota vita noſtra, &, poſt deceſſum noſtrum, redibunt praedicta feoda ad Regem Angliae & haeredes ſuos, ſi praedictus Ludouicus haeredem non habuerit de praedicta nepte Regis Angliae. Si vero Regem Angliae mori contigerit, absque haerede de vxore ſua deſponſata, cum praedictis feodis dedit eisdem in maritagium feodum Hug. de Gornaco citra mare Angliae, ſicut id tenet de ipſo: & feodum Comitis Albemarle citra mare Angliae, & feodum *Comitis PERTICI*, ſicut ea tenent de ipſo citra mare Angliae. Praeterea nobis dedit Rex Angliae viginti millia Marcarum Sterlingorum ad pondus & legem, in quo fuerunt, videlicet tredecim ſolidos & quatuor denarios pro Marca, propter rechatum noſtrum, & propter feoda Britanniae, quae nos ipſi dimiſimus; ipſe vero recipiet Arturum in hominem, ita quod Arturus Britanniam tenebit de Rege Angliae. Item Rex Angliae, ſicut rectus haeres, tenebit de nobis omnia feoda, ſicut pater eius & frater eius Rex Ricardus ea tenuerunt a nobis, & ſicut feoda debent; exceptis ſupradictis quae nobis remanent, ſicut ſupra dictum eſt. De Comite Engoleſmi & Vicecomite Lemouicenſi ſic erit; quod Rex Angliae recipiet eos in homines, ita quod eis iura eorum dimittet. De Comitibus Flandriae & Boloniae ſic erit: quod Comes Flandriae tenebit de terra noſtra id, quod tenet. Item nos ea, quae tenemus de rebus Comitis Boloniae, feodum & dominium, & ea, quae Comes Pontini modo tenet, feodum & dominium, remanent nobis & Comiti Pontini. Propter hoc, quod Comes Flandriae tenet de rebus noſtris, Comes Flandriae faciet nobis homagium ligium. Et, ſi idem Comes Flandriae, aut aliquis hominum noſtrorum, qui melius ſint, aut debeant eſſe homines noſtri quam Regis Angliae, ipſi nobis malum vellent facere & nocere, Rex Angliae non poſſit eos contra nos iuuare vel manu tenere; neque nos ſimiliter homines, ſui qui melius ſint, aut debeant eſſe, quam noſtri: ſalua forma huius pacis praedictae. In Conuentionibus iſtis Regi Angliae habemus Conuentionem, quod ipſe *nepoti ſuo*, *OTHONI*, nullum auxilium faciet, nec per pecuniam, nec per milites, nec per gentem,

nec per ſe, nec per alium, niſi per conſilium & aſſenſum noſtrum. De Arturo ſic erit, quod Rex Angliae non minuet eum nec de feodo, nec de dominio Britanniae citra mare, niſi per rectum iudicium curiae ſuae. Rex Angliae dedit nobis ſecuritates de hominibus ſuis ſubſcriptis, ſcilicet,

Baldwino Comite Albae Marlae.
Comite Willelmo Mareſcallo.
Hugone de Gornaco.
Willelmo de Humet, Conſtabulario Normanniae.
Roberto de Hereſort.
Iohanne de Pratell.
Willelmo Kaer.
Rogero de Toen.
Garino de Glapion:

Qui iurauerunt hoc modo, quod ipſi cum omnibus feodis ſuis citra mare ad nos venirent, ſi hanc pacem Rex Angliae nobis non teneret, ſicut eſt diuiſa. Nos quoque ſimiliter dedimus ei ſecuritates de hominibus noſtris ſubſcriptis, ſcilicet

De Comite Roberto Drocar.
Gaufrido Comite Pertici.
Geruaſio de Caſtello.
Willelmo de Gapland.
Burch. de Roia.
Gualtero Camerar. Patre.
Vaſcon. filio eius.
Philippo de Leucis.
Gualtero Camerario minore.

Qui ſimiliter iurauerunt, quod, cum omnibus feodis ſuis, ad Regem Angliae irent, ſi nos hanc pacem ei non teneremus, ſicut eſt diuiſa. Nos autem & Oſtagii praenominati haec omnia praedicta bona fide, & ſine malo ingenio, fideliter & firmiter obſeruanda iurauimus; quod vt perpetuum robur obtineat, praeſentem paginam ſigilli noſtri auctoritate roborauimus.

Actum apud Guleton Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo Ducenteſimo, menſe Maio.

No. CXII.

No. CXII.

Atteſtatio Mathildis Comitiſſae Pertici. Anno 1203. Ex Ducheſnii hiſtor. geneal. Gandens. Lib. VI. Inſtrum. p. 356.

EGO *MATILDIS Comitiſſa Pertici.* Notum facio, quod Oſana, domicella mea, comparauit de Geruaſio de Mauchenai in praeſentia mea terram dou Meslier. Ego vero & *THOMAS filius meus* hoc teſtamur, &c.

Actum apud Manuas anno ab Incarnatione Domini MCCIII. menſe Iulio.

No. CXIII.

Engelrannus Comes de Couciaco & Perticenſis, aſſenſu Coniugis Comitiſſae de Pertico, Thenolienſi Eccleſiae dimittit omnem terram arabilem in ſarto de Chans. Anno 1205. Indidem.

SICVT neceſſarium eſt pactiones ad perpetuitatem pertinentes ſcripto pariter & teſtimonio ſtabilire; ita eſt etiam opportunum, vt, ſi quando conſenſu partium fuerint innouatae, per ſcriptum & teſtimonium poſteris innoteſcat. Eapropter ego *ENGELRANNVS de Couciaco, Comes Perticenſis,* notum facimus praeſentibus, & praeſentium ſucceſſoribus, quod Thenolienſis Eccleſia ex conceſſione venerabilis memoriae Radulphi, patris noſtri, totam terram arabilem, quam ipſe pater in ſarto de Chans habere dinoſcebatur, ad excolendum ad medietatem in perpetuum poſſidebat. Poſtea vero nos dictam partem illius terrae longo tempore a Fratribus in nominata curte de Chans commorantibus diligenter ſuſcepimus. Euolutis autem pluribus annis, cum nos Eccleſiae B. Vincentii Laudunenſis XVIII. modios annonae ſine tremeſio ad menſuram Marlenſem annuo in perpetuum debuiſſemus; & ſuper hoc ad aliquam Eccleſiam nos eidem S. Vincentii Eccleſiae perpetuam facere aſſignationem oportuiſſet: requiſiuimus piae recordationis Gobertum, Abbatem Thenolienſem & Capitulum, vt ipſi, eo quod a nobis, ſicut praedictum eſt, tenebant, praefatos XVIII. modios Eccleſiae Sancti Vincentii annuatim reddere promitterent: quem redditum, ſcilicet XVIII. modiorum bladi, ipſa Thenolienſis Eccleſia ad preces noſtras Eccleſiae Sancti Vincentii ſingulis annis inpoſterum abſolute reddere creantauit. Ita quod nos erga beati Vincentii Eccleſiam ſuper hoc liberi fuimus & quitati.

Sed

Sed nos propter hoc cum Thenolienſi Eccleſia hanc conuentionem habuimus, quod terra illa, quam ipſa prius ad medietatem, ſicut ſuperius expreſſum eſt, a nobis excolebat, integriter eidem Eccleſiae Thenolienſi ſine aliqua deinceps inpoſterum participatione penitus & abſolute remaneret. In hunc modum, quod ad aeſtimationem perſonarum acceptabilium, quae noſtra & eiusdem Eccleſiae vnanimi voluntate acceptae fuerunt, Thenolienſes Fratres pro memorata medietate vltra diuiſos XVIII. modios de reſiduo annuatim redditum in blado nobis & haeredibus noſtris redderent. Poſtmodum vero perſonis acceptis parcentes nos & memorata Eccleſia, dicta terra prius nobis menſuram ſcientibus menſurata, probis etiam viris terrae illius & quantitatem & qualitatem cognoſcentibus, inter nos mediantibus, pacem firmauimus in hanc formam. Quod quidquid terrae arabilis praedeceſſores noſtri, & nos in ſarto de Chans prorſus habebamus & habere debebamus, aſſenſu *vxoris* noſtrae *Comitiſſae de Pertico*, & fratrum noſtrorum, *Thomae* iam militis & *Roberti*, Thenolienſi Eccleſiae cum omnimoda medietate in perpetuum quitum clamauimus; & pro praedeceſſoribus noſtris, & anima noſtra in eleemoſynam ſine aliqua participatione inpoſterum habendum diligenter conceſſimus: ſub hac conditione, quod ipſa Eccleſia ſingulis annis in perpetuum nobis & heredibus noſtris vltra S. Vincentii dictum annonae debitum de reſiduo XVIII. modiorum bladi mediocris ſine tremeſio, ad menſuram Marlenſem perſoluet. Quem bladum ante Natalem non reddet. Sed tranſacto Natali, poſtquam eandem Eccleſiam ſubmonuerimus, infra menſem ſubmonitionis noſtrae nobis apud curtem de Chans dictos XVIII. modios bladi mediocris reddere tenebitur. Sed vltra Paſcha non poterimus ſubmonitionem noſtram ſub hac ſolutione bladi prolongare. Ita quod ab ipſa Eccleſia vſque ad Aſcenſionem Domini ad longius nos oportebit XVIII. modios annonae praedictos apud Chans annuo integriter recepiſſe. Nec ipſe bladus vlterius in cuſtodia Eccleſiae remanebit. Et ita, ſicut praedeſcribitur, pro ſuperius nominata terra XXXVI. modios bladi Eccleſia Thenolienſis annuatim perſoluet, ſcilicet praelibatos XVIII. modios, quos Eccleſiae beati Vincentii debet, ſuper quibus erga Eccleſiam beati Vincentii liberi ſumus; & ita Thenolienſis Eccleſia erga nos & heredes noſtros prorſus remanet libera & quitata, & nominatos XVIII. modios bladi mediocris, quos nobis & heredibus noſtris annuo, ſicut exprimitur, perſoluere tenetur. Vt autem haec omnia firma ſint & ſtabilia, & nullis temporibus confringi poſſint vel immutari, Cartulam iſtam ſub hoc emiſimus ſigillo noſtro praemunitam.

Actum anno Verbi incarnati MCCV.

No. CXIV.

No. CXIV.

Thomas Comes Pertici declarat, quibus caſtribus milites ſui tallias ſibi debeant. Anno 1214.

Ex Marten. Collect. ampliſſ. T. I. p. 1117.

THOMAS *Comes Pertici* omnibus, ad quos praeſentes litterae peruenerint, ſalutem in Domino. Ad vniuerſorum notitiam volumus peruenire, quod milites noſtri de caſtellario Beilimenſi talliam de feodis ſuis & hominibus ſuis nobis debent tantummodo feodaliter pro his *quatuor* rebus, quae ſequuntur. Pro prima militia noſtra; pro prima captione noſtra de guerra; pro militia filii noſtri primogeniti viuentis, & pro prima filia noſtra maritanda. Praeter has tallias nec a militum feodis, nec ab eorum hominibus tallias poſſumus feodaliter extorquere. Et ne huiusmodi libertas ab aliquo heredum noſtrorum inpoſterum infringatur, eam ſigilli caractere fecimus communiri.

Actum anno gratiae MCCXIIII. menſe Februario.

No. CXV.

Engelrannus Comes aſſenſu Coniugis Mathildis Comitiſſae de Pertico hominibus de Fara ſtatuta confirmat. Anno 1207. Ex Ducheſne Hiſt. Geneal. Gandens. Lib. VI. Inſtrum. p. 359.

EGO Ingelrannus de Couciaco, dominus de Fara. Notum facimus omnibus in perpetuum, quod aſſenſu *vxoris* meae *MATILDIS Comitiſſae de Pertico*, & fratrum meorum Thomae & Roberti & Petri de Sarto Caſtellani de Fara, aſſenſu quoque & conſilio feodatorum Caſtelli, & etiam proborum hominum noſtrorum conſilio, hominibus de Fara pacem indulſimus. Ita videlicet, quod ſingulis annis centum libras Pariſienſis monetae in Octauis omnium Sanctorum nobis & heredibus noſtris in perpetuum ſoluere tenebuntur, &c.

Actum anno Dominicae Incarnationis MCCVII.

No. CXVI.

Mathildi Comiti Perticenſi, regio ſanguine procreatae, ipſius iuſſu praeclaram vitae formam praeſcribit Adamus, Perſenniae Abbas. Anno 1197. Ex Marten. Anecdotor. T. I. p. 677. ſeq.

DILECTAE ſuae in Chriſto, *Illuſtri Comitiſſae Perticenſi*, frater Adamus peccator ſalutem in Spiritu Sancto. Depoſcit a me tuae deuotionis inſtantia, vt te aliquibus litteris de animi virtute commoneam, & incitem ad deſiderium aeternorum. Felix plane & laudanda petitio, & vtinam eſſet apud me, vnde felicem ſortiretur effe-ctum! Verum magna eſt animae illius temeritas, cui non ſe vnctio Spiritus Sancti infuderit, nec habere poteſt aliunde, vnde ſibi vel alibi profectus materiam ſubminiſtret. Ad Spiritum proinde Sanctum corde conuertamur & animo, & tu audiendo illi inhaereas, & ego de illo hauriam, quo tu ſalubriter docearis. O quam illi opus eſt munda mente & humili, qui ſe in Spiritus Sancti dedicat officinam! Officioſa nimirum humilitas, dum omnem faſtum elongat ſuperbiae, & e diuerſo fit initium ſapientiae timor Domini. Sollicite prouidet prudens humilitas, vt illi incommodo hoc remedium opponatur. Dum itaque motibus elati timoris opponit ſe timor humilis, animam non patitur ſordeſcere peccatis. Ceterum qui ſine timore eſt, non iuſtificabitur, quia dum negligitur aditus cordis, a penetralibus animae ſuperbia non arcetur. Virtus humilitatis per timoris ſpiritum extinguit ſuperbiam cordis, & nihilominus carnis terit ſuperbiam ſanctae remedio parcitatis. Amica ſane eſt Spiritui Sancto humilitas & mundum ſemper ei praeparat habitaculum, cui diſplicere non ambigit cor immundum. Super quem, ait Dominus, requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum & trementem verba mea? Vbi certe humilitas, ibi quies, ibi timor, reuerentia mandatorum. Humilitas te tibi, homo, oſtendit, quid ſis, quid fueris, quid poſtmodum ſis futurus. Paulo ante nihil eras, incipiens eſſe, vile ſemen eras: nunc viuis vile vas ſtercorum; paulo poſt vermium eſca eris. Quid ſuperbis terra & cinis? Quid conditionis propriae obliuiſceris? Quid non te citius morituram eſſe recordaris? Quid intendis mundo, qui labitur, qui in percuſſionis ſuae fragoribus ruinam ſui amatoribus minitatur? Fallax plane eſt gratia, & vana eſt pulcritudo, quae non modo non faciunt longum gaudium, ſed euaneſcunt citius in lamentationis aeternae tormentum. Non ſunt amanda, quae tranſeunt; non ſunt amplectenda quae

fugiunt.

fugiunt. Illis potius inſiſtendum, quae feliciter permanent in aeternum. Obſtruenda eſt via vitiis; peccatis praefigendus eſt terminus; ad lucem reſpirandum eſt gratiae, vt nobis infulgeat dies gloriae & honoris. Fugitiui mundi abiicienda eſt vanitas, mortificanda eſt voluptas lubrici corporis, reſecandum eſt omne ſuperfluum, vt ſancta frugalitas in Dei filiam te adoptet. Sobrius eſt ſpiritus vitae; intemperantiae nihil. Non diuertit ad animum, a quo frugalitatem viderit exulare. Non intereſt ludis aleae; non ei eſt cordi ſcaccorum otioſa ſedulitas: ipſius puritati non congruit ſcurrilitas hiſtrionum. Non affectat diuina puritas longos veſtium tractus, ad nihilum aliud neceſſarios, quam ad concitandos pulueres, & ad greſſus feſtinantium retardandos. O ſuperflua vanitas! O inutilis oſtentatio, non ſufficere pretioſo cultui adornare ſterquilinium corporis, niſi etiam longiori tractu concitati pulueres attrahantur! Ad iniuriam oculorum & narium hoc perfecit cordium effeminatio, quia & oculos claudere, & nares obſtruere, & auertere faciem ſolemus, ab hujusmodi pulueribus, tali artificio concitatis. O infelix & prioribus incognita prorſus adinuentio, quae iter impedit & viſum offendit! Iter, inquam, impedit, quia ſuperfluae vanitatis oſtentatio a veritate ſectanda cor auertit; viſum confundit, quia dum per intuitum effeminatae conſuetudinis tentatio ſpectantibus ingerit ſe, ab intuenda coeleſti pulcritudine oculos rationis abducit. O conſuetudo immiſericors, vt, vnde debuit contegi nuditas pauperum, contegas & contrahas pulueres platearum. Non erubeſcunt feminae noſtri temporis probroſae aſſimilari vulpeculae, vt, ſicut beſtiolae illae pollent longioribus caudis, ſic iſtae glorientur in longis tractatibus fluxae veſtis. O quam ſaepe, quod peius eſt, de praedis pauperum, de ſpoliationibus viduarum, de exactionibus pupillorum veſtes huiusmodi conquiruntur! Hinc habentur mutatoria *in perticis*; hinc ſumuntur impenſae in ſumtuoſis beneficiis; hinc ſaginantur ventres in conuiuiis accuratis, & ab illis habet nobilitas ſeculi cibos lautiores, & quaeque pretioſa, qui pene aſſidue viuunt in paupertate ſuprema. Vtinam tu, *filia*, iſta ſaepe recogites, nec iuxta exigentiam *alti ſanguinis* tam affectes huic ſeculo conformari, quam placere illi ſtudeas, qui altiſſimi Patris Filius voluit humiliter humanari. Penſa, quid illi debeas, qui & te de nihilo fecit, & ſua ſignauit imagine, ſimilitudine inſigniuit, viſitauit incarnatione, & conſeruatione docuit, redemit paſſione, glorificauit reſurrectione, ſublimauit aſcenſione, Spiritus Sancti gratia confortauit! Totam te illi debes, qui ſe totum tibi contulit. Licet te carnali marito placere oporteat; ille nihilominus ius ſuum in te repetere non deſiſtit. Certe licet animam & corpus creauerit, licet

vtrumque iuris ipſius ſit; ius tamen tui corporis interim pro lege coniugii viro cedit; ſed animam ſibi vindicans, in ius alterius tranſire non ſinit. Carnalis maritus ſponſus eſt carnis tuae; Deus tuus ſponſus eſt animae: neutrum tamen eorum nulla commouet zelotypia, dum vbique permaneas fidelis & caſta. Coeleſti ſponſo debes animae pudicitiam, ſicut carnali carnem exhibere pudicam. Ille pudicitiam animae tuae dotauit ſplendoribus angelorum, quam dotem in fidei myſterio & ſpei certitudine ſuſcepiſti. O ſi dotem hanc diligas! ſi ſponſum hunc quaſi parum tibi dederit non aſperneris! *Nobilibus es orta natalibus, & ſecundum carnem regio procreata & ſanguine vel ſemine;* ſed incomparabiliter es ex dote iſta nobilior, qua te ſponſus ille nobilis inueſtiuit. Intende illi; illum dilige; ad illum ſuſpira; quia ipſe dulcor vnicus, pulcritudo ſumma, gaudium ſingulare; ne propter alium ius ſuum illi negaueris, & cum iſte carnalis vitae afficitur, tu in illo coeleſti affici ſpiritualiter delecteris. Iuſtus quippe eſt, immo ipſa iuſtitia. Coniugii legem ipſe inſtituit, & dum reddis vnicuique quod ſuum eſt, tu quoque expers coeleſtis iuſtitiae non exiſtis. Sic igitur in carne tua ius ſuum exhibeas viro, vt Deum non ſpolies iure ſuo: quia non cedet tibi in proſperum, ſi vſurpatiue ius in alterius vſum transferas alienum. Alligata es viro; teneris ex neceſſitate illi obſequi, in quantum contra legem matrimonii nihil diſponit. Ille enim eſt praeferendus in omnibus, qui & in carne mortali tranſitorium ordinauit coniugium, & immortali animae immortalem ſe dedit ſponſum. Illam proinde tui partem, ſecundum quam deſponſata es Chriſto, pretioſo cultu exorna virtutum, vt bonorum operum ſobolem concipias de Spiritu Sancto. Quidquid boni cogitas, quidquid boni loqueris, quidquid boni operis agis, totum de Spiritu Sancto concipis, nec aliunde poteſt concupiſcentia animae foecundari, quam de conceptione gratiae Spiritus Sancti. Summa itaque vigilantia opus eſt, vt omni cuſtodia ſerues cor tuum, ſi tamen dedicaſti illud in Spiritus Sancti habitaculum. Quod ſi non feceris, quid agis? Qualis vel quomodo ſuſtines diem mortis cominus venientis? Veniet, veniet, & cito veniet certiſſimae mortis incertiſſima hora, & felix tu, ſi, cum venerit, inuenerit te paratam. Sit igitur tibi humilis animus, caſtum corpus, thorus immaculatus, habitus moderatus, victus ſobrius, vultus verecundus, ſermo pudicus, munifica manus, quae pro facultate indigentibus neceſſaria largiatur. Alioquin non poterit excuſari coniugium, praeſertim cum non de imperio, ſed de indulgentia concedatur. Nota, quia indulgentia dum meliora non eligit, remedium quidem habet, ſed praemium non adquirit. Igitur coniugium quod de indulgentia conceſſum eſt, inſtituitur ad remedium,

dium, & ipſum inefficax, niſi trium bonorum obſeruantia defendatur. Primum eſt fides; ſecundum ſpes prolis; tertium dicitur ſacramentum. Fides eſt, cum ſic ſe inuicem ſeruant, vt nec alterutrum a carnis debito fraudent, nec dum viuunt, copulam alienam requirant. Spes prolis eſt, vt eo ſtudio & intentione conueniant, vt de fidei ſacramentis erudiant & Dei cognitione informent, quod gignunt. Sacramentum eſt, cum duo in carne vna viuentes ita ſimilitudinem Chriſti & eccleſiae ſua vnanimitate exprimunt, vt nulla ratione tam indiuiduae vnionis diuortium quaerant. Si tribus his bonis, coniugium a culpa defendentibus, opera miſericordiae & pietatis adiunxeris; ſi in ipſo licito carnis opere modum menſuramque tenueris; ſi dies ſolemnes & ieiuniorum ferias profeſtibus animae deputatas in huius carnis vſum non vſurpaueris: nequaquam a ſalute longe eris. Ideo mater Eccleſia dies illos inſtituit, ideoque tempora ieiuniorum obſeruantiis deputauit, vt, quidquid in carnalium tranſactionibus culpae admittitur, confeſſione, oratione, eleemoſynis, in his temporibus diluatur. His temporibus conuenit animam vacare, & videre, quam ſuauis eſt Dominus, quae abunde experitur in aliis temporibus, quam foeda eſt caro, quam vilis eſt mundus. Ecce, *amantiſſima mea!* formulam hanc me tibi depingere coëgiſti, ad quam ſi viam tuam & vitam correxeris, & tibi gloriam, & mihi laetitiam adaugebis. Ille tibi vires tribuat! ille te, ſponſumque tuum, ſobolemque tuam, in omni pace & ſalute cuſtodiat, qui ſe diligentium vota ſemper proſpicit, & felici perſeuerantiae in praemium ſe exponit. Vale.

No. CXVII.

Conuentio inter Philippum Franciae Regem & Inguerrandum de Couciaco. Anno 1211. Ex

Ducheſnii hiſtor. geneal. Gand. Lib. VI. p. 360.

HAE ſunt conuentiones, que debent eſſe inter dominum Regem, & *Inguerrandum de Couciaco*, ſi idem Inguerrandus id poteſt facere. Dictus Inguerrandus debet Regi reddere triginta milia librarum Pariſienſium pro rachato Flandriae, ſi ipſe habuerit heredes Flandriae. Et ex iis triginta milibus librarum debet Rex habere viginti milia librarum ea die, qua ipſe ipſum inde ſaiſierit, & antequam ipſum ſaiſiat: & de aliis decem milibus librarum debet dare ſecuritatem ad gratum Regis, quod ei reddet illas infra annum a die, qua ipſum ſaiſiet. Praeterea debet idem domino Regi bonam facere ſecuritatem de faciendo ei fideli ſeruicio de terra Flandriae, & de eo, quod pertinet ad

regnum Franciae, & per amicos ſuos de Francia, & per Barones & communias Flandriae: & quod nullo modo de fideli ſeruicio faciendo Regi deficiet, quandiu Rex facere ei voluerit rectum curiae ſuae. Et ſi forte accideret, quod ſancta Eccleſia & dominus Papa non permitterent matrimonium eſſe, triginta milia librarum de rachato remanerent domino Regi omnino quiete, & ſine contentione: nec dictus Inguerrannus, nec aliquis pro eo exinde poſſet aliquid requirere a domino Rege. Neque Domicellae praedictae poterunt maritari, quin dominus Rex bene ſit ſecurus ad gratum ſuum de eis, qui eas habebunt, de fideli ſeruicio habendo de hiis, quae pertinent ad regnum Franciae. Et Rex bene volet, quod Inguerrannus rehabeat vel ab illis, qui Domicellas habebunt, vel de ipſa terra Flandriae, id quod ipſe pagauerit pro rachato ſuo competenter. Et dictus Inguerrannus debet perquirere erga Comitem Namurcii, & erga Barones Flandriae, quod ipſi hoc velint, & ſuper hoc requirant dominum Regem. Et hoc, ſicut dictum eſt, debet facere infra octauas beati Martini: neque Rex ex tunc in antea ei teneretur, ſi id non poſſet facere infra terminum illum. Praeterea ſciendum, quod hae conuentiones factae ſunt ſaluis rachatis domini Regis ad vſus & conſuetudines Franciae, ſi forte euenirent, tali modo, quod dictus Inguerrannus teneret terram Flandriae in aquitamento quinque milium librarum per annum, ſi dotalitium Reginae non veniret ad manum dicti Inguerranni. Et ſi dictum dotalitium veniret ad manum eius, computarentur ei in aquitamentum decem milia librarum per annum. Et ſi heres veniret, qui terram illam requireret, dominus Rex eam non redderet, quousque dicto Inguerranno gratum ſuum factum eſſet de defectu anniatarum, quae deficerent de triginta milibus libris.

Ego *Inguerrannus de Couciaco*. Notum facio omnibus praeſentes literas inſpecturis, quod ego cariſſimo domino meo, *Philippo*, illuſtri *Francorum Regi* ſuper homagium, quod ei feci, & ſuper omnia, quae de ipſo teneo, creantaui, quod ſi dominus meus Rex Francorum per ius, & ſalua fidelitate ſua, ſe poterit liberare de conuentionibus, quas habet ad Comitem Namurci, de Domicellis heredibus Flandriae maritandis, prout in Cartis inde confectis continentur, poſtquam ipſe a praedictis conuentionibus erit, ſicut debuerit, liberatus, ego proſequar ei conuentiones hic ſubſcriptas. Videlicet quod pro Domicellis eisdem habendis, & pro rachato Flandriae, dabo ei quinquaginta milia librarum Pariſ. de quibus reddam ei triginta milia librarum, antequam de illis ſim ſaiſitus, & eum bene ſecurum faciam, quod alias viginti milia librarum ei reddam infra annum a die illa, qua predictas Domicellas mihi tradet. Inſuper

ſuper faciam ipſum bene ſecurum per amicos meos, quos voluerit, & per Barones & Communias Flandriae, & per homines meos, & Communias de tota terra mea, quod nullo modo ei deficiam de fideli & debito ſeruicio faciendo. Praeterea creantaui domino meo Regi ſuper hominagium quod ei feci, & ſuper omnia, quae de ipſo teneo, quod ſi praedictas Domicellas, ſicut dictum eſt, mihi tradiderit, ego vel frater meus neutram illarum accipiemus in vxorem, quousque ſuper hoc habeamus debitum aſſenſum ſanctae Eccleſiae, & quod id conſtet domino Regi pro certo. Quod ſi ſancta Eccleſia non permiſerit me aliquam illarum habere in vxorem, ego illas non dabo aliis in vxores, neque ponam extra manum meam, niſi per licentiam & voluntatem domini Regis, & quousque ipſe bene ſit ſecurus de ſeruicio terrae Flandriae debito habendo: & quinquaginta milia librarum, quas ego domino Regi pagauero pro rachato ſuo, ei remanebunt quiete & ſine contradictione aliqua. Ita quod nec ego, nec aliquis alius pro me, dictam pecuniam a domino Rege poterimus requirere. Dominus autem Rex vult, quod ſi matrimonium de me ſtare non poterit, ſicut dictum eſt, illi, qui praedictas Domicellas habebunt in vxores, quinquaginta milia libras, quas ego domino Regi pro rachato ſuo pagauero, mihi reddent, tali modo, quod pro ſingulis annis, quibus terram Flandriae tenuero, de paga mea quinquaginta milia librarum mihi computabuntur quinque milia librarum. Quod ſi terra Matildis Reginae, Comitiſſae Flandriae, ad manum meam deuenerit, mihi computabuntur decem milia librarum de paga mea ſingulis annis, quibus terram tenuero. Ego vero infra duos annos ab inſtanti feſto omnium Sanctorum debeo perquirere & impetrare aſſenſum ſanctae Eccleſiae ſuper iſto matrimonio faciendo. Quod ſi infra praedictum terminum non impetrauero, ex tunc in antea dictae Domicellae poterunt aliis viris eis competentibus maritari per aſſenſum domini Regis. Illi viri ſiquidem me ſecurum facient de quinquaginta milibus librarum rehabendo, quod defuerit. Et dominum Regem ſimiliter ſecurum facient de fideli & debito ſeruicio habendo de terra Flandriae, ſicut dictum eſt. Hae autem conuentiones factae ſunt inter me & dominum Regem, ſaluo rachato domini Regis ad vſus & conſuetudines Franciae, ſi forte eueniret.

Actum anno Domini MCCXI.

Plegii pro dicto Inguerranno.

Epiſcopus Beluacenſis.
Comes Robertus, & filii eius.
Comes ſancti Pauli, & filii eius.
Comes Sueſſionenſis, & filii eius.

Matheus

Matheus de Montemaurenciaco, & filii eius.
Robertus de Corten, & heredes eius.
Comes Autiſſiodorenſis, & heredes eius.
Guillelmus de Gallanda, & heredes ſui.
Thomas de Conciaco, & heredes ſui.
Omnes milites homines ligii dicti Inguerranni, & omnis Communiae de terra ſua iuratae.
Florentius de Hangeſto & heredes ſui.
Et ſi Inguerrannus de Boua redierit, faciet domino Regi ſecuritatem pro dicto Inguerranno, ſicut alii.

No. CXVIII.

Ierueus Comes Niuernenſis Philippo Regi ranciae ſpondet, ſe ſine conſenſu Regio filiam inter alios Inguerranno de Cuciaco non daturum. Anno 1216. Ex Marten. Collect. Ampliſſ. T. I. p. 1127.

EGO *Herueus Comes Niuernenſis*, notum facimus omnibus, quod nos iurauimus ſuper ſacroſancta domino noſtro Philippo, illuſtri Francorum Regi, quod *Agnetem* filiam noſtram, nulli ıdemus vxorem, ſine aſſenſu & licentia domini Regis, & maxime ali- i filiorum *Iohannis* quondam *Regis Angliae*, nec Theobaldo de Camnia, nec filio Ducis Burgundiae, nec *Inguerranno de Cuciaco*, & de ›c conſtituimus plegios erga dominum Regem Hugonem dominum Vl- , Hugonem de S. Verano, Renaldum de Monte-Falconis, Gaufrim de Bulli, Petrum de Liuron, Anſellum Bridane, ſuper feoda, quae ıent de nobis. Praeter hos autem plegios faciemus dominum Regem bere iuramenta villarum terrae noſtrae, de quibus ea dominus Rex bere voluerit, & etiam iuramenta militum terrae noſtrae cum litteris rum patentibus, de quibus habere voluerit. Robertum vero de Corıiaco conſtituemus terminis competentibus in plegium erga dominum :gem ſuper feodo, quod tenet de nobis, ſi pro nobis iurare voluerit pleuinam ad preces domini Regis vel noſtras tenebitur de pleuina. Et endum, quod praenominati plegii, & alii, quos Dominus Rex plegios ›ebit, plegiabunt, quod ſi nos veniremus aliquo modo contra conıtiones praedictas, ipſi plegii iuuarent Dominum Regem de ſe ipſis, de omnibus, quae tenerent de nobis, contra nos, ſine ſe meſfacere, tamdiu, quousque id eſſet emendatum ad voluntatem Domini Regis; Dominus Rex ſine meſfacere poſſet aſſignare omnia feoda & dominia, ıe tenemus de eo, & tamdiu ea in manu ſua tenere, donec id eſſet emendatum

Digitized by Google

emendatum ad voluntatem Domini Regis, Quando autem conuentiones praedictas perfecerimus, habebimus filiam noſtram, quousque maritetur per aſſenſum Domini Regis & voluntatem noſtram, ſaluo iure & fidelitate Domini Regis in omnibus.

Actum, &c.

No. CXIX.

Borwini Principis Venedorum fundatio vrbis Roſtochienſis. Anno 1218. Ex Perilluſtris Weſtphal. Docum. Mecklenburg. N. 11. p. 10. ſeq.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Omnibus praeſentem paginam viſuris in perpetuum. Notum ſit omnibus Chriſti noſtrisque fidelibus, tam praeſentibus, quam futuris, qualiter ego *BORVINVS*, nec non *filii* mei dilectiſſimi, *HENRICVS* videlicet & *NICOLAVS*, tam noſtram & haeredum noſtrorum nunc & in futuris vtilitatem procurantes, *Rotzſtock* oppidum diuina proſperante clementia delegimus conſtruendum. Vt vero praedicti loci cultores, eum ſecurius appetentes, pace firma & libertate fulciantur omnimoda, tam praeſentes, quam futuros in aedificiis, areis, terris cultis & incultis, agris, campis, pratis, paſcuis, ſiluis, piſcationibus, venationibus, aquis aquarumue decurſibus, viis & inuiis, exitibus & reditibus, omnimoda in iurisdictione noſtra thelonii exemptione, Lubecenſis Ciuitatis iuris beneficio habito nunc & habendo ſtabilientes confirmamus. Vt itaque noſtrae donationis auctoritas futuris temporibus firmior ac ſtabilior habeatur, dominationis noſtrae maioribus, tam Slauis quam Teutonicis, praeſentibus, Epiſcopo noſtro *Brunwardo* videlicet, viro religioſiſſimo, interpoſito, Thetleuo de Marlowe, Iordano, Hermanno Capellano, Zlantrich, Ianike, Henrico Gramma, Wartis Iohanne de Snakenborg, Raulino, Henrico Grubone, Hugone Abbate de Dobberan vniuerſalique Conuentu ibidem, Stephano Sacerdote, Dummemaro, Pribilo, Bitzprawe, Thoma, Aluerico Praepoſito, Henrico de Rodenbecke, Heinrico Holzato, Nakone, Ianike Germeritz, Merizlauo, Magiſtro Wettero de Buchoe, eiusdem oppidi conſulibus, Henrico Fabro, Henrico Pramule, Hermanno, Rodolpho, Ludero, Bertramo, Wyzelo, Lamberto, Bodone, Henrico Landſra, hanc chartam inde conſcriptam, mandato noſtro, vt infra videtur, corroborantes, ſigilli noſtri munimine a Notario iuſſimus inſigniri.

Datum VIII. Cal. Iulii. Anno ab incarnatione Domini M°. CC°. XVIII. Indictione V. Epacta XI. concurrente VI.

No. CXX.

Rogatu Conradi Comitis Palatini de Rheno, Abbas Laurisheimenſis monachis Schonaugienſibus loca quaedam ſaltuoſa & inculta in Virnheim excolenda dimittit. Anno 1165. Ex Diplomatar. Schonaug. p. 19.

In nomine Dei omnipotentis. Heinricus diuina miſericordia Laurishamenſis Abbas. Vniuerſis Chriſti fidelibus, futuris ac preſentibus in perpetuum. Apoſtolica commonemur inſtitutione, vt bonum facientes non deficiamus, quo tempore ſuo metamus; precipue tamen neceſſitati Sanctorum communicantes, quia talibus hoſtiis promeretur Deus. Quo circa omnium fidelium Chriſti, futurorum ac preſentium nouerit experientia, quod nos, reſpectu ſuperne retributionis, atque *Aduocati noſtri, CVNRADI, Illuſtris Palatini Comitis de Reno*, conſenſu & rogatu, ceterorumque fidelium ac Fratrum noſtrorum perſuaſu commoniti, dilectis Fratribus noſtris in Schonaugia, & vere Chriſti pauperibus, quedam loca inculta & ſaltuoſa, infra terminum ville noſtre *Virnheim* ſita, partim agris, partim paſcuis opportuna, certis limitibus determinata, conceſſimus, quatinus ea iure hereditario teneant, excolant & poſſideant. Veruntamen ab exſtirpatione eiusdem ſilue, & ab inciſione lignorum, que banno ſunt obnoxia, niſi ex licentia noſtra, prorſus abſtineant. Atque vt prouentus laboris eorum, eccleſie quoque noſtre fructuoſus exiſtat, ipſorum annuente conniuentia ſtatuimus, quatinus trecentos caſeos, ſingulos precio denarii noſtre monete, loco decimarum annuatim perſoluant: quorum XXX. Parochiano in Virnheim; reliqui noſtro ſucceſſorumque noſtrorum vſui proueniant. De cetero ab omni infeſtacione alicuius penſionis, ab omni exactione iudiciarie poteſtatis liberi & immunes permaneant. Et quidquid pro opportunitate ſua in eisdem locis abſque detrimento ſilue elaborare vel excolere valuerint, vel voluerint, ex huius noſtre conceſſionis auctoritate libera in omnibus faciendi poteſtate pociantur. Et vt huius conceſſionis & conſtitutionis noſtre ſoliditas futuris temporibus certior firmiorque teneatur, cartam hanc exinde conſcriptam ſigilli noſtri impreſſione ſubter firmauimus, Nobiliumque ac Probabilium perſonarum teſtimonio commendabiliorem fecimus, quarum hec ſunt nomina:

de Clero:

Chunradus, Wormatienſis Epiſcopus.
Heinricus, Laurenſis Abbas.
Chunradus, Cuſtos de Wimpina.

de

de Liberis:
CHVNRADVS Palatinus.
Chunradus de Hohinhart, & filius eius Chunradus.
Waltherus de Huſen.
Gerhardus de Schowenburch.
Rudolfus de Kiſelowe.
Billungus de Lindenuels.
Chunradus de Hirzperg.
Bliggerus de Steinahe, & filii eius Bliggerus & Chunradus.
Ruothardus de Krutheim.
Erpho de Hirzberg.
De Miniſterialibus:
Wernherus de Wormatia.
Ingramus & Ruombarhdus de Hentſchuhesheim, & ceteri quam plures.

Acta ſunt hec *Hentſchuhesheim*, anno Dominice incarnationis MCLXV. Indictione XIII.

No. CXXI.

Conradus Comes Palatinus de Rheno Fratribus Schonaugienſibus confirmat, quae a Comitibus de Lauffen ſibi comparauerant. Anno 1184. Indidem p. 32.

In nomine Dei omnipotentis. Ego *CVNRADVS*, Dei gracia Comes Palatinus de Rheno, omni generationi tam preſenti quam future innoteſco, quod Comes Poppo de Lauſen emit predium a quodam Burchardo, nobili & libero homine de Elrebach, cuius pars quedam intermixta fuit predio Fratrum noſtrorum Schonaugienſium Grensheim. Proceſſu temporis non modici Cunradus Comes, frater Popponis, preueniente ſe gratia diuina, inito conſilio, tradidit ei partem ſuam caſtelli Horemberg pro predicto predio Gernsheim. Conuentione ergo tali facta, venerunt in preſentiam noſtram, & Comes, rogatu germani ſui, delegauit idem predium cum vxore ſua in manus noſtras & ipſius, & venerabilis Godefridi Abbatis Schonaugienſis & Fratrum ſuorum, abſque omni contradictione, quatenus ego illud libera manu traderem ſuper altare ſanctiſſime Dei genitricis, ſemperque Virginis Marie in Schonaugia, ad vſus ſeruorum Dei, inibi ſub regula B. Benedicti militantium, pro remedio anime ſue, & omnium parentum ſuorum, ſecundum quod ſcriptum eſt: Elemoſina viri redemptio eſt anime ipſius, & Dominus dicit

in Ewangelio: Date elemoſinam, & ecce, omnia munda ſunt vobis. Quia ſicut aqua extinguit ignem, ita elemoſina extinguit peccatum. Quod & factum eſt, nemine obſiſtente, vel contradicente. Preterea idem Comes Poppo habuit iuxta curiam Fratrum noſtrorum Schonaugienſium Gliſmutehuſen, quendam montem, vocabulo Rotemberch, in beneficio a Duce Bertholdo de Zäringen. Tandem inito conſilio in generali curia Friderici Romanorum Imperatoris Moguntie, coram Principibus, tradito alio predio prefato Duci, ipſum montem in propriam redegit poteſtatem. Quem duo liberi homines, videlicet Ocgerus de Wiſſinloch, miſſus ex parte Cunradi Wormatienſis Epiſcopi, & Hugo de Burch, ex parte noſtra, cum Comite Poppone, de manu ipſius Ducis ſine omni contradictione ſuſceperunt. Ea dumtaxat ratione, quatinus ipſum montem libera manu ſuper altare ſancte Dei genetricis Marie in Schonaugia delegarent. Quod ſic actum eſt, traditis ſibi vineis eorum Cimberen pro ipſo monte. Vt autem hec concambia, & cetera, que geſta ſunt, perpetim rata & inconuulſa permaneant, hanc cartam ſigilli noſtri, & Abbatis Schonaugienſis ſigilli impreſſione roborari & confirmari fecimus, ne prefatus Comes vel quiſquam conſanguineorum aut ſucceſſorum eius pauperes Chriſti, qui mundum reliquerunt & concupiſcentiam eius, in eisdem poſſeſſionibus moleſtare vel perturbare preſumat, ne iudicium omnipotentis Dei incurrat. Subiectis idoneis teſtibus.

de Clero:

Cunradus, Wormatienſis Epiſcopus.
Gotefridus, Abbas Schonaugienſis.
Diepoldus, Prior.
Manegoldus. Sigemarus. Vdalricus. Gotefridus. Rudolfus, Capellani.

de Liberis:

Cunradus Palatinus.
Boppo Comes. Cunradus Comes.
Bertholdus de Hohinhart.
Waltherus de Heienuelt.
Bliegerus & Cunradus de Steinahe.
Rudolfus de Bilſtein.

de Miniſterialibus:

Eberhardus de Erpach.
Marquardus de Hirzberch.
Helimbertus & Hartwicus de Huſen.

Crafto

Craſto de Otenheim.

Ingramus & Gotefridus, & alii quam plures.

Acta ſunt hec anno incarnationis Dominice MCLXXXIIII. Indictione II. temporibus Pape Lucii, & Friderici Romanorum Imperatoris, ac Cunradi Wormatienſis Epiſcopi.

No. CXXII.

Conradus Comes Palatinus de Rheno & Abbas Laurisheimenſis titulos acquiſitionis grangiarum in Scharra, Marpach & Nuenheim edunt, easque Schonaugienſibus Monachis confirmant. Anno 1187. Indidem p. 35.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Ego Sigehardus Dei gracia Laurenſis eccleſie dictus Abbas, & *CVNRADVS, Illuſtris Comes Palatinus de Rheno, & eiusdem Eccleſie* noſtre *Aduocatus*, Gotefrido, venerabili Schonaugienſis cenobii Abbati, cunctisque canonice ſibi ſuccedentibus, in perpetuum. Poſſeſſiones Eccleſiaſticas, quamuis ordine legitimo acquiſitas, ſepius tamen contigit poſtmodum iniquorum preualente verſutia importunis & grauibus ſubiacuiſſe querimoniis; ea maxime de cauſa, quod earum preſides, aut per incurie negligentiam, aut per vane ſecuritatis audaciam ſeducti, tam ſibi, quam ſucceſſoribus ſuis ad improbanda quelibet exactorie prouocationis argumenta, nullius auctoritatis priuilegia reliquerunt. Huiusmodi autem malefida ſecuritas cum iam dicto Abbati non immerito ſuſpecta fuiſſet, tres grangias, ſcilicet *Scharren*, *Marpach*, *Nuwenheim*, earumque pertinentias, infra Laurenſem terminum diuerſis modis collectas, qua ratione domui ſibi commiſſe prouenerint, debito priuilegio confirmari neceſſarium duxit. Nos quoque, qui diuine mercedis intuitu domus eiusdem ſorenſia negotia, quo liberius inibi Deo famulantes ſancte profeſſioni vacare poſſent, diſpenſare decreuimus, illud quoque ſummopere procurauimus, vt fere ſingularum poſſeſſionum portio ſubternotata, quam, niſi in beneplacito noſtre auctoritatis, ad ipſos tranſire per omnia tutum non fuit, taliter ab omni contradictionis onere prius expediretur, vt ſpe cuiuslibet heredis ordine iudiciario penitus excluſa, omnis exinde retractatio ſuperuacua redderetur. Ceterum omnis eius inuaſor anathemate perpetuo, niſi reſipiſceret, condempnaretur. Hanc igitur auctoritatis noſtre paginam ad poſteros tranſmittendam, ſigillorum noſtrorum inpreſſionibus, nec non & ipſius Abbatis, ſicut infra cernitur, fecimus inſigniri, vt, ſi forte neceſſitate in medium proferatur, a facie ipſius aduerſe partis machina diſſoluatur.

tur. Igitur, vt a *Scharren* incipiamus, quedam Hedewich de Lutinbach contulit Schonaugie in elemoſina, quidquid habuit in Scharren mobilium rerum & inmobilium, ſcilicet omnem domus ſue ſuppellectilem, cum pecoribus, agros cum pratis & curtibus, tam libera, quam cenſualia. Que cenſualia, cum ſint III. Manſi & quarta vnius, perſoluunt Hoſpitali Lauriſſe X. Vncias. Hec cum eſſet *Miniſterialis Palatini*, adhibita manu heredum, Helimberti & vxoris ſue, reſignauit hec Palatino, deleganda cenobio. Poſt idem Helimbertus cum vxore ſua vendidit Abbati XXVIII. Marcis manſum cenſualem & dimidium in agris & pratis. Inſulam quoque XXII. Marcis, & paleſrido & perna. Marquardus quoque de Ebeſtein XXVI. Marcis quidquid ibidem proprietatis habuit, & quidam Waltherus XXII. Marcis omne proprium ſuum. Et Wiggerus de Lampertheim manſum VIII. Marcis, quem habens in beneficio a quodam Iohanne, eidem illum reſtituit. Iohannes vero Palatino proprietatis iure cenobio delegandum reſignauit. Huius Wiggeri filius, eiusdem nominis adiecit XV. iugera inculta, Talento vendita. Et Hermannus de Zozzinbach paulo minus quam manſum proprium, & integrum cenſualem, XXIII. Marcis venditos. Hedewich dę Hemmingisbach dedit in elemoſina aream in villa & VIII. iugera agri contigua. Hartliebus filius Symonis vendidit XXV. Marcis & perna vnam Wilthubam, & vnam cenſualem. Horum, cum nos auctores & teſtes ſumus, adhibuimus & alios teſtes.

de Clericis:
Vlricum, Capellanum Palatini, & Rudolſum, Prothonotarium.
de Liberis:
Swiggerum de Vrahe.
Heinricum de Stralinberg.
de Miniſterialibus:
Marquardum de Hirzberg, & Ingramum, & alios quam plures.

No. CXXIII.

Conradus Comes Palatinus de Rheno & Abbas Laurisheimenſis profitentur iura & libertatem curtis ad Nuenheim Schonaugienſis. Anno 1191. Indidem p. 38.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Ego Sigehardus Dei gracia Lauriſſenſis Eccleſie dictus Abbas, & *CVNRADVS, Illuſtris Comes Palatinus de Rheno*, & *eiusdem Eccleſie* noſtre *Aduocatus*, Godefrido, venerabili Schonaugienſis cenobii Abbati, cunctisque canonice ſibi ſuccedentibus

cedentibus, in perpetuum. Curtis iuxta *Nuenheim*, & omne ſuum circumſeptum, a cenſu liberum eſt: ante portam eiusdem curtis vinea, vergens ad capellam, tres ſolidos perſoluit ipſi capelle. Tria iugera in Manewerch, & tria in Steinreid libera ſunt: cui Steinried adiacent alia duo, que perſoluunt duos ſolidos ad montem ſancti Michaëlis. Comparata autem ſunt XII. Marcis argenti examinati a Cunrado de Steinahe. Et hi teſtes ſunt:

Sigefridus Prepoſitus de Wimpina.
Cunradus de Hirzesberg.
Rumhardus de Hentſchuhesheim, & Ingramus, & alii quam plures.

Data anno Dominice incarnationis MCXCI. Celeſtini Romani Antiſtitis anno I. & Heinrici Imperatoris Imperii anno I. ſub Cunrado ſecundo, Wormatienſi Epiſcopo.

No. CXXIV.

Conradi Palatini Coniugem Irmentrudim & filiam Agnetem Philippus Colonienſis Archiepiſcopus inueſtit de caſtro Staleke & de Aduocatia Bacharacenſi, quoad earum alterutra vixerit. Anno 1189. Ex Freher. Orig. Palat. T. I. p. 92.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *Philippus* diuina diſpenſatione ſanctae Colonienſis eccleſiae Archiepiſcopus, vniuerſis Chriſti fidelibus, tam praeſentibus quam futuris, in perpetuum. Scire volumus omnes in Chriſto renatos, quod caſtrum *Stabeleke* & aduocatiam in *Bacherache*, a manu *Domini Palatini Comitis CVNRADI*, cum aliis, quae illic a nobis in beneficio tenuit, ipſo rogante & haec nobis reſignante, ſuſcepimus, & in eodem momento ipſi & eius iugali, Dominae *IRMENTRVDI*, eiusque *filiae AGNETI*, iure feodali conceſſimus, accepto ab ipſis Dominabus hominio, ſtatuentes, vt, dum vixerint, haec pariter poſſideant, &, ſi vnus aut duo deceſſerint, quicunque illorum ſuperſtes fuerit, ſine omni contradictione idem beneficium habeat. Quod quia piis eorum precibus annuentes, ſic inſtituimus, nec ab aliquo interitura reuocari potuerit, (*) in praeſenti carta conſcribi, & hanc inpreſſione ſigilli noſtri muniri fecimus.

Facta ſunt haec anno Dominicae incarnationis MCLXXXIX. Indictione VII. Clemente III. ſanctae Romanae Sedis antiſtite, regnante Frederico Romano Imperatore, eiusque filio Rege Heinrico, ſub teſtibus his:

Iohanne-

*) Lege: ne ab aliquo in irritum reuocari poſſit.

Iohanne Treuirorum Archiepiſcopo.
Brunone Praepoſito Sanctae Mariae in Colonia, eiusque fratre Euerhardo, Comite de Seine.
Diodorico Comite de Widun, & filio Tiderico Clerico.
Reginhero Comite de Froisbrecht.
Vlrico Comite de Nurberg, & eius filio.
Gerhardo Comite de Are.
Gerhardo Comite de Dietha.
Bertholdo Comite de Kazenelnbogen.
Ludouico Comite de Spanheim.
Symundo Comite de Sareburgken.
Heinrico Comite de Keſſele.
Reginboldo de Iſenburg.
Gerlaco de Couern.
Friderico de Erenberg, & eius filio Friderico.
Heinrico de Milevvalt.
Wernhero de Bruneshorn.
Heinrico de Dicke, eiusque filio Alexandro (*Algrando.*)
Hermanno de Walebach, & eius fratre Friderico.
Vymanno, Hemethono, Hereberto, confratribus de Sigenheim.
Frederico de Kirberg.
Humberto de Sconenburg.
Cunrado de Boparde.
Richardo de Duna.
Gerhardo Pincerna Epiſcopi Colonienſis, qui dicitur Suar.
Hermanno aduocato Pinguenſi.
Tidorico de Clotceue.
Iohanne de Daleheim, & aliis quam pluribus.

No. CXXV.

Conradus Comes Palatinus Rheni Monaſterium Rauengesburgenſe, in regione Simmerenſi ſitum, in tutelam ſuſcipit. Anno 1190. Ibidem p. 91.

NOS *CONRADVS* Dei gratia *Comes Palatinus Rheni*, omnibus & ſingulis, ad quos praeſentes literae peruenerint, cupimus eſſe notum. Quod, cum curtis & bona monaſterii ſancti Chriſtofferi in Reuengyrſpurk, apud villas noſtras Diepach & Mannenbach ſita, de manu illuſtris Comitis Bertholdi, fundatoris dicti monaſterii,

ſterii, ad ipſum monaſterium dinoſcantur iure liberrimo deuoluta, imo etiam iure pleno ſibi ſaluo, tam in aquis & paſcuis, quam in viis & inuiis, ſyluis & nemoribus villarum noſtrarum praedictarum, quoad omnes vſus curtis & bonorum eorundem, Religioſi viri, Praepoſitus & Conuentus monaſterii praefati curtem ipſam & bona contributioni annuae precariae, vniuerſitati dictarum villarum noſtrarum ab antiquo impoſitae, ad alleuiandum eis onus huiusmodi, per hoc non ſolum dictae vniuerſitati, ſed nobis & noſtris heredibus complacere ſperantes, ſub certa ſumma quatuor marcarum denariorum, voluntate ſpontanea ſubmiſerunt, tali conditione, quod ſi quid de curte & bonis his alienari contigerit in futurum, ſi fuerit in valore vnius marcae, duos denarios portabit dictae precariae, ab huiusmodi alienati poſſeſſore, quocunque in antea exiſtente, ſiue nobilis, ſiue alterius conditionis exſtiterit, a modo perſoluendos; curti vero & bonis praedictis de ſumma quatuor marcarum praefatarum in perpetuum defalcandos. Eodem modo de reliquis, quae alienari contigerit, obſeruando proportionaliter: nec non duobus denariis Treuerenſibus vel altera moneta aequiualente, pro tempore computandis pro denario quolibet de praedictis. Nos autem *Comes Palatinus* praefatus, conſiderantes in praemiſſis dictorum Religioſorum affectuoſam circa noſtra & noſtrorum beneplacita voluntatem, & praecipue, fauorem monaſteriis impenſum Deo fore acceptabilem, intuentes, ipſum monaſterium cum omnibus ſuis in noſtram & heredum noſtrorum protectionem perpetuam aſſumpſimus bona fide. Veruntamen quamuis itaque noſtri heredes, noſtrique & eorum officiati, ac tota vniuerſitas terrae noſtrae, dictum monaſterium in perſonis & rebus debeamus de cetero fideliter defenſare; vniuerſitas tamen villarum Diepach & Manninbach praedictarum, ratione contributionis praenotatae, dabit ad hoc, & maxime ad conſeruationem iuris & libertatis curtis & bonorum praefatorum operam prae aliis ampliorem, etiam contra omnem hominem, dicto iuri & libertati contrarium facientem. Ad quod ſe dicta vniuerſitas ſponte aſtringit, pro ſe & ſuis ſucceſſoribus omnibus, fide corporali dictis Religioſis loco iuramenti praeſtita, coram nobis. Dicta enim curtis & bona in omnibus aliis, praeter contributionem memoratam, libera ſunt penitus & exempta, ita quod etiam nobis, & noſtris heredibus, nec non dictarum villarum Diepach & Manninbach vniuerſitati, excepta duntaxat contributione eadem, nihil iuris ſeu poteſtatis cuiuscunque competit in eisdem, ac in eorum incrementis, emolumentis & prouentibus vniuerſis, nec non in dictae curtis incolinis, familia, iumentis, vecturis, hoſpitationibus, ac rebus aliis quibuscunque. Ne igitur iuri & libertati huius-

Digitized by Google

modi per aliquem mortalium inpoſterum aliqualiter derogetur, dictam curtem & bona in noſtrae & heredum noſtrorum protectionis & pacis gratiam recepimus ſpecialem, dantes eisdem Religioſis praeſentes literas uper iure & libertate praedicta, ac ſuper omnibus praemiſſis, noſtri ſigilli ppenſione, firmiter roboratas:

Acta ſunt haec praeſentibus, vna cum *ſpectabili Comitiſſa Palatina IRMENTRVDE, noſtra coniuge legitima*, teſtibus ſubnotatis:
Henrico Dapifero noſtro.
Henrico de Dikke.
Dudone de Lorch.
Friderico de Kerebergk.
Eccleſiaſtico de Bacharaco.
Eccleſiaſtico de Diepach, & aliis quam pluribus fide dignis.
Datum anno Domini MCXC. Kalendis Aprilis in Caſtro noſtro *Stalekun.*

No. CXXVI.

Henricus VI. Imperator confirmat donationem Mokernik & Scholene, factam per Ottonem & Albertum Marchiones Brandenburgicos Eccleſiae Magdeburgenſi, ſubſcriptore Henrico Duce de Brunſuich. Anno 1195.

Ex Diplomatar. Magdeburg. Mſct.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *HEINRICVS* ſextus diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Rex Siciliae. Hiis, quae a noſtra maieſtate poſtulantur, eo fauorem noſtrum libentius impertimus, quo per ea & maior vtilitatibus eccleſiarum accedit commoditas, & legitimis nichil deperit inſtitutis. Inde eſt, quod praeſentium & futurorum noticiae transmittimus, quod, cum eſſemus in Curia ſolempni Geilinhuſin, fideles noſtri, nobiles viri, *Otto* videlicet Marchio Brandenburgenſis, & *frater* eius *Albertus*, in noſtrae celſitudinis praeſentia, vbi copioſus principum atque fidelium Imperii aderat numerus, manifeſte ſunt confeſſi, quod vterque eorum, altero petente & compromittente, hereditatem ſuam Mokernik cum omnibus ſuis pertinentiis, & Scolene cum tenumentis ſuis, agris, nemoribus, pratis, paſcuis, molendinis, cultis & incultis, aquis aquarumue decurſibus, eccleſiae Magdeburgenſi contradidit, & ambo petierunt donationem ſuam diualis paginae noſtrae patrocinio corroborari. Statuimus ergo & Imperiali edicto firmiter ſancimus, vt nulla omnino perſona, alta vel humilis, eccleſiaſtica ſeu ſecularis, contra hanc noſtrae con-

firmationis

quoque eius *ſoror*, Domina *Liutgardis*, obtulit vineam XX. Marcarum cuſtodie iam dicte eccleſie, ex qua vinum conſecrationis Miſſarum perpetuo habeatur. Hoc itaque pium, & laudabile factum iam nominati *ſoceri* noſtri, pro parte noſtra, & dilecte *Coniugis* noſtre *Agnetis* confirmantes, addimus inſuper, vt, ſi qui poſtea noui habitatores ſuperuenerint, ſicut & primi, habeant preſcriptam poteſtatem, ſe & ſua libere offerendi. Hanc autem ſcripturam, huius rei ſeriem complectentem, noſtro ſigillo & *ſocrus* noſtre, ipſiusque *germane*, iuſſimus communiri, & ſubſcriptis idoneis teſtibus, confirmari.

De Clero:

Sigehardus Abbas Laurenſis.
Meffridus Abbas Eberbachenſis.
Diepoldus Abbas Schonaugienſis.
Volpertus Prepoſitus ſancti Cyriaci.
Rudolfus Notarius, Monachus ſancti Egidii.
Cunradus, Plebanus in Heidelberch.
Albertus Notarius.
Marquardus Prepoſitus de Nouo caſtro.
Helfricus Prepoſitus de Lobenuelt.
Heinricus, Plebanus de Bacharacha.

Laiai:

Symon Comes de Saraponte.
Heinricus Comes de Geminoponte.
Walrauen, Comes de Naſſauue.
Bertoldus, Comes de Ramesberch.
Cunradus, Comes de Eberbach.
Boppo, Comes de Laufen.
Blicgerus de Steinahe, & filii eius, & alii quam plures.

Acta ſunt hec anno Dominice Incarnationis MCXCVI. Indictione quinta decima.

No. CXXVIII.

Henricus Dux & Palatinus Rheni venditionem trium manſorum in Bruneſwich in veteri vico Canonicis S. Blaſii factam confirmat. Anno 1196. Ex autographo Tabularii San-Blaſiani.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *Heinricus* Dei gratia Dux & Palatinus Comes Rheni. Dignitas noſtrae poteſtatis exigit, vt, cum iuſte poſſumus, eccleſiis, quae noſtrae iuriſdictioni ſubie-

ctae ſunt, ſollicite prouideamus, quia coram Deo acceptum eſt, & exinde quies & incrementum eccleſiis naſcitur. Hinc eſt, quod notum eſſe cupimus tam futuris, quam praeſentibus, qualiter Fridericus de Veltheim, Canonicus ſancti Blaſii, tres manſos in Bruneſwich in veteri vico, quos a praepoſitura in beneficio tenuit, Canonicis beati Blaſii, acceptis quinque marcis argenti, dimiſit, noſtro in hoc aſſenſu concurrente, vt in perpetuum vſibus fratrum deſeruiant. Nec in hoc alicui Praepoſito derogatum eſt, cum ex antiqua conſuetudine idem manſi alicuius Canonici beneficium fuerint, & praepoſitura ipſa noſtrae poteſtati ſit ſubdita. Quoniam autem huius temporis generatio praua eſt, atque peruerſa; huic tam rationabili actioni noſtrae auctoritatis munimenta praeſtamus, & ſcripto noſtro ac ſigilli impreſſione iniquis inpoſterum malignandi aditum vſquequaque praecludimus.

Acta ſunt haec in ciuitate noſtra Bruneſwich. Anno Domini M.C.LXXXXVI. Indictione XIIII.

Teſtes hii ſunt:

Baldewinus Decanus.
Iohannes Presbyter.
Dauid Presbyter.
Conradus, Heinricus, Herewicus, Fridericus, Ludolfus, Heinricus, Anno, Iohannes & Iohannes Canonici.
Baldewinus Aduocatus.
Ludolfus frater ſuus.
Iordanis Dapifer.
Fridericus Marſcalcus, & Baldewinus frater ſuus.
Ludolfus & Baldewinus de Esbike.
Ludolfus & Bertramus de Veltheim, & alii quamplures.

No. CXXIX.

Henricus Dux & Comes Palatinus Rheni adprobat venditionem V. manſorum in Offeleue, a Riddageshuſenſibus emtorum. Anno 1196. Ex autographo Tabular. Riddageshuſ.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *HEINRICVS Dei gratia Dux & Palatinus Comes Rheni.* Conſtare volumus vniuerſitati fidelium, quod Baldewinus & Ludolfus, miniſteriales noſtri, aduocati de Bruneſwic, cum permiſſione noſtra & voluntate & conſenſu haeedum ſuorum, quinque manſos in *Offeleue* cum omni vtilitate in pratis, paſcuis

Digitized by Google

ſirmationis diualem paginam venire audeat, vel ei auſu temerario contraire. Quod ſi quis facere attemptauerit, in vltionem transgreſſionis centum libras auri componat, medietatem Camerae noſtrae inferendam, partem reſiduam iniuriam paſſis perſoluat. Vt autem haec noſtra confirmatio rata permaneat & inconuulſa, praeſentem inde paginam conſcribi, & ſigillo maieſtatis noſtrae iuſſimus communiri.

Huius rei teſtes ſunt:

Conradus Maguntinenſis Archiepiſcopus.
Ludolffus Madeburgenſis Archiepiſcopus.
Rudolffus Verdenſis Epiſcopus.
Bernardus Dux Saxoniae.
HEINRICVS Dux de Brunſwick.
Hermannus Lantgrauius Thuringiae.
Otto Marchio Brandenburgenſis.
Adolſus Comes de Scowenburch.
Gebhardus Burggrauius Magdeburgenſis.
Poppo Comes de Werthem.
Albertus Comes de Spanheim.
Robertus de Durna.
Hartmannus de Gotingen.
Arnoldus de Homburch.
Heinricus Marſcalkus Kalindin.
Henricus Pincerna de Luter, & alii quam plures.

Signum Domni Heinrici Sexti Romanorum Imperatoris inuictiſſimi, & Regis Siciliae.

Ego Conradus Imperialis aulae Cancellarius, vice domini Conradi Maguntinenſis Archiepiſcopi, totius Germaniae Archicancellarii, recognoui.

Acta ſunt haec Anno Domni M.C.XCV. Indictione XIIII. regnante domino Heinrico Sexto, Romanorum Imperatore glorioſiſſimo & Rege Siciliae, Anno regni eiusdem viceſimo ſexto, Imperii vero quinto.

Datum Gailinhuſen, quinto Kal. Nouembris.

No. CXXVII.

Henricus Comes Palatinus Rheni praedii in Opphaue donationem, Monaſterio Schonaugienſi a ſocero Conrado & ſocru Hirmentrude factam, ſuo & coniugis Agnetis nomine confirmat, & aliam Luitgardis, germanae ſocrus ſuae, donationem vna ratam habet. Anno 1196. Ex Perilluſtris Dn. Gudeni Sylloge diplom. p. 48.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *HEINRICVS* Dei gratia *Palatinus Comes Rheni.* Quoniam eccleſias Dei, cuius ſunt omnia, que poſſidemus, defenſionibus protegere, largitionibus & donis fauere, tam ſalubre eſt, quam fide certiſſimum, opera hec & ſimilia apud eum deponi, qui potens eſt ſeruare in illum diem retributionis, quo idem iuſtus Iudex omnibus retribuet, prout quisque promeruit. Idcirco nos dignum duximus, ſuppletionis manum pio & memorando operi dilecti *ſoceri* noſtri D. *Cunradi*, Illuſtris *Comitis Palatini Rheni*, digne & recolende memorie, adhibere, & opus miſericordie, quod inceperat, eterne ſecuritati commendare. Qua propter notum facimus omnibus hominibus, tam preſentibus, quam futuris, quod preſatus *ſocer* noſter, Palatinus Comes Rheni, vna cum Illuſtri Coniuge ſua, & dilecta *ſocru* noſtra, Domna *Hirmengarde*, diuine retributionis intuitu, eccleſie beate Virginis, Dei genitricis Marie in Schonaugia, in qua ſibi, & iam dicte *Hirmengardi*, prenobili iugali ſue, ſepulture peciit locum & elegit, tradidit quoddam predium ſuum in Opphauue, cum iure & vtilitate ſua, habendum perpetuo & pleno iure dominii a preſata eccleſia Schonaugienſi poſſidendum. Voluit quoque & ſtatuit, vt primi fructus ipſius predii, a iam dicta eccleſia percepti, deponerentur ad conſtructionem eiusdem eccleſie Capituli, quoadusque poſſint ſufficere ad opus preſatum. Tradidit quoque liberam poteſtatem hominibus ſue ditionis, cuiuscumque forent profeſſionis vel conditionis, eidem eccleſie ſe poſſe offerre, & de rebus ſuis mobilibus & immobilibus, quando & quantum vellent, tribuere, omni contradictione ceſſante. Statuit quoque, vt duo dies anniuerſarii, in ſui & ſue Coniugis memoria, de ipſius predii fructibus caritatiue agantur. Poſt mortem vero ipſius, clariſſima eius *vxor* inſulas Rheni, ipſi predio adiacentes, pro remedio anime viri ſui, & ſue preſcripto donauit monaſterio, iure perpetuo habendum. Sic tamen, vt ex ipſarum fructibus in duobus ipſius eccleſie altaribus, ſancti Michaëlis videlicet & ſancti Nicolai, perpetua luminaria preparentur. Clariſſima quoque

paſcuis & ſiluis, vendiderunt fratribus in Redageshuſen, pro LX. marcis. Vt autem huius venditionis contractus ratus & inconuulſus in perpetuum perſeueret, in teſtimonium & robur firmitatis, praeſentem paginam ſigilli noſtri inpreſſione conmuniuimus, & idoneorum teſtium ſubſcriptione roborauimus.

Teſtes autem hii ſunt:
Iordanis Dapifer.
Fridericus Marſcalcus.
Baldewinus frater eius.
Anno de Blankeburc.
Baſilius de Oſterod.
Olricus de Botmere.
Erkebertus de Scoderſtede.
Eilardus de Oberge.
Erneſtus de Algodeſtorp.

Data per manum Alberti ſcriptoris anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo LXXXXVI. indictione quarta decima.

No. CXXX.

Henricus Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni, donationem molendini Scheningenſis beato Laurentio factam confirmat. Anno 1196. Ex authentico Mſct. Scheningenſi.

IN nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *HEINRICVS Dei gratia Dux Saxoniae & Palatinus Comes Rheni.* Dignitatis noſtrae debitum exigit, vt eccleſiis Dei omni, qua poſſumus, diligentia prouidere ſtudeamus. Notum igitur eſſe volumus tam praeſentis quam futuri temporis fidelibus, quod Heinricus de Twiflinge, ex permiſſione noſtra, & *fratrum* noſtrorum *Willehelmi* & *Ottonis*, cum conſenſu heredum ſuorum, molendinum quoddam de praedio ſuo in Sheeninge ſitum, Eccleſiae B. Laurentii in eadem villa pro anima patris ſui & matris ſuae & fratris ſui, vxoris quoque ſuae & filiorum ſuorum, cum omni integritate contulit, hac conditione, vt cuſtos iam dictae Eccleſiae cenſum molendini cum omni vtilitate annuatim recipiat, & inde luminaria Eccleſiae prouideat. Hoc ergo propoſitum ſuum rationabile approbamus, & quicunque contra hoc factum inpoſterum venire temptauerit, offenſam Dei omnipotentis & noſtram ſe nouerit incurriſſe.

Huius

Huius ordinationis teſtes ſunt:

Thidericus Praepoſitus eiusdem loci.

Conradus Prior.

Fratres eiusdem Eccleſiae Wernerus, Vdo, Aldagus, Edelerus, Otto, cum vniuerſo conuentu;

Laici: Bertholdus Sculthetus.

Bertoldus de longa curia.

Heinricus Gogreue, & alii quam plures, tam clerici, quam laici.

Factum eſt hoc anno Domini MCLXXXXVI. Indictione XIIII. VI. Idûs Septembris.

Praeſidente S. Romanae Eccleſiae Papa Celeſtino. Regnante Heinrico Romanorum Imperatore.

Vt autem hoc factum ratum & inconuulſum permaneat, hanc paginam ſigilli noſtri impreſſione ſignauimus.

No. CXXXI.

nuentarium omnium bonorum Capituli S. Cyriaci, ſigillatum per Ducem Henricum, Palat. Comitem Rheni.

HAEC ſunt bona eccleſiae ſanctae Crucis ſanctique Cyriaci martyris in Bruneſwic pertinentia . . . . . . Canonica inſtitutione Domino ſeruientium, quae contulit bonae memoriae illuriſſimus . . . . . . pro remedio animarum ſuarum.

Rothne III. manſi, quorum duo ſoluunt XIIII. . . . . . . eorum, II. mod. *Tſikthe* VI. & dimid. quorum V. ſoluunt XL. ſol. ſextus I. ſol. dimid.

. . . . . . & vna area VI. den. *Apelderſtide* VIII. manſi quorum II. ſoluunt XL. octauus . . . . . . *Hellesbem* II. manſi, quorum vnus I. alter. VII. ſol. & III. mod. *Hachem* . . . . . . *Otheme Rothe* I. manſ. II. ſol.

Eſtampenloue I. manſ. VIII. ſol. *Tweleken* VI. manſ. . . . . . . III. ſol. & III. mod. *Lellenbeim* IIII. manſ. quorum III. ſoluunt XXIIII. ol. quartus VI. ſol. . . . . . . *mſtide* I. manſ. VII. ſol. & III. mod. *loltborpe* quaedam iugera, quae ſoluunt II. ſol. *Sudda* . . . . . vnum dimid. manſ. qui ſoluit IIII. ſol. *Wobeke* I. manſ. VI. ſol. & III. mod. *udenſtide* XII. manſ. vnus eorum ſoluit . . ſol. aliorum quilibet II. ſol. & quilibet eorum III. modios.

In

Digitized by Google

In *minori Budenſtide* III. manſ. & dimidius, quorum quilibet - - ſoluit VII. ſol. & III. mod. *Volchereſtorp* II. manſ. quorum vnusquisque ſoluit VIII. ſol. & III. mod. *Tweleuen* . . . . quorum vnusquisque ſoluit VII. ſol. & III. mod. *Heſekeſtorp* I. manſ. X. ſol. & III. mod. *Algoteſtorp* IIII. . . . . . quorum duo ſoluunt XIIII. ſol. duo ſoluunt XVI. ſol. dimidius IIII. ſol. quilibet eorum III. mod. *Wac* . . . . - quorum quilibet ſoluit VIII. ſol. & III. mod. *Twiſlinge* III. manſ. quorum quilibet ſoluit VIII. . . . . . . ſoluunt XVI. ſol. dim. IIII. quilibet III. mod. *Ierkesheim*. IIII . . . . .

Stee bonum quod ſoluit . . . . . *Gluſinge* vnus manſ. qui ſoluit X. ſol. & III. mod. *Timbere* II. manſ. qui ſoluunt XVIII. ſol. *Winnigſtide* I. manſ. qui ſoluit XIII. ſol. & III. mod. *Ergedſtide* V. manſ. quorum quilibet ſoluit VIII. ſol. & III. mod. *Aſpenſtide* III. manſ. quorum quilibet ſoluit VIII. ſol. & III. mod. *Nieuthorp* V. manſ. quorum quilibet ſoluit VIII. ſol. & III. mod. *Wenethesheim* IIII. manſ. quorum quilibet ſoluit VIII. ſol. & III. mod. & area, quae ſoluit VI. den. *Weſterheim* IIII. manſ. quorum quilibet ſoluit. VIII. ſol. & III. mod. *Alteuesheim* III. manſ. quorum quilibet ſoluit VIII. ſol. & III. mod. *Dalem* III. manſ. quorum II. ſoluunt XIII. ſol. & VI. mod. tertius VI. ſol. & III. mod. *Vrethe* quaedam iugera quae ſoluunt II. . . . *Seuenesleue* quaedam quae ſoluunt XXX. den. Inter *Gereksheim* & *Krelinge* quaedam, quae ſoluut III. ſol. Haec . . . . . emit Decanus Reimarus a Ludolfo de Schepenſtide Molendinum vnum *Apelderſtide*, quod ſoluit . . . In *maiori Veledſtide* XXIII. manſos absque allodio, quorum quilibet ſoluit VIII. ſol. & III. mod. IIII. iugera cum area vna, quae ſoluunt IIII. ſol. In *minori Veledſtide* VIII. manſos, quorum quilibet ſoluit VIII. ſol. & III. mod. *Herethe* II. manſ. quorum vnusquisque ſoluit VIII. ſol. & III. mod. *Cramme* dimid. manſ. qui ſoluit VI. ſol. *Hilſede* I. manſ. qui ſoluit VI. ſol. *Sunnenberge* III. manſ. quorum quilibet VIII. ſol. & III. mod. & quinque iugera, quae ſoluunt II. ſol. *Gledinge* dimidium manſ. qui ſoluit IIII. ſol. *Runinge* IIII. manſ. & dimid. quorum II. & dimidius ſoluunt talentum & annonam, duo tantum XXV. ſoli . . . *Halechtere* IIII. manſ. quorum quilibet ſoluit VIII. ſol. & III. mod. *Pungenſtide* dimidius manſus, qui ſoluit IIII. ſol. *Beierſtide* II. manſ. . . . . qui ſoluit. VIII. ſol. & III. mod. In *Scoderſtide* II. ſol. *Wattekesheim* I. quem Decanus Reimarus emit eccleſiae ad ignem in hyeme. *Berneſtorp* II. ſol. *Wenedeburch* I. manſ. qui ſoluit IIII. ſol. . . . . . *eritle* III. manſ. quorum vnus ſoluit modium ſiliginis, duo IIII. ſol. *Honrothe* I. manſ. qui ſoluit mod. ſilig. *Hillebechterode* III. manſ. quorum I. ſoluit mod. ſilig. duo IIII. ſolid.

Digitized by Google

In *Karsbike* dimidius manſ. & . . . . . ſoluit IIII. ſol. In *Betlene* dimid. manſ. & area, quae ſoluunt IIII. ſol. In *Watenſtide* I. manſ. & area, quae ſoluunt VI. modios magnos tritici. *Liedenghuſen* LXX. modioli ſiliginis. *Rithuſen* I. manſ. qui ſoluit III. ſol. *Rotesheim* I. bonum, quod ſoluit II. ſol. *Kretechenhuſen* I. bonum, quod ſoluit IIII. ſol. *Eklethe* II. ſol. & VI. nummos, qui vocantur *Hunechpenninge*. *Gerswide* II. ſol. & VI. num. *hunechpen.* *Locthendorp* II. ſol. *Hal* . . . . ſitulam mellis & VIII. num. *hunechpen.* *Neuere* IIII. ſol. *Honhorſt* IIII. ſol. & VI. num. *hunechpen.* *Hachene* IIII. ſol. *Bliewede* XIIII. ſol. *Wiedeſele* VI. ſol. *Wiederesdorp* II. ſol. *Stenbeke* II. ſol. *Bar* . . . . . *Wittinge* IIII. ſol. *Meteſinge* V. ſitulas mellis & totidem VI. num. *hunichpen.* Iſti nummi, qui vocantur *Hunichpen.* pertinent Vice Domino. *Alerſele* VII. manſ. qui ſoluunt XVIII. den. *Adenhuſen* V. manſi, quorum quilibet ſoluit IIII. ſol. absque allodio, quod ſingulis annis ſoluit I. ſol. Ad *paruum Swilber* II. ſol. In bonſ . . . . . quae ſoluit II. nummos. *Yſinebutle* II. ſol. Ad praebendam fratrum. *Wetmereshagen* II. ſol. *Eilardebutle* XVIII. den. *Berchtisbutle* XVIII. den. *Waggen* IIII. ſol. & VI. den. *Lere* IIII. ſol. *Herederod* IIII. ſol. *Tithe* IIII. den. *Wartisbutle* VI. den. *Brunesrothe* II. manſi, vnus ſoluit VI. ſcat. mellis & VI. mod. auenae & II. hordei & dimidium remellini, vnus ſoluit IIII. ſcat. mellis & VI. mod. auenae & II. hordei, & dimidium remellini. Mel debet ad ſeruitia, reliqua Vice Domino. *Errenrod* VII. ſcat. mellis, cera totius mellis debet tota cuſtodi. *Eiſenbutle* molendinum cum omnibus vtenſilibus debet Dominis, excepto I. talento, quod debet ſolui Praepoſito. X. manſos iuxta montem, qui ſoluunt annonam, II. manſos *Munnenſtide*, qui ſoluunt annonam, XV. ſol. de nouali iuxta montem, & decaniam ipſius noualis, quam contulit beatae memoriae bru . . . . . menſis fratribus ſanctae Crucis & ſancti Cyriaci. *Benneſtorp* villam cum eccleſia & omnibus vtenſilibus . . . . . . & manſorum, qui ſunt XXXIIII. ſc. exceptis tribus manſis, qui ſoluunt praepoſiturae XII. ſol. Habent praeterea fratres *Dudinge* I. manſ. qui ſoluit IIII. ſol. *Aldenthorn* . . . . . . *Medele* XVIII. den. De ſalina iuxta *Hemmen* . . . . . . Item absque ſupra noſatis emimus in . . . . . . ab Aduocato *Baldewino* & fratre ſuo . . . . . . Palatino Rheni confirmatum eſt banno multorum ſacerdotum & ſigillo Domini noſtri *Henrici* Ducis & Palatini Rheni confirmata ſunt omnia, quae ſunt in carta iſta. Item in *maiore Velerſtide* emimus dimidium manſum a Dno. . . . . & cum bona donatione ipſius & vxoris ſuae & filiorum ſuorum. Quicunque temeraria praeſumtione haec omnia infringere non formidauerit, ſit Anathema Mara Natha.

. . . *Wer-*

Digitized by Google

. . . *Wernerus* tres manſos in *Atleueſſen* pro XXX. & II. marcis a IIII. fratribus . . . . . . *Friderico*, *Bertoldo de Ampeleue.* Hos manſos incoluit quidam *Aluericus* . . . . . . in beneficio a Domino Henrico Palatino & Comite Rheni, cui beneficio dum renunciarent, Henricus Palatinus & Comes Rheni intuitu Dei & ſanctorum omnium & petitione praedictorum IIII. fratrum com . . . . . . Aluericum cum ſuis haeredibus eccleſiae noſtrae. Et hoc inſigniri fecit ſigillo ſuo . . . . . . & banno multorum Sacerdotum, & ſignatum ſigillo S. Crucis & S. Cyriaci.

Haec ſunt bona *Praepoſiturae* ſanctae Crucis & ſancti Cyriaci in Bruneſwic. In . . . . . . XVIII. manſi & dimidius, qui ſoluunt VII. talenta & dimidium & VI. ſol. In *minori* . . . . *ſtide* III. manſi, qui ſoluunt XXIIII. ſol. In *Brorethe* III. manſi, ſoluentes XVIII. ſol. In *Brotſem* ſex & dimidius manſus, ſoluentes II. talenta & III. ſol. In *Runinge* II. manſ. ſoluentes XVI. ſol. In *Leyforde* dimidius manſus ſoluens . . . . *Woltborp* I. manſus, ſoluit IIII. ſolid. *Weronboke* de vno bono IIII. ſol. In *Crerenchuſen* IIII. ſol. . . . . . *Roenhuſen* VIII. ſol. *Werdelinchuſen* III. ſol. *Volquardiſſem* XXX. modii humuli & VI. an. *Wenhuſen* II. manſi & dimidius, ſoluentes X. ſol. & XIII. mod. humuli. *Eklege* V. ſol. In alia villa *Eklege* III. . . . . Dum hoſpitium Vice Domino & Officiali Praepoſiti dum vadit pro requirendis bonis, & hoc bonum . . . . . . *Hou* . . . . . XXIII. den. In *Metringe* IIII. bona & vna area, quae ſoluunt III. ſitulas mellis & XIIII. . . . . . den. *Hetborne* III. ſol. *Hennebutle* II. manſi ſoluentes VI. ſol. In *Herederothe* dimidius manſus ſoluens I. ſol. *Rotze* II. manſi, ſoluunt XVI. ſol. *Atleueſſen* III. manſi, XXIII. ſol. *Winezhuſen* I. manſus VIII. ſol. *Haghem* II. manſi XVI. ſol. *Cublinge* II. manſi XVI. ſol. *Ampeleue* II. manſi & dimidius XVIII. ſol. In *paruo Dalem* II. ſol. *Gerekſem* I. manſus VIII. ſol. *Beierſtide* II. manſi & dimid. XX. ſol. In monte qui dicitur *Heſenem* ſoluit IIII. ſol. *Lethenchuſen* vnum bonum ſoluit XXXVI. modiolos ſiliginis. *Watenbüttel* . . . . ſoluunt modium ſiliginis magnum & II. ſol. De ſalina in Dalem IIII. manſ. ſoluunt maiorem mod. . . . . . . Salina VIII. ſol. Item in *Saldalem* III. manſi XXIIII. ſol. . . . . . . In *Hattorp* II. manſ. XII. ſol. . . . . *Adenſtide* IIII. manſ. XL. ſol. *Brug . . sberg* I. manſ. X. ſol. *Mun-nenſtide* I. manſ. VI. ſol. *Oberge* . . . . . . XVIII. ſol. *Burgwide* II. ſol. *Winedeburg* III. modios ſiliginis. *Timberlo* manſus & dimidius XII. ſol. *Wende* I. manſ. VIII. ſol. *Senſtide* allodium de tribus manſis

& dimidio, quod ſoluit X. maiores modios tritici, ... mod. auenae. *..igte* III. manſ. XXIIII. ſol. *Manbuſen* II. ſol. *Witmershagen* II. ſol. *..kwa* . . . . . . III. manſ. XII. ſol. *Sulinge* molend. & manſ. & dimid. ..uae omnia ſoluunt XXIIII. ſol. *Ingenloue* . . . . . . manſus, ſol..entes marcam & dimid. *Tweleuen* II. manſ. XIIII. ſol. *Helekeſthorp* dimid. manſi. . . . . *Bruneſthorp* III. manſ. XII. ſol. Omnes hi manſi, qui ſoluunt VI. ſol. vel plus ſoluunt, III. marc. . . . . . . in *Amlinge.* Hi reditus omnes denariorum ſunt XL. & duo talenta. Commendentur pr. . . . . . . eccleſia in *Velerſtide* attinet praepoſiturae, & debet Dominus Praepoſitus praefatae eccleſiae ſancti Cyriaci . . . . prouidere & inueſtire. Quicunque temeraria praeſumtione haec omnia infringere non formidauerit, ſit Anathema Mara Natha.

Haec ſunt attinentia ad *Cuſtodiam* victorioſiſſimae Crucis ſanctiſſimique martyris Cyriaci in Bruneſwic. *Hergerſtide* II. manſ. XXII. ſol. qui ſoluunt annon. *Rotne* II. manſ. XIIII. ſol. & VI. mod. *Biwene* VII. ſol. *Bodenrothe* II. ſol. Vicedom. fratrum III. ſol. Haec recipit cuſtos, & expe . . . . de his VIII. ſol. pro celebrandis diuinis ſub turri, & VIII. ſol. ad ſpenſam pauperum. Conquirit etiam de his duo luminaria argenti . . . . . . fidelibus lucentia, vnum in altari beatae Mariae ſub turri, alterum in altari crucis glorioſae . . . . . . & de cera, quam habet de functione fratrum & ſororum ve . . . . cereum, ad miſſas omnes celebrandas ad omnia altaria & ad veſperas quotidie & ad matutinas . . . . Quicunque fratrum prouiſor eſt diuinorum officiorum prouidere debet candelam ceream ad altare poſitam, ad omnes vigilias & ad miſſas animarum, quas celebrat, conuentus Dominorum. Sunt autem ſolempnitates, in quibus per circul . . . . amplius . . . . . . & eas ab inſtitutione beatae memoriae praedeceſſorum noſtrorum ampliori honore . . . . Primus dies reſurrectionis Dominicae, Inuentio crucis, Aſcenſio Domini, Primus dies Pentecoſtes, dies Trinitatis, dies Iohannis baptiſtae, dies Dedicationis eccleſiae, dies glorioſi martyris Cyriaci, dies Aſſumtionis Mariae virg. dies Exaltationis crucis glorioſae, dies Natiuitatis virginis Mariae, dies Michaëlis Archangeli, dies Aduentus Domini, dies natiuitatis Domini, dies Circumciſionis Domini, dies Epiphaniae, dies Purificationis Mariae virg. dies ſancti Cyriaci, dies Incarnationis Dominicae. In his ſanctis feſtiuitatibus ponit cuſtos . . . . . paſchalem candelam, ceream magnam, iuxta altare ſummum, & forte plures ex gratia tantum, circa chorum XII. In monaſterio . . . . . . in quadam corona VIII. Super altare ſanctae Mariae occidentale IIII. & vocantur *Antescandelae* . . . . . . & accenduntur

cenduntur ab eccleſiaſtico, quod citò dicitur verſus a puero, & incipitur homilia a Diacono. Debet etiam cuſtos accendere candelas ad ſufficientiam, ad praeuidendas lectiones, & ad legendas, & ad reſponſiones . . . . . . per totum annum. Debet etiam praeuidere oblatas, etiam vinum ſacrificii & thus & criſma, & debet . . . . . tes ad abluendum dare, & ad reficiendum, etiam funes campanarum, & feneſtras . . . . . . reficere. Commendentur praeterea memoriae. Quid *eccleſia beati Petri* in Brunſwic attinet, & cuſtodiae. Debet prouidere Sacerdotem praefatae eccleſiae idoneum, ad honorem Dei & beati Principis Apoſtolorum, praeterea prouidere . . . . . . Quicunque temeraria praeſumtione haec omnia infringere non formidauerit, ſit Anathema Mara Natha. Praepoſitus debet reparare ſemper omnem dilapidationem monaſterii & clauſtri & Refectorii ſcholarum. Decano debet ſemper fieri obedientia.

Sanctae Crucis & Sancti Cyriaci martyris *Decaniae* bona ſunt haec: In *maiori Helegenthorp* VI. manſ. qui ſoluunt III. den. . . . . . . In *minori Helegenthorp* III. manſ. qui ſoluunt VII. ſol. & III. den. In *Hattorp* III. manſ. qui ſoluunt . . . . . . ſol. In *Horne* vnum ſol. *Eccleſia in maiori Helegenthorp* in beneficienda eſt a noſtro Decano, & a Praepoſito ſancti Iohannis de Halberſtad. Quicunque temeraria praeſumtione haec omnia infringere non formidauerit, ſit Anathema Mara Natha.

De his ſuper memoratis bonis ſitis in *Atleueſſem* . . . . omnibus fidelibus beatae memoriae *Wernerus* Canonicus in eccleſia ſanctae Crucis & ſancti Cyriaci mart. . . . . tuit de tribus manſis ſoluentibus tria talenta . . . . *Atleueſſem* a IIII. fratribus, *Reinero* . . . . . . *Friderico*, *Bertoldo* de *Ampeleue* . . . . . . idoneus & ſtacionarius locetur . . . . . . etiam habet X. den. . . . . . . VIII. in Natiuitate Domini, etiam VIII. in Reſurrectione Domini, & VIII. in Pentecoſtes. . . . . . . In Dedicatione eccleſiae, in exaltatione ſanctae Crucis, integraliter, ... VIII. ſol. in translatione ſancti Cyriaci in aeſtate, etiam V. nocturna . . . . . . nocte, de VIII. den. comparatis ad V. altaria, & ſecunda die dicenda eſt miſſa pro ſalute . . . . . . & dandi ſunt VI. ſol. ad ſpenſam, & haec exequenda ſunt quamdiu ipſe ſuperuixerit . . . . . . autem depoſitionis ſuae die dandi ſunt VIII. ſolidi praefati conſolationis dominis, & VI. ſol. . . . . . . pauperibus, & ponendae V. candelae, comparatae VIII. den. in nocte, ante V. altaria . . . . . . danda eſt candela in purificatione. Haec omnia banno firmiſſime ſtabilita. . . . . .

(L. S.)

 No. CXXXII.

No. CXXXII.

Ienrico Palatino Ratmarus Luccenſis Abbas dimittit domum in Watlege, recipiens duos manſus in Vrilede & Lodhe. Anno 1222. Ex autographo.

RATMARVS Dei gratia dictus Abbas in Luka, vniuerſis hanc paginam inſpecturis ſalutem in domino. Futuris caſibus prudenter obuiatur, ſi res in tempore acta, ne ſucceſſu temporis in ibliuioriem veniat, teſtimoniali ſcripto confirmatur. Vniuerſitatem igiur veſtram ſcire deſideramus, quod domum noſtram in *Watlege*, quam ļuieta poſſeſſione pluribus annis tenuimus, glorioſo domino *H. Duci 'axonie Renique Palatino* concambii cauſa contulimus; e contra videliet duos manſos in *Vriledhe* & in *Lodhe* cum omnibus ſuis appendiciis ab o poſſidentes. Vt autem hec cambitio rata & inconuulſa permaneat, :ripto noſtro & ſigillo facimus communiri.

No. CXXXIII.

Ienricus Palatinus Luccenſibus confert duos manſos, in Vrilethe & Lothe ſitos. Anno 1222. Ex authentico Mſct.

HENRICVS *Dei gratia Dux Saxonie, Comes Palatinus Rheni,* & vxor eius, cum heredibus ſuis, vniuerſis paginam hanc inſpecturis, in Domino ſalutem. Quia leuis eſt caſus & tranſiıs hominum, idcirco, que geruntur, ſigillatis apicibus fulciuntur. Earopter nouerint vniuerſi, preſentes pariter & futuri, quod nos eccleſie .uccenſi duos manſos, apud *Vrilethe* & *Lothe* ſitos, quos a nobis preıta eccleſia concambio vnius domus, ſite in *Watlege*, obtinuit, prorietatis iure conferimus perpetuo poſſidendos. Ne vero prenominate oncambicionis forma cuiuſpiam futurorum aut preſencium argucia poſſit ıggillari, eam preſenti cyrografo, ſigilli noſtri impreſſione ſignato, feciıus roborari.

Actum anno incarnationis Dominice M.CC. XXII. menſe Ianuario.

No. CXXXIV.

Digitized by Google

No. CXXXIV.

Henricus Palatinus Luccenſibus confirmat donationem ab Vlrico de Bothmare factam. Anno 1196. Ex authentico Mſct.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *HENRICVS Dei gracia Dux Saxonie, Comes Palatinus Rheni.* Quanto diuina fauente clementia ceteris quoad dignitatum amplitudinem preeminemus; tanto nimirum alacriores eſſe debemus in reddendis ipſi gracie Dei condignis gratiarum actionibus. Inde eſt, quod donationem predii in *Merkeſmedorpe*, que facta eſt Luccenſi eccleſie ab *Vlrico de Bothmare*, miniſteriali noſtro, & vxore eius, *Hadewige*, ratam habemus & confirmamus, qui videlicet Vlricus eadem bona legitime comparauerat iuſto empcionis titulo ab *Vlrico*, cognato ſuo, *de Vuele*, item manſum vnum in Wynkeslere, ſoluentem IV. ſolidos, totidem denarios.

Acta ſunt hec anno Dominice incarnationis M°. C°. XC°. VI. Vt autem hec noſtra confirmatio rata & inconuulſa permaneat, preſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione ſignauimus.

No. CXXXV.

Henricus Dux & Palatinus Comes Rheni cum conſenſu heredum & fratrum ſuorum, acceptis a Fratribus Vallis ſanctae Mariae LXXX. marcis argenti in ſubſidium peregrinationis ſuae, tradit villam Conſtorp. Anno 1197. Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *HINRICVS Dei gracia Dux & Palatinus Comes Rheni.* Quia facta temporalium temporalem ſorciuntur motum, & pereuntibus hominibus, ipſorum intereunt ſimiliter facta: Vnde neceſſe eſt, vt, que ſua natura tendunt ad interitum, literarum amminiculo fulciantur, & ab interitu obliuionis defendantur. Quia igitur omnibus eccleſiarum commodis & profectibus debemus intendere; Genitricis tamen Dei & redemptoris noſtri Ieſu Chriſti eccleſias tanto ampliori ſollicitudine tenemur venerari, quanto ipſa Dei & hominis mater maiorem prerogatiuam apud omnium creatorem promeruit obtinere. Inde eſt, quod preſentis ſcripti teſtimonio noticie poſterorum transmittimus. Quod nos villam Conſtorp, cum conſenſu heredum noſtrorum, *Ottonis* fratris noſtri, & *Wilhelmi* fratris noſtri, venerabilibus fratribus de Valle ſancte Marie cum omni vtilitate in paſcuis, in

in manſis, in nemoribus pro LXXX. marcis *in ſubſidium peregrinationis noſtre*, & ius patronatus & quitquid in bonis illis iuris habuimus, cum omni integritate, eidem Eccleſie indulſimus. Nichil iuris in iam dictis bonis retinentes, omnia iura noſtra cum omni integritate & nullo reclamante in ius Eccleſie tranſire fecimus. Et ne impiorum hominum calumpnia eos inpoſterum in aliqua iſtorum bonorum parte inquietare preſumat, terminos illorum bonorum in ſingulari ſcedula fecimus breuiari, & eandem ſcedulam ſigillo noſtro iuſſimus inſigniri.

Huius rei teſtes ſunt:

Boldewinus Decanus ſancti Blaſii.
Prepoſitus Dauid.
Fredericus Senior.
Hinricus Sacerdos.
Iohannes de Brunesrhodhe.

Laici:

Comes Luidegerus de Waldenberge.
Comes Sifridus de Blanckenborch.
Ludolphus Aduocatus.
Iordanus Dapiſer.
Fredericus Marſchalcus.
Ludolphus de Albike.
Bertrammus de Veltem.
Ottrauen de Rottorppe.
Ludolphus, Fredericus & Theodericus, fideles noſtri de Amuorde.
Boldewinus de Asbike.
Ludolphus de Vrethen.
Ecbertus de Scoderſtede.
Hinricus Puer de Lunenborch, & alii quam plures fideles & miniſteriales noſtri.

Facta ſunt hec anno domini M. C. XCVII. Indictione quinta decima. Preſidente ſancte Romane Eccleſie Papa Celeſtino. Regnante Romano Imperatore & Rege Sicilie Hinrico. Halberſtadenſis Eccleſie Epiſcopo Gardolpho. Eiusdem cenobii Abbate Arnoldo.

Vt autem hec vendicio rata & inconuulſa permaneat, hanc paginam teſtimonialem ſigilli noſtri inpreſſione fecimus muniri. Si quis autem contra hoc factum temerario auſu venire preſumpſerit, ſit pars

pars eius in extremo iudicio, niſi cito reſipuerit, cum angelis Sathane.

Datum in Brunſwick per manum Notarii noſtri Alberti. XVI. Kal. Iunii.

No. CXXXVI.

Henrici Ducis & Comitis Palatini ad Rhenum conſtitutio de iuribus Aduocati eccleſiae S. Blaſii Brunſuicenſis. Anno 1197. Ex Rethmeyer. Antiquit. Eccleſiaſt. Brunſuic. T. I. Inſtrum. p. 57.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *HENRICVS Dei gratia Dux & Comes Palatinus Rheni*, omnibus fidelibus in perpetuum. Iuſtum eſſe gratanti animo recognoſcentes, eccleſias Dei ſub noſtra poteſtate conſtitutas, noſtrae quoque defenſionis pace gaudere, malitiis praeſentis temporis & periculis futuri neceſſariae prouiſionis cautela neceſſarium duximus obuiare. Inde eſt, quod eccleſiam ſancti Blaſii nomine Aduocati & officio adiuuari volentes, ſicut iuſtum eſt, & non grauari; hoc tantum iuris Aduocato recognoſcimus, vt furta & caedes, & alia maleficia, quae ad iudicium ſanguinis ſpectant, debito iure ac moderamine puniat & cohibeat; ab angariis vero & perangariis, & omni prorſus exactionis moleſtia & grauaminis iniuria conquieſcat. Feudis etiam de manu Praepoſiti tenendis ita noſtram accommodamus autoritatem, vt ea, quae antiquitatis iure nituntur, rata velimus permanere, quae ſcilicet de manibus Praepoſitorum ab initio ſunt percepta. Eo vero tempore, quo ſub cuſtodia patris noſtri vel noſtra fuerint bona praepoſiturae, a tempore videlicet Rhethardi Praepoſiti, vſque ad tempus Burchardi Praepoſiti, ſi alicui gratiam in bonis praepoſiturae permiſit pater noſter vel nos, firmitate feudalis iuris gratiaeque, quae iſto tempore facta eſt, non recognoſcimus. Vt igitur haec noſtrae ordinationis, imo recognitionis pagina ad eccleſiae commodum rata permaneat, cum noſtri ſigilli autoritate communiuimus, & diligenter obſeruari mandauimus.

Data anno Dominicae incarnationis MCXCVII.

No. CXXXVII.

[I]dem Henricus Palatinus, ad expeditionem [i]n Terram Sanctam accinctus, Eccleſiam S. Pauli in Halberſtad in tutelam ſe ſuſcepiſſe profitetur. Anno 1197.

Ex Cod. Mſct. Moguntin.

HENRICVS *Dei gratia Dux* &c. Quoniam multo caritatis feruore Eccleſiam Beati Pauli in Halberſtad ampleċtimur, animum noſtrum libenter ad hoc inclinamus, vt beniuolentiae [n]oſtrae ſentiat effectum. Nos igitur eandem Eccleſiam in bono ſtatu [c]onſeruare volentes per omnia, ſicut Eccleſiam noſtrae ciuitatis in no[ſt]ram ſuſcipimus protectionem, ita vt in nullis bonis ſuis, & praecipue, [q]uae in H. ſita ſunt, nulli deinceps liceat vel aduocatiam, vel aliquid [iu]ris ſibi addicere. Quod ſi fecerit, ſciat ſe offenſam noſtram grauiter [in]curriſſe. Ne quis autem tempore *peregrinationis noſtrae* abſentiam [n]oſtram blandiatur ſibi profuturam; nos protectionis noſtrae vicem W. [p]*atri noſtro*, & F. marſcalco diſtricte commiſimus. Vt igitur nulli ſit [a]mbiguum, quod Eccleſiam illam in noſtram recepimus protectionem, [h]anc Cartulam noſtram inde conſcriptam ſigilli noſtri inpreſſione ſignari [fe]cimus ad cautelam.

No. CXXXVIII.

[I]dem in opus peregrinationis ſuae Comiti[b]us Spanheimenſibus oppignorat Comitiam in Meinefeld & duas villas. Anno 1197. Ex Freher. Orig. Palat. T. I. p. 93.

HEINRICVS *Dei gratia Dux & Palatinus Comes Rheni.* Omnia facta temporalium temporalem ſequuntur motum, & pereuntibus hominibus ipſorum facta ſimul intereunt. Vnde neceſſe eſt, quae ſua natura tendunt ad interitum, literarum adminiculo fulciantur, ab obliuionis interitu defendantur. Notitiae igitur tam praeſentium [t]am futurorum praeſentis ſcripti teſtimonio transmittimus, quod, cum [ad] *implendum peregrinationis noſtrae propoſitum* pecunia nobis deeſſet, [no]s a Comitibus de Spanheim, Heinrico ſcilicet & Alberto, & Godfrido, [du]centas quinquaginta marcas mutuo accepimus, & pro hac pecunia [Co]*mitiam in Meineſelde* ex illa parte Moſellae, ſuper petitione annonae & [de]nariorum & aliorum quaeſtuum, eis in pignore dedimus, ſub hac for[ma], vt quandocunque nos iam dicta bona redimere voluerimus, libera nobis

nobis vel *vxori* noſtrae, vel *pueris noſtris*, vel *aliis heredibus noſtris*, redimendi detur facultas. Impignorauimus nihilominus eisdem Comitibus pro eadem pecunia ſub eodem tenore villas quasdam, Engelſtad & Hedeneshem, has duas villas cum Comitia pro DL. marcis, & villam Sikenbach pro C. marcis.

Huius rei teſtes ſunt:

Praepoſitus Geueno de Reuengeresburne.
Emicho Irſutus Comes.
Wernherus de Bruneshorn.
Heinricus de Dicka.
Algrandus filius Heinrici.
Fridericus de Walbach.
Gerlacus de Siebeneich.
Diethmarus de Vlngelinge.
Henricus de Vttesheim.
Godefridus de Sumerſchenberg.
Ebirhardus Berre.
Walpertus de Binge.
Berteramus de Bickenbach.
Fridericus de Erenberg.
Godfridus de Enkerich.
Wilhelmus de Glane.
Enericus de Dille.
Gerlacus de Bommenkirchen, & alii quam plures Liberi & Miniſteriales noſtri.

Facta ſunt haec anno Domini MCXCVII. Indict. XV.

Ne autem inpoſterum aliqua ſuper hac inpignoratione oriatur dubietas, hoc breue recordationis inde conſcribi, & ſigillo noſtro inſigniri iuſſimus.

Datum in *Stalecka* VI. Kal. Iunii.

No. CXXXIX.

Memoriale reſignationis Aduocatiae Eccleſiae Treuirenſis, ab Henrico Comite Palatino Rheni Iohanni Archiepiſcopo Treuirenſi factae. Anno 1198. Ex Broweri Annal. Treuir. & Tolneri Cod. Diplom. p. 59. & plenius Ex Kyriandri Annal. Treuir. p. 162. ſq.

NOTVM ſit tam praeſentibus quam futuris, quod *HENRICVS Palatinus Rheni*, qui filiam praedeceſſoris ſui Conradi Palatini

Comitis legitimam duxerat, reſignauit B. Petro & venerabili Treuerorum ArchiEpiſcopo Iohanni, die Paſchae, in curia Epiſcopali apud Treuerim, aduocatiam eiusdem cum omnibus appendiciis, tam feudatis quam non feudatis; nec non omnia annualia ſeruitia, quae praedeceſſor ſuus ſupradictus habuit in villis ArchiEpiſcopi, ſitis in pago, qui Trechere dicitur, & in omnibus villis aliis ArchiEpiſcopi ſitis ſupra Moſellam; ſub tali forma, quam idem Comes Palatinus iurauit ſuper clauum Domini & ſuper omnes reliquias in eadem capſide contentas, quod nec ipſe, nec aliquis haeredum ſuorum eandem aduocatiam & praedicta feuda nunquam repeteret. ArchiEpiſcopus quoque ſub poena excommunicationis inhibuit, quod nec ipſe, nec aliquis ſucceſſorum ſuorum praedictam aduocatiam & eadem feuda inpoſterum alicui hominum infeudaret, niſi indignationem Dei omnipotentis & ſententiam excommunicationis incurrere vellet.

Huius rei teſtes ſunt, qui etiam eodem tempore praeſentes aderant:

Gerhardus Abbas Prumienſis.

Rudolfus maior Praepoſitus.

Wilhelmus maior Decanus, & omnes ArchiDiaconi, nec non quatuor ciuitatis Abbates S. Eucharii Gothofredus, ſancti Maximini Conradus, Theodoricus S. Mariae, Wilhelmus S. Martini.

Fridericus Cantor.

Conradus Cuſtos Eccleſiae Treuirenſis.

Laici quoque:

Henricus Dux de Limburg.

Simon Comes de Saraeponte, & frater eius.

Henricus de Zwenbrucken.

Conradus Comes Hirſutus.

Fridericus Comes de Vianen.

Henricus Comes de Spanheim.

Gerhardus Comes de Veldentz.

Wolmerus Comes de Caſtris.

Vlricus Comes de Neuenburg, & filius eius Comes Gerardus de Are.

Euerhardus de Petra, & frater eius Wernerus.

Gerlacus de Swartzenburg, & frater eius.

Hugo de Hunolſtein.

Hugo de Hagane, & filius eius Theodoricus.

Rudolfus de Mailburg.

Wiricus de Numagen, & filii eius Thomas & Alexander.

Fridericus

Digitized by Google

Fridericus de Kerpena.
Theodoricus de Bruche.
Miniſteriales quoque:
Petrus de Marceto.
Vdo de Eſch.
Iacobus de Duna, & frater eius Daniel.
Wilhelmus de Helffenſtein.
Henricus Leinherre.
Nicolaus de Arram.
Fridericus de Merle.
Diethardus a Pfaffendorf.
Henricus Iunior de Caemeterio.
Wilhelmus de Archa.
Godfridus de Waldorff.
Hermannus & Richardus de Palatio & quamplures alii, nec non vniuerſus tam clerus quam populus eiusdem ciuitatis.

Acta ſunt haec anno Dominicae Incarnationis MCXCVIII.

No. CXL.

Henricus Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni Fratribus in Riddageshuſen confert molendinum in Offeleue pro duobus manſis & dimidio in Algoteſtorp.

Anno 1199. Ex autographo.

IN nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *HEINRICVS Dei gracia Dux Saxonie & Comes Palatinus Rheni.* Ad hoc nos diuinitate propicia ad principatus noſtri officium credimus eſſe promotos, vt eccleſias Dei munificencie noſtre beneficentia promoueamus, & promotas qua poſſumus cautela muniamus. Vnde vniuerſitati fidelium conſtare volumus, quod nos fratribus in Riddageshuſen, pro remedio anime noſtre, contulimus molendinum in Offeleue, cum adiacenti loco paſcue, pertingente vſque ad ſalicem in palude, pro commutacione duorum manſorum & dimidii in Algoteſtorp. Vt igitur huius concambii contractus ratus & inconuulſus in perpetuum perſeueret, preſentem paginam ſigilli noſtri inpreſſione fecimus inſigniri, & idoneorum teſtium ſubſcriptione roborari, quorum nomina ſunt hec:

Anno Scriptor.
Zacharias & Heinricus de Hallo, Capellani.
Iordanis Dapifer.

Fridericus Marſcalcus.
Baldewinus Aduocatus.
Ludolfus Aduocatus.
Ludolfus Comes de Pene.
Bertramus de Weltheim.
Heinricus Grubo.
Razo Dutteshem.

Acta ſunt hec anno ab incarnatione Domini M.C.XC. nono. Indictione ſecunda.

No. CXLI.

Philippus Rex Comitatum Stadenſem, & quae Comitum Stadenſium fuerant, Eccleſiae Bremenſi confirmat. Anno 1199. Ex Leibnitii Scriptor. Brunſuic. T.II. p. 271. & Lindenbrog. Script. Septentr. p. 170.


In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Philippus ſecundus diuina fauente clementia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Innatam nobis regalis pietatis liberalitatem tenere volentes, Eccleſiis omnibus & Eccleſiarum perſonis iura ſua conſeruare, & eas ab iniquorum incurſibus ſummopere decreuimus defenſare, praeſertim eas, quarum fidei & deuotionis ſinceritas circa regalis magnificentiae noſtrae ſublimationem pura nobis conſtat & immaculata. Quapropter notum facimus vniuerſis Imperii fidelibus, tam praeſentibus, quam futuris, quod nos, adtendentes deuotionem dilectorum ac fidelium noſtrorum Hartwici II. Bremenſis Archiepiſcopi, Cleri ac totius familiae Bremenſis Eccleſiae, caſtrum Stadii, cum Comitatu & vniuerſis pertinentiis ſuis, patrimonium quoque Rodolphi Marchionis & fratris ſui Hartwici Bremenſis Archiepiſcopi, patrimonium Henrici Marchionis, nec non haereditatem nobilis feminae Idae, patrimonium Comitis Friderici de Stadio, quod quondam *Dux HENRICVS* per violentiam occupauerat, ſed sereniſſimus pater noſter Fridericus, diuae memoriae Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, poſtmodum in ſolenni curia apud Erfordiam celebrata, per ſententiam Principum & totius curiae ſuae eidem Duci abiudicatum, Eccleſiae Bremenſi reſtituit, donauit, & confirmauit. Nos igitur fideliter ac iuſte paternam imitari cupientes aequitatem, praedictum caſtrum Stadii, cum Comitatu & omnibus pertinentiis ſuis, ſimiliter & ſupradicta patrimonia Rodolfi Marchionis, Henrici Marchionis, Comitis Friderici de Stadio, atque haereditatem nobilis matronae Idae, cum omni iure, integritate

integritate omnique vtilitate & honore, Eccleſiae Bremenſi perpetuo iure poſſidendam confirmamus, ſtatuentes, & regali auctoritate noſtra diſtricte praecipientes, vt nulla vnquam perſona, humilis & alta, Eccleſiaſtica vel ſecularis, hanc noſtrae confirmationis diualem paginam infringere audeat, vel ei aliquo improbitatis auſu contraire. Quod ſi quis adtemptauerit facere, in vindictam temeritatis ſuae auri examinati libras centum componat, dimidium fiſco noſtro, & reſiduum Bremenſi Eccleſiae. Ad cuius rei indicium & perpetuum robur praeſens exinde priuilegium conſcriptum ſigilli noſtri impreſſione iuſſimus communiri.

Teſtes huius rei ſunt:

Gardolfus Halberſtadenſis Epiſcopus.
Gerhardus Oſenburgenſis Epiſcopus.
BERNARDVS Dux Saxoniae.
Didericus Marchio Miſnenſis.
Comes H. de Rauensberg.
Comes Fridericus de Zolere.
Comes Adolfus de Schowenburg.
Comes Burchardus de Mansfelt.
Comes de Hartisburc.
Comes Adolfus de Daſſele.
Bernhardus de Hurſtimar.
Henricus Dapifer de Walpurg, & alii quam plures.

Signum Domini Romanorum



Philippi Secundi Regis inuictiſſimi.

Ego Chonradus Hildenſemenſis Epiſcopus, Wirtzburgenſis Electus, Imperialis aulae Cancellarius recognoui.

Acta ſunt haec anno ab incarnatione Domini MCXCIX. Indictione III. regnante Domino Philippo II. Romanorum Rege glorioſo, anno Regni eius II.

Data apud Hildesheim XIV. Kalend. Februarii.

No. CXLII.

No. CXLII.

Henricus Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni confirmat permutationem bonorum inter Walckenredenſes & Miniſterialem ſuum Herwicum de Scowen ſuſceptam. Anno 1200. Ex authentico Mſct.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *HEINRICVS* Dei gratia *Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni.* Ad hoc diuinitate propitia terrenae poteſtatis culmine praediti ſumus, vt poteſtatis noſtrae auctorem Dominum recognoſcentes, Religioſorum vtilitatibus prompta beniuolentia conſulamus, & cautela, qua poſſumus, impoſterum proſpiciamus. Itaque quod plerumque humanae mortalitatis ſucceſſio ante acta viuentium ſubducit memoriae, non ſolum modernis, ſed & generationi omni, quae ventura eſt, notificare neceſſarium duximus, quod Abbas de Walkenrede, & fratres ſui, quinque manſos in Scowe ab Herwico Miniſteriali noſtro, cum conſenſu omnium heredum ſuorum, concambii titulo commutauerunt, aliis V. manſis, quos iidem fratres in Vinnigſtede poſſederant, & IIII. alios manſos item in Scowe, cum noſtra permiſſione & voluntate LXX. marcis coëmerunt, cum omnibus praedictarum poſſeſſionum vtilitatibus & attinentiis, aquis, ſiluis, paſcuis, pratis, cultis & incultis. Vt igitur praedictae commutationis & emptionis contractus nulla in perpetuum fraudulentia aut violentia conuelli valeat, infringi aut immutari, praeſentis paginae cautionem ſigilli noſtri impreſſione conſignauimus, & idoneorum teſtium ſubſcriptione communiuimus, quorum nomina ſunt haec:

Radolfus de Glindin.
Iordanis Dapifer.
Iuſarius frater eius.
Anno de Blankenburch.
Herwicus de Scowe.
Luitdolfus de Crammin.
Heinricus de Eclech.
Liutdolfus de Alta tilia.
Otrammus, Zacharias Capellanus Ducis.
Sifridus de Freilſtede.
Helias Rufus Canonicus de ſancto Cyriaco.

Acta ſunt haec anno ab incarnatione Domini milleſimo, ducenteſimo. Indictione tertia.

No. CXLIII.

Digitized by Google

No. CXLIII.

Idem Henricus Palatinus commutationem bonorum Fratrum Riddageshuſenſium cum Aduocatis Brunſuicenſibus confirmat. Anno 1201. Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *HEINRICVS Dei gracia Dux Saxonie & Comes Palatinus Rheni.* Ad hoc nos diuinitate propicia ad principatus noſtri officium credimus eſſe promotos, vt eccleſias Dei munificentie noſtre beneficentia promoueamus, & promotas qua poſſumus cautela muniamus. Vnde vniuerſitati fidelium conſtare volumus, quod nos contractum quendam concambii, qui factus eſt inter Fratres noſtros de Riddageshuſen, & miniſteriales noſtros, pro remedio anime noſtre approbamus atque firmamus. Predicti ſiquidem Fratres erga Baldewinum Aduocatum commutauerunt VI. manſos in Offeleue, & duos in Begerſtede, duo & dimidius in Wathenſtede, duo & dimidius in Dalem, vnus & dimidius in Wobicke. A Ludolfo autem Aduocato idem Fratres canbiuerunt duos manſos in Algotesdorp, pro quo reſtitutus eſt ei vnus manſus in Redepe, dimidius in Sickere & dimidius in Bercklinge, & duos alios manſos proprios ipſius ab eo coëmerunt in Algotesdorp. Porro vnum manſum in Algotesdorp a prenominatis Aduocatis commutauerunt ambobus conmunem, pro quo reſtitutus eſt eis dimidius manſus in Winnigſtede, & dimidius in Nenſtede iuxta Rockele. Vt igitur huius concambii contractus ratus & inconuulſus in perpetuum perſeueret, preſentem paginam ſigilli noſtri inpreſſione fecimus inſigniri, & idoneorum teſtium ſubſcriptione roborari, quorum nomina ſunt hec:

Zacharias Canonicus.
Iohannes de Burnhem.
Vlricus de Imedenſtede.
Sifridus de Vlegerſtede.
Bodo de Campenleue.
Arnoldus de Cellingen.
Heinricus Iuncvrowe.

Acta ſunt hec anno ab incarnatione Domini MCCI.

(L. S.)

No. CXLIV.

Ottonis IV. Imperatoris inſtrumentum ſuper portione fratris Henrici Ducis Saxoniae & Comitis Palatini Rheni, ſigillatum quoque a Guilielmo Luneburgico. Anno 1203. Ex autographo. (*)


OTTO *Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus.* .. Quoniam omnia, quae aguntur in tempore, quadam quaſi mutabilitatis lege tendunt ad interitum, cautum eſt, literalis adminiculi fulcimine facta roborari, quae ſemper, tanquam praeſentia, futurorum ſunt memoriae commendanda. Notum ſit ergo tam futuri quam praeſentis aeui fidelibus, quod nos vna cum dilectis fratribus noſtris, *HENRICO praeinclyto Saxoniae Duce, eodem Rheni Palatino Comite,* & *GWILLEHELMO,* patrimonii noſtri diuiſione, fraterno & vnanimi conſenſu, in Padilburnin celebrata, portionem ſupradicto fratri noſtro *Henrico* Duci a noſtris ſegregatam, & ſibi prouenientem, iſtis terminorum certis interſtitiis diſtinximus. Incipit itaque loco, in quo fluuius Seuine influit Albiam; inde Albiam ſurſum vſque in mare, & Seuinam ſurſum vſque ad locum, vbi ipſa eſt vicinior Danlo; a Danlo vſque Nortburg; a Nortburg vſque in Flotwide; a Flotwide vſque Honouir oppidum, quod Ducis eſt cum omnibus ſibi attinentibus. Ab Honouir Leinam ſuſum vſque Northeim, quod & ſibi ſpectat cum omnibus ſuis pertinentiis. A Northeim vſque in montem Pleſſe, inde vſque Gudingin, & Gudingin ſuum eſt cum omnibus, quae ſibi attinent. Inde vſque Haninſtein, quod & ſuum eſt cum omnibus ſibi pertinentibus. Ab Haninſtein recta via & regia ſtrata vſque Moguntiam. Inde per deſcenſum Rheni vſque in mare. Quicquid itaque eſt infra terminum iſtum, quod Patris noſtri piae recordationis fuit in praediis, ceſſit in partem fratris *Heinrici* Ducis ſaepe numerati. Praeter haec prouenit ſibi Stadium oppidum, & omne praedium noſtrum, quod eſt infra Comitiam Stadii vſque in Seuinam, & praedium, quod eſt in territorio Bremenſi, & praedium quod eſt circa Verden. Inſuper Chelle & Northerg cum omnibus attinentiis, & curtis Vrilede cum ſuis pertinentiis; curia Merſe & ſibi attinentia, caſtrum Honberg cum ſuis pertinentiis; Einbeke, & quae ſibi attinent; Deſinberg cum ſuis appenditiis; Aldinuels & illi attinentia. Praeter praenumerata ceſſerint parti ſuae in Weſſalia, & praedia quae communia habuimus in Ditmarſia & in Hadele. Comitia quoque Stadii ſucceſſit ei, ſed haec iure feodali reſpectu aliorum feodorum.

*) Hanc etiam egregiam Chartam, vna cum ea, quae mox ſub N. CXLV. comparet, integram & illaeſam ſeruat Tabularium commune Brunſuicenſe; Vnde vtriusque exemplum in aes inciſum ſub Tabulis XXVII. & XXVIII. exhibemus.

Digitized by Google

Otto. di gra. Rom. Rex 7 semp. aug. Tediu ad initiu. cautu
est litterarum adminiculis fulcimentu fieri. Notu sit ig tam futuri q̄
psentis eui fidelib qd nos una cu fre. Gwillehelmo. patrimonii
nri diuisione firma 7 unanimi consensu segregata. 7 sibi puenere te
rminos istos terminorum cuius metis distinximus usq in mare. 7. Seuena. sursu
usq ad locu ubi ipa est uicinior. [illegible]. Honovir. oppidu. qd ducis
est cu omib sibi attinentib. ab. Honus pertinentiis. a. Sloth.
usq in motem. Plesse. in usq. Gudmaninstein. qd 7 suu est cu
omib sibi ptinentib. ab. Haminstein. usq in mare. Quicqd iḡ
est infra terminu istu qd patris nri ducis fuerunt [illegible]. Pret
h puenit sibi. Stadiu. oppidu. 7 [illegible] qd est in territorio. Breme
[illegible] 7 pdiu qd est circa verden [illegible] pertinentiis. Curia. Verse.

Digitized by Google


Qm omnia q agunt intempore quam
quasi mutabilitato futuror sunt memorie comendanda Notu
sit q tam futuris rege y semp augto. y willehelmo patruo
nri nri diuision. a nris segregata y sibi puenientem. ystis
terminor int fuit. sud est. a nortburch usq; danlo. a
danlo usq; bu ud est usq; waldenberge. a waldenberge
In ipsi ipsione, ac.

Iac. Hering sculp. Hanov.

Digitized by Google

rum. Praeter haec praedium in Wortſatia, & omnes Miniſteriales, qui ſunt infra terminos ipſos. Intererant autem huic noſtrae diuiſioni Principes:

Hartbertus venerabilis Hildeſſemenſis Epiſcopus.
Wedekint Chorbenſis Abbas.
Heribertus Werdenenſis Abbas.

Laici nobiles: Symon Comes de Tekkinborch.
Bernhardus de Wilpa.
Heinricus Comes de Strumpinhauſen.
Cunradus de Dikka & filius eius.
Hermannus de Lippa.
Heinricus de Danne.

Miniſteriales: Cunradus de Wilre, Dapifer Regis.
Symon Aquenſis, Camerarius.
Liudolphus de Eſebeke & frater eius Baldewinus.
Baſilius de Oſtirrode.
Fridericus Marſchalckus.
Eilardus de Oberge.
Liudolphus de Bortuelde.
Ottrauinus de Rotdorp.
Erewicus de Vtiſſen.
Hartungus de Rotinkirche & alii quam plures.

Acta ſunt haec anno Dominicae Incarnationis MCCIII. Indictione quinta, anno vero regni noſtri IV.

Vt autem haec diuiſio, nec a nobis, nec ab aliquo ſucceſſorum ſeu haeredum noſtrorum in poſterum vnquam retractari valeat, praeſens ſcriptum hinc inde conſcribi, & noſtri ac fratris noſtri *Guillehelmi* impreſſione communiri praecepimus ſigillorum.

No. CXLV.

Henrici Ducis Saxoniae & Comitis Palatini Rheni inſtrumentum ſuper portione Ottonis IV. Imperatoris, ſigillatum quoque a fratre Guilielmo Luneburgico.

Anno 1203. Ex autographo.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *HENRICVS* Dei gratia *Dux Saxoniae & Palatinus Comes Rheni.* Quoniam omnia, quae aguntur in tempore, quadam quaſi mutabilitatis lege tendunt ad interitum, cautum eſt literalis adminiculi fulcimine facta roborari, quae ſemper tanquam praeſentia futurorum ſunt memoriae commendanda.

Notum ſit ergo tam futuris, quam praeſentis aeui fidelibus, quod nos, vna cum dilectis fratribus noſtris, Sereniſſimo Domino noſtro *OTTONE, Romanorum Rege & ſemper Auguſto*, & *WILLEHELMO*, patrimonii noſtri diuiſione fraterno & vnanimi conſenſu apud Padelburnam celebrata, portionem iam dicto fratri, Domino noſtro *Ottoni* Romanorum Regi, a noſtris ſegregatam & ſibi prouenientem, iſtis terminorum interſtitiis certiſſimis diſtinximus. Incipit itaque in hoc loco: Bruneſwik ſuum eſt, & omnia inibi attinentia: & terra vſque Nortburg ſua eſt: Nortburg vſque Danlo: a Danlo vſque Hunekesbotle: a Hunekesbotle vſque Scwibeke: a Scwibeke vſque Vareſuelde & Vareſuelde ſuum eſt. De hoc loco terra ſua eſt vſque Wadenberge. A Wadenberge vſque ad nauigium Wagersleue; a Wagersleue vſque in montem, qui dicitur Hart ad villam Reinibeke & ab illo totus mons Hart ſuus eſt. Caſtrum Sommeſcenburch & omnia attinentia ſua ſunt. Quicquid, inquam, eſt in circuitu illo vſque Bruneſwic, quod Patris noſtri *Henrici* Ducis, piae recordationis, fuit in praediis, ceſſit in parte fratris & Domini noſtri *Ottonis*, Romanorum Regis. In alio latere a Bruneſwic vſque Vlotwede terra ſua eſt & ipſum Vlotwede dimidium; & a Vlotwede vſque Honouere terra ſua eſt. A Honouere fluuius Leina ſuperius vſque Northeim, & iuxta Northeim vſque ad montem Pleſſe ſuum eſt, a monte Pleſſe vſque Gotinge, a Gotinge vſque Hanenſtein; a Hanenſtein Regia ſtrata vſque Moguntiam. Quicquid eſt infra terminum iſtum verſus Bruneſwic tam in Miniſterialibus, quam in praediis & caſtris totum ſuum eſt. Haec ſunt caſtra, quae ceſſerunt proprietati ſaepe dicti Domini noſtri Regis: Lichtenberge, Asle, Sciltberge, Stouffenburch, Oſterode, Hertesberge, Scartfeldt, Lutterberge, Honſtein, Rodenburch Monaſterium, Honburg, & totum patrimonium in Thuringia, quod erat patris noſtri, ſuae ceſſit parti. Huius rei teſtes ſunt:

Bernnardus venerabilis Patelburnenſis Epiſcopus.
Hartbertus Hildenſemenſis Epiſcopus.
Widekinus Chorbienſis Abbas.
Heribertus Werdinenſis Abbas.

Laici nobiles:

Symon Comes de Tekeneburg.
Bernardus Comes de Welepa.
Heinricus Comes de Stumpenhuſen.
Cunradus de Dikka & Conſtantinus filius eius.
Hermannus de Lippia.
Heinricus de Danne.

Miniſte-

Digitized by Google

Miniſteriales: Conradus de Wilre.
Symon Aquenſis Camerarius.
Liudolphus de Asbeke & Baldewinus frater eius,
Fridericus de Volckmarode.
Baſilius de Oſterode.
Eilardus de Hoberge.
Liudolphus de Bortuelde.
Otrauenus de Rottorp.
Harwicus de Vteſſeim, & alii quam plures.

Acta ſunt haec anno Dominicae incarnationis MCCIII. Indictione quinta, praeſidente S. Romanae Eccleſiae Papa Innocentio huius nominis tertio, regnante Sereniſſimo Domino noſtro *Ottone* quarto Romanorum Rege & ſemper Auguſto, anno regni eius quarto.

Vt autem haec diuiſio nec a nobis, nec ab aliquo ſucceſſorum ſeu haeredum noſtrorum in poſterum vnquam retractari valeat, praeſens ſcriptum hinc inde conſcribi, & noſtri impreſſione ſigilli, ac fratris noſtri *Willehelmi*, praecepimus communiri.

No. CXLVI.

Henricus Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni ratam habet emtionem praedii in Ierckſheim, quod Mariaebergenſis eccleſia ad Helmaeſtadium ſibi comparauit. Anno 1203. Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Quoniam res geſte obliuionis incurſu cicius humane ſubtrahuntur memorie, pluribusque modis poſſunt immutari, non incongruum eſt ea, que fierent in tempore, ne diſcedant cum fuga temporis, litterarum apicibus commendari. Nouerint igitur preſentes & ſequaces, quod ego *HENRICVS Dux Saxonie, Palatinus Comes Reni* beniuole conſenſi, quod Witkindus & Henricus praedium in Ierkisheim, eis a me in beneficio collatum, videlicet, VI. manſos, hiemalem annonam, & totalem praedio cenſum attinentem, pro LXX. Marcis & duabus eccleſie ſancte Marie in Heilminſtede vendiderunt. Vt autem permiſſio noſtra rata & inconuulſa permaneat & irretractabilis, ſigilli noſtri impreſſione hanc cedulam roborauimus.

Nomina teſtium, qui venditioni interfuerunt, ſunt haec:
Abbas de Ringilim.
Iohannes de Solingin.
Henricus de Algodisdorb.

Acta ſunt hec anno dominice incarnationis MCC. III.

No. CXLVII.

Idem Henricus Palatinus fratri ſuo Ottoni Regi Iordanem, filium Iordanis dapiferi ſui, in Miniſteriarialem donat. Anno 1204. Ex autographo

HENRICVS Dei gratia *Dux Saxonie, & Comes Palatinus Rheni*, omnibus Chriſti fidelibus, hoc ſcriptum intuentibus, ſalutem & omne bonum. Notum ſit omnibus, tam preſentibus quam futuris, quod nos Iordanem, filium Iordanis Dapiferi noſtri, fratri noſtro Regi *Ottoni*, ex conſenſu iam dicti patris ſui, nec non & heredum ſuorum, cum bona voluntate noſtra libere in miniſterialem donauimus, & ſi quis mortalium id infringere voluerit, nos pro viribus noſtris ei reſiſtemus & reuocabimus. Vt igitur hoc factum ratum omni euo permaneat & inconuulſum, & ne per nos aut ſucceſſores noſtros infringatur; preſentis ſcripti firmamento & ſigilli noſtri inpreſſione fecimus communiri.

Teſtes etiam huius rei ſunt:

Conradus de Wilre, Dapifer.
Hecbertus de Wolſerbutle.
Baſilius de Oſterrodhe.
Gunzelius Dapiſer.
Baldewinus de Hasbeke.
Baldewinus Aduocatus.
Bertrammus de Veltheim.
Herwicus de Scowede.
Willekinus Mareſcalcus.


Acta ſunt hec anno incarnationis Domini MCCIIII. Anno vero Sereniſſimi Domini Regis Ottonis V.

No. CXLVIII.

Philippus Rex Walkenriedenſibus Monachis Caeſarea priuilegia confirmat, ſubſcriptore Henrico Duce Saxoniae. Anno 1204. Ex autographo. (*)

PH. ſecundus diuina clemencia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Eos, quorum arma lacrime & oraciones ſunt, & qui ſola protectione gratie celeſtis nituntur, iuſtum eſt defenſione imperiali

*) Chartam hanc Hofmannus noſtras, qui *Annales Walckenriedenſes* edere in animo habuit.



FH. Secundus divina clementia ...ones sunt et q̄ sola protectione gratie ce-
lestis nituntur. iustum est de maiestate principis liberius divino cultui
et monasticis vacent institutis in antea iusto acquisitionis titulo possidebant
sub specialem nostri et imperii tuitionem et Henricus frater noster inclyte
memorie imperatoris aug. ... in multis aliis eorum vestigiis inherere vo-
lentes memoratam ecclesiam ... et tutam volumus gratia consistere et
permanere. ob strictam etiam ... nominate ecclesie et ob salutem ...
nostram concedimus ut quecumque emere voluerit in concambium licitum hoc
sit et permissum ita tamen ... que comes Burkard de Schartvelde
et frater suus comes ... ecclesie confirmavit et ea absolvimus a Hein

Digitized by Google

riali gaudere, vt, dum pax & quies rerum temporalium eiſdem prouidetur a maigeſtate principis, liberius diuino cultui & monaſticis vacent inſtitutis. Hinc ſane eſt, quod nos eccleſiam in Walckenred cum omnibus, que nunc poſſidet, vel in antea iuſto acquiſitionis titulo poſſidebit, ſub ſpecialem noſtri & imperii tuicionem recipimus, &, ſicut Sereniſſimi Domini noſtri & progenitores, videlicet Fridericus pater noſter, & Heinricus frater noſter inclyte memorie imperatores Auguſti, prefatam eccleſiam ſpecialiter honorare, fouere curauerunt & tueri, ita & nos, ſicut & in multis aliis eorum veſtigiis inherere volentes, memoratam eccleſiam apud nos & a nobis ſemper eſſe volumus honoratam, & in noſtra familiari atque priuata ſitam & tutam volumus gratia conſiſtere & permanere. Ob ſtrictam etiam religionem eorum, qui Deo iugiter in eadem famulantur eccleſia, auctoritate regia ſepe nominate eccleſie & ob ſalutem quoque noſtram concedimus, vt quicunque ex infeudatis ſeu miniſterialibus imperii, qui habent bona imperii, vſque ad tres manſos dare voluerit in concambium, licitum hoc ei ſit & permiſſum, ita tamen, vt in eo concambio de indempnitate imperii cautius ſit percuratum. Preterea bona quedam, que Comes Burkardus de Schartuelt & frater ſuus Comes Heidenricus de Lutherberc, que ipſi ab imperio tenuerunt, & preſate eccleſie vendiderint, ipſi eccleſie confirmamus, & ea abſoluimus a Heinrico de Haringen & Heinrico de Reueningen, qui eadem bona ſibi vendicabant. Et vt hec conceſſio atque confirmatio noſtra in euum ipſi eccleſie firmiter & inuiolabiliter obſeruetur, preſentem exinde paginam conſcribi iuſſimus, & regie maigeſtatis ſigillo conſignari. Statuentes & firmiter precipientes, vt nulli hominum de cetero hanc diualem paginam licitum ſit infringere, vel ei aliquo improbitatis auſu obuiare.

Teſtes huius rei ſunt:

Diethalmus Conſtancienſis Epiſcopus.
Hartuicus Auguſtenſis Electus.
Bernhardus Dux Karinthie.
HEINRICVS Dux Saxonie.
Comes Lambertus.
Comes Albertus de Klettenberc.
Comes Algerus de Hohinſtein.

Comes

habuit, iuxta autographum in aere deſcribi curauit. Cum vero Collectanea Hofmanniana iam pridem diligenter excuſſerit Leuckfeldius, & quicquid bonae frugis in iis erat ſuis commentariis inſeruerit, adeoque vix amplius operae pretium ſit, opus hoc affectum praelo ſubiicere, ipſum hoc diploma, ne pereat Calcographi induſtria, heic Tab. XXIX. exhibemus.

Comes Guntherus & Comes Heinricus de Keuernberc.
Heinricus de Vokſteden.
Heinricus de Halderungen, & alii quam plures.

Datum in caſtris in obſidione Wizenſe. VIIII. Kl. Septembris indict. VII.

No. CXLIX.

Henricus Palatinus pro anima vxoris Agnetis Fratribus Riddageshuſenſibus donat ſiluam Hertogenloh. Anno 1204. Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Que geruntur in tempore, ne labantur cum lapſu temporis, poni deberent ſub lingua teſtium, & perennis ſcripture memoria perennari. Noſcat igitur preſentium as, omnisque futurorum poſteritas, quod ego *HENRICVS Dux Saxonie Comes Palatinus Rheni*, pro ſalute & remedio anime dilecte vxoris ce, ſcilicet *Agnes*, ſiluam meam, quae eſt apud *Saltdalheim*, que appelur *Hertbogenlo*, contuli eccleſie que eſt Ridaghuſen, perpetuo in tranilla pace poſſidendam, vt fratres qui Deo ibidem cottidiano deſeruiunt locauſto, nulli poſterorum meorum de prefata ſilua quicquam reſponant, ſed quiete & ſine vexatione teneant. Quia igitur facta mortam ſepe contrario turbantur euentu, ne de facto noſtro aliqua inpoſtem fieri poſſet contradictionis obiectio, tradi placuit mihi factum meum aci litterae, & notatam paginam ſigilli mei robore & teſtimonio mmuniri.

Affuerunt teſtes huic largitioni diſcreti viri & magni nominis, quorum inio tantum fuit integra, quod ad tante rei ſuffecerit teſtamentum:

Iordanus Dapifer.
Daniel de Blitersdorp.
Zacharias Cappellanus.
Iohannes Cappellanus.
Bruno de Marburgesdorp.
Iohannes de Dolhuſen.
Conradus Holtmerker.

Facta ſunt hec anno Dominice incarnationis MCCIIII^to^ indictione V^ta^ concurrente quarta, apud ciuitatem que appellatur *Staden*, in nomine Domini, Amen.

No. CL.

No. CL.

Philippus Rex Adolfo Colonienſi Archiepiſcopo confirmat poſſeſſionem Ducatus Weſtfaliae & Angariae ab Ottone Rege dimiſſam. Anno 1205. Ex Gelen. ad vitam S. Engelberti. p. 32.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *PHILIPPVS ſecundus* diuina fauente clementia *Romanorum Rex & ſemper Auguſtus* Regiae Maieſtatis noſtrae ſublimitas deuota fidelium ſuorum ſeruitia conſueuit animo diligenti reſpicere, eisque pro meritis digna munificentiae ſuae beneficia liberaliter impertiri. Qua propter notum facimus vniuerſis Regni noſtri fidelibus, praeſentibus & futuris, quod nos, attendentes, ſinceram deuotionem dilecti Principis noſtri, Adolphi, Colonienſis Eccleſiae Archiepiſcopi, quam ad ſublimitatis noſtrae promotionem feruenter exhibuit, ad dignam fidelitatis ſuae remunerationem, ipſi & Eccleſiae Colonienſi concedimus & confirmamus *Ducatum Weſtphaliae & Angariae*, omnesque poſſeſſiones & iura eius, cum hominibus & miniſterialibus, omnibusque pertinentiis, iuuabimus ipſi & Eccleſiae Colonienſi pro poſſe noſtro diligenter conſeruare. Inſuper in Andernaco & Eckenhagen, quicquid iuris habuimus, ipſi Archiepiſcopo & Eccleſiae Colonienſi concedimus, ſicut Sereniſſimus Pater noſter, Fridericus Diuus Auguſtus Reynaldo quondam Colonienſi Archiepiſcopo, poſt victoriam a Romanis in conflictu habitam, dignoſcitur conceſſiſſe. Praeterea innouamus & concedimus ipſi Archiepiſcopo Colonienſi Monetas, Telonia & Nundinas ſub eo modo & iure, ſicut chariſſimus Frater noſter, Henricus Romanorum Imperator diuae memoriae, Philippo Colonienſi Archiepiſcopo per priuilegium ſuum confirmauit. Ad ampliorem quoque dilectionis ſuae euidentiam, liberali munificentia concedimus & confirmamus ſaepe dicto Colonienſi Archiepiſcopo curtem noſtram in Brackele, & Eccleſiam noſtram in Kerpene, praeter villicationem & curtem eiusdem villae, quam ad manus noſtras ſpecialiter retinemus. Statuimus igitur & Imperiali ſancimus edicto, vt nulla omnino perſona, humilis vel alta, ſaecularis vel Eccleſiaſtica praedictum fidelem noſtrum Adolphum Colonienſem Archiepiſcopum & Eccleſiam Colonienſem in hac Maieſtatis Noſtrae conceſſione audeat moleſtare, vel aliquo modo perturbare. Quod qui facere attentauerit, a gratia noſtra excluſus, centum libras auri pro poena componat, dimidium camerae noſtrae, & reliquum paſſo iniuriam. Ad cuius rei certam in perpetuum euidentiam praeſentem paginam inde conſcribi iuſſimus, & maieſtatis Noſtrae ſigillo communiri.

Huius rei teſtes ſunt:

Dyethelmus Conſtantinenſis Epiſcopus.
Conradus Spirenſis Epiſcopus.
Henricus Wirtzeburgenſis Electus.
Henricus Argentinenſis Electus.
Gerhardus Praepoſitus Xantenſis.
Theodericus Werdenſis Praepoſitus.
Ludewicus Dux Bauariae.
Henricus Dux Louaniae.
Bernardus Dux Saxoniae.
Simon Dux Lotharingiae.
HENRICVS Palatinus Comes Rheni.
Otto Comes Geldrienſis.
Wilhelmus Comes Iuliacenſis.
Lotharius Comes de Hoſtaden.
Geuehardus Burgrauius de Magdeburg.
Henricus Marſchalcus de Kalendin, & alii quam plures.

Signum Domini Philippi Secundi Romanorum Regis inuictiſſimi.

Ego Conradus Ratiſponenſis Electus & Regalis aulae Cancellarius recognoui.

Acta ſunt haec anno Incarnationis Dominicae Milleſimo ducenteſimo quarto, indictione octaua, Regnante Domino Philippo ſecundo Romanorum Rege glorioſiſſimo, anno Regni eius ſexto.

Datum per manus Sifridi Regalis aulae Protonotarii in Ciuitate Aquisgrani II. Idus Ianuarii.

No. CLI.

Idem eidem Archiepiſcopo praedium Salfeld donat, ante ab Ottone Rege donatum.

Anno 1205. Ex Gelen. l. c. pag. 31.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *PHILIPPVS ſecundus* diuina fauente clementia *Romanorum Rex & ſemper Auguſtus.* Dignum eſt, & a rationis tramite non diſcordat, ad poſterorum notitiam memorabilia omnia Celſitudinis noſtrae geſta ſcripturae ſolemnitate decenter transmitti, ſed ea potiſſimum, quae & laudabilibus liberalitatis noſtrae praeconiis, & glorioſiſſimis Maieſtatis noſtrae titulis feliciter adornantur. Ideo vniuerſis Imperii fidelibus, tam praeſentis quam

ſuturi aeui, duximus declarandum, quod nos allodium in *Saluelt*, quod chariſſimus pater noſter Fridericus diuae memoriae Imperator Auguſtus a Philippo Colonienſi Archiepiſcopo per concambium Imperio contraditum acceperat, cum miniſterialibus, hominibus, mancipiis, caſtris, villis, poſſeſſionibus, pratis, paſcuis, ſyluis, terris, cultis & incultis, aquis, aquarumque decurſibus, cum moneta, telonio, placitis, molendinis, piſcationibus, omnique honore ac iuſtitia eidem allodio attinenti, fideliſſimo Principi noſtro, *Adolpho*, Colonienſi Archiepiſcopo, omnibusque ſucceſſoribus ſuis reſtituimus in perpetuum, per fidelitatis eius conſtantiam ad hoc inuitati . . . . . Vt autem hoc Sublimitatis noſtrae factum ratum ſemper & inconuulſum permaneat, hanc diualem paginam exinde conſcribi iuſſimus, & ſigilli noſtri charactere communiri, ſtatuentes & firmiter ſub poena gratiae noſtrae praecipientes, vt nulli omnino perſonae humili vel altae, Eccleſiaſticae ſiue ſeculari, licitum ſit ipſum Archiepiſcopum aut eius ſucceſſores ſuper prouentibus nominati Allodii, ammodo inquietare, vel aliquam eis irrogare iacturam, quod qui facere praeſumpſerit, in vindictam temeritatis ſuae centum libras auri examinati componat, dimidium camerae noſtrae, reliquum paſſis iniuriam.

Teſtes huius rei ſunt:

Diethalmus Conſtantinenſis Epiſcopus.
Conradus Spirenſis Epiſcopus.
Henricus Argentinenſis Electus.
Gerhardus Praepoſitus Xantenſis.
Didericus Praepoſitus Sancti Cuniberti.
Henricus Dux Brabantiae.
Lodouicus Dux Bauariae.
HENRICVS Palatinus Comes Rheni.
Otto Comes Geldrienſis.
Wilhelmus Comes Iuliacenſis.
Lotharius Comes de Hoſtaden.
Godefridus Comes de Arniſperge.
Otto de Wicrode.
Hermannus Colonienſis Aduocatus.
Henricus Marſchalcus de Kallidin.
Cuno de Minzenberge.
Henricus de Smalinecki.
Henricus Dapifer de Walpurge.
Walterus Pincerna de Scipſen.
Henricus Camerarius de Rauinſperg, & alii quamplures.

Signum Domini Philippi Secundi Romanorum Regis inuictiſſimi.

Ego Conradus Ratiſponenſis Electus, & Regalis aulae Cancellarius recognoui.

Acta ſunt haec anno Incarnationis Dominicae milleſimo ducenteſimo quarto, indictione octaua, regnante Domino Philippo Romanorum Rege inclyto, Anno Regni eius ſexto.

Datum Aquisgrani per manum Sifridi Regalis aulae Protonotarii ſecundo Idus Ianuarii.

Dependet ex filo ſerico Sigillum aureum, ab vna parte habens templum, tergimina inſignitum turri. Portae templi inſcriptum AVREA ROMA, & perigraphe eſt: ROMA CAPVT MVNDI TENET ORBIS FRENA ROTVNDI. Ab altera parte ſedet Imperator in ſolio Regio, tenens dextra ſceptrum, ſiniſtra globum cruce inſignitum, cum hac inſcriptione: PHILIPPVS DEI GRATIA ROMANORVM REX ET SEMPER AVGVSTVS.

No. CLII.

Ienricus Palatinus filiae Schonaugienſis Mo- aſterii, Bebenhuſen, a vaſallis & Miniſterialibus ſuis donationes fieri permittit. Anno 1208. Ex Beſoldi Docum. Wurtenberg. p. 371.

N nomine Dei omnipotentis. Nouerint preſentes & ſciant poſteri, quod ego *HEINRICVS* Dei gratia *Dux Saxonie & Palatinus Comes Rheni* ob honorem Dei & eius ſancte genitricis Marie, heredita- iure a dilecto *ſocero* noſtro ad me vſque translatum Sconaugienſe ceno- ım ordinis Ciſtercienſis defendere, & donis amplificare ſumma diligen- decreui. Proinde hanc libertatem Monaſterio Bebenhuſen, nouelle elicet plantationi iam dicti Cenobii, donaui, vt, quicunque homi- n & miniſterialium, ſiue fidelium meorum, ſe vel ſua eidem monaſterio, ine retributionis intuitu, conferre voluerit, de mea permiſſione ſecurus Huius rei gratia preſentem paginam, ne a quoquam poſſit in irri- ı deduci, conſcribi feci, & ſigilli mei impreſſione roborari.

Huius rei teſtes ſunt de Clero:

Iuſtartus Abbas de Hainerode.

Walterus Sconaugienſis Abbas.

Albertus

Albertus Cellarius de Beuenhuſen.
Iohannes Notarius, Plebanus de Wiſele.
De Laicis: Marcgrauius de Badin.
Comes Hirſutus.
Warnerus Dapifer, & alii quam plures.

Acta ſunt hec Wormacie anno Dominice incarnationis Milleſimo ducenteſimo octauo.

No. CLIII.

Iohannis Angliae Regis epiſtola ad diuerſos Germaniae Principes ſcripta pro Ottone Rege.

Anno 1209. Ex Rymer. Act. T. I. p. 153.

VENERABILIBVS in Chriſto Patribus, Dominis, Moguntinenſi, Colonienſi, Magdeburgenſi, Treuirenſi Archiepiſcopis, & Spirenſi, Leodicenſi, Cameracenſi, Herbipolenſi, Argentinenſi, Metenſi, Alberſtadenſi, Monaſterienſi, Hildeshemenſi, Traiectenſi Epiſcopis, & de Vulda & Herſefeld Abbatibus; & Viris Nobilibus & amicis kariſſimis, Duci Saxoniae, Duci Brabantiae, Landgrauio Duringiae, Duci Ceringiae, C. Marchioni Iſtriae, T. Marchioni de Miſna, A. Marchioni de Brandenburg, Duci Bauariae & Duci Auſtriae, Iohannes eadem gratia Rex Angliae, Dominus Hiberniae &c. Litteras quorundam ex vobis ſuſcepimus, quas *nepos noſter*, Dominus *Rex OTHO* nobis deſtinauit *per fratrem ſuum, nepotem noſtrum, Ducem Saxoniae*, & Camerarium, & Seneſcallum ſuum, quos de voluntate & conſcientia omnium veſtrum emanaſſe credimus; & habuimus ſuper hiis, quae nobis conſuluiſtis, magnum tractatum & diligens conſilium cum fidelibus noſtris, qui nobis conſulerint, quod nos conſilio & voluntati veſtrae adquieſceremus, quatenus de iure poſſemus. Vnde ad praedictum Regem, & ad vos mittimus dilectos & fideles noſtros W. Comitem Sarr. fratrem noſtrum, & fratrem R. Priorem Hoſpitalis Ieruſalem in Anglia, & Adam de Portu, & A. Archidiaconum Wi. & H. Archidiaconum Stafford. per ipſos ei & vobis ſignificantes ea, quae in praedicto conſilio noſtro accepimus; & veſtram rogamus diſcretionem quatenus pro Deo & honore noſtro, 'iuxta quod ipſi — diſponerent,' intendatis & procuretis ea fieri, quae honori dicti Regis, Domini veſtri & *nepotis noſtri*, & honori veſtro magis videritis congruere & melius expedire. Volumus autem vos non latere, quod ex eo, quod regendum

dum Regnum ſuſcepimus & poteſtatem habuimus, multotiens ei etiam ad grauamen noſtrum, ſubuenimus, eius plurimum deſiderantes ſublimationem; & iam tempus eſſet, quod id nobis remuneraret, & quod nos alter alteri adinuicem ſubueniremus, cum tanta & talis iam pridem inter nos facta ſit *conſoederatio*, & ſcriptis & ſacramentis firmata, quae de iure rumpi non poterit, nec debebit.

Teſte Domino Winton. Epiſcopo apud — — viceſimo quarto die Martii.

No. CLIV.

Iohannes Rex Angliae Henrico Palatino ſoluit penſionem annuam mille marcarum.

Anno 1209. Ibidem pag. 154.

REX omnibus &c. Sciatis, quod I. filius Hugonis, liberauit per praeceptum noſtrum, *H. Duci Saxoniae* mille Marcas de dono & de *feodo* ſuo. Et Henr. de Ver quadringentas Marcas ad liberationes ſeruientium & baliſtarum. Et in Camera noſtra centum & triginta Marc. per manum W. Archid. Hunted. de pecunia, quam Regin. de Cornhill. liberauit apud Windleſor. Et hoc vobis mandamus, vt ſciatis ipſum inde eſſe quietum.

T. W. Archid. Hunted. apud Lameh. 24. Mart. per eundem.

No. CLV.

Idem Conradum de Wilre Regis Ottonis Seneſchallum in tutelam ſuſcipit, bonaque eius omnia ab omni onere libera eſſe iubet & immunia.

Anno 1209. Ibidem l. c.

REX omnibus &c. Sciatis, quod *Conradus de Wilra*, *Seneſcallus* illuſtris *Regis OTTONIS nepotis noſtri*, & terra ſua, & homines, & res, & poſſeſſiones ſuae, quas habet in Anglia, ſunt in cuſtodia & protectione noſtra. Et ideo vobis mandamus, & firmiter praecipimus, quatinus ipſum & omnia ſua cuſtodiatis, manuteneatis & defendatis, ſicut noſtra dominica, & non faciatis, aut fieri permittatis ei, aut ſuis, aliquam iniuriam, grauamen aut moleſtiam. Et, ſi ei, aut ſuis in aliquo foris factum fuerit, id eis ſine dilatione faciatis emendari.

Digitized by Google

dari. Conceſſimus etiam eidem *Seneſchallo*, quod ipſe ſit quietus de placitis & querelis, & quod ipſe, & terra ſua, & homines ſui ſint quieti de Sciris, & Hundredis, & de ſectis Sciraruin, & Hundredorum, quamdiu ipſe fuerit in ſeruitio noſtro in Alemannia, per praeceptum noſtrum.

T. Galfrido filio Petri apud London. viceſimo quarto die Martii, Anno regni noſtri decimo.

No. CLVI.

Otto Rex Magdeburgenſi Archiepiſcopo dimittit ius ſpolii cum caeteris fere omnibus Imperialibus iuribus. Anno 1209. Ex Diplomat. Magdeburg. Mſct.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *OTTO Quartus* diuina fauente clementia *Romanorum Rex & ſemper Auguſtus*. Iuſtum & honeſtum, vt bene meritos ſuorum meritorum digna beneficiorum praemia congruo ordine ſubſequantur. Vnde eſt, quod nos, attendentes praeclara deuotionis obſequia, quae dilectus princeps noſter, *Albertus*, Magdeburgenſis Eccleſiae Archi Epiſcopus, ab exordio noſtrae promotionis feruenter nobis exhibuit, & Domino etiam concedente inpoſterum nobis eſt exhibiturus, non immerito ad ea omnia exequenda pura animi noſtri mouemur intentione, quae vel honorem perſonae ſuae reſpiciunt, vel ad commodum vel vtilitatem Eccleſiae ſuae principalis, & demum ſuffraganearum Eccleſiarum ſuarum conducunt. Cum igitur ex antiqua & antiquata conſuetudine omnium Epiſcoporum decedentium, qui de iuriſdictione ſunt Imperii, in quibuscunque redditibus reliquiae fiſco cedere debent Imperiali; ob ſinceram dilectionem memorati Archi Epiſcopi, eiusque perſonae reuerentiam ſucceſſoribus ſuis, Domino a praeſenti carnis toga ipſum exuente, & omnium ſuffraganeorum ſuorum ſucceſſoribus, in perpetuum concedimus, vt omnes prouentus Epiſcopales, qui defunctis Epiſcopis Imperio cedere conſueuerunt, deinceps ad vſus ipſorum colligantur, & collecti reſeruentur, ſtatuentes, vt, ſi decedentes Epiſcopi aliquibus debitis fuerint innodati, ea exinde perſoluantur. Per hoc tamen ſpeciale gratiae noſtrae donum Magdeburgenſem Eccleſiam, omnesque eius ſuffraganeas Eccleſias, cum omnibus earum familiis, occaſione memorati Archi Epiſcopi volentes eſſe ſpecialius honoratas. Porro cum Romani Imperatores & Reges Anteceſſores noſtri in omnibus ciuitatibus & oppidis Eccleſiarum Imperii, durantibus curiis Imperialibus in illis, accipere conſueuerint theloneum & monetam, & in ſuos vſus conuertere; nos propter ſinceram dilectionem, quam ad

memo-

memoratum gerimus Archi Epiſcopum, eandem conſuetudinem eiusque debitum prorſus abolere decreuimus, & tam Magdeburgenſi ciuitati, quam vniuerſis oppidis, ad ipſam Eccleſiam pertinentibus, illius onus obſequii liberaliter in perpetuum relaxamus. In terris quoque, vbi ex antiquo Magdeburgenſis numiſmatis percuſſio currere conſueuit, ſtatuimus, nec theoloneum, nec monetam, aut per nos, aut vnquam per alium aliquem, niſi de voluntate & conſenſu ipſius Archi Epiſcopi & ſucceſſorum ſuorum, ponendam. Ceterum vt tam memoratus Archi Epiſcopus, quam familiae ſuae dilecta nobis vniuerſitas plenitudinem gratiae noſtrae per vberrimas exhibitiones operum recognoſcat; nos neque per nos, neque per homines noſtros faciemus vel fieri mandabimus in ciuitate Magdeburgenſi vel in oppidis, vel in aliquibus bonis Archi Epiſcopi & Eccleſiae ſuae aliquam exactionem, nec ſumemus hoſpitia, quae vulgariter *Herbergaria* nuncupantur, contra voluntatem Archiepiſcopi, vel alicuius ſui ſucceſſoris; per hanc etiam ſpecialem gratiam noſtram Eccleſiam Magdeburgenſem volentes eſſe ſpecialiter honoratam. Vt autem hoc noſtrum liberalitatis donum ſaepefatae Magdeburgenſi Eccleſiae & ſuffraganeis eius omni aeuo ratum & inconuulſum permaneat, praeſentem exinde paginam conſcribi iuſſimus & Maieſtatis noſtrae ſigillo communiri. Statuentes & regio edicto firmiter praecipientes, vt nulli de cetero perſonae, altae vel humili, Eccleſiaſticae ſiue ſeculari, hanc noſtrae donationis diualem paginam licitum ſit infringere, aut aliquo ei temeritatis auſu obuiare. Quod ſi quis facere praeſumſerit, in vindictam transgreſſionis auri puriſſimi libras centum componat, quarum medietas Camerae noſtrae, reliquum paſſis iniuriam perſoluatur.

Huius rei teſtes ſunt:

Hartbertus Hildeshemenſis Epiſcopus.
Thidericus Merſeburgenſis Epiſcopus.
Siboto Hauelnbergenſis Epiſcopus.
HEINRICVS Palatinus Comes Rheni.
Bernardus, Dux Saxoniae.
Hermannus Landgrauius Thuringiae.
Fridericus Marchio Miſnenſis.
Conradus Marchio de Landisberg.
Albertus Marchio Brandenburg.
Comes Fridericus de Brene.
Geuehardus, Burggrauius Magdeburgenſis.
Comes Adolphus de Schawenburg.
Comes Burchardus de Mansfeld.

Comes

Digitized by Google

Comes Algerus de Hoenſtein.
Albertus & Geuehardus, fratres de Arnſtein.
Cono de Minzenberg.
Baſilius de Oſterrode.
Gunzelinus Dapifer.
Thidericus Rabil, & alii quamplures.

Signum Domini Ottonis IV. Romanorum Regis inuictiſſimi.

Ego Conradus Spirenſis Epiſcopus, Regalis aulae Cancellarius, Vice Domini Sifridi Moguntinenſis Archiepiſcopi, totius Germaniae Archicancellarii, recognoui.

Acta ſunt haec anno Dominicae Incarnationis M°CC°VIIII°. Indict. XII. Regnante Domino Ottone IV. Romanorum Rege Glorioſo. Anno Regni eius XII.

Datum apud Brunſwig, per manus Waltheri Regalis aulae Protonotarii. XIV. Cal. Iunii.

No. CLVII.

Fragmentum poëmatis, ex rhytmis Germanicis & Latinis commixtis compoſitum, cum verſione Eccardiana, e quo elicitur Ottonem IV. Imperatorem, dum pro corona Romana indipiſcenda Anno 1209. in Italiam abiret, Henrico Palatino fratri, & Henrico Brabantiae Duci, curam Imperii vicariam commiſiſſe. Ex Dn. Eccardi veter. monument. quaternione. pag. 59.

- - - uncalmus thero ewigero aſſis.	Tenebrae erunt eorum aeterna merces.
Thiernum filius (benignus fautor mihi	Hic nunc filius (benignus fautor meus
Thaz ig iz coſan muozi)	Vt hoc dicam)
De quodam Duce	Cuiusdam Ducis.
Themo Heron Heinriche,	Domini Henrici.
Qui cum dignitate	Qui cum dignitate.
Thero Beiaro riche Bewaſoda	Regnum Bauariae cuſtodiuit.
Intrans nempe nuntius	Intrans nempe nuntius.
Then Keiſar namoda,	Imperatorem appellabat:
Herthas, cur ſedis, infit, Otdo	Prodi, cur ſedis, infit, Otto!
Ther vnſar Keiſar guodo.	Qui noſter bonus Imperator es.

Hic - - adeſt Heinrich	Hic enim adeſt Henricus
Bruother, hera Kuniglich.	Frater, Dominus regalis,
Dignum tibi fore	Vt dignus te fiat
Thit ſelue more.	Hoc ipſo more ſiue modo.
Tunc ſurrexit Ordo	Tunc ſurrexit Otto
Ther vnſar Keiſer guodo	Noſter bonus Imperator,
Perrexit illi obuiam,	Perrexit illi obuiam
Inde vilo manigman,	Cum multis miniſterialibus
Et excepit illum	Et excepit illum
Mit michilon eron.	Cum magno honore.
Primitus quoque dixit:	Primitus quoque dixit:
Willicumo Heinrich!	Salue Henrice!
Ambo vos aequiuoci	Ambo vos aequiuoci
Bethiu guoda endimi	Ad haec boni amici
Nec non & ſocii:	Nec non & ſocii,
Willicumo ſidi gi mi.	Saluete mihi.
Dato reſponſo ſone	Dato reſponſo ab
Heinriche ſo ſcone,	Henrico optimo,
Coniunxere manus.	Coniunxere manus.
Her leida ina in thas Godeshus	Ducebat ipſum in Eccleſiam
Petierunt ambo	Petierunt ambo
Thero Godes genathemo.	Dei gratiam.
Oramine facto,	Oramine facto,
Int Siegena, auer Otdo	Et benedictione, iterum Otto
Duxit in Concilium	Duxit in Concilium
Into michilon eron	Et magno honore
Et amiſit illi,	Et commiſit illi
So waz ſo her thar haſode	Quicquid ibi habebat,
Praeterquam regale	Praeterquam regalia,
Ther thir Heinrich in gerode	Et quicquid Henricus ab ipſo deſiderabat.
Tunc ſtetit al thiu	Tunc ſtetit omnis haec
Sprackha ſub firmo Heinricho	Lingua ſub firmo Henrico
Quicquid Otdo fecit,	Quicquid Otto fecit,
Al geried iz Heinrich,	Id omne placebat Henrico.
Quicquid ac amiſit,	Quicquid ac commiſit
Ouch geried iz Heinricho.	Etiam placebat Henrico.

Hic non fuit vllus,	Hic non fuit vllus
(Thes hafon ig guoda	(De hoc habeo bonum
Fulleiſt nobilis, ac literis	Teſtimonium nobilis ac per litteras,
Thaz tid allaz war is)	Quod hoc omne verum ſit)
Cui non fecit Heinrich	Cui non procuraſſet Henricus
Allero rechto gilich	Plenariam iuſtitiam ....

No. CLVIII.

Colonienſis Archiepiſcopus Henrico Palatino & nonnullis aliis pro praeſtitis Hildenſemenſi Epiſcopo auxiliis gratias agit, eumque tamquam virum Caeſari & Papae gratum, porro commendat. Anno 1209. Ex veteri Cod. Moguntin.

VENERABILIBVS in Chriſto Fratribus Halberſtadenſi, Mindenſi Epiſcopis, Abbati Corbeienſi & illuſtri viro Domino *H. Duci Saxoniae* & illuſtri viro Domino - - *de Luneburc*, & omnibus Comitibus, Nobilibus in obſidione caſtri .... E. Dei gratia ſanctae Colonienſis Eccleſiae Archiepiſcopus ſalutem & dilectionis integritudinem. Gratiarum vobis referimus actiones ſuper eo, quod venerabili fratri, Hildesheimenſi Epiſcopo, in ſuis & Eccleſiae ſuae neceſſitatibus, ſicut idem nobis per ſuos nuntios intimauit, pro reuerentia Dei ac Imperii, nec non etiam ſacramenti, quod pro pace feciſtis & pro iuſtitia terrae, ſuccurriſtis laudabiliter & potenter; vniuerſitatem veſtram monentes attentius & rogantes, quod eidem Epiſcopo, qui nobis tam ex parte Domini Papae, quam Imperatoris cum omnibus bonis & pertinentiis ſuis ſpecialiter eſt commiſſus, in omnibus ſuis & Eccleſiae ſuae anxietatibus fideliter aſſiſtatis, vice noſtra, vt id debeamus penes vos propenſe promereri.

No. CLIX.

Vltima voluntas Ludolfi, Canonici ſanctae Crucis Hildenſemenſis Hieroſolymas petituri, firmatum ſigillo Domini eius Henrici Ducis. Anno 1211. Ex Schannat. Vindem. I. p. 189.

ANNO Domini MCCXI. Kal. Mai. Ego Ludolfus, Canonicus ſanctae Crucis in Hildesheim, arripere volens iter Ieroſolimitanae peregrinationis, conſiderans, quod varia terrarum ac marium pericula ſolent peregrinantibus obuiare. Vt igitur aduentum

ſupremi iudicis migraturus a corpore ſecurius praeſtolari audeam, aſſigno eccleſiae meae ad conſolationem fratrum meorum in aniuerſario meo, ſi in via defecero, manſum . . . . Eccleſia ſancti Petri habeat libros meos; curiam meam habebit frater meus A. De reliqua ſuppellectili mea ordinabunt Salamanni, ſicut fidei eorum commiſi. Vt igitur hanc ordinationem nullus irritare valeat, obtinui, vt huic cartulae *Domini mei H. Ducis* ſigillum annotetur.

No. CLX.

Henricus Dux Saxoniae Comes Palatinus Rheni Schonaugienſium iura in Scharra ſalua eſſe cupit. Anno 1211. Ex Diplomat. Schonaug. p. 80.

HEINRICVS *Dei gratia Palatinus Comes Rheni* ac *Saxonie Dux* in perpetuum. Cum vniuerſis Chriſti fidelibus pro poſſe noſtro pacem procurare debeamus, ad eos tamen obligamur maxime, qui noſtre ditioni ſubditi, in lege Domini meditantur die ac nocte.

Preſentium igitur tenore notificamus, quod, cum felix predeceſſor *ſocer* noſter *CVNRADVS Palatinus Comes Rheni*, Marquardum, Dapiſerum de Anewilre, feudo illo in *Berſtratia*, & tam in Scharren, quam adiacentibus villis habito, primum inueſtiret, dilectos Fratres Schonaugienſes, Ciſtercienſis ordinis, Wormatienſis diocesis, ea libertate donauit, vt eorum poſſeſſiones, & in Scharra ac circum quaque ibidem ſite, eidem beneficio penitus in nullo forent obligate; ſed, deciſe omnino & ab ipſius iuriſdictione exempte, nullo vnquam ſeruitio aut qualicunque iure ab eodem Marquardo ac ſuis heredibus debeant pregrauari. Nunc autem *ſocero* noſtro ac prefato Marquardo defunctis, ad inſtantiam & petitionem Theoderici, filii eiuſdem, Dapiſeri de Huſen, prenotatum patris ſui beneficium, in *Berſtratia* & circum circa habitum, eidem prompta voluntate porrigimus. Volentes, immo diſtricte precipientes, predictis Fratribus in Schonaugia, noſtro patrocinio creditis, prehabitam in ſuis poſſeſſionibus libertatem, & a nobis confirmatam inuiolabiliter obſeruari, ac nullis prorſus eiuſdem Theoderici de Huſen, aut ſuorum heredum, exactionibus moleſtari. Adicientes preterea, vt, quecumque ſepe dictis Fratribus in pratis, aquis, ſiluis, agris, paſcuis, cultis & incultis, de mera liberalitate & vnanimi conſenſu memorati ſoceri, ac *ſocrus* noſtre *Hirmengardis* collata eſſe dinoſcuntur in Oppowa, remoto omni impedimento, ipſi eadem quieta poſſeſſione ſemper obtineant & illibata. Iniuriatores eorum tam in his, quam in predictis perpetua animaduerſione puniturі.

No. CLXI.

No. CLXI. (a)

Suaſu Henrici Ducis in die deſponſationis eius Gerhardus de Schowenburg renunciat praetenſo iuri Aduocatiae curiae Nuenheim in gratiam Schonaugienſium Monachorum. Anno 1211. Indidem p. 82.

GERHARDVS de Schowenburg vniuerſis hanc paginam intuentibus in perpetuum. Conſtare cupio tam poſteris, quam preſentibus, quod, cum Fratres Schonaugienſes ſuper emptione cuiusdam curie in Nuenheim, contra curtim eorundem ſite, cum Prepoſito & Conuentu de Lobinuelt conueniſſent, iniqua quorundam perſuaſione ductus, fatebar, eamdem curiam mihi fore obnoxiam in exhibendo iure aduocatitio: Nacta occaſione ex eo, quod, cum Aduocatus eſſem in vicino ſuper aliam eorundem de Lobenuelt curiam, Dagesbach videlicet, ſimiliter & iſta eodem iure mihi foret obligata. Verum quia ipſi Schonaugienſi eccleſie *in celebratione deſponſationis ſue* Dominus noſter *HEINRICVS Palatinus Comes Rheni, Dux Saxonie*, pretium eiusdem curie redimende dotis nomine delegare curauit, tum per ipſum, tum per alios, rei veritatis conſcios, ab iniuſta reuocatus exactione ceſſaui, & Fratribus Schonaugienſibus curiam predictam libere ſemper & quiete poſſidendam reliqui; vniuerſo iuri, quod me ibidem habiturum absque fraude & ſcrupulo reuera credidi, reſignando. Quod factum pro ſufficiente cautela Fratribus ipſis in Schonaugia preſenti ſcripto ac ſigillo meo duxi confirmandum.

Acta anno gratie MCCXI.

Teſtes ſunt hi:

Comes Rheni HEINRICVS.
Cunradus de Steina.
Cunradus de Kircheim.
Cunradus de Hirzesberc: Liberi.
Miniſteriales D. Palatini:
Wernherus Dapifer, Heinricus filius eius & Wignandus.
Miniſteriales mei: Otto de Schowenburg.
Godefridus. Griffo, & alii. quam plures viri idonei & fide digni.

No. CLXI. (b)

Mathildis, filia Henrici I. Brabantiae Ducis, vxor Florentii Comitis Hollandiae, pro anima mariti & patris eius Comitis Wilhelmi, matrisque Adelheidis, nec non parentum ſuorum monaſterio Losdunenſi campum quemdam donat.

Anno 1225. Ex Matthaei Analect. T. VI. p. 438.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Ego *Mechtildis*, Comitiſſa Hollandiae, notum eſſe volo tam praeſentibus quam futuris Chriſti fidelibus, praeſens ſcriptum inſpecturis, quod in eleemoſyam contuli Monaſterio de Loosdunen, quod Dominus meus *Florentius*, Comes Hollandiae & ego in proprio fundo fundauimus, pro ſalute animae praedicti Domini mei *Florentii* Comitis, ac *patris ſui* Wilhelmi Comitis, ac *vxoris eius* Dn. Aleydis, nec non pro remedio animae meae & *patris mei*, Ducis Brabantiae Henrici, & *matris meae* Mechtildis, ac omnium parentum meorum, campum illum, qui prope Monaſterium iacet, qui vocatur Britgers, & paſcuas ad trecentas oues paſcendas ſuper larenam Comitis, vt in proprios vſus perpetuo libere poſſideat. Quod ſi poſt mortem meam filii mei vel ſucceſſores eorum hanc donationem contradicere voluerint, eo quod hereditas mea non fuerit; de hereditate mea in Brabantia pro omnibus his praefato Monaſterio quinquaginta loras Hollandenſis monetae annuas aſſignaui. Vt autem haec firma & inconuulſa in perpetuum permaneant, ſigilli noſtri impreſſione munire curauimus.

Acta ſunt haec anno Domini M. CC. XXV. in feſto Sancti Willebrordi Epiſcopi.

No. CLXI. (c)

Eadem pro anima mariti & liberorum, praeſertim Wilhelmi Regis, ſacello in arena Comitis donat terram iuxta Hekendunen. Anno 1266. Indidem p. 497.

Nos *MACHTILDIS* Comitiſſa Hollandiae notum eſſe cupimus omnibus praeſentem literam viſuris, quod nos pro remedio animarum noſtrae & dilecti *mariti noſtri* piae recordationis, Domini *Florentii*, Comitis Hollandiae, & dilectorum *filiorum* noſtrorum, videlicet Domini Wilhelmi clarae memoriae Romanorum Regis, & *eius vxoris* Dominae Eliſabeth Reginae, nec non Domini Florentii, & omnium noſtrorum praedeceſſorum, & percari noſtri conſanguinei Do-

mini

mini Florentii, Comitis Hollandiae, ac dilectarum *filiarum* noſtrarum, Dominae Alcydis dictae de Hannonia, ac Dominae Margaretae Comitiſſae de Hennenbergh, & ipſorum liberorum, contulimus in eleemoſynam totam terram, quae vulgariter Gemeente nuncupatur, iacentem in officio de Monſtre iuxta Hekendunen, praeter tres morgas ad Capellaniam de Hekendunen in eleemoſynam collatas, aſſignantes ad ſupradictam terram X. libras Hollandicas in annuis redditibus ad Capellaniam Curiae in s'Graueſande &c. vt in dicta Curia perpetuo diuina celebrentur &c.

Datum apud s'Graueſande Anno M. CC. LXVI. in vigilia beati Matthei Apoſtoli & Euangeliſtae.

No. CLXII.

Henricus Iunior Palatinus Rheni confirmat Schonaugienſibus Curiam in Virnheim. Anno 1213.

Ex Diplom. Schonaug. l. c. p. 83.

HEINRICVS Dei gratia *iuuenis Comes Palatinus Rheni*, omnibus hoc ſcriptum contuentibus ſalutem & omne bonum. Notum ſit veſtre vniuerſitati, quod *pater noſter*, HEINRICVS *Dux Saxonie & Comes Palatinus Rheni*, pro remedio anime ſue, curiam in Virnheim cum omnibus pertinentiis ſuis contulit eccleſie in Schonaugia, & Dei famulis ibidem diuino cultui mancipatis. Nam & ipſe eamdem curiam quandoque ab ipſis comparauerat, eo pietatis pretextu & ſtudio, vt eam impoſterum prenominate eccleſie in elemoſinam reconſignando, memoriam ſuam obtentu perpetue orationis celebrem efficeret. Nos vero hanc ſue ſalutis donationem approbamus, & approbatam confirmamus. Cupientes habere participium tam in merito, quam in dono. Quidquid autem iuris ratione aduocatie de ipſa curia nobis pertinere debebat, remittimus, & remiſſum memorate eccleſie imperpetuum concedimus. Eximentes ipſam ab omni onere & exactione. Vt autem hec noſtra conceſſio & conceſſionis confirmatio rationabilis & inconuulſa ſemper teneatur, hanc cartam conſcribi, & ſigilli noſtri appenſione communiri dignum duximus.

Huius rei teſtes ſunt:

De Nobilibus: Gerhardus Comes de Diethſe.
Trutwinus de Quirimbach, & Cunradus filius eius.
Giſelbertus de Stalecken.
De Clericis: Cunradus & Zacharias, Capellani noſtri.
Iohannes, Notarius noſter.

De

De Miniſterialibus: Wernherus Dapifer de Alceie.
Wernherus Krich.
Et Marquardus de Hirceſpere.
Hartliebus de Lutembach, & Heroldus frater eius, & alii quam plures honeſti viri.

Datum Schonaugie in Pareſceue, anno Dominice Incarnationis MCCXIII.

No. CLXIII.

Henricus Palatinus ratam habet donationem a fratre Ottone Imperatore pro fundanda Eccleſia in Scheuerlingburg factam. Anno 1213. Ex Rethmeyer. Hiſtor. Eccleſ. Brunſuic. T. I. Inſtrum. p. 58.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *HENRICVS Dei gratia Dux Saxoniae, Comes Palatinus Rheni.* Quod gerendum inſpirat homini diuina pactio, humana temeritas infringere non praeſumat. Sciant igitur praeſentes & poſteri, quod Sereniſſimus Dominus & *frater* noſter *OTTO*, Illuſtris Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, ſpiritu bono inductus, eccleſiam in *Scheuerlingburch*, quam Domino & eius ſanctae genetrici inchoare propoſuit, his bonis dotauit: Apud Honrode XVII. manſis & molandino, cum omnibus pertinentiis, in litonibus, ſiluis & pratis; piſcationibus exceptis: Apud Waggene duobus manſis, & ſilua Bodinhorne: Apud Giſhorne vno molandino & ceteris omnibus, quae ibidem noſtro Domino pertinebant, in agris, ſiluis, pratis, & aquis: Apud Gamenhuſin ſimiliter omnibus: Item Bocla cum omnibus attinentiis eius: Apud Broſne XXXV. manſis, & XVIII. agris, & vno molandino, cum litonibus & aliis, pertinentibus ad villicationem illam, in ſiluis pratis & aquis; parrochia quoque ibidem cum II. manſis: Apud Wenediſſem XVIIII. manſis, vno molandino, cum litonibus & aliis pertinentiis villicationis illius, in ſiluis, pratis & aquis, & parrochia ibidem, cum quinque manſis & vno molandino: Item Eccleſia apud Elmesburch & medietate Eccleſiae apud Asle. Adhaec libera dimiſit ſupradictae Eccleſiae, quaecunque de proprietatibus ſuis & noſtris poſtmodum poterit adipiſci. Quia igitur omnium ſupradictorum bonorum haeredes ſumus perpetui, & haec dotatio ex noſtro conſenſu facta eſt & bona voluntate, vt in perpetuum rata maneat & inconuulſa, hoc ſcriptum ſigilli noſtri teſtimonio fecimus muniri, atteſtantibus viris idoneis & diſcretis:

Hartperto,

Hartperto, venerabili Hildeſemenſi Epiſcopo.
Hugoldo, Abbate Sancti Michaëlis.
Lutardo Scholaſtico.
Magiſtro Tidrico de Hamele.
Magiſtro Hugone, Canonico Hildeſemenſi.
Comite Henrico de Slathem.
Helboldo de Pleſſe.
Walthero de Baldinſele.
Gunzelino Dapifero.
Baltwino Aduocato.
Baſilio de Schiltperch.
Herwico de Scowe, & pluribus aliis tam Clericis, quam Laicis.

Acta ſunt in Brunſwich Anno Dominicae incarnationis MCCXIII. Indictione Secunda Sexto Kalend. Februarii.

No. CLXIV.

Conuentio, qua Wilhelmus Hollandiae Comes ſtipendiarium ſe facit Iohanni Regi Angliae, ſubſcriptore Henrico Comite Palatino Rheni. Anno 1213.

Ex Rymer. Act. Anglic. T. I. p. 168.

OMNIBVS Chriſti fidelibus hanc paginam inſpecturis, *Willielmus* Comes Hollandiae ſalutem. Nouerit vniuerſitas veſtra, quod ego *Willielmus* Comes Hollandiae promiſi Domino Regi Angliae *Iohanni*, quod ſi gentes extraneae in Angliam ad eam expugnandam venerint, veniam ad ipſum in Anglia, cum toto poſſe meo, quatenus potero, bona fide, ſine malo ingenio, poſtquam ſummonitionem ſuam habuerimus, vel neceſſitatem ſuam audierimus, ad defendendam terram ſuam, pro poſſe meo, ad denarios ſuos; & hoc non dimittam pro aliqua re, niſi exercitus apparens ſuper terram meam venerit. Et, quando voluerit habere ſeruitium meum, quod ei debeo, viginti & quinque milites ei mittam de terra mea vſque in Angliam ad cuſtum meum; & a die, quo applicuerint in Angliam, ſeruient Domino Regi ad denarios ipſius per tres quadragenas in Anglia, & cum corpore ipſius ibunt quocumque ipſe voluerit, & quando eos remittet, ad cuſtum ſuum remittet eos vſque in terram meam. Praeterea ſi de terra mea ſeruientes habere voluerit in ſeruitium ſuum, mittet in terram meam aliquem de ſuis, ad ducendum eos in Angliam, & faciam ei habere quingentos, vel mille ſeruientes, vel eo amplius, ſi neceſſe fuerit; & inueniam eis naues ad transfretandum in Angliam ad denarium ipſius Regis; & a die,

quo a portu receſſerint in Angliam transfretantes, erunt ad liberationes ipſius Regis, dum fuerint in ſeruitio ſuo. Et ego manucapio, quod milites & ſeruientes, quos ei mittam, bene & fideliter ei ſeruient, dum in ſeruitio ſuo fuerint. Ego vero Domino meo Regi *Iohanni* homagium feci, & de fide ei ſeruanda, & de praedictis ei firmiter tenendis ſacramentum ſibi praeſtiti in fide bona. Et ipſe, pro homagio & ſeruitio meo praedicto, dabit mihi & haeredibus meis per annum, in feodum, quadringentas Marcas (ad Marcam —) ad Paſcha percipiendas ad Scaccarium ſuum London. Et ego ligius homo deueni ipſius de praedicto feodo contra omnes mortales, ad terram ſuam Angliae defendendam, & aliam terram ſuam perquirendam; nec ab homagio ſuo vel fidelitate ſua in aliqua re, vel pro aliquo alio homine, recedam.

Teſtibus:

Domino P. Winton. Epiſcopo.
H. Comite Palatino Rheni.
R. Comite Boloniae.
G. filio Petri, Comite Eſſex, Iuſticiario Angliae.
W. Comite Warennae.
W. Comite Arundell.
S. Comite Wintonienſi.
Willielmo Briwerr.
Petro filio Herberti.
Thoma de Furnes.
Balduino de Harleke.
Florenſ. de Word.
Simone de Dano.
Martin. de Conrado de Wilr. *forte* & Conr. de Wilre.
Gerard. de Rodes.

Datum London. viceſimo nono die Martii.

No. CLXV.

Henricus Palatinus Monaſterio in Ouernkirchen confert bona in villa Outhirſen a Reinardo de Fornholt comparata. Anno 1211. Ex Dipl. Ouernkirch. Mſct.

HENRICVS *Dei gratia Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni* dilectis ſuis, Praepoſito & Conuentui de Ouirnkirchen, ſalutem & dilectionem. Notum vobis facimus, quod omnia bona illa, quae de nobis tenuit Reinardus dilectus noſter de Fornholt,

holt, in Villa Outhirſſin, cum conſenſu & bona voluntate ipſius Reinardi, vobis & Eccleſiae veſtrae conferimus in perpetuum ad vſum veſtrum habenda, & ne aliqua donationem noſtram ſequatur confuſio ſiue calumnia, hanc cartam apertam ſigillo noſtro munitam & praeſignatam vobis damus in teſtimonium, & confirmamus in hoc noſtram donationem. Similiter etiam bona viduae, in eadem villa poſita, vobis confirmamus.

Datum apud Stalekin, caſtrum noſtrum, anno incarnationis Domini MCCXIII. (*) Indictione XIII. Quart. Kal. Decembr.

No. CLXVI.

Repetita eiusdem donationis confirmatio.
Anno 1214. Indidem.

HENRICVS *Dei gratia Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni*, dilectis ſuis omnibus, hoc ſcriptum videntibus, ſalutem & omne bonum. Sciatis, quod ex noſtro conſenſu, & ex noſtra bona voluntate, Eccleſia de Ouirnkarchin bona Dottirſin, quae noſtra fuerunt hereditas, & Reinardus de Fornholt ea de nobis tenuit, erga ipſum Reinard iuſte & rationabiliter comparauit, & nos proprietatem eorundem bonorum praedictae Eccleſiae contulimus. Vnde, ne ſuper hoc aliqua dubitatio fiat impoſterum, & ne factum hoc rationabile ab aliquo infringi poſſit, aut impediri, hanc cartam inde conſcriptam ſigillo noſtro communiri fecimus & corroborari.

Datum apud Caſtrum noſtrum *Chellis*. VII. Id. Marc. Indictione ſecunda.

No. CLXVII.

Ludouicus Bauarus, qua Comes Palatinus Rheni, conſentiente ſponſa filii ſui Agnete, Schonaugienſibus dat piſcationem in Ophouia. Anno 1214.
Ex Diplomatar. Schonaug. l. c. p. 85.

LVDEVICVS *Dei gratia Palatinus Comes Rheni & Dux Bauariae*, omnibus in perpetuum huius ſcripti feriem inſpecturis & comperturis, ſalutem & omne bonum. Cum non ſine cauſa iudex gladium portet, ſcire nos conuenit, qui gladio cingimur, quod illum ad militandum ſummo Regi in defenſione viduarum & pupillorum, & precipue in protectione ſancte Dei Eccleſie & religioſarum domorum,

 accepi-

*) Potius MCCXI. vt Indictio oſtendit XIII. quae menſe Septembri incepit.

Digitized by Google

accepimus, & ſi aliquando, perperam aliquid agendo eo abutimur, ſtudio pietatis exceſſum corrigere debemus. Inde eſt, quod ſcire volumus vniuerſitatem veſtram, nos, tactos dolore cordis intrinſecus pro dampno, quod homines noſtri nobis inuitis intulerunt Monaſterio & venerabilibus Fratribus Schonaugie, cupientes Deo & ipſis ſatisfacere, *reuerſi a militia Domini Regis Friderici de inferiori Germania*, ad ipſum clauſtrum acceſſimus, & in Capitulo, plenaria fraternitate recepta, D. Abbati & eius Fratribus, ad reſarciendum dampnum, per noſtros irrogatum, piſcationem noſtram in *Opphouuin*, donec pura conſcientia dicerent ſibi ſatisfactum, liberaliter contulimus, de cetero ad nos redituram. Huic donationi acceſſit etiam bona voluntas & pius conſenſus *Agnete*, Nobilis puelle, *ſponſe filii noſtri*, que vera heres eſt eiusdem rei. Adiecimus nichilominus, quod, ſi reſidente hoc fructu apud ipſum Monaſterium, nos contingeret migrare a ſeculo, ipſi pro remedio anime noſtre perpetuo gauderent hac donatione.

Actum eſt hoc anno Domini MCCXIIII.

Huius rei teſtes ſunt:

Theobaldus Marchio de Vohimburch.
Philippus de Bonlanden.
Miles noſter, cognomento Cranc.
Hageno famulus noſter.
Sigbodo Aduocatus, & alii quam plures viri boni teſtimonii.

No. CLXVIII.

Idem vnacum filio Palatinatum ad Rhenum adeptus ad exemplum deceſſorum Conradi & Henrici Palatinorum libertati curtis in Scharra proſpicit. Anno 1216.

Indidem pag. 96.

L*VDEWICVS Dei gracia Bawarie Dux, Palatinus Comes Rheni* in perpetuum. Cum in poteſtate nobis a Domino conceſſa graues vix poſſimus noxas euadere, tanto confidentius tamen de [v]enia preſumimus, quanto propenſius ordinata ſeruorum Dei collegia [m]anutenere curamus. Preſenti igitur pagina teſtificamur, quod, cum [i]nſignis predeceſſor noſter *Palatinus Comes Rheni CVNRADVS*, Mar[q]uardum Dapiferum de Anewilre beneficio illo in Berſtrazia, & tam in [S]charra quam adiacentibus villis habito, inueſtiret, poſſeſſiones Scho[n]augienſium, Ciſtercienſis ordinis, Wormatienſis dyoceſis, omnino ab [e]odem feodo ſequeſtrauit, & ab ipſius iurisdictione ita penitus proſcripſit

pariter

pariter & exemit, vt nullo vmquam tempore eidem aut ſuis heredibus, alicuius ſeruitii vel exactionis reſpectu forent obligate. Succedente vero poſt hunc in Palatinum *preclaro ipſius genero,* Illuſtri *Duce Saxonie HEINRICO,* & eo quoque porrigente idem feodum Theoderico de Huſen, dicti dapiferi filio, ſimiliter & ab illo ipſe beneficio bona Schonaugienſium in eisdem terminis ſita, nichilominus excepit, quieta ac libera eorundem poſſeſſione iterato conceſſa. Poſtmodum autem & nos, vna cum precordiali *vnigenito* noſtro eandem Palatiam adepti, memorato Theodorico de Huſen pretaxatum etiam beneficium porreximus, Schonaugienſibus iterum ſue libertatis integritate prorſus conſeruata. Nunc igitur eodem Theoderico defuncto ſepe dictorum Fratrum amore ſimul ac deuotione ſtatuendum duximus, diſtricte precipiendo, vt quicunque de cetero eidem beneficio ſucceſſerit, libertatem ipſorum prehabitam, & a nobis confirmatam, in ſuis poſſeſſionibus eis nullatenus preſumat infringere, preſumptores, ſi qui fuerint, debite ſeueritatis offenſa cohercendo.

Acta ſunt hec Wormatie in Curia Schonaugienſi anno Incarnationis Dominice MCCXVI.

Teſtes: Cunradus, maior Prepoſitus in Spira.
Cunradus Loſenab Notarius noſter.
De Laicis: Hartmannus Comes de Dilingen.
Fridericus de Thruhendingen.
Eberhardus de Bruoch.
Cunradus de Kircheim.
Cunradus & Blickerus frater eius de Steinahe.
Wernherus Krich.
Hartlibus de Lutenbach.
Hartwicus & Marquardus de Hirzberg.
Heinricus Militellus & alii quam plures.

No. CLXIX.

Ludouico Bauariae Duci & Comiti Palatino Rheni Fridericus II. concedit ius metallorum Regale.

Anno 1219. Ex Freher. Orig. Palatin. Part. II. c. 17.

FRIDERICVS *ſecundus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Rex Siciliae.* Dignum eſt & conſentaneum rationi, vt hii qui ad exaltationem noſtram votis fidelibus & ſeruitiis praeclaris aſpirant, a munificentia noſtra ampliora beneficia conſequantur. Hac itaque conſideratione inducti, vniuerſis Imperii fidelibus, tam praeſen-

tibus quam futuris, notum facimus, quod nos, attendentes ſinceram fidem & deuotionem, nec non & obſequia, quae dilectus *conſanguineus noſter*, *LVDOVICVS Dux Bauariae*, *Palatinus Comes Rheni*, maieſtati noſtre frequenter exhibuit, & in antea poterit exhibere, ex vera ſcientia & de mera liberalitate noſtra, donauimus ſibi & heredibus ſuis, & in rectum feudum conceſſimus, omne genus metalli, tam in auro & argento, quam in aliis, quod in terris patrimonii & feudi ſui fuerit repertum, cum omni iure & vtilitate exinde perueniente, & quam nos & Imperium percipere deberemus. Statuimus igitur, & auctoritate regia diſtricte precipimus, vt nulla vnquam perſona, alta vel humilis, eccleſiaſtica vel ſecularis, contra hanc noſtram conceſſionem venire preſumat; quod qui preſumſerit, offenſam noſtram & grauem indignationem incurret, & pro pena temeritatis ſuae centum libras auri componat, quarum medietas Camerae noſtrae, altera vero paſſis iniuriam perſoluatur. Ad hanc autem noſtrae donationis & conceſſionis memoriam praeſens priuilegium inde ſcribi, & ſigillo magnificentiae noſtrae iuſſimus communiri.

Huius rei teſtes ſunt:

Cunradus Ratiſponenſis Epiſcopus.
Otto Friſingenſis Epiſcopus.
OTTO Dux Meraniae Palatinus Comes Burgundiae.
Comes Cunradus de Sosburch.
Geuehardus Landgrauius de Luikenberg.
Diepoldus frater eius.
Anshelmus Mareſcalus de Iuſtingen.
Ramungus de Swabach.
Albertus Lupus.
Albertus Rindeſmul, & alii quam plures.

Ego Cunradus Metenſis Epiſcopus & Spirenſis, Imperialis Aulae Cancellarius, Vice Domini Sifridi, Moguntinenſis Sedis Archi-Epiſcopi & totius Germanie Archicancellarii, recognoui.

Acta ſunt haec anno Dominicae Incarnationis MCCXIX. Indict. VIII. Regnante Domino noſtro Friderico, Dei gratia illuſtriſſimo Romanorum Rege ſemper Auguſto, & Rege Sicilie, anno Regni eius in Germania ſeptimo, & in Sicilia viceſimo ſecundo, feliciter.

No. CLXX.

Digitized by Google

No. CLXX.

Heinricus Wormatienſis Epiſcopus Caſtrum in Heidelberg cum burgo ipſius Caſtri & Comitiam Stalbuhel Ludouico Bauariae Duci & Comiti Palatino Rheni, eiusque & Agnetis, vxoris filii eius, ſucceſſoribus, qui per maſculinum ſexum deſcendunt, in feudum confert. Anno 1225.

Ex Freher. Orig. Palat. Part. I. c. 10.

HEINRICVS Dei gratia Wormatienſis Epiſcopus, Domino *LVDOVICO, illuſtri Duci Bauariae & Comiti Palatino Rheni*, ſalutem & dilectionem ſinceram. Quia vobis commiſit Dominus poteſtatem, & Dominae A. vxori filii veſtri, per quam Wormatienſem Eccleſiam iuuare poteſtis, & ei aſſiſtere in ſuis neceſſitatibus, vt ad auxilium & conſilium tam noſtrum quam eiusdem Eccleſiae, tam vos quam ſucceſſores veſtri, & Dominae A. qui per maſculinum ſexum deſcendunt, ſitis perpetuo obligati, & vobis & ſucceſſoribus dictis in feodum conceſſimus & aſſignamus, de communi conſenſu capituli noſtri, Caſtrum in *Heidelberg* cum burgo ipſius Caſtri, & Comeciam *Stalbobel*, cum omnibus attinentiis ſuis. Vt igitur haec noſtra conceſſio rata permaneat & illaeſa, praeſentem cedulam appenſione noſtri ſigilli fecimus communiri.

Acta ſunt haec Wormatiae anno Domini MCCXXV. IX. Kal. April. Indict. XIIII.

No. CLXXI.

Conſenſus Capituli. Anno 1225.

Indidem.

HEINRICVS Praepoſitus, & Decanus, totumque Capitulum maioris Eccleſiae Wormatienſis omnibus praeſens ſcriptum inſpecturis ſalutem. Infeodationem, quam Dominus Henricus Epiſcopus noſter Wormatienſis fecit de Caſtro *Heidelberg*, cum burgo, & Comitia *Stalbubel*, concedendo praedictam infeodationem Duci Bauariae & Dominae A. vxori filii ſui, & ſucceſſoribus ab ea deſcendentibus per maſculinum ſexum, conſentimus, & eam ratam habemus: & ſuper hoc praeſentes literas ſigillo noſtri Capituli fecimus communiri.

Acta ſunt haec Wormatiae, Anno Domini MCCXXV. XI. Kal. April. Indict. XIV.

No. CLXXII.

No. CLXXII.

Ottonis, generi Henrici Senioris, confirmatio libertatis curtis in Scharra. Anno 1228.

Ex Diplom. Schonaug. p. 161.

OTTO *Dei gratia Palatinus Comes Rheni* omnibus in perpetuum. Contra veritatis naufragium perutile preſtat remedium auctoritas ſcripturarum. Tenore igitur preſentium poſteris ac modernis innoteſcere volumus vniuerſis, qualiter olim, ſicut a non paucis conprouincialibus fide dignis pro certo comperimus, Illuſtris predeceſſor noſter, D. *CVNRADVS* ſcilicet *Palatinus Comes* Monaſterium Schonowe, ſitum in dioceſi Wormatienſi, ſinceriſſime diligendo cum eius promotioni omnibus modis intenderet, illud non ſolum liberalitatis ſue impendiis amplificare; Verum etiam eiusdem inquietudini inpoſterum precauere curauit. Vnde quoniam Aduocatiam habuit ſuper bona eccleſie Lauriſſenſis in Scharren & eius circumferentia, tam ipſe, quam D. Sigehardus, Lauriſſenſis tunc Abbas, qui ſimili erga Schonaugienſes ducebatur pietatis affectu, pari voto & conſilio decreuerunt, vt quecunque de bonis dictis in Scharra poſitis Schonaugienſes haberent, ab omni aduocatitio iure prorſus exempta, & a grauamine cuiuslibet exactionis libera perenniter eis forent. Poſtmodum vero cum preclare memorie D. *HEINRICVS Dux Saxonie ſocer noſter*, Palatiam obtinuiſſet, ipſe quoque Schonaugienſibus preconceſſe libertatis titulum bonorum ſuorum in Scharra non modo recognouit plenarie, ſed & recognitum liberaliter conſeruauit: poſt eum *filio ſuo HEINRICO Palatino Comite* id ipſum per omnia faciente. Denique, cum ad *kariſſimum patrem noſtrum LVDEWICVM Ducem Bawarie* deueniſſet iam dicti principatus dominium, & ipſe Fratribus Schonaugienſibus libentiſſime recognoſcens iuſtitiam prehabite libertatis in Scharra, pro maiori inpoſterum ſecuritate decreuit eosdem ſuper hoc ſuo munire priuilegio. Nunc autem, quia diſponente Domino Principatum Palatie tenemus, clauſtrumque Schonaugienſe non minori gratia & fauore, quam noſtri predeceſſores manutenere diſponimus: ſicut omnia ſua iura vſque ad nos habita eidem clauſtro pro viribus ſaluare volumus, ita & ius tam rationabiliter obtente hactenus libertatis poſſeſſionum ſuarum in Scharra illi perpetuum ſaluum fore decernimus & quietum. Ceterum, hoc eodem ſcripti tenore cupimus fore notum, quod, cum aliquando inter grangiam Schonaugienſem in Scharra, & inter cimiterium eccleſie ibidem publica ſtrata tranſiret, Fratres Schon-

augienſes

augienſes de beniuolo noſtri patris aſſenſu, & noſtro, ab hominibus in Scharra obtinuerunt, vt ſtrata ipſa ad meridionale cimiterii latus deducta ſepta grangie ipſi cimiterio inperpetuum iungantur immediate. In huius autem rei memoriam Fratres eiusdem grangie ipſum cimiterium circum ſepient tantummodo vna vice. Ne quis igitur dilectos nobis Schonaugienſes vſurpatione qualibet Aduocatie, ſuper ſepedictis eorum poſſeſſionibus, ſiue de ſtrate mutatione in Scharra de cetero inquietare preſumat, duximus eosdem ſuper his noſtri priuilegii communiendos auctoritate.

Acta ſunt hec anno Domini MCCXXVIII.

Datum *Heidelberc*, per manus Cunradi Prothonotarii noſtri, in preſentia dilecti *patris noſtri Ludewici.*

Teſtes: Cunradus maior Prepoſitus in Spira.
Vlricus Loſenaph, Protonotarius patris noſtri.
Burcardus Cantor in Niuhuſen.
Gernodus, Canonicus ibidem de Loptenburg.
Swiggerus Archipresbiter de Wizenloch.
Hiltebertus Plebanus in Heidelberg.

De Liberis: Eberhardus de Huſen.
Cunradus de Kircheim.
Oggerus gener eius.
Cunradus de Steinahe.
Cunradus Lichmare.
Cunradus Stralenbergere.

De Miniſterialibus: Hartwicus de Hirceberg.
Heinricus de Chunigernhenne.
Otto Spor.
Franco de Winheim.
Cunradus Rufus.

Miles: Meinhardus de Bergeheim

De Ciuibus: Ortlibus. Volpertus. Ludewicus. Heinricus. Hophart, & alii quam plures.

No. CLXXIII.

Henricus Rex Aduocatiam ſuperiorem in Scharren & Virnheim ab Eccleſia Laurisheimenſi poſt tres Palatinos, Conradum, Henricum patrem & Henricum filium in beneficium adeptus, grangiis Schonaugienſium eamdem libertatem promittit, quam ſub tribus iſtis Palatinis habuerant.

Anno 1229. Indidem p. 164.

HEINRICVS diuina fauente clementia *Romanorum Rex & ſemper Auguſtus* in perpetuum. Rege Regum, vt confidimus, ordinante, ad hoc in ſolio regali nos conſediſſe, & gladium iudiciarie poteſtatis accepiſſe recognoſcimus, quatinus primum per nos ipſos iuſticie Dei ſubiecti, ceterorum denique iura, quorſum noſtra poteſtas extenditur, ſtudeamus fouere; perſonis tamen & locis eccleſiaſticis, preſertim clauſtralibus, tanto propenſius nos conſeruare conuenit ſua iura, quanto frequentius, vtpote inermes pariter & inbelles, diuerſis peruerſorum iniuriis pregrauantur. Sane conſtare volumus vniuerſis, quemadmodum ſufficientibus & ſcripture & vocis viue aſſertionibus euidenter comperimus, quod, cum olim preclari principes, Dominus CVNRADVS ſcilicet *Palatinus Comes Rheni*, ac *ſucceſſores ipſius*, videlicet *HEINRICVS Dux Saxonie dictus*; ſed & *HEINRICVS eiusdem HEINRICI filius*, Aduocatiam haberent ſuper bona Eccleſie Lauriſſenſis in Scharra & eius circumferentia, hanc libertatis gratiam Monaſterio Schonaugienſi ſucceſſiue fecerunt, vt, quidquid de bonis illis in Scharra, ſiue in Virnheim idem Monaſterium obtineret, tanta in eis per omnia libertate gauderet, ne cuiquam exactionis ſeu aduocatii iuris aliquod inde deberet omnino, expreſſe quidem poſſeſſiones Schonaugienſes ſemper excipientes, quociens Aduocatiam in feodo porrexerunt. Nos vero, quoniam poſt exceſſum vite Principum iam dictorum, prefate Aduocacie dominium principale de Lauriſſenſi Eccleſia in beneficio adepti, rationabiliter optinemus, libertatem Schonaugienſium inibi preconceſſam nequaquam imminuere, verum iuxta regalem munificentiam pocius amplificare volentes, patenter decernimus, dilectos Fratres Schonaugienſes prenotatas poſſeſſiones ſuas ita liberrime poſſidere imperpetuum, quod nullus omnino ſuper eiſdem cuiuslibet exactionis aut iuris vſurpatione ipſos in poſterum audeat inquietare. Quodſi quis huic noſtre auctoritatis priuilegio contraire preſumpſerit, Regie ſeueritatis offenſam poterit non immerito

immerito formidare. Vt autem hec rata & ſalua permaneant, preſentem paginam ſigilli noſtri appenſione duximus confirmandam.

Datum apud Wimpinam, anno Domini MCCXXVIIII.

Teſtes: Dietherus, Prepoſitus de Wimpina.
Heinricus Prepoſitus S. Germani in Spira.
Vlricus Notarius noſter: Clerici.
De Laicis: Gerlacus de Budingen.
Rudolfus de Hohenhart.
Marquardus de Bonuelt.
Eberhardus de Winterſteten, Pincerna.
Heinricus Dapifer de Walpurch.
Willehelmus, Diſpenſator noſter de Wimpina.
Gumbertus Scultetus ibidem.
Ludewicus & Heroldus frater eius de Oberheim, & alii quamplures.

No. CLXXIV.

Gener Henrici Palatini Otto Bauarus vnacum cum Coniuge Agnete & filio Ludouico ius Patronatus Eccleſiae in Scharren Monachis Schonaugienſibus donat. Anno 1251. Ibidem p. 212.

Nos *OTTO Dei gracia Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariae: AGNES vxor ipſius, & LVDEVICVS filius eorum.* Quoniam actus modernorum in obliuionem deducuntur, niſi ſcripture teſtimonio conſolidentur, vniuerſos preſentis pagine inſpectores ſcire volumus, quod nos, in remiſſionem peccaminum noſtrorum, Eccleſiam Scharren, cuius preſentatio ad nos pertinere dinoſcebatur, cum omni, quod in ea habuimus, Eccleſie Schonaugienſi, quam pre ceteris noſtri dominii eccleſiis ſinceriore fauore complectimur ac promouere ſtudemus, abſolute dedimus, perpetuo deſeruiendam. Volentes, vt per eiusdem Eccleſie prouentus Fratres ibidem Deo famulantes honeſtius ac habundantius poſſint & debeant ſuſtentari. Vt autem talis donatio firma permaneat, nec ab heredibus noſtris quibuscumque inpoſterum valeat infringi, preſentem literam inde conſcribi, & ſigillorum noſtrorum munimine roborari fecimus atque communiri.

Datum Niwenburg anno Domini MCCLII. in die B. Gregorii, Xme Indictionis.

Digitized by Google

No. CLXXV.

Ienricus Dux Saxoniae & Comes Palatinus .heni Fratris Ottonis Imperatoris vltimae voluntati ſa-isfacturus bona Scheuerlingborgenſi Eccleſiae ante deſtinata Eccleſiae S. Blaſii in Brunſuic attribuit. Anno 1218. Ex autographo.

N nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *HENRICVS Dei gratia Dux Saxonie, & Comes Palatinus Rheni.* Cum omnes ante tribunal diſtricti iudicis, in die extremi iudicii aſtare debeamus, reddituri usquisque rationem, prout geſſerit ſiue bonum, ſiue malum, & ſecunm opera ſua recepturus; expedit nobis, diem illum tremendi exami- miſericordiae operibus preuenire, & ea ſeminare in terris, que mullicato fructu, premia nobis ſempiterna reportent in celis. Firmam :ur ſpem, firmamque habentes fiduciam, quod qui in benedictionibus ıinat, de benedictionibus & metet; notum eſſe cupimus, tam pretibus, quam futuris, quod nos, pro ſalute kariſſimi Domini noſtri *fratris, illuſtris OTTONIS Romanorum Imperatoris Auguſti*, ordiionem, quam ipſe in teſtamento ſuo fecit, de bonis Scheuerlingech, omnia cum omni iure, Eccleſie beatorum Iohannis Baptiſte & ſii in vrbe Bruneſwic conferendo, ſicut ea legitime & ſicut vir Cathoıs contulit, & a nobis confirmari petiuit, ita ea libere & benigno ani- irreuocabiliter ſupradicte confirmamus Eccleſie, vt eis libere vtatur ſine contradictione, & ad vſus quoslibet ſibi profuturos conuertat. de ne de noſtro conſenſu vlla oriatur dubitationis nota, aut ſucceſſo- noſtri aliquam inueniant malignandi occaſionem, hanc cartam inde ıſcriptam coram Domino Sifrido, venerabili Hildenſemenſi Epiſcopo, niuerſis qui exequiis Domini noſtri Imperatoris interfuerunt, conſcribi mus, & ſigillo noſtro communiri.

Huius rei teſtes ſunt:

Dominus Sifridus, Hildenſemenſis Epiſcopus.
Fridericus Abbas de Lutere.
Otto Praepoſitus in Scheninge.
Conradus maioris Eccleſie in Hildensheim Decanus.
Conradus Scolaſticus.
Conradus Cantor.
Heinricus de Toſſem.

Laici vero:

Comes Heinricus de Waldenberch.
Luthardus de Meinershem.

Bernardus

Bernardus de Horſtmare.
Iordanis Dapifer.
Bertrammus de Velthem.
Willekinus Marſcalcus, & Heinricus frater ſuus.
Iohannes de Bornem, & alii quam plures.

Acta ſunt hec in ciuitate noſtra Bruneſwic. Anno dominicae incarnationis MCC. octauo decimo.

No. CLXXVI.

Sigfridus Hildenſemenſis Epiſcopus Eccleſiae S. Blaſii Brunſuicenſi confirmat bona Scheuerlingborgenſia ex teſtamento Ottonis Imperatoris ei collata. Anno 1218.

Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Siſridus Dei gratia Hildensheimenſis Epiſcopus, vniuerſis Chriſti fidelibus, hoc ſcriptum videntibus, ſalutem in vero ſalutari. Admonet nos cura ſuſcepti regiminis, & auctoritas Pontificalis inducit, vt pro ſtatu eccleſiarum ſimus ſoliciti, & earum profectibus & incrementis diligenti ſolicitudine intendamus. Quapropter notum eſſe volumus, tam praeſentibus quam futuris, quod, ſereniſſimo Domino noſtro *OTTONE, illuſtri Romanorum Imperatore*, in caſtro ſuo *Hartesborg* exiſtente, cum & alii quam plures viri honeſti, tam clerici quam laici, ibidem ſecum eſſemus, ipſe, *ſicut Vir deuotus, & qui ſemper Deum prae oculis habebat*, nobiſcum de ſalute anime ſue diligenter pertractauit, & conſilio prudentum & familiarium ſuorum, cum bene compos ſui eſſet, & nulla pregrauatus infirmitate, in hoc conuenit, quod locum Scheuerlingeborg, vbi de conſenſu fratris ſui nouam plantationem inceperat, integraliter cum omni emolumento & iuris integritate, nec non & generaliter vniuerſis bonis attinentibus, Eccleſie beati Ioannis Baptiſte & Blaſii in Bruneſwick contulit perpetuo habendum & poſſidendum, vt Canonici ibidem de prefatis bonis ad vtilitatem Eccleſie diſponant, quicquid ſecundum Deum ipſis viſum fuerit diſponendum, & eorum prebende emendentur, & loco priori in tribus perſonis, ſacerdote, diacono, & ſubdiacono, honeſte prouideant. Quia ergo hec donatio ſolemniter & coram honeſtis viris eſt celebrata, eorum nomina in fine pagine adnotabimus. Poſtea vero *corpus eius* defunctum cum *ad Eccleſiam beati Blaſii deferretur ſepeliendum*. requiſitus in exequiis ſuis frater eius *HENRICVS illuſtris Dux Saxonie*, vtrum factum fratris ratum vellet habere, reſpondit, quod omnia, que

pro ſalute anime ſue ſtatuiſſet, beniuolo corde ſemper vellet habere rata & inconuulſa. Nos ergo, audito eius conſenſu, vniuerſa bona ſupra dicta prefate Eccleſie ſub interminatione excommunicationis & Epiſcopalis officii, per ſententiam coram omnibus, qui ſepulture interfuerunt, ſolemniter confirmauimus, diſtricte precipientes, ne quis de cetero ſepe dictam eccleſiam in eisdem bonis impedire, aut moleſtare preſumat. Vnde nimirum hanc chartam in perpetuum robur & munimen Eccleſie ſigillo noſtro communiri fecimus. Priori vero donationi & huic facto in teſtimonium veritatis interfuerunt:

Fridericus Abbas in Luttere.
Otto Prepoſitus in Schenigen.
Gozwinus Prepoſitus noui operis in Halberſtadt.
Lambertus Prior in Riddagshuſen.
Conradus maioris Eccleſie in Hildesheim Decanus,
Conradus Cantor.
Conradus Scholaſticus.
Henricus de Toſſem.
Magiſter Marſilius.
Ambroſius de Franckenberg.

Laici autem:

Comes Henricus de Woldenberg.
Luthardus de Meinerſen.
Bernhardus de Horſtmar.
Gunzelinus Dapifer.
Iordanis Dapifer & Iordanis filius ſuus.
Bertramus de Veltum.
Willekinus Marſchalcus, & Henricus frater ſuus.

Acta ſunt hec anno Incarnationis Dominice MCCXVIII.

No. CLXXVII.

Henricus Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni Comitiam Stadenſem, Eccleſiae Bremenſi reſignatam, ad dies vitae ſibi reſeruat. Anno 1219. Ex aſſertione libertatis Bremenſ. pag. 786.

NOTVM ſit omnibus tam futuris, quam praeſentibus quod diſcordia, quae diu durauerat inter Eccleſiam Bremenſem & *HENRICVM Ducem Saxoniae*, *Comitem Palatinum Rheni*, ſic eſt compoſita inter Dominum Bremenſem Electum & ipſum. Palatinus Comes

mes omnem haereditatem, quam poſſidet iure proprietatis in Comitia Stadenſi, tam in Miniſterialibus, quam praediis & mancipiis, & praepoſituram Wildeshuſenſem Eccleſiae Bremenſi contulit in proprium, in reſtaurum videlicet damnorum, quae tempore diſcordiae Eccleſiae illata fuerunt.per ſe, aut per homines ſuos, & vt ipſe & omnes ſui, qui in eadem diſcordia in excommunicationem inciderant, ſint abſoluti, & inſuper vt dies anniuerſarius *Patris* & *Fratris* ſui, Dni Imperatoris, & ſuus, in Eccleſia Bremenſi, & omnibus Conuentualibus Eccleſiis ipſius dioeceſis ſolemniter obſeruetur in perpetuum. Huius etiam beneficii cauſa ceſſit ab omni iure, quod ſibi dicebat in thelonio, moneta & Aduocatia Bremenſi, & in Aduocatia nouae Terrae. Verum Dn. Epiſcopus reſpiciens liberalitatem ipſius, conceſſit ei tempore vitae ſuae in feudo patrimonium antedictum, & ipſum Comitatum Stadenſem; Miniſteriales autem ipſius Palatini, eius iuſſu, iurauerunt, & fidelitatem fecerunt Eccleſiae Bremenſi, & bona, quae hactenus a Palatino tenuerunt iure Miniſterialitatis, in iure feudali ab eo receperunt. Haec donatio Palatini facta eſt ſub banno Regio in oppido Staden, & per ſententiam ibidem confirmata. Epiſcopus autem iuramento confirmauit, quod ſuper eodem feudo Palatinum tempore vitae ſuae non inquietabit. Eandem ſecuritatem fecerunt Praelati Eccleſiae, Capitulum, Miniſteriales & Ciues Bremenſes, & tali modo, quodſi Epiſcopus contra factum ſuum venire voluerit, & ea, quae dicta ſunt infringere, omnes iurati aſſiſtent Palatino contra Epiſcopum, & ad depoſitionem eius propter periurii reatum laborabunt. Si autem Epiſcopum Gerhardum tempore vitae Palatini decedere contigerit; alter, qui ei ſucceſſerit, idem iurabit & obſeruabit: quod ſi infringere voluerit, fiet de ipſo ſicut de priori. Idem promiſit Selonenſis Epiſcopus. Traiectinus Epiſcopus. Comes de Tekeneborch. H. de Lippia. Lupoldus de Stenuorde. Sed hi, quamdiu vixerit Epiſcopus Gerhardus, ſtabunt promiſſo; poſt mortem ipſius abſoluti erunt. Miniſteriales vero de patrimonio Palatini, Ciues Stadenſes & tota terra, iurauerunt, quod poſt mortem Palatini, Ciuitatem & Comitatum Epiſcopo praeſentabunt. Sed viuente Palatino haec omnia ſibi fideliter conſeruabunt, & hoc verſa vice iurauerunt. Caſtellani de Valkenberg idem, quod alii, iurauerunt Epiſcopo. Si autem Palatinus reſignare voluerit omnia feuda ſupradicta, & eis cedere; tunc Epiſcopus dabit ei ſex millia marcarum, & ducentas marcas in Curiam ſuam. Talis autem erit ſolutio. Ab eo die, quo Palatinus pecuniam memoratam requiſiuerit ab Epiſcopo & Eccleſia, ſoluentur ei mille marcae infra XII. ſeptimanas, & fiet ei ſufficiens cautio per obſides, fideiuſſores

&

& pignora pro reliqua pecunia, ita quod infra XX. hebdomadas ſoluentur ei duo millia marcarum, & infra annum & ſex hebdomadas tria millia. Datis vero mille marcis, & cautione completa de reſiduo, reſignabit Palatinus Comitiam & Ciuitatem Stadenſem & terram Epiſcopo Bremenſi. Quod autem fiat huius pecuniae ſolutio, ſi requiſita fuerit, iurauerunt Praelati Eccleſiae, Capitulum, Miniſteriales & Ciues Bremenſes. Donationem autem factam Palatinus coram Imperio recognoſcet, & de ipſis bonis Eccleſiae collatis, & nunc vacantibus, niſi forte duos vel tres manſos, non alienabit. Sic etiam mutuum ſibi praeſtabunt auxilium. Epiſcopus iuuabit Palatinum vſque ad Albiam contra omnem hominem ad conſeruandam Comitiam. Item Palatinus iuuabit Epiſcopum intra Epiſcopatum ſuum, contra omnes, qui illi ſe oppoſuerint; extra Epiſcopatum vero vterque illorum aſſiſtet alteri, excepto Imperio, coram quo donationem ſuam ratam facere promiſit. Item Dn. Epiſcopus amicabiliter Comitem *Albertum*, vt *Caſtrum Horborch* deſtruat, vſque ad quadrageſimam commonitum habebit. Quodſi noluerit, eum per cenſuram Eccleſiaſticam compellet, vſque in Paſcha: quodſi vſque tunc non acquieuerit, ex tunc ad deſtructionem Caſtri mutuum ſibi Palatinus & Epiſcopus ferent auxilium.

Acta ſunt haec apud Stadium Anno Dominicae Incarnationis MCCXIX. Indictione VII.

Teſtes autem huius rei ſunt:

Epiſcopus Selonenſis.
Adolphus Comes de Schowenborch.
Bertholdus Comes de Werningerode.
Hermannus de Lippe.
Bernhardus de Dorſtatt.
Bernhardus de Horſtmare.
Hermannus Hode.
Henricus de Heinborck.
Conradus de Hamelſpringe.
Amelungus de Lippe.
Gunzelinus Dapifer.
Lotarius Pincerna.
Hinricus Hize.
Iordanis Iuuenis.
Baldewin Aduocatus, & nepos ſuus Baldewinus.
Gerhardus de Dore, & praeter hos quam plures Miniſteriales & Ciues Stadenſes.

No. CLXXVIII.

Digitized by Google

No. CLXXVIII.

Fridericus II. Eccleſiae Bremenſi confirmat Stadenſe patrimonium, Henrico Palatino extortum. Anno 1232. Ex Lindenbrog. Scriptor. p. 172.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *FRIDERICVS II.* diuina fauente clementia *Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliae Rex.* Imperialis excellentiae dignitas laudis ſuae titulos tunc modis omnibus ampliat & extollit, cum ſuorum vota Principum liberali fauore proſequitur & benigno. Hinc eſt igitur, quod praeſentis ſcripti ſerie notum fieri volumus vniuerſis Imperii fidelibus, tam praeſentibus quam futuris, quod dilectus Princeps noſter G. venerabilis Bremenſis Archiepiſcopus, noſtrae Celſitudini ſupplicauit, quatenus donationem, quam olim *HENRICVS Palatinus Comes Rheni* contulit Eccleſiae Bremenſi, ac ſuis priuilegiis confirmauit, tam in praediis, quam in miniſterialibus de patrimonio ſuo, ſitis in Epiſcopatu Bremenſi vel alibi, confirmari ſibi de munificentiae noſtrae gratia dignaremur. Nos autem, praedicti Archiepiſcopi, dilecti Principis noſtri, ſupplicationibus fauorabiliter annuentes, attendentes quoque fidem & deuotionem ſinceram eiusdem Archiepiſcopi, nec non grata & accepta ſeruitia, quae nobis & Imperio ſemper exhibuit & exhibet inceſſanter, praedictam donationem factam memoratae Bremenſi Eccleſiae per iam dictum *H. Comitem Palatinum*, tam in praediis, quam in miniſterialibus patrimonii ſui, ſiue in eodem Epiſcopatu Bremenſi, vel vbicunque ſint, de innata Serenitati noſtrae clementia, ſibi perpetuo confirmamus. Statuimus inſuper, & praeſentis priuilegii auctoritate mandamus, quatenus nulla perſona, ſublimis vel humilis, Eccleſiaſtica vel mundana, praefatum Archiepiſcopum, dilectum Principem noſtrum, contra praeſentis confirmationis noſtrae paginam moleſtare praeſumat. Quod qui praeſumſerit, poenam XX. librarum auri puri ſe compoſiturum agnoſcat, quarum medietatem curiae noſtrae perſoluat, & reliquum parti iniuriam patienti. Vt autem haec confirmatio rata permaneat, & robur obtineat perpetuae firmitatis, praeſens priuilegium fieri fecimus, & bulla aurea, typario noſtrae Maieſtatis impreſſa, iuſſimus inſigniri.

Huius itaque rei teſtes ſunt:

B. Patriarcha Aquilegienſis.

A. Magdeburgenſis & Rauennas Archiepiſcopi.

E. Babinbergenſis Epiſcopus.

N. Reginus Epiſcopus.
G. Bryemenſis.
Dux Karinthiae.
Comes H. de Hortenberch.
L. Langrauius de Luchtimberg.
Comes W. de Halrenach.
Comes B. de Loreto.
Comes Alduinus.

Acta ſunt haec anno Dominicae Incarnationis MCCXXXII. Menſe Martio V. Indictionis. Imperante *Domino noſtro Friderico Dei gratia inuictiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Hieruſalem & Siciliae Rege*, Anno Romani Imperii eius XII. Regni Hieruſalem VII. Regni vero Siciliae XXXIV. feliciter Amen!

Datum Rauennae anno menſe & indictione preſcriptis. (*)

No. CLXXIX.

Henrici Palatini transactio cum Archiepiſcopo Magdeburgico. Anno 1219. Ex autographo.

Hec eſt compoſitio inter Magdeburgenſem & Comitem Palatinum Rheni. Renunciant dampnis & iniuriis, que in Gerra Imperatoris & Ecclesie hinc inde ſunt irrogate.


Item qui ante Gerram hinc inde fuerant homines & vaſalli, recipient feuda ſua.

Item quicquid exactionis vel redemptionis captiuorum reſiduum eſt, reſtituetur hinc inde, & captiui liberi omnes erunt, hoc excepto, quod *ſeruiens* de *Sommerſenborch*, quem *Ceſarius* captiuauit, qui ſe in conductu & ſeruicio Palatini captum eſſe proponit, non liberabitur, niſi audito Comite Sifrido, qui eum in conductu Palatini dicitur recepiſſe, & ſi ratum habuerit Palatinus conductum Comitis, ipſe iuxta verbum Comitis faciet, quod iuſtum fuerit de ipſo Seruiente liberando. Sin autem; Comes ipſe ſuper hoc Domino Archiepiſcopo reſpondebit.

Item Archiepiſcopus recognouit Palatino feudum ſuum, & diſtulit

*) Anno ſequenti idem Imperator *Burgenſibus Stadenſibus thelonei libertatem per totam Bremenſem dioeceſin* indulſit. Charta aurea bulla munita in Tabulario Stadenſi adhuc ſupereſt, vnde eam nobiſcum beneuole communicauit Perill. & Generoſiſſ. Dn. Ioh. Wilh. Lud. de Berlepſch, Regi Auguſtiſſimo in Senatu Regiminis a Conſiliis. Ipſam Chartam aeri inciſam heic ſubiicimus Tab. XXX.

Digitized by Google



I. Höing sculp. Hannov.

Digitized by Google

lit recipere iuramentum, quod preſtabit Palatinus ſuper eo, quod eum non deffidauerit. Archiepiſcopus remittet vaſſallos eiusdem feudi ad Comitem Palatinum. Quodſi ad hoc iure feudali compelli nequiuerit Archiepiſcopus; reſtaurabit ei alias tandundem bonorum.

De bonis autem liberis committit ſe Palatinus gratie Archiepiſcopi, ita quod Maior Prepoſitus & Decanus Magdeburgenſis, Albertus de *Arnſten*, & Aluericus de *Wanzleue*, arbitrentur de hoc gratiam Archiepiſcopi bona fide.

Palatinus ſeruiet Archiepiſcopo per menſem vnum in ſuis expenſis & dampnis propriis, cum ducentis militibus, vbicunque non fuerit contra fidem & honorem ſuum. Si Archiepiſcopus voluerit partiri miliciam, ſeruiet Palatinus in centum militibus per vnum menſem, & iterum in centum per alium menſem. Si vero voluerit tempus partiri, ſeruiet in ducentis militibus per quindecim dies, & iterum in ducentis per alios quindecim dies.

Caeſarius in terra Comitis Palatini receptaculum & refugium non habebit, & cauebit Palatinus bona fide, quantum poterit, ne vaſſalli vel miniſteriales eius ipſum teneant ad malum Archiepiſcopi vel ſuorum.

Item Palatinus Archiepiſcopum mediatorem habebit inter ipſum & Regem, & ſuper hoc conſentiens erit ei.

Item ſi Palatinus infra quatuor annos non fuerit ab Archiepiſcopo ſuper danda predicta milicia requiſitus, de obligatione ipſa ex tunc de cetero liber erit.

Palatinus autem hec omnia data fide in manus Archiepiſcopi promiſit implere.

Acta ſunt hec in pratis prope vadum Lupi anno Domini M.CC.XIX°. III°. Idus Septembris.

(*Appendet ſigillum Archiepiſcopi.*)

No. CLXXX.

Fridericus II. Goslariae in Procerum conuentu huius vrbis ius municipale conſtituit. Anno 1219.

Ex Heinecc. Antiquit. Goslarienſ. p. 218.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *FREDERICVS* diuina fauente clementia *Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Rex Siciliae.* Imperialis prouidentiae benignitas expoſcit vberiorem eis nos gratiae noſtrae fauorem impendere, qui ad noſtrum Imperiique hono-

rem promouendum maiori prae ceteris deuotione deſeruiunt, vt ita ſtudeamus ſingulorum meritis reſpondere, quatinus apud Deum & apud homines memoria noſtra ſit in benedictione. Hinc eſt, quod ad vniuerſorum Chriſti fidelium, tam futurorum, quam praeſentium, notitiam peruenire volumus, qualiter ciuitas Goslarienſis, quam non immerito ſpeciali prae ceteris dilectione amplectimur, ab anteceſſoribus noſtris diuae memoriae Regibus & Imperatoribus funditus conſtructa, ſacrarum legum conſtitutionibus fuerit elegantiſſime priuilegiata. Vnde nos, attendentes eiusdem ciuitatis Burgenſes ob honoris noſtri promotionem, ac inuiolatae fidei ſuae conſeruationem, multa corporum pericula, diuerſasque rerum iacturas ab inimicis Imperii pertuliſſe, de condigna eorum remuneratione ſolliciti, iura praedictae Ciuitatis, quae ab antiquis Imperatorum & Regum donationibus eis indulta, ſed a quibusdam ipſius Ciuitatis habitatoribus immutata, & in abuſionem fuerunt deducta, poſtulante hoc ipſorum Burgenſium deuotione, renouare decreuimus & confirmare, dignum ducentes, ea iura, quae in diuerſis reſcriptis ſparſim habuerunt notata, diligenter in vnum colligere, atque ad maiorem cautelam ſcripto commendata ſigillatim duximus hoc ordine deſcribenda. Quicunque manens in ciuitate Goslarienſi, & a nemine, quamdiu vixit, de ſeruili conditione conuictus eſt, poſt mortem ipſius nullus eum in ſeruum appellare, vel in ſeruitutem redigere praeſumat. Si quis vero extraneus ciuitatem iam dictam ad inhabitandum intrauerit, & ſic in ea annum & diem perſtiterit, quod de ſeruili conditione nunquam fuerit accuſatus, conuictus, vel confeſſus; communi aliorum Burgenſium gaudeat libertate, & poſt mortem ſuam nullus eum in ſeruum audeat ſibi vendicare. Quicunque ſuper alium voluerit teſtimonium proferre, dabit quinque ſolidos Aduocato ciuitatis pro reliquiis, & pro cauſidico, vt in eum, ſuper quem probare vult, ſecundum ius ciuile valeat profiteri. Qui vero de pace Dei ſe expurgare voluerit, nec pro reliquiis, nec pro cauſidico quicquam eſt daturus. Si quis autem ad producendum ſuper aliquem teſtimonium vilem & infamem perſonam pretio conduxerit, reus iudicetur. Si quisquam impubes, qui videlicet ad annos diſcretionis non peruenerit, in ciuitate Goslarienſi manens poſſeſſionem ſeu haereditatem ſuam de conſenſu tutoris ſiue mundiburdii ſui cuiquam dare voluerit, libere hoc faciet, & factum idem iure ſuo firmum & ſtabile permaneat. Si aliquis Burgenſis domum ſuam pignori obligare voluerit, & tres, vel duos veraces ſuos vicinos cum iudice ciuitatis adhibuerit, ſufficere iudicamus. Si quis de pignore ſibi obligato coram iudice confeſſus fuerit, poſtmodum negare non valebit. Quicunque alicuius domum conduxerit, ſiue gratis

ei

ei conceſſa fuerit inhabitanda, nullam in eadem domo proprietatem, mentiendo ſuam eſſe, ſibi vendicare poterit, niſi forte coram Burgenſibus ſuis eam iuſte acquiſierit. Si quis aliquem pro debitis in iudicio conuenerit, is, qui conuenitur, nullam recuſationem faciet, niſi quod neget debitum, vel quod confiteatur, nec aliquis mentiendo dicat, ſe in alio loco, ſub aliquo iudice debitum perſoluiſſe. Tamen ſi voluerit eiusdem debiti ſolutionem probare, faciat hoc cum iudice vno & duobus, vel tribus Burgenſibus. Praeterea nullus Regum, vel Principum Imperii, vel extraneorum hominum ſuper aliquem Burgenſium Goslarienſium extraneum debet adducere teſtimonium, ſed per Burgenſes ciuitatis ſuam probare tenetur intentionem. Nullus Imperatorum ſeu Regum cuiquam praedictorum Burgenſium, ſub obtentu gratiae ſuae praecipere debet, vt aliquem Burgenſem ſuum accuſet apud ipſum, & dampnum ei faciat, niſi forte aliquis Aduocato ciuitatis contumax fuerit & rebellis, & tunc debet Dominus Imperator, ſiue Rex, ſub obtentu gratiae ſuae, ſi ita ſit, Burgenſes interrogare. Ipſi quoque Burgenſes Goslariae cum nullo Principe contra alium Principem contendere debent, ſeu guerram facere, nec cum aliquo bellicam mouebunt expeditionem niſi pro defenſione patriae, ad locum, qui dicitur *Hildegesborch*, ibique quatuordecim diebus in propriis permanebunt expenſis. Habebit eadem ciuitas pacem firmam in domibus ſuis, vt nullus ad eas fugiens inde violenter extrahatur. Si vero proſcriptum quemquam in domum ſuam quis receperit, ſi ab Aduocato & Actore ſuper eo fuerit incuſatus, proſcriptum reſtituet ad iuſtitiam, aut ipſe cum Burgenſibus duobus certum faciat Aduocatum & ceteros Burgenſes in reliquiis, ſe ignorare, ſi in aliquo domus angulo proſcriptus habeatur. Licet etiam vnicuique, hominem proſcriptum, in taberna vini aut cereuiſiae repertum, occupare & comprehendere, ſicut in platea deprehenſum. Quicunque in eadem ciuitate manens ita demum obierit, quod toto vitae ſuae tempore nunquam ab aliquo fuerit excommunicatus vel denuntiatus, ipſum non debet aliquis poſt mortem ſuam excommunicatum denunciare. Nullus accuſare debet mulierem in ſynodo niſi maritus eius, nec virum aliquis, niſi vxor eiusdem. Si quis duas vxores vel plures duxerit, dos primae vxoris firma debet permanere. Nullius filia ſororue, quae nondum pubertatis annos impleuerit, deſponſationem cum aliquo faciat, niſi de conſenſu mundiburdii ſui fiat. Et nullus mulierem vel virginem cum aliena ſubſtantia deducat, & ſi fecerit, quaecunque detulit, praeter veſtes eius, reſtituat, & hoc ita, ſi confiteatur factum; ſi vero neget, de hoc ſola manu ſe tenetur expurgare. In eadem etiam ciuitate nulli ius, quo Burgenſes gaudeant,

concedatur, niſi ipſe ſimiliter ius eorum obſeruet. Sub quocunque mercatorum eiusdem loci, vel alio quolibet Burgenſe, praeter monetarium, falſi numi fuerint reperti, cum eiusdem nummis, ſi poterit ad eum, qui eos ſibi tradidit tendat, & eum exhibeat; ſin autem, iuramento firmare debet, quod eosdem nummos falſos ignorauerit accipiendo, dando, & ita demum inciſi debent ei reſtitui, quod tantum erit tribus vicibus faciendum. Si vero circa vnum & eundem hominem quarto contigerit, tenetur reſpondere de falſo. Si vero ſub monetario falſi nummi fuerint deprehenſi, vbi eos alicui dat, ſi non poterit exhibere illum, qui eosdem nummos ſibi dederit, de falſo conuictus eſſe iudicatur. Quod ſi gratiam apud iudicem inuenerit, auro, argento, vel cupro, ſeu quocunque cenſu poterit, manum redimat: quod tamen non ſaepius quam ſemel ei facere licebit. Quod ſi falſarius manum redemerit, exlex vel infamis erit, quod vulgariter *Echlos* dicitur, ac ſi pro falſo manum perdidiſſet. In nullius autem domo vel ciſta res aliquae ſunt querendae, praeterquam falſi denarii & res diuino cultui conſecratae, quod per ſe facere Burgenſes debent, aliquo ex iudicibus ciuitatis ſecum aſſumpto. Cuiuslibet etiam monetae denarii dandi ſunt in ciuitate Goslarienſi iuxta valorem ſuum. Nullus praeterea Burgenſis Goslarienſis alicubi iudicio ſtare debet, praeterquam in ipſa ciuitate *in palatio Imperii*, ſub quo habitat. Nec aliquis ex eisdem ciuibus alium conciuem ſuum extra ciuitatem, ſiue ad Curiam noſtram, vel Succeſſorum noſtrorum, ſeu ad alium locum ad iudicium trahere praeſumat, ſuper aliquibus ei reſponſurum, niſi forte actor a reliquis Burgenſibus teſtimonium habeat, quod ille, quem conuenire vult, Aduocato ciuitatis contumax extiterit & rebellis. Ceterum nec Aduocatus, nec iudex, nec quisquam alius furem, ſeu quemlibet alium in ciuitate comprehendat, niſi praeſens ſit is, qui contra eum ponere vult actionem. Mercatoribus etiam iam ſaepe dictae ciuitatis, ſicut & anteceſſores noſtri fecerunt, perpetua ſtabilitate concedimus, quatinus per totum Imperium mercaturas & negotia ſua exercentes, ab omni thelonio liberi exiſtant & abſoluti, praeterquam in tribus locis, id eſt Colonia, Thile & Bardewich. Nullus quoque in ciuitate Goslarienſi alicuiusmodi vincula, vel ergaſtula, niſi publica tantum, quae regalia dicuntur, habere praeſumat. Nec cauſam ſuam perdat, & tam Aduocato, quam vinculato ſatisfaciat. Item Aduocatus ciuitatis nullius haereditatem debet accipere, praeterquam hiſtrionum, ioculatorum, & aduenarum; ſed haereditatem aduenae per vnius anni circulum in manu alicuius Burgenſis ſaluam faciet obſeruari. Infra quod tempus ſi nemo venerit, qui eam petat, tunc demum ipſam haeredi-

haereditatem Aduocatus ſibi retinebit. Idem etiam Aduocatus, cum praeſidet iudicio, nullum eorum, quos iudices ſtatuit, nec patronum cauſae, nec aliquem de familia ſua de vlla ſententia debet interrogare, & quatuor tantum habebit ſub ſe iudices, & non plures. Nec aliquem illorum in ſua tenere debet procuratione. Neminem quoque iam dictus Aduocatus de aliqua ſententia interrogabit, niſi vnum ex Burgenſibus, & eandem ſententiam ipſe Aduocatus non reprehendet, nec repellet, ſed vnus tantummodo Burgenſis & idem inuenire debet meliorem.. Cuiuscunque vero ſententiae maior pars Burgenſium aſſenſum praebuerit, eius ſententia praeualebit. Praeterea datum eſt regali praecepto, quod nulla ſit coniuratio, nec promiſſio vel ſocietas, quae theutonice dicitur *Eyninge* vel *Ghilde*, niſi ſolum monetariorum, ea de cauſa, vt caueant de falſis monetis. Si quis vulneratus alium de vulnere ſuo conuenerit, qui ſe dicat innocentem, is, qui conuenitur, cum ſeptem Burgenſibus, qui proprios habent domos, ſe debebit expurgare. Praecipimus, vt omne ius absque captione, quod vulgo *Vare* dicitur, obſeruetur, tam de extraneis, quam de Burgenſibus. Si quis de ſubtractione thelonii fuerit incuſatus, & factum negauerit, ſola manu ſe expurgabit. Si vero conuictus fuerit, vel confeſſus, ipſum thelonium & praeterea octuplum reſtituat, & Aduocato ciuitatis pro quolibet denario ſexaginta ſolidos vadiabit. Quodſi aliquis res ſuas in ciuitatem duxerit, & nichil emerit vel vendiderit, liber absque thelonio recedet. Si vero vendendo, vel emendo aliquid commutauerit, tenetur thelonium ſoluere conſtitutum. Nullus Burgenſium de aliqua ſubſtantia ſua extra ciuitatem deducenda thelonium dabit niſi tantum de cupro non fabricato. Nullius Burgenſis, vel Siluani bona pro beneficiis de Aduocatia ſoluendis pandari debent, niſi tantum bona ipſius ciuitatis Aduocati. Qui etiam cum venali foro ciuitatis nichil debet diſponere, niſi per Burgenſes trahatur ad ipſum. Ius eſt, quod a Burgenſibus quatuor iudices eligantur, pro quo ſunt daturi ſex marcas Aduocato, nichil minuentes, vel nichil addentes. Nulli licitum eſt dare domum ſuam eccleſiae, niſi vendatur, & eccleſiae argentum tribuatur, vt etiam Regi ius ſuum non detrahatur. Omnes in ciuitate redditus ad negotia Burgenſium debent adiuuare, praeterquam bona clericorum & eccleſiarum. Ius eſt, quod Aduocatus nullum incuſet, niſi actore praeſente & conſilio Burgenſium. Haec ſunt iura Siluanorum, quod ſi quis ex ſeruientibus ipſorum pretium, quod vulgo *Wiſt* vocatur, cuiquam eorum detulerit, in quocunque loco eum viderit, ipſum absque iudice, vel eius nuncio libere comprehendet. Iidem etiam Siluani in bonis ſuis non debent pandari pro aliqua cauſa, niſi tantum pro reddi-

redditibus Imperii, quos de ſollibus ſoluere tenentur. Siluani, qui caſas habent in locis campeſtribus, de duobus ſollibus qualibet hebdomata *lot.* argenti ſoluere tenentur Imperio, hac de cauſa, vt liceat eis carbones adducere, de quocunque loco ipſis eſt oportunum. Si qua virgo vel mulier conqueratur, quod ſit violenter abducta & vim paſſa, niſi recens ſit cauſa, nullatenus audiatur. Vt autem haec noſtra conſtitutio debitam inpoſterum obtineat firmitatem, praeſenti pagina, ſigilli noſtri appoſitione ſignata, confirmamus. Statuentes, quod nulla omnino perſona huic noſtrae donationis priuilegio praeſumat auſu temerario contraire.

Huius rei teſtes ſunt:

Albertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis.
Otto Epiſcopus Herbipolenſis.
Conradus Epiſcopus Metenſis, Imperialis aulae Cancellarius.
Fridericus Halberſtadenſis Epiſcopus.
Engelhardus Nuenburgenſis Epiſcopus.
Ludeuicus Dux Bauariae.
Albertus Marchio Brandenburgenſis.
HENRICVS Dux Saxoniae.
Hermannus Marchio Veronenſis.
Hermannus & Henricus, Comites de Woldenberch, & alii quam plures.

Actum anno incarnationis Dominicae M. CC. XIX.
Datum apud *Goslariam* III. Idus Iulii, Indictione ſeptima.

No. CLXXXI.

Henricus Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni, qua Vicarius Regis Friderici II. confirmat donationem ampliſſimam Verdenſi Eccleſiae factam. Anno 1219.

Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *H. Dei gracia Dux Saxonie & Comes Palatinus Rheni.* Notum ſit omnibus tam preſentis temporis quam futuri, ad quos preſens ſcriptum peruenerit, quod coram nobis, fungentibus vice glorioſi Domini noſtri *F. Romanorum Regis & ſemper Auguſti* nec non *Regis Sicilie*, ſecundum plenitudinem iuriſdictionis nobis date ab ipſo Goslarie, in villa noſtra *Bruneſuic* in Eccleſia ſancti Blaſii, multis preſentibus clericis & laicis, fidelibus noſtris, Nobilis mulier *Alda*, *filia* bone memorie *Heinrici de Weſtenen iunioris*, partem patrimonii ſui, que eam contingebat ex hereditate paterna vel auita, ſua ſpontanea

ſpontanea voluntate dedit nomine venditionis Eccleſie beate Marie Virginis & beate Cecilie Verdenſi ad manus venerabilis Domini I. (*Iſonis*) Verdenſis Epiſcopi, conſentientibus ibidem Domina *Oda*, *matre ipſius*, que erat proxima heres eius, & ſorore minore *Alena*, *vxore Thioderici de Depenow*, & marito ipſius Algiſe, *Wernero de Indagine*, hoc eſt, quicquid in villa Weſtene habuit pater eius vel auus nomine proprietatis, & curiam Berneſtede cum omnibus pertinenciis & vtilitatibus ſuis, in hominibus vtriusque ſexus, miniſterialibus, in ſiluis, ſiue pratis, ſiue aquis, ſiue paſcuis, ſiue molendinis, ſiue omninum horum legitimis vſibus, cum omni diſtrictu & honore, confitentibus in preſentia noſtra matre & ſorore & marito ſororis, *Thioderico* ſcilicet, quod illa eſſet eius pars hereditaria. Similiter vero & Alena partem patrimonii ſui vbicunque ſitam, que eam contingebat ex parte prefati patris ſui Heinrici iunioris & aui ſui H. ſenioris, nomine ſororis ſue ſpontanea voluntate dedit eidem eccleſie Verdenſi per manus prenominati Epiſcopi, conſencientibus & compromittentibus Thiodorico marito eius, & matre Oda, & ſorore Algiſa, & marito ſororis Wernero, omnia ſcilicet bona hereditatis, que fuit nobilium Dominorum H. iunioris & H. ſenioris ſiue vacancia ſiue inbeneficiata, cum omnibus ſuis pertinenciis & vtilitatibus, ſiue hominibus vtriusque ſexus, miniſterialibus, litonibus & ſeruiciis, aquis, pratis & paſcuis, & omnium horum vſu legitimo, & omni diſtrictu & honore. Verum quia eadem Alena tunc ex marito ſuo T. filium habebat, *Thiodericum* nomine, qui eius ferebatur heres propior, & in tali etate conſtitutus, quod adhuc legitimum non habuit conſenſum; promiſit pro eo pater eius T. de Depenow fide data in manus noſtras, vice Epiſcopi & eccleſie Verdenſis, quod idem filius T. & A. quam cito veniret ad annum legitimum, quo conſentire poſſit, conſenciet huic renunciationi ſue, a matre & patre facte, & ratam habebit eam, & quod nec ipſe, nec filius eius veniet contra eam. Et hoc cum ipſo & pro ipſo in manus noſtras & Waltheri de Baldenſele, Ghuncelini Dapiferi, Bertrami de Velthen, Willekini . . . Raconis de Vtteſſen, Conradi de Heſethe, Heinrici de Troegſe, Tammonis de Broke, Euerardi de Heuenhuſen, Gerlai de Ruſtringhe, Conradi de Boterslo promiſerunt Thiodericus Depenow, Wernerus de Indagine, . . . Robertus fratres de Borſem, Rothericus & Volcmarus filius eius de Hamelen, Bodo de Saldere. Miniſteriales H. . . de Guſtede. Waltherus de Alem. . . Crachtto de Ebelenſtede. Albertus de Ingelinſtede. Erneſtus. . . . Promiſerunt eciam idem T. & ſui compromiſſores, quod, ſi predictus filius ipſius T. legitimo tempore non confirmaret hoc factum matris ſue, intrent Bruneſwic, inde non

exituri, niſi in gracia & bona voluntate Epiſcopi Verdenſis, qui nunc eſt, vel ſui ſucceſſoris, qui fuerit pro tempore, vel Prepoſiti & Decani, qui tunc temporis fuerint in Eccleſia Verdenſi. Preterea idem T. & compromiſſores ſui, cum ſint de Epiſcopatu Hildenſemenſi, elegerunt hoc de ſuo beneplacito, vt Dominus Epiſcopus Hildenſemenſis contractum & has promiſſiones ſuo banno muniret. . . . . promiſerunt . . quod . . voluerit Epiſcopo Verdenſi . . . . . . ſpecialiter autem Thiodericus promiſit, quod Hogerus de Nida hec eadem promittet verbis, quibus voluerit Epiſcopus. Promiſit etiam fide data, quod ſi aliquis compromiſſorum ſuorum medio tempore mortuus fuerit, ad requiſitionem Epiſcopi vel ſui ſucceſſoris alium ſubſtituet loco ſuo competentem. Item prefati Wernerus, Thiodericus & vxores eorum renunciauerunt feodo, quod habebant, vel ſe debere habere dicebant, ab Eccleſia Verdenſi, & omni iuri & queſtioni, quam habebant vel habere videbantur de feodo Dominorum H. & H. de Weſtene contra Epiſcopum & Eccleſiam Verdenſem; precipue autem decime Weſtenſi, & ei parti decime in Sibudeswerthre, quam vacantem tenebat Dominus H. de Weſtene ſenior, & duobus manſis in Stederntthorpe, quos Bertold Wenkeſterne habuit . . . . aduocatus Verdenſis. Et hec omnia ad peticionem ſepe dicti Epiſcopi & voluntatem eorum . . . . & auctoritate, qua fungebamur, per ſentenciam ab omnibus, qui affuerunt, approbatam confirmauimus eadem auctoritate . . . . & poſſumus, vt nulli omnino hominum contra hec . . . . indubitata & inconuulſa perſeuerent, preſens ſcriptum ſuper hiis . . . ſigilli noſtri appenſione . . . . teſtes qui preſentes fuerunt, preter eos qui nobiſcum premiſſas . . . . Iohannes Marcus Canonicus Hildenſemenſis. Hermannus . . . . Canonicus Bruneſwicenſis. Magiſter Iohannes Canonicus . . . . Henricus . . dagine Bertram . . . . Ekbertus filius Dapiferi Guncelini. Guncelinus . . . . Varſuelte. Conradus filius Domine Ode. Bernardus . . . . Lothewicus de . . . .

Acta ſunt hec in Eccleſia ſancti Blaſii in Bruneſwic Anno incarnationis Domini M. CC. . Indictione VII.ma Septimo Idus Nouembris.

No. CLXXXII.

No. CLXXXII.

Coram Henrico de Hoya, Henrico de Oldenburg & Ludolfo de Brochuſen in iudicio, ex conuentione Brunſuicenſi patrimonium Henrici de Weſten a filiabus eius Iſoni Epiſcopo & Eccleſie Verdenſi traditum eſt. Anno 1220. Ex autographo membranaceo trium Comitum Sigillis munito.

H. & H. Dei gracia de Hoya & Aldinborch. L. de Brochuſen. Omnibus, ad quos hoc ſcriptum peruenerit, ſalutem. Notum ſit omnibus, quod nos H. & H. preſidente Dno L. de Brochuſen in loco, qui dicitur Nite, dominii Weſte, qui intra Comitatum ipſius L. ſitus eſt, & fuit de patrimonio Dni H. de Weſtene, preſentes fuimus, cum multis aliis. Vbi Nobiles mulieres, *Alena* & *Algiſa, filie Dni Comitis H. iunioris*, ſua ſpontanea voluntate tradiderunt totum ſuum patrimonium, quod ad ipſas ex morte H. patris vel aui ſui H. ſenioris peruenerat iure hereditario, quicquid in illo Comitatu ab ipſis hereditatum eſt, conſencientibus & collaudantibus *matre* earum, *Dna Oda* & *maritis* earum, *Tiderico de Diepenow*, & *Wernero de Indagine*, ſecundum ritum & morem patrie, Dno I. (*Iſoni*) Epiſcopo & Eccleſie Verdenſi. Preterea idem Theodoricus & Albertus de Ingelinſtede & Crachto de Ebbelenſtede, cum aliis tribus & Hildemaro Stockem, fide data promiſerunt pro primogenito Thiderici & Alene, ſecundum formam, quam promiſerunt in manus *DNI PALATINI* & eorum, qui & ea receperunt Bruneſwic.

Hii nobiſcum intererant:

Gerardus de Ammenthorp.
Gerardus de Apen.
Heinricus Nagel.
Willerus Bochorn.
Fridericus de Ammenthorp.
Wlfardus de Etherne, qui eciam promiſſum accepit, & alii plures.

Chartae appendent tria ſigilla cerea; in quorum vno vngues erecti & circumſcriptum: S. HEINRICI COMITIS DE HOYA: in altero inſcriptio quidem iniuria temporum ita deleta, vt praeter litteras S. HIN. nil amplius clare dignoſci poſſit, verum in ipſo clypeo apparet crux Oldenburgica inclinata: in tertio viſuntur duae roſae cum inſcriptione S. COMITIS LVDOLFI DE BROCHVSEN.

No. CLXXXIII.

Henricus Dux Saxoniae, Comes Palatinus Rheni & Sacri Imperii Legatus confirmat matris ſuae, Mathildis, Anglorum Regis filiae, donationem Eccleſiae in Derſem, quam illa conſentiente marito Henrico ad altare S. Mariae in choro Eccleſiae S. Blaſii Brunſuicenſis fecerat.

Anno 1223. Ex autographo.

IN nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *HEINRICVS Dei gratia Dux Saxonie, Comes Palatinus Rheni, & ſacri Imperii Legatus.* Licet vniuerſis eccleſiis adeſſe teneamur; ſpecialiter tamen nobis commiſſas propenſius intueri debemus, vt noſtra aſſiſtente ſollertia, proficiant in ſpiritualibus, & progreſſum habeant in mundanis. Vnde notum eſſe volumus vniuerſis fidelibus, tam preſentibus quam futuris, quod kariſſima *mater* noſtra, *MEHTHILDIS* felicis memorie *Anglorum Regis filia*, *Duciſſa Saxonie*, pie deuotionis ſpiritu inducta, obſequium Deo preſtare volens, Altare ſancte Marie, quod eſt in medio choro beati Blaſii, ob ſalutarem & piam anime eius & carorum ſuorum memoriam inſtituit, & eccleſiam in *Derſem*, liberam ab aduocatia, cum conſenſu dilecti *patris* noſtri, *HEINRICI Ducis Saxonie*, in dotem eidem altari aſſignauit, taliter inſtituens de prudentum virorum conſilio, tam clericorum, quam laicorum, vt cuicumque ſacerdoti eccleſia ſupradicta aſſignata fuerit, altari deſeruiat, miſſam de beata virgine ſingulis diebus in eo celebrando, niſi forte offitium vel ſollempnitas diei id impedire videatur. Inſuper addidit, vt idem ſacerdos vicem gerat Canonici, omnia debita chori, ſicut Canonicus, obſeruando, & diligenter cuſtodiendo, Decano faciens obedientiam, & ſuo ſtipendio contentus, nullam cum Fratribus moueat de prebendis antiquis aut nouis queſtionem, ſed longeua & diu habita conſuetudo tam in hiis, quam in omnibus acceſſoriis diuidendis, pro Canonicorum arbitrio diligenter obſeruetur, niſi forſan ipſi de eleemoſinis, in exequiis mortuorum ſuper altare oblatis, ex induſtria prefato ſacerdoti aliquam partem voluerint largiri. Idem etiam & eodem modo obſeruandum nos inſtituimus, ſi quiſquam de nouo & ſingulari ſtipendio, ad aliquod altare vel vocem ſtatuendam comparato, poſtmodum in Canonicum fuerit electus. Cum igitur hec ordinatio rite & ſollempniter facta ſit, deuotionem dilecte *matris noſtre* attendentes, eam merito a nobis ratam decreuimus habendam, & perpetuo inconuulſam. Vnde ne ab aliquo inpoſterum auſu temerario inpugnari valeat,

aut

aut vllo modo corrumpi, hanc cartam inde conſcriptam ſigillo noſtro communiri fecimus atque ſignari, nominibus teſtium, qui huic confirmationi interfuerunt, adiunctis:

Herewicus Decanus. Zacharias. Magiſter Iohannes. Hildebrandus Vicedominus. Anno. Tidericus. Iohannes Cuſtos. Iohannes Notarius. Baldewinus. Ricbodo. Florinus, & alii eccleſie Canonici.

Laici vero: Willekinus Marſcalcus, & Heinricus frater ſuus.
Iordanis Dapifer & Baldewinus frater ſuus.
Godefridus Aduocatus.
Iohannes de Bornem.
Heinricus de Dorſtat.
Fridericus de Langelege, & alii quam plures.

Acta ſunt hec Anno Dominice incarnationis milleſimo, ducenteſimo, viceſimo III°.

No. CLXXXIV.

Alberto & Iohanni Brunſuicenſium & Luneburgenſium Ducibus, Vlricus & Albertus Comites de Regenſtein dimittunt oppidum Schwanebeck in dioeceſi Halberſtadienſi & Aduocatiam Eccleſiae in Derſem. Anno 1270.

Ex autographo.

We Greue Olric vnd Greue Albrecht von Regenſten bekennet des in diſem breue, dat we hebbet gegeuen vnſen Herren, Hertogen Albrechte und Hertogen Iane von Brunſwic, mit vnſer brode geloue, dat Hus to *Swanebeke*, vnd de Stat mit ſeſtich houen to egene. Spreke oc ieman vppe dat egen, dat ſcole we vore antwarden, vnd de mit vns gelouet hebbet, Greue Sifrid von Blankenburg, Greue Heinric von Regenſten, Greue Hinric von Blankenburch, mit in har Willeken von Weſterhuſen, har Diderich von Hartesrode, har Herbort von Wichuſen, har Ian von Ammensleue, har Heine von Wigenrode, har Roſarius von Sercſtede, har Olric de Rike, har Sifrid de Rike. We hebbet oc vnder vnſe herren de Hertogen geleget hundert Mark Geldes. We hebbet oc gelaten von der *Vogedie* ouer de *Kerken* to *Derſem*, de to vnſer Vrowen altere hort to Brunſuic. Dat dit ſtede bliue, dat orkunde we mit vnſem Ingeſegele.

Diſe Bref ward gegeuen to *Wegenleue* in dem duſendeſten Iare, tweihunderſten Iare, vnd ſeuentegeſten Iare, von der bort vnſes Herren, in dem nigen Iares dage.

No. CLXXXV.

Henricus Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni, auctoritate Regia & ſua donationem Schinnenſem confirmat. Anno 1226. Ex Diplomat. Schinnenſi. Mſct.

HENRICVS *Dei gratia Dux Saxonie*, *Palatinus Comes Rheni.* Vniuerſis Chriſti fidelibus preſentia viſuris vel etiam audituris ſalutem in vero ſalutari. Veniens ad nos, cum allatis literis ſupplicationis Venerabilis Patris ac Dni Mindenſis Epiſcopi, Arnoldus, eiusdem Eccleſie Canonicus, deuote & humiliter ſupplicauit, vt noſtrum ſibi praeſtaremus fauorem & conſenſum, bona quedam libera, in villis Schinne & Alemoltere, in Comicia vero Hoyenſi, ſita, que ipſum a proauorum ſuorum genealogia iure hereditario contigerant, in vſus Coenobitarum Collegii Sti Viti Martyris in Schinna, Ordinis ſancti Benedicti, Myndenſis Dioceſis, pro anime ſue remedio conuertendi, preſertim ſi id in memorati Comitis habere poſſit gratia & conſenſu. Cuius nos iuſtis precibus inclinati, diuine remunerationis habito reſpectu, quem oportet diligentius ſemper in omnibus & ab omnibus intueri, a quo etiam eſſe & poſſe intelligimus & cognoſcimus nos habere, data ab ipſo ſupra dicto Collegio concedimus & donamus auctoritate *Regia* atque *noſtra*; quod & tenore preſentium proteſtamur.

Huius rei teſtes ſunt:

Bernardus de Dorſtat.
Iordanus Dapifer noſter.
Wilhelmus Marſcalcus noſter.
Reybertus de Monichuſen, & alii quam plures.

Datum Brunſuyk anno Domini MCCXXVI. Indictione XIIII.

No. CLXXXVI. (a)

Conradum, poſtea Hildesheimenſem Epiſcopum, Germaniae Praeſulibus commendat Honorius Papa III. Anno 1219. Ex Diplom. Hildeshem. Mſct.

HONORIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus, vniuerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & dilectis filiis, Abbatibus, Archipresbyteris, Archidiaconis, Praepoſitis & aliis eccleſiarum Praelatis per Teutoniam conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Etſi eius exemplo, cui ſumus licet immeriti Vicarii

carii conſtituti, quod vni ex minimis noſtris ſit, nobis fieri reputantes, noſtros quoslibet velimus honorari miniſtros; illis tamen honorem exhibitum amplius acceptamus, quibus maiora ſecundum propriam gratiam committentes, honores decernimus digniores, quod facile cognoſcitur ex ipſa miniſterii qualitate. Hinc eſt quod dilectum *filium*, Magiſtrum *CONRADVM Capellanum* & *poenitentiarium noſtrum*, *Scholaſticum Maguntinum*, virum vtique potentem in opere & feruore, quem ad euangelizandum verbum crucis in partibus Teutoniae prouidimus deſtinandum, vobis propenſius commendamus, vniuerſitati veſtrae per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus eidem in neceſſariis & ſecuro ducatu liberaliter prouidere curetis, ita vt, cum qui recipit prophetam in nomine prophetae mercedem prophetae recipere mereatur, Deum propitium & nos vobis exinde reddatis fauorabiles & benignos.

Datum Viterbii XIIII. Kal. Martii, Pontificatus noſtri anno quarto.

No. CLXXXVI. (b)

Conradus electus Epiſcopus Hildesheimenſis a Papa confirmatur. Anno 1221. Indidem.

HONORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Archiepiſcopo *Moguntinenſi* ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Literas tuas recepimus, continentes, quod nuper, Eccleſia Hildeſemenſi vacante, Capitulum eiusdem Eccleſiae dilectum filium Magiſtrum *CONRADVM*, *Capellanum* & *poenitentiarium noſtrum*, inuocata Spiritus Sancti gratia, canonice & concorditer in Epiſcopum elegerit: cuius electionem examinans diligenter, eam auctoritate metropolitica, prout ad te pertinet, confirmaſti. Nos itaque, attendentes eiusdem Electi merita probitatis, & ſperantes, eidem Eccleſiae per ipſum tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, vtiliter prouidendum; tam electionem Capituli, quam confirmationem tuam ratam habemus & gratam, tibi & ipſis auctore Domino digna viciſſitudine reſponſuri, vtpote qui reputamus nos in eo plurimum honorari.

Datum Laterani III. nonas Septembris, Pontificatus noſtri anno ſexto.

No. CLXXXVII.

No. CLXXXVII.

Henricus Rex patri Friderico II. Imperatori ſignificat, ſe ſuadentibus Principibus, inprimis Henrico Duce Saxoniae, Conrado Hildenſemenſi Epiſcopo Regalia contuliſſe. Anno 1221. Ex Schannat. Vindem. I. p. 192.

CARISSIMO genitori ſuo ac Domino, *Magnifico Romanorum Imperatori FRIDERICO ſemper Auguſto*, *HENRICVS Dei gratia & ſua Romanorum Rex ſemper Auguſtus*, cum filiali dilectione debitam in omnibus reuerentiam. Accedens ad praeſentiam noſtram dilectus Princeps noſter, Conradus Electus, a noſtra Serenitate *regalium* Epiſcopatus Hildesheimenſis inueſtituram, ſecundum conſuetudinem & iuſtitiam Imperii, petiuit inſtanter. Praepoſitus etiam & Decanus & Capitulum Hildesheimenſe per litteras & nuntios ſuos hoc ei fieri a nobis deuotiſſime poſtulabant, eo quod ab ipſis concorditer & canonice fuiſſet electus, & ab Archiepiſcopo ſuo legitime confirmatus; ſicut litterae ipſius ad nos ſuper hoc transmiſſae teſtabantur: Nos igitur, dilectorum Principum, qui circa nos erant, & eorum, qui ſuper hoc nobis ſcribere curauerunt, Moguntini & Treuirenſis Archiepiſcoporum, Spirenſis Imperialis Aulae Cancellarii, Herbipolenſis, Ratiſponenſis, Baſileenſis Epiſcoporum, Morabacenſis & Wizzeburgenſis Abbatum, & dilecti noſtri *conſanguinei*, *HEINRICI Ducis Saxoniae*, & multorum Nobilium & aliorum fidelium noſtrorum conſilia ſecuti, attendentes nichilominus ipſius Electi deuotionem erga veſtram magnificentiam, & magnam de veſtro erga ſe fauore fiduciam, ſicut debuimus & ſententia de hoc quaeſita dictabat, eundem tam veſtra, quam noſtra auctoritate de *regalibus* ſiue *temporalibus* Epiſcopatus Hildesheimenſis, & omni honore, quem ſui anteceſſores de gratia Imperii eiusdem Epiſcopatus ratione tenuerunt, *inueſtiuimus*. Eapropter amantiſſimam paternitatem veſtram diligentiſſime cupimus a nobis exoratam eſſe, vt diuinae retributionis intuitu, noſtrae quoque interuentionis reſpectu, quod circa praememoratum noſtrum deuotum Electum conſulte fecimus & iuſte, magnifice confirmare, & ipſum cum Eccleſia ſua in veſtrae Maieſtatis protectionem recipere dignemini, & ita eum in ſuis petitionibus audiatis, vt fauorem & preces regias ſibi ſentiat profuiſſe.

No. CLXXXVIII.

No. CLXXXVIII.

Plurium Principum Eccleſiaſticorum reſcriptum ad Miniſteriales Hildenſemenſis Eccleſiae, Conrado electo Epiſcopo refragantes. Anno 1221. Ex Diplom. Hildenſem. Mſct.

THEODORICVS Dei gratia Treuerorum Archiepiſcopus, C. Metenſis & Spirenſis Epiſcopus, Imperialis aulae Cancellarius, .. Ratisbonenſis & .. Baſilienſis Epiſcopi; .. de Wicenburg & .. de Murbach Abbates: Vniuerſis Eccleſiae Hildenſemenſis miniſterialibus ſalutem & omne bonum. Acceſſit ad praeſentiam noſtram Wicenburch dilectus noſter & honorabilis vir, Magiſter C. Capellanus Domini Papae & poenitentiarius, Hildenſemenſis Electus, ſuplicans nobis, vt per conſilium & auxilium noſtrum per manum Domini Regis donationem *regalium* obtineret, vtpote rationabiliter & communiter electus a ſuo Capitulo, apud quod poteſtas reſidet Epiſcopum eligendi, cum idem Dominus Rex per voluntatem Domini noſtri Sereniſſimi Imperatoris & Principum conſenſum eadem conferendi plenariam habeat poteſtatem. Ex aduerſo autem *Conradus Marſcalcus* & *Ekbertus*, milites, miniſteriales Hildenſemenſes, ex ſua & ſuorum comminiſterialium parte, rogabant attentius, ne id faceremus, & quod Dominus Rex petitioni Electi conſentire non deberet, pro eo, quod eis in electione ipſius facta eſſet iniuria, qui ex iure & longa conſuetudine in electione Epiſcoporum Hildenſemenſium iuſtitiam habuiſſent. Quod quia tam nobis, quam omnibus Comitibus & nobilibus Imperii, nec non & Eccleſiarum miniſterialibus, qui multi praeſentes erant, inconueniens & inauditum & contra communem omnium Eccleſiarum iuſticiam videbatur; in hoc eos minime duximus exaudiendos. Quum igitur praefato Electo & Eccleſiae Hildenſemenſi in ſuo iure, quod noſtrum reputamus, deeſſe nec poſſumus, nec volumus, ſed magis adeeſſe; omnes vos rogamus & monemus attentius, & conſulimus in Domino, vt, memores ſalutis veſtrae & Eccleſiae, cui tenemini, ad fauorem & obſequium Electi eiusdem libenter accedatis: quam promotionem ipſi Eccleſiae veſtrae & omnibus ad eam pertinentibus tam apud Imperium, quam Eccleſiam Romanam, & nos omnes, plurimum profuturam non dubitamus. Alioquin ſi vobis iniuriam in his factam eſſe contenditis, ſciatis, nos colloquium Principum in feſto S. Aegidii Frankenuort indixiſſe, quo, ſi placet, venire poteritis, coram Domino noſtro Rege & Principibus, quorum plures illuc venturos eſſe ſperamus, iuſtitiae plenitudinem recepturi.

 No. CLXXXIX.

No. CLXXXIX.

Honorii PP. III. reſcriptum ad Miniſteriales Hildenſemenſis Eccleſiae in cauſa Conradi electi Epiſcopi. Anno 1221. Ex cod. Dipl. Mſct.

HONORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis, Miniſterialibus Eccleſiae Hildenſemenſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum ſciatis vel ſcire vos deceat, quod non erit heres filius ancillae cum filio liberae; nequaquam ad ancillandam Hildenſemenſem Eccleſiam, matrem noſtram, ſed potius in libertate ſeruandam totis viribus niti debetis, ne, quod abſit, exheredes, ſed heredes magis teſtamento adſcribi mereamini ſummi patris. Quare non ſine cauſa miramur, quod, cum quaelibet Eccleſie ſecundum canonicas ſanctiones in electione Praelatorum plena gaudeat libertate, vos pro eo, quod eſtis miniſteriales Hildenſemenſis Eccleſiae, ius in electione Pontificis nitamini vſurpare, non attendendo, quod ad hoc Dominus Ozam, qui manum arcae appoſuit inclinatae, percuſſit, vt laicis interdiceret audaciam ſe rebus eccleſiaſticis ingerendi. Quia igitur ex ſimili vel ex grauiori culpa ſimilem vel acriorem poteſtis formidare vindictam; vniuerſitatem veſtram monemus & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta firmiter praecipiendo mandantes, quatinus electionibus Pontificum vos de cetero nullatenus ingeratis, cum id nequaquam poſſimus aequanimiter tolerare, quia pati nec volumus nec debemus Eccleſias taliter ſubiici ſeruituti.

Datum Laterani V. Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno ſexto.

No. CXC.

Henricus Rex Henricum Ducem rogat, vt Miniſteriales Eccleſiae Hildenſemenſis, Conradum repudiantes, in viam reducat. Anno 1222. Indidem.

H. *Dei gratia Romanorum Rex* dilecto *conſanguineo ſuo H. Duci.* Nouerit tua dilectio, quod accedens ad noſtram perſonam dilectus Princeps, Conradus Hildesheimenſis Epiſcopus, a noſtra Serenitate *Regalium* Epiſcopatus Hildesheimenſis inueſtituram ſecundum iuſtitiam & conſuetudinem Imperii petiuit inſtanter, Praepoſitus etiam & Decanus ac Capitulum Hildesheimenſe per litteras & nuntios ſuos hoc ei fieri a nobis deuote poſtulabant, eo quod ab ipſis concorditer & canonice fuiſſet electus, & a ſuo Archiepiſcopo legitime confirmatus;

ſicut

ſicut litterae ipſius ad nos ſuper hoc transmiſſae teſtabantur: Nos igitur, dilectorum Principum, qui circa Nos erant, & eorum, qui ſimiliter hoc nobis ſcribere curauerunt, & aliorum fidelium noſtrorum conſilia ſecuti, ſicut de iure debuimus, & ſententia de hoc quaeſita dictabat, praedicti Capituli nec non & Electi ſui iuſtas preces libenter admiſimus, eundem Electum tam Sereniſſimi patris noſtri Imperatoris, quam noſtra auctoritate de Regalibus Epiſcopatus Hildesheimenſis, & omni honore, quem ſui anteceſſores de Imperio tenebant ratione Epiſcopatus eiusdem, veſtientes. Verum quia Miniſteriales eiusdem Eccleſiae in electione Epiſcoporum Hildesheimenſium ius ſibi dicunt, &, quod eum non elegerint cum Capitulo, adhuc ei contradicunt, ſicut eorum nuntii quibusdam ex Principibus retulerunt; Nobilitatem & honeſtatem tuam, de qua multum praeſumimus, rogamus, vt noſtrae Serenitatis intuitu praedictos Miniſteriales ad te venire facias, eosque, quos & vbi viſum fuerit, euocare & ipſos ad deuotionem & pacem & gratiam Domini ſui Electi modis, quibus ſcis & potes & expedire videris, inducere ſtudeas diligenter. Quod enim Epiſcopos ſuos eligere debere ſe aſſerunt, & ideo quia hoc factum non eſt, difficiles ei ſe reddunt & graues, incongruum iudicamus, & omnibus Principibus, Nobilibus & Miniſterialibus inconueniens videtur & inauditum, ſicut eorum nuntiis a multis nouimus reſponſum. Gratiſſimum igitur habebimus, ſi veſtris in hoc monitionibus acquieuerint & mandatis. Alioquin ſciant pro certo, quod praefato Electo in iuſtitia & honore ſuo modis, quibus poſſumus, adeſſe volumus & prodeſſe. De ipſorum igitur reſponſo per tuas nos litteras facias certiores, vt ſciamus, quid pro nobis & Imperii mandato & tua exhortatione facturi ſunt, & quid nobis ſuper his fuerit faciendum.

No. CXCI.

Ipſa ciuitas Hildenſemenſis Conrado Epiſcopo aduerſatur. Anno 1221. Indidem.

CONQVESTVS erat Conradus Epiſcopus *HENRICO Romanorum Regi*, quod Burgenſes ſui in omni iure & ſeruitio, quo ei ad Regis & Epiſcopi honorem obligati erant, contrarii eſſent & rebelles: ideoque Rex ſcriptis Fulda XV. Kal. Aug. Indict. IX. ad Fridericum Epiſcopum Halberſtadenſem literis, ipſum monet, vt ſuper querela hac cognoſcat, & quod iuſtum ſit ſtatuat.

No. CXCII.

Catalogus eorum, qui Conradi II. Hildenſemenſis Epiſcopi cauſſa excommunicati fuerunt: in quibus Fridericus de Depenow. Anno 1222. Indidem.

THIDERICVS de Holthuſen excommunicatus, & Henricus. Waltherus de Ghanderſem cum complicibus ſuis, quod non ſatisfecerunt Epiſcopo, excommunicati Dni Pape.

Conradus de *Lewenrod* & *filius ſuus* pro multiplici querimonia Capituli in inuaſione bonorum noſtrorum, & quod non manutenuerunt malefactores noſtros de *Lengede*, & eorum complices.

Item Conradus ſenior & Wynnandus & frater ſuus pro bonis in Alsburch.

Item Iohannes de veteri villa excommunicatus.

Magiſter Iohannes Sapiens & Lippoldus de Oſterrod excommunicati ſunt Dni Pape pro viceſiad & contumacia.

Magiſter Iohannes ſpecialiter pro contumacia excommunicatus Epiſcopi.

Tidericus liber de *Depenowe* excommunicatus pro multis cauſis.

Fratres de Lengethe excommunicati pro multiplici preda.

Aduocatus de Lechtenberch iurauit ſtare mandatis.

Baldewinus de Wenethen Conradum Marſcalcum fideiuſſorem dedit.

Wilhelmus de Roſendal iurauit ſtare iuri.

Olricus de Barem promiſit ſtare iuri.

Comes Henricus de Sladem fideiuſſores dedit.

Comes Ludolfus de *Limbere* fideiuſſores dedit.

Omnes illi, qui acceperunt res in forenſi Eccleſia Goslarie, & eas impignorauerunt ſine noſtra autoritate, & qui eas detinent ſcienter.

Fratres de Weringerode ſunt abſoluti, & promiſerunt ſatisfactionem.

Luthardus de Meinerſen iurauit ſtare mandatis.

Henricus de Badekenſtede (Wrisberg) excommunicatus.

Seghehardus de Aſtembeke excommunicatus pro manſo in eadem villa.

No. CXCIII.

Friderici II. Imperatoris publicatio ſententiae Imperialis, quod nemo *officiatorum* ſine conſenſu Principis ſubſtituere poſſit *ſubofficiatum*. Anno 1223. Indidem.

FRIDERICVS *Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Rex Siciliae,* vniuerſis Imperii fidelibus hanc paginam inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum. Conſtitutus in praeſentia noſtra dilectus nobis Imperii Princeps, Dominus *Conradus. Hildenſemenſis Epiſcopus,* ſententiam Imperialis Curiae noſtrae ſibi poſtulauit edici, ſuper eo, ſi *officiatus* aliquis Principis cuiuscunque, *Dapifer* videlicet, *Mareſcalcus, Camerarius* vel *Pincerna,* poſſet Principi, domino ſuo, ratione ſui officii, quenquam ponere ſubminiſtrum, vel aliquid de rebus eius mobilibus vel immobilibus, praeter aſſenſum eiusdem Principis & eius beneplacitum voluntatis, ordinare. Super quo ſententiam hanc Imperialis Curia noſtra promulgauit, quod, niſi de aſſenſu Principis fuerit, & eius libera voluntate, nullus talium *officiatorum* ſubofficiatum quemquam talem domino ſuo dare poteſt, nec aliquid de rebus Principis diſponere, praeter eius beneplacitum voluntatis.

Data eſt haec ſententia aſſidentibus & aſſentientibus ipſi ſententiae hiis Imperii noſtri Principibus:

Domino A. Magdeburgenſi Archiepiſcopo.
Domino Wormatienſi.
Domino Verdunenſi.
Domino Tridentino.
Domino Nuemburgenſi.
Domino Brixienſi.
Domino Ymolenſi.
Domino Brandenburgenſi Epiſcopis,
& Domino Abbate Morbacenſe.

Aſtantibus autem Laicis eiusdem Imperii noſtri nobilibus & eidem ſententiae acclamantibus.

Marchione de Voburch.
Henrico de Waldenberch, *Pincerna* memorati Epiſcopi Hildenſemenſis.
Heinrico de Euerſtein, Comitibus;

Miniſterialibus autem Imperii:

Guntzelino de Wolſerbutle.

Wernero de Bonland & quam pluribus aliis, nobilibus & miniſterialibus.

Datum *Capue* anno Domini MCCXXIII. Nonas Febr. IndictioneXI.

No. CXCIV.

Henrici Regis reſcriptum ad Henricum Ducem Saxoniae & Palatinum Comitem Rheni, & ad Albertum Ducem Angariae, de pacem ſeruanda. Anno 1223.

Ex veteri Codice Moguntino.

H. *Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, H. Duci Saxonie, & A. Duci Angarie*, & in eorum iuriſdictione conſtitutus.

Innotuit nobis, quod ſummus Pontifex, ſimiliter quoque Dominus Imperator, pater noſter, dederit in mandatis & attentius iniunxerit . *Hildesheimenſi* venerabili *Epiſcopi*, apud eos in partibus Italie exiſteni, vt ad pacem & tranquillitatem illarum partium curam & operam in editu ſuo impenderet diligentem, de eiusdem Epiſcopi prudentia & bonitate non immerito preſumentes. Quocirca mandamus, affectuoſe os rogantes & monentes, quatenus ob reuerentiam Apoſtolice Sedis & Domini Imperatoris, patris noſtri, & pro patrie totius profectu & honore, accedatis ad locum & diem, quem prememoratus Epiſcopus prexerit vobis, pacem vnanimiter iuraturi, & ipſam inuiolabiliter obſeraturi, vsque ad terminum inter vos condictum.

No. CXCV.

Reſcriptum Friderici II. Imperatoris ad Hildeboldum Comitem de Limbere. Anno 1226.

Ex Diplom. Hildesh. Mſct.

FREDERICVS *Dei gracia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Iheruſalem & Sicilie Rex.* HILDEBOLDO, *Comiti* de *Limbere*, & fautoribus eius, dilectis fidelibus ſuis, graciam ſuam & omne bonum. Cum propter continuacionem gwerrarum, que vertuntur inter vos ex vna parte, & venerabilem *Mindenſem* Epiſcopum, dilectum Principem noſtrum, ex altera, multa incommoda & impedimenta proueniant grauia negocio terre ſancte, &, quodammodo tota prouincia propter hoc in deſolacionem iam poſita, non ſolum Eccleſie, que

deſtructe ſunt, ſed & pauperes, vidue & orphani de partibus illis huiusmodi ſpecialiter penam luant; Ecce! quod nos, qui predictum Chriſti negocium poſtponere non poſſumus, nec debemus, Illuſtri *Duci* de *Brunſwik* dilecto Principi noſtro, per literas iniungimus maieſtatis noſtre, vt ad componendum & pacificandum inter vos & Epiſcopum memoratum interponere ſtudeat partes ſuas, ita quod, ſi vtraque pars iuxta mandatum noſtrum eidem *Duci* acquieſcere non curauerint humiliter ac deuote, vt decet, conuocatis ad ſe Imperii fidelibus ex parte noſtra, & innocenti parti, ſi opus fuerit, cum eisdem noſtris fidelibus mediante iuſticia in auxilium veniens, maliciam & ſuperbiam partis aduerſe conterat, prout viderit conprimendam. Ideoque fidelitati veſtre ſub obtentu gracie noſtre diſtricte precipiendo mandamus, quatenus, ne ſeruicium Iheſu Chriſti, ad quod adiuuante ipſo potenter accingimur & libenter, propter diſcordias & gwerras veſtras in partibus ipſis valeat vlterius impediri, ſuper reformacione pacis & ſedanda diſcordia predicto *Duci* acquieſcatis humiliter & deuote, ne propter huiusmodi gwerras contra vos Deum & homines prouocetis, imo de prompta deuocione veſtra, ſi obedientes fueritis in hac parte, plenitudinem noſtre gracie promereri poſſitis.

Datum apud Burgum ſancti Donnini. V. Iulii XIIII. Indictione.

No. CXCVI.

Excerptum Reſcripti Caeſarii, quo plures Saxoniae nobiles inter ſe belligerantes Henrico Palatino, cui Caeſar partes ſuas demandaſſet, parere iubentur; alioquin ab eo armis compeſcendi. Anno 1226. Indidem.

CVM Fridericus Imperator apud Burgum S. Donnini caſtra locaſſet, mox in Terram Sanctam moturus, rogatu Conradi Hildenſemenſis Epiſcopi, Comitem Bernardum de Spigelberg, Conradum de Alta Fago & Giſelerum de Ethſen per literas hortatur, vt a guerra, quae inter ipſos & Bodonem de Homborch gerebatur, deſiſtant, penitusque praeceptis *Illuſtris Ducis H. de Brunſuic*, cui ipſe partes ſuas demandauerat, obtemperarent; alioquin, ſi refragarentur, vi compeſcendi collectis per eundem Ducem Imperii viribus, & ſuper partem nocentem ducendis.

Mandans ſimul Hermanno & Henrico de Woldenberg & vniuerſis Imperii fidelibus per Saxoniam conſtitutis, vt Duci, ſi opus eſſet, ſuppetias ferant.

Datum apud Burgum S. Donnini VI. Iulii. Indictione XIIII.

No. CXCVII.

No. CXCVII.

ꟷenrico Saxoniae Duci Fridericus II. Impe-ator mandat, vt Conradum Hildenſemenſem Epiſco-pum tueatur, & inuaſores eius proſcribat. Anno 1226.

Ex Schan. Vindem. I. p. 197.

FRIDERICVS *Dei gratia Romanorum Imperator H. Illuſtri Duci Saxoniae*, dilecto Principi ſuo. Cum venerabilis Hildeſienſis Epiſcopus dilectus Princeps noſter, euangeliſando verbum crucis ꟷeo totique Chriſtianitati obſequium gratioſum impendat; merito Deum ꟷ homines grauiter videretur offendere quicumque eundem Epiſcopum, ꟷ maxime quam diu in ſeruitio terrae ſanctae laborat, moleſtaret hacte-ꟷus, vel de cetero praeſumpſerit moleſtare. Propter quod diſcretioni ꟷuae mandamus, monemus atque rogamus, quod moleſtatores huius-ꟷnodi, niſi dicto Epiſcopo ſatisfaciant de illatis, & de huiusmodi vexa-ꟷionibus omnino deſtiterint, eos auctoritate noſtra proſcribas, quoties ꟷueris requiſitus ab ipſo.

Datum Parmae.

No. CXCVIII.

ꟷermannus Comes de Woldenberg omnes Miniſteriales Hildenſemenſis Eccleſiae teſtes inuocat rigoris, quem in ſe & Euerſteinios exerceret Conradus Epiſcopus.

Anno 1227. Ex Diplomatar. Hildenſ.

H. Dei gratia Comes de Woldenberch, Hildenſemenſis Eccle-ſie Miniſterialibus vniuerſis, diuitibus & pauperibus, ceteris quoque paginam preſentem audientibus ſue poſſibilitatis obſe-ꟷuium. Vniuerſitati veſtre notum facimus, nos perſonaliter, amicis ꟷoſtris aſſumptis, Dominum Epiſcopum adiſſe, eumque pro noſtris ꟷroriis, Comitibus de Euerſtein, debite ſupplicaſſe, ne vim eis infer-ꟷet, ſed per nos gratiam ſuam ſatisfaciendo rehaberent. In quo heu! ꟷihil profecimus. Ergo cum beneficia Eccleſie Hildenſemenſis in partes ꟷatris mei H. de Woldenberg ceſſerint, & ipſe Eccleſie teneatur; nos ꟷutem non . (*) . . . ob gratiam ſimus Domini Epiſcopi & fuerimus ꟷdhuc, ſperantes, vt beneficia ſi qua ab eo obtinuerimus; vniuerſos ꟷoc audientes rogamus, ſi inpoſterum opus habuerimus, nobis teſtimo-ꟷio aſtent, Dominum Epiſcopum proprietatem omnem, que mei fratris eſt,

*) Locus corruptus vix ſanabilis.

eſt, & mea, ceterorumque noſtrorum amicorum & Comitum de Euerſtein, violenta manu nobis velle aufferre, & huius rei teſtimonio noſtrum ſocerum, Comitem de Euerſtein, eodem loco manu armata obſedit &c.

No. CXCIX.

Defuncto Henrico Duce, Imperatoris per Saxoniam Vicario, Conradus Hildenſemenſis Epiſcopus, componit bellum inter Comites de Euerſtein & filios Bodonis de Homborch, ob huius caedem geſtum. Anno 1227. Ex eod.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Cuonradus Dei gratia Hildenſemenſis Epiſcopus, per preſens ſcriptum notum facimus Chriſti fidelibus vniuerſis, quod ſuper controuerſia & diſcordia, que pro morte *Bodonis de Honborch* felicis memorie vertebatur ex parte vna inter *Comites de Euerſtein*, & *filios* dicti *Bodonis* & *parentes eorundem* ex altera, nobis mediantibus, per Dei gratiam talis compoſito interuenit. Quod iidem *Comites de Euerſtein* quinque millia Miſſarum & Vigiliarum totidem pro anima *Bodonis* facient decantari, & fraternitatem ei in quinquaginta Coenobiis obtinebunt. Item altare conſtruent infra preſentis anni ſpatium *Kaminatis*, & dotabunt bonis ſuis, quibus ſacerdos ibi Deo ſeruiens debeat ſuſtentari, & ſtatim *Bodone* ſepulto Miſſam animarum ibidem procurabunt in antea cottidie decantari. Item militem vnum mittent ſuis expenſis, quem tenebunt per anni circulum in ſubſidio Terre Sancte. Item cum trecentis militibus & armigeris, qui volunt militare, petendo veniam ſe proſternent ad pedes *filiorum* dicti *Bodonis*, & *fratris* ſui *Bodonis*, nec non *Theoderici de Hadenois* atque fratrum de *Brakle*, Wernheri & Bertholdi. Item centum milites & armigeri, volentes militare, homagium facient eisdem: ex quibus centum militibus & armigeris aliqui aſſumentur, qui talibus Dominis, quorum homines iſti de Honborch ante fuerunt, quinquaginta marchas Vchſarienſis argenti reſignabunt, quas iſti de Honborch ab eisdem Dominis in feodo recipient, & receptas in continenti eisdem, qui eas reſignarunt, in feodo preſtabunt. Ex hiis vero quinquaginta marcis ſpecialiter reſignabunt decem marchas Heinricus de Luthardeſſen & Arnoldus de Porta, quas recipient in feodo a Bodone & pueris antedictis, & tam ipſi, quam alii, qui interfuere morti Bodonis, exceptis Comitibus, epiſcopatum Hildenſem per anni circulum abiurabunt, & manebunt extra, niſi a paſſis iniuriam reuocentur. Item cum centum militibus & armigeris, qui volunt militare, in damnis propriis & expenſis reiſam eorundem & fratrum *de Brakele* W. & B. diebus XIIII. equitabunt, vbicunque hoc facere poterunt cum honore. Quod

ſi forte iidem fratres *de Brakele* eandem reiſam recipiunt, dicti Comites erunt a pueris abſoluti, & e conuerſo. Et ſi aliquis fratrum de Euerſtein hanc reiſam ſoluere non poterit, ligatus homagio; alter fratrum, qui non tenetur homagio, perſoluet. Item dicti Comites nulla erigent edificia in aliorum preiudicium vel grauamen, & e conuerſo nec erigere adiuuabunt. Item quecunque bona dictus *Bodo* in hora ſue mortis habuit in ſua poſſeſſione, filii eius poſſidebunt pacifice & quiete, ſine contradictione Comitum predictorum, & absque moleſtia & exactione. Item inſeodati ab vtraque parte recipient bona, que occaſione huius guerre amiſerunt, & quecunque per exactionem promiſſa ſunt & non perſoluta, ceſſabunt. Item omnes captiui hinc inde reddentur, penitus abſoluti. Item quicunque ab vtraque parte bona habuit aliqua ante initium huius guerre in ſua poſſeſſione, etiamſi infra hanc guerram eiectus fuit, reſtituetur, & tenebit ea, donec ab eo per iuſticiam auferantur. Item omnia bona, hinc inde pignori obligata in dictis terminis, placitata pecunia ſine contradictione qualibet libera dimittentur. Item dicti Comites ſemper ſtudebunt in bono ſatisfacere pueris ſepedictis pro morte patris eorum, pacem & concordias intendendo. Vt autem hec compoſitionis forma, ſicut eſt compromiſſa, a predictis partibus inuiolabiliter obſeruetur, hanc cartam inde conſcriptam ſigillis preſentibus in teſtimonium veritatis & ad robur firmamenti fecimus communiri.

Actum anno domini Milleſimo CCXXVII. feria VII. proxima poſt feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli. Pontificatus noſtri anno VII.

No. CC.

Henricus Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni confirmat Nendorpienſibus bona a Reinhardo de Vornholte cum conſenſu Adolfi Comitis Schauenburgici emta. Anno 1221. Ex autographo.

H. . *Dei gracia Dux Saxonie, Comes Palatinus Rheni.* Omnibus hoc ſcriptum videntibus ſalutem & dileccionem. Notum eſſe volumus vniuerſitati veſtre, quod dilectus noſter Comes Adolfus de Scow. duas domus in villa Apinhorſt & Vadum cum vno manſo de nobis tenuit in feodo ibidem. Set & Reinardus de Vornholt hec eadem tenuit de manu Domni Adolfi, & per conſenſum ipſius Comitis eccleſiae de Nendorp eadem bona vendidit pro decem marcis argenti. Set cum hec vendicio ſine noſtro conſenſu facta eſſe non poterat; nos eam ratam habemus, pro ſalute & remedio anime noſtre & parentum noſtrorum, & preſenti ſcripto confirmamus.

Teſtes huius rei ſunt: Iordanus Dapifer.
Willekinus Mareſcalcus.
Baltwinus Iuuenis.
Godefridus Aduocatus.
Bertramus de Velthem.
Baltwinus filius Iordani Dapiferi, & alii quam plures.

Acta ſunt hec Anno Dnce Incarn. M.CC. XXI. Indictione VIII. concurrente IIII. in domo noſtra Brunſwic.

Appendet Sigillum equeſtre margine detritum.

No. CCI.

Idem Reinardi de Vornholte traditionem bonorum ſuorum in Rothdorpe cum filia Eccleſiae Nendorpienſi factam confirmat. Anno 122 . Ex autographo.

HEINRICVS *Dei gracia Dux Saxonie, Comes Palatinus Rheni.* Omnibus hanc cartam nunc & inpoſterum inſpecturis. Scire vos volumus, quod Reinardus dilectus miniſterialis noſter de Fornholt bona ſua in Rothdorpe cum filia ipſius eccleſie de Nindorpe ex noſtro conſenſu & bona voluntate libera abſolute contulit. Et nos quoque, factum ipſius ratum haberi volentes in perpetuum & inconuulſum, hanc cartam inde conſcriptam ſub bonorum virorum teſtimonio ſigillo noſtro communiri fecimus & corroborari.

Nomina autem eorum, qui teſtes fuerunt, hec ſunt:
Henricus de Borch & fratres ſui Manegoldus & Sigebodo.
Gerardus de Dorin & frater eius Lupoldus, &
Manegoldus de Esdorpe, &
Alexander de Werdin, &
Daniel de Blidirsdorpe.
& Bruningus de Hunſchinge.
Henricus de Ochtinhuſin & Sigibandus frater ſuus.

No. CCII.

Henricus Palatinus Henrico III. Angliae Regi per Procancellarium ardua quaedam & ſecreta negotia toti domui proficua inſinuat. Anno 1221. Ex Rymer Act. Angl. T. I. p. 900.

H. *Dei gratia Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni.* Dilecto ſuo Domino R. de Noua villa, Domini Regis Angliae Vicecancellario, paratum cum omni dilectione obſequium. Quoniam

niam vos honorem & profectum kariſſimi conſanguinei noſtri, Domini H. Regis Angliae, ex veridica relatione diligere & affectare cognoſcimus; ſane quaedam ardua & ſecreta, quae nobis inſinuata ſunt, negotia per dilectum noſtrum R. latorem praeſentium, quondam *Domini Imperatoris fratris noſtri* piae memoriae *familiarem*, dignum duximus exponenda, quae quidem, Deo dante, tam praefato kariſſimo noſtro conſanguineo, quam Regno, nec non toti noſtro generi, ad immenſam poterunt peruenire ſublimationem. Super hiis igitur vos, vna cum aliis de conſilio Regis & regni, prouide & mature deliberantes, per praefatum R. ſimiliter cum alio bono & diſcreto Nuncio, de voluntate veſtra nos ſine mora reddatis certiores. Nos enim & in hiis, & in omnibus aliis, quae Domino Regi & regno prodeſſe videantur, ſemper, ſicut de iure tenemur, conſilio reperiemur ſtudioſi, & opere efficaces.

Domino R. de Noua villa.

No. CCIII.

Idem Riddageshuſenſibus tres manſos a Willekino Marſcalco ſuo datos confirmat, & vnum ex propriis addit. Anno 1222. Ex autographo.

HEINRICVS *Dei gracia Dux Saxonie & Comes Palatinus Rheni.* Omnibus tam preſentibus quam futuris hoc ſcriptum videntibus ſalutem. Notum facimus vniuerſitati veſtre, quod Willekinus, dilectus Marſcalcus noſter, tres manſos in villa Hathebere habuit, quos de bona & libera voluntate noſtra coenobio Riddageshuſen vendidit, nosque eius vendicionem ratam habere cupientes, preſenti confirmamus ſcripto, & eosdem manſos prefato cenobio contulimus in perpetuum poſſidendos, ſub teſtimonio bonorum virorum.

Hermanni Hoden.
Hermanni de Helleſſem.
Thiderici de Botmar.
Herwici de Hofingin.
Friderici de Langelege.
Iohannis Notarii noſtri, & aliorum plurimorum qui interfuerunt.

Dedimus inſuper eidem Eccleſie manſum vnum in Offenleue, quem reſignauit Aduocatus Baldewinus.

Acta ſunt hec anno Dominice incarnationis MCCXXII. Indictione X. Regnante Friderico.

No. CCIV.

No. CCIV.

Idem in Eccleſia S. Blaſii nouum Altare fundat. Anno 1222. Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *HEINRICVS Dei gratia Dux Saxonie, Comes Palatinus Rheni.* Cum rerum temporalium vſus plerumque depereat, & in nichilum redigatur, temporalia bona in eos vſus mittere prudentis eſt, vt inde etiam Regis illius comparetur gratia, qui & iuſtis iuſta retribuit, & pro tranſitoriis reddit eterna. Hac igitur ſpe docti & inducti, ſcire volumus preſentes & poſteros, quod dilectus noſter Comes *Sifridus* de *Blankenburch*, tres manſos & dimidium, & pratum vnum in villa *Suplinge*, de nobis diu in feodo tenuit, & poſſedit; nos quoque eadem bona ab ipſo pecunia redimentes, in medio Eccleſie beati Blaſii Bruneſwic altare in honore beati Bartolomei Apoſtoli fieri iuſſimus, ipſum altare prefatis bonis dotantes, & ſtatuentes, vt ſingulis diebus, dum id fieri liceat, miſſa pro defunctis ibidem celebretur, pro ſalute omnium parentum noſtrorum; eorum, qui nos preceſſerunt, & inpoſterum ſubſequentur. Statuimus etiam, vt, quicunque eiusdem altaris prouiſor fuerit, vicem gerat in choro, in omni obedientia, & deuotione, ſicut Canonicus, cantando, legendo, & in ceteris obſeruantiis Eccleſie debitis & honeſtis. Ius etiam conferendi ipſum altare, nobis retinemus. Preterea collata bona, & adhuc conferenda, ab omni iure aduocatie, nec non a quocumque grauamine ac vexatione libera prorſus eſſe volumus, & penitus abſoluta. Vt igitur hec omnia rata maneant in perpetuum & illibata, hanc cartam inde conſcriptam ſigillo noſtro communiri fecimus & corroborari, adiunctis teſtibus idoneis, qui huic facto interfuerunt:

Sancti Blaſii Decanus Herewicus.
Comes Sifridus de Blankenburch.
Comes Heinricus de Waldenberch.
Comes Heinricus de Sladem.
Iordanus Dapifer.
Willehelmus Marſcalcus.
Bertrammus de Velthem.
Baldewinus de Dalem, &
Baldewinus iuuenis Aduocatus, & alii plures.

Acta ſunt hec Bruneſwic. Anno verbi incarnati milleſimo, duceteſimo, vigeſimo ſecundo, indictione X. in nomine Domini amen.

Datum per manus Iohannis notarii noſtri,

No. CCV.

Idem Fredesloënſi Coenobio confirmat dimidium manſum in Hollenſtad ipſi a Theoderico & Ehrenfrido de Sulingen venditum. Anno 1222. Ex autographo.

H. *Dei gracia Dux Saxonie & Comes Palatbinus Rheni*, omnibus preſentem paginam inſpicientibus, ſalutem. Notum eſſe volumus tam preſentibus, quam futuris, hoc ſcriptum videntibus, quod dilecti miniſteriales noſtri, Thidericus & Ehrenfridus de *Sulinge* dimidium manſum, in villa Hollenſtad ſitum, Eccleſie de *Frithſele* pro V. marcis vendiderunt, & nos ad petitionem eorum predicti manſi proprietatem Eccleſie prefate contulimus in perpetuum quiete poſſidendum. Et ne Eccleſia ab aliquo grauari poſſit inpoſterum, hanc cartam inde conſcriptam ſigilli noſtri munimine confirmari volumus, & corroborari teſtibus adiunctis, quorum hec ſunt nomina:

Bernardus de Dorſtad.
Iordanis Dapiſer.
Willikinus Marſcalcus.
Henricus de Hukilhem.
Baldewinus de Winede.
Lupprandus de Wirikishuſen.

Datum apud *Guthenge* anno dominice incarnationis M. CCXXII. Indictione X.

No. CCVI.

Idem Eccleſiae S. Blaſii confirmat hortum in Renneberge & manſum in Sampleue donatum. Anno 1224. Ex autographo.

HENRICVS *Dei gratia Dux Saxonie, Comes Palatinus Rheni.* Notum ſit omnibus, tam preſentibus quam futuris, hoc ſcriptum videntibus, quod *Conradus* dilectus noſter, filius *Ode*, ortum quendam, in Renneberge ſitum, duodecim ſolidos ſoluentem, quem de nobis in feodo tenuit, Eccleſie beati Blaſii Bruneſwich contulit perpetuo poſſidendum. Inſuper dilectus miniſterialis noſter Iohannes de Buorneim manſum vnum in Scampeleue ſitum eidem contulit Eccleſie, quinque modios magnos & duos paruos annuatim pro cenſu ſoluentem. Sed quoniam ſupradictorum donatio, licet ex conſenſu heredum facta, rata tamen ad plenum ſine noſtro conſenſu haberi nec potuit,

potuit, nec debuit; ad plenitudinem confirmationis vtriusque facti noſtrum poſtulauerunt adeſſe fauorem & aſſenſum. Nos igitur eorum conſiderantes bonam voluntatem & piam intentionem, largitionem ipſorum debito, ſicut debuimus, collaudauimus aſſenſu. Et ne factum ipſorum vlla inpoſterum obfuſcare poſſit vetuſtatis obliuio, aut ſuboriri valeat indebita contradictionis obiectio, hanc kartam inde conſcriptam ſigilli noſtri teſtimonio communiri fecimus & confirmari.

Affuerunt etiam huic facto viri probi & idonei, quorum opinio in tantum fuit integra, quod ad tante rei ſufficeret teſtamentum.

Bernardus nobilis vir de Dorſtat.
Bertrammus de Veltheim, miniſterialis noſter.
Iordanus Dapifer noſter.
Wilchinus Marſcalcus noſter.
Balduinus frater Dapiferi.
Henricus & Bertoldus fratres de Witlinſtede.
Iuuenis Bertrammus de Veltheim.
Widechindus de Derſenne.
Godefridus tunc temporis Aduocatus, &
Henricus de Dorſtat, & alii quam plures.

Acta ſunt hec in domo noſtra Brunſwich anno dominice incarnationis MCCXXIIII. Indictione duodecima, Anno decem nouenalis cycli octauo.

Data per manum Iohannis Notarii noſtri.

No. CCVII.

Idem Marienbergenſibus Virginibus donat villam deſertam Bemesdorf. Anno 1224. Ex autog.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *HENRICVS Dei gratia Dux Saxonie, Comes Palatinus Rheni.* Cum Eccleſias & loca Deo dicata noſtris curamus ſubleuare poſſeſſionibus, eam ſpem merito habere debemus, quod retribucionis gaudia nobis ille retribuat, cum multiplicato ſeminis fructu, qui pro terrenis celeſtia & pro temporalibus largitur eterna. Hanc ſiquidem fiduciam fideles antiqui ſuis poſteris reliquerunt, qui in fide & karitate ſimpliciter incedentes, loca ſancta ad honorem Dei conſtruxerunt, & ſuis poſſeſſionibus ditauerunt, emulande deuotionis talia nobis in exemplum relinquentes. Nos igitur tot ac tantis ſalutaribus exemplis admoniti, noſtrorum veſtigia predeceſſorum ſequi cupientes, omnibus Chriſti fidelibus, tam preſentibus quam

futuris,

futuris, notum eſſe cupimus, quod nos, intuitu diuine remunerationis, ob ſalutarem & perpetuam anime noſtre memoriam, villam quandam deſertam, *Bemesdorp* nomine, iuxta Helmſtat in nemore ſitam, quondam a Sclauis inhabitatam, cum ſilua, pratis & agris attinentibus, & cum omni iuris integritate, cenobio donatarum in Helmſtat in honorem beate Marie conſtructo, iuſte ac rationabiliter, ſine alicuius contradictione, contulimus perpetuo poſſidendam, factum noſtrum rite & ſollempniter conſummantes, & ad perpetuam firmitatem preſentis ſcripti munimine, & ſigilli noſtri inpreſſione confirmantes, ſubſcriptis nominibus teſtium, qui huic facto noſtro interfuerunt.

Dilecti & fideles noſtri: Luthardus de Meneríin & Bernardus de Dorſtat, nobiles viri.

Miniſteriales noſtri:

Bertramus de Velthem.
Iordanus Dapifer.
Willelmus Mareſcalcus.
Henricus frater eius.
Godefridus aduocatus de Varsuelde.
Iohannes de Bornhem.
Henricus de Dorſtat.
Sigefridus de Chicchede.
Borchardus aduocatus de Helmſtat, & alii quam plures ydonei viri & honeſti, quorum opinio adeo fuit integra, quod ad tante rei ſufficeret teſtamentum.

Acta ſunt hec Bruneſwic anno Dominice incarnationis Milleſimo, ducenteſimo XXIIII. Indictione duodecima, preſidente Domino Honorio Papa Sedi apoſtolice. Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore Auguſto.

Dantur per manus Iohannis Notarii noſtri & Canonici in Bruneſwic. Amen.

No. CCVIII.

dem ratum habet contractum, quo Praepoitus de Eimbeke vendit Abbati de Lapide S. Michaëlis bona longe diſſita pro comparandis vicinioribus.

Anno 1224. Ex autographo.

HEINRICVS *Dei gratia Dux Saxonie*, *Comes Palatinus Rheni*, omnibus hanc paginam audituris ſalutem. Recognoſcimus, & per preſentem paginam publice proteſtamur, quod dilecti noſtri,

noſtri, Otrauenus Prepoſitus de Eimbike, Vdo Decanus, totumque eiusdem Eccleſie Capitulum, quinque manſos & dimidium in Widhersloue, & manſum in Warmſtide propter loci diſtantiam, ſicut minus vtiles, cum hominibus & omnibus pertinentiis, de noſtro conſenſu, Domino Symoni Abbati de Lapide ſancti Mychahelis & eius fratribus pro LX. marcis vendiderint, de eadem pecunia viciniora bona & magis vtilia comparantes, in Edemeſſen III. manſos, manſum & dimidium in Renerſen, & villam, quae vocatur Winehduelde, cum omni iure quod *Hergersrebt* nominatur: quam venditionem ratam habemus, & emptionem ratione patronatus, quem in Eccleſia de Embike optinemus, approbamus, & per preſentem paginam confirmamus. Et ne inpoſterum ſuper his aliquod poſteritati noſtre dubium generetur, hanc paginam ſigillo noſtro ſignatam predicto Abbati & eius fratribus in teſtimonium validum erogamus.

Huius rei teſtes ſunt:

Heidhenricus Comes de Luterberg.
Bernardus de Pleſſe.
Luthardus de Meinerſen.
Iordanis Dapiſer.
Wilhelmus Marſcalcus.
Herwicus de Vtheſen.
Reinardus de Vornholte.
Bertrammus de Veltheim.
Luprandus & Theodericus fratres de Werikeshuſen.
Heinricus de Aldendorp.
Theodericus de Aldendorp, & alii multi.

Acta ſunt hec anno incarnationis Dominice MCCXXIIII. Indictione XII. Domino Friderico Romanum Imperium & Regnum Sicilie feliciter gubernante.

Data per manum Iohannis Notarii Nonas Iunii.

No. CCIX.

Idem proprietatem bonorum in Linsburg a Vaſallo refutatam donat Eccleſiae in Nendorf Hoyenſi. Anno 1224. Ex autographo.

HEINRICVS *Dei gratia Dux Saxonie, Palatinus Comes Rheni.* Ne ea, que geruntur in tempore, ſimul labantur cum tempore, neceſſe eſt, ea ſcripto perennari. Sciant igitur pre-

entes & cognoſcant poſteri, quod Theodericus de Nigenborch & filius ius, ad nos accedentes, nobis intimarunt, quod bona in *Linesborch* (*) que a nobis feodali iure tenuerunt, Eccleſie *Nentborpe* cum omni vtilitate am hominum, quam agrorum, pro decem & ſeptem marcis vendiderunt. Nos vero proprietatem eorundem bonorum ad nos pertinentem pro remedio anime noſtre & carorum noſtrorum, ab omni iure aduocaie ſeu etiam cometie liberrima eidem Eccleſie contulimus. Ne autem huic facto aliqua poſtmodum ſuboriri poſſit calumpnia, paginam preſenem noſtri ſigilli appenſione fecimus communiri. Preſentibus iſtis:

Hillebrandus Vice Dominus. Zacharias. Iohannes de Colonia Canonici ſancti Blaſii in Bruneſuic.
Heinricus Plebanus ſancte Katerine.
Iordanus Dapifer.
Willikinus Marſcalcus.
Gherhardus de Doren.

Datum Bruneſuic incarnati verbi Anno M. CC. XXIIII.

No. CCX.

dem Monaſterio Schinnenſi donat bona ſua in Waltwidele. Anno 1225. Ex Chartulario Schinnenſi Mſct.

HENRICVS *Dei gratia Dux Saxonie Comes Palatinus Rheni*, omnibus dilectis ſuis hoc ſcriptum videntibus ſalutem. Notum vobis eſſe cupimus, quod nos bona noſtra in Waltwindele & truchehuſen, que iure paterno poſſedimus, iuſte & legitime de bona oluntate pro ſalute anime noſtre & carorum noſtrorum cenobio in Scync contulimus perpetuo poſſidenda. Vnde ad noſtre donacionis peretuam firmitatem & firmam municionem hanc cartam inde conſcribi feciius & ſigillo noſtro communiri. Teſtes etiam huius rei ſunt dilecti noſtri:

Luthardus de Meneſen.
Bernardus de Dorſtat.
Iordanus Dapifer noſter.
Will. Marſcalcus noſter.
Godefridus Aduocatus noſter.
Iohannes de Bornh.

Hunc

(*) Linsburch prope Nienburg vor dem langen Damm.

Hunc de Dorſtat.

Ludolfus de Baruelt & frater ſuus, & alii quam plures viri probi & ydonei.

Acta ſunt hec Brunſuick anno Domini M°. CCXXV.

No. CCXI.

Eiusdem Henrici Palatini pinguis donatio Eccleſiae Walckenriedenſi facta. Anno 1225.

Ex copia vidimata 1421. in membrana maxima.

HENRICVS *Dei gratia Dux Saxonie*, omnibus in perpetuum. Quoniam labente tempore labuntur omnia ſuccurrendum eſt rebus labentibus, vt per eternam viuant memoriam literarum & viuentium teſtimonio roborentur. Sciant ergo preſentes & poſteri, quod nos patrimonium noſtrum *Kemenadin*, quod Baſilius, ſenior filius Baſilii de *Oſteroth* (*) de manu noſtra in feodo immediate tenuit & nobis reſignauit; inſuper *Helekenroth*, quod idem filius Baſilius fratribus de *Ebirſteyn*; & *Immedhuſen*, quod idem ſcilicet Baſilius Comiti Syfrido de *Blankenburg*; preterea *Walmedehuſen*, quod idem fratribus de *Scouenberg*; inſuper *ſiluam Pandelbeke*, quam ſepe dictus Baſilius Godeſcalco & Ludolfo fratribus de *Pleſſe* libere reſignauit, & que predicti *Nobiles* de manu noſtra ſecundum diſtinctionem predictam in feodo tenuerunt, & in manus noſtras voluntarie reſignauerunt: hec omnia, cum vniuerſis eorum attinentiis tam in agris quam in pratis & ſiluis, beate Marie Virgini in *Walkenrijde*, Abbati & fratribus eiusdem loci, de conſenſu & petitione Baſilii & *Nobilium* predictorum, dedimus & donauimus in proprium & tradidimus perpetuo ſine angariis & parangariis & ab omni iure aduocationis in perpetuum libere poſſidenda. Vt autem hoc factum de cetero non in dubium reuocari poſſit; hanc paginam noſtro ſigillo fecimus communiri.

Teſtes huius rei ſunt:

Iordanis Dapifer noſter.

Wilkinus Marſcalkus.

Reinhardus de Vorenholt.

Heidenricus Ryme.

Baldewinus de Dalheim.

Burchardus de Wolferbutle.

Baldewinus frater Iordanis Dapiferi.

Tttt 2 Iohannes

*) Vid. Leuckfeld. Antiquit. Poeldenſ. p. 143-151. vbi etiam reperies, Immedhuſen & Walmedhuſen Ottonis IV. Imp. fuiſſe. 1216.

ɔhannes de Borheim.
'ridericus de Asbeke.
.udolſus frater eius.
uſarius Pincerna.
\nno & Heinricus fratres de Heimenburg &
Ieinricus frater Luppoldi.
ſunt hec *Brunſwig* Anno dominice incarnationis M°. CCXXV.
ıdictione nona. (XIII.)
m per manus *Iohannis*, *Notarii noſtri* & Canonici Brunſwicenſis.

ı *predicta vero litera & priuilegio memorati* DNI HEINRICI DVCIS SAXONIE *quoddam ſigillum rotundum in filis ſericis rubei coloris in cera glaucea erat appenſum, in quo quidem, vt prima facie apparebat, ymago hominis equitantis & ſedentis in equo, mitram ſiue birretum in capite deferens, in dextra ſua gladium extenſum habens & clipeum in pectore ducens apparuit, & in lineis circumferentialibus litere parue capitales ſatis legibiles inſculpte in hiis dictionibus cruce diſtinctis apparuerant:* HEINRICVS DEI GRATIA DVX SAXONIE PALATINVS COMES RHENI.

No. CCXII.

ıis Pueri confirmatio donationis a pa- Henrico Duce Monaſterio Walkenriedenſi fa- e. Anno 1225. Ex eadem membrana vidimata 1421.

TTO Dei gratia Dux de Luneborg. Vniuerſis tam futuris quam preſentibus, ad quos hoc peruenerit ſcriptum, ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Negotia humana cum fluxu facilime euaneſcerent, niſi priuilegia vel hominum teſtimonia miter retinerent. Notum igitur facimus vniuerſis, quod do- , quam *patruus noſter*, *Dnus* HEINRICVS *illuſtris Dux r Comes Palatinus Rheni*, circa Eccleſiam ſancte Marie in Walciſſe dignoſcitur, ratam, gratam duximus & acceptam. Ipſe *truus noſter* quandam ſiluam cum omni proprietate adiacente :ontulit ſupradicte, quam collationem, ſicut euidens eſt, tam quam *patruus noſter* petiuerunt noſtro priuilegio confirmari. ı ex parte noſtra & heredum noſtrorum in hoc facto poſſit oriri ı, ſigillum noſtrum huic precipimus pagine adhiberi.

Actum

Actum eſt hoc Anno Incarnationis Domini Milleſimo Ducenteſimo Viceſimo quinto. Viuente Romano Pontifice Honorio, & regnante Romanorum Imperatore Frederico.

Preſentes etiam aderant noſtri fideles:

Geuehardus Dapifer.
Iuſarius Pincerna & filius ſuus.
Ceſarius de Halberſtad.
Hermannus Ribe.
Luppoldus de Taunhuſen.
Ricbodo & Heinrico de Seſen & *Crachto, ſcriptor noſter.*

In iam preſcripta DOMINI OTTONIS DVCIS DE LVNEBORG *litera quoddam ſigillum magnum & rotundum de cerea glauca in filis ſericis pendebat, & in medio iſtius ſigilli ymago & figura Leonis inſculpta cauda erecta apparuit; in lineis autem circumferentialibus litere parue & capitales ſatis lucide & legibiles cum ſigno crucis has dictiones ſequentes diſtincte* SIGILLVM OTTONIS PRINCIPIS ET DOMINI DE LVNEBORG *dilucide repreſentabant.*

No. CCXIII.

Henricus Rex, Friderici II. Imperatoris filius, donatinoem ab Henrico Palatino, quem conſanguineum & Ducem Saxonie vocat, Monaſterio Walkenriedenſi factam, pro ſua portione, quam pater a Marchione Badenſi eiusque coniuge emit, confirmat. Anno 1226. Ex eadem membrana vidimata 1421.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *HEINRICVS Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus,* omnibus in perpetuum. Quoniam labente tempore labuntur omnia, ſuccurrendum eſt rebus labentibus, vt per eternam viuant memoriam & viuentium teſtimonio roborentur. Hinc eſt quod notum eſſe volumus tam preſentibus quam futuris, quod *dilectus noſter conſanguineus, HEINRICVS, Dux Saxonie,* bona patrimonialia hiis nominibus expreſſa: *Kemenaden. Helekenroth. Immedeshuſen. Walmedehuſen & ſilua Pandelbeke* libera & abſoluta, cum aſſenſu eorum, qui *iure feodali* ea quondam occupauerant, memorato Monaſterio *Walkenrijde* tradidit in perpetuum poſſidenda, ſecundum quod in litera ipſius *Ducis* plenius continetur. Et nos, nomine noſtro & Sereniſſimi patris noſtri Friderici Romanorum Imperatoris & ſemper Auguſti, portionem eiusdem hereditatis, que nos, titulo emptionis

facte a *Marchione de Baden & ſua coniuge*, ſpe vel re per ſucceſſionem hereditariam contingit vel contingere poterit, ab omni iure aduocationis eidem Monaſterio *Walkenrijden* donauimus liberam & immunem.

Teſtes huius rei ſunt:

ENGELBERTVS Colonienſis Epiſcopus, *tutor regni*, palatii primicerii. (primicerius.)

Sifridus Moguntine Sedis Archiepiſcopus.

Conradus Hildenſemenſis Epiſcopus.

OTTO Dux in *Luneborg* (*)

Sifridus Comes in Blankenborg.

Heinricus & Hermannus Comites in Waldenberg.

Comes Ludigerus de Inſula.

Miniſteriales: Iordanis Dapifer.

Willikinus Marſcalcus.

Baldewinus de Dalem.

Bertramus de Velthem.

Burkardus de Wulferbutle.

Acta ſunt hec Anno Incarnationis Domini M°. CC°. XXVI°. Romane Ecclefie preſidente Honorio Tertio; Imperante Domino Friderico; regnante ſecum Domino Heinrico filio ipſius, illuſtri Romanorum Rege.

In priuilegio ſiue litera ſuprafati DOMINI HEINRICI ROMANORVM REGIS quoddam ſigillum de cera rubra ſatis magnum & rotundum in filis ſericis glaucei vel citrini coloris appendebat, in cuius medio quedam ymago hominis inſculpta in ſede ſedens, regia corona regali coronata, figuram rotundam in modum pomi cruce parua in ſuperiori parte ſignatam in ſiniſtra parte corporis in manu deferens; in dextra vero manu figuram baculi aliqualiter longi & erecti in ſuperiore parte duabus paruis ſignis crucis ſignatam, vt tunc prima facie videbatur apparebat. In lineis autem circumferentialibus litere parue capitales ſatis legibiles ſub hiis dictionibus inſculpte apparuerant, diſtincte duabus figuris crucis in hunc modum: ✠ HEINRICVS DEI GRATIA ROMANORVM REX ✠ ET SEMPER AVGVSTVS.

No. CCXIV.

*) Vapulat itaque Muller. Comitiolog. Frid. III. Imp. P. I. pag. 249. vbi Ottonem ex Comite Ducem creatum ait. Ducis enim titulo is etiam Rege praeſente vſus eſt pridem ante erectionem Ducatus Brunſuicenſis.

No. CCXIV.

Agnes Duciſſa Bauariae, Henrici Palatini filia, cum marito Ottone confirmat donationem a patre Monaſterio Walkenriedenſi factam. Anno 122 . . ſine dubio 1226. quia pater adhuc viuens. Ex ead. membrana vidimata 1421.

AGNES *Dei gratia iunior Duciſſa Bawarie.* Omnibus in perpetuum. Nouerint tam preſentes quam future poſteritatis fideles, quod nos donationem videlicet bonorum *Kemenadin* & *Illekenroth* & in *Walmedehuſen* & in *Immidishuſen*, inſuper donationem de ſilua *Pannelbeke* cum omnibus attinentiis ipſorum, quam dilectus *pater noſter HEINRICVS Dux Saxonie* cenobio in *Walkenriede* contulit, ratam habemus, & portionem, que nos contingit, vel in futurum per ſucceſſionem hereditariam contingere poſſet, vna cum *coniuge noſtro, OTTONE Duce Bawarie*, cedimus & donamus. Et ad eternam huius rei memoriam hanc cartam noſtro & predicti *mariti noſtri* ſigillis fecimus communiri.

Huius rei teſtes ſunt:

Hirſutus Comes.
Vlricus Marſcalcus.
Conradus de Baigerbrunne.
Perholdus Stumpf.
Rudolfus de Alzaia.
Comes Hermannus de Waldenberg.
Luthardus de Meinershem.
Wilkinus Marſcalcus.

In ſupradicto DNE AGNETIS DVCISSE & ſui mariti priuilegio duo ſigilla, vnum, videlicet DNI OTTONIS DVCIS BAWARIE, rotundum; aliud vero DNE AGNETIS DVCISSE oblongum, in filis ſericis rubeis erant appenſa de cera rubea. In quo quidem ſigillo imago hominis equitantis & in equo ſedentis, galeam vel mitram in capite, clipeum in pectore geſtans & gladium in dextra ſua manu ducens, vt tunc prima facie apparebat. Littere autem circumſculpte in circumferentialibus lineis, in litteris capitalibus paruis ſed ſatis legibilibus tales dictiones inſculpte erant diſtincte ſigno crucis in hunc modum:

✠ *OTTO DEI GRATIA PALATINVS COMES RHENI ET DVX BAWARIE.*

In

In alio vero latere eiusdem rotundi ſigilli iterum alia ymago hominis equitauit in equo ſimilis priori ymagini, vexillum in dextra ducens.

In oblongo vero DNE AGNETIS *ſigillo ymago cuiusdam mulieris in ſede ſedentis apparuit, in dextra manu tale ✠ ſignum deferens, ſiniſtram manum circa pectoralia tenens. Littere vero capitales parue & legibiles circumferentie dictam ymaginem inſculpte circumdantes ſigno crucis precedente, cum hiis dictionibus:*

✠ *AGNES PALATINA RHENI ET DVCISSA BAWARIE.*

No. CCXV.

Albertus Dux iuuenis confirmat patris & patrui donationem Monaſterio Walkenriedenſi factam. Anno 1252. Ex eadem membrana vidimata 1421.

ALBERTVS Dei gratia *iuuenis Dux de Brunſwig* omnibus hoc ſcriptum inſpecturis ſalutem in ſalutis auctore. Cum ex longo temporis protractu perículoſa legitimorum actuum cauſari ſoleat frequenter obliuio, conſultum vtique fore nullus ambigit ſane mentis, ea ſcripturarum teſtimonio confirmari, quorum ad elidendum omne dubium vtilis memoria pro tempore debet haberi. Notum igitur facimus vniuerſis tam preſentibus quam futuris, quod donationem, quam Dnus HEINRICVS conſanguineus noſter, illuſtris *Dux Saxonie & Comes Palatinus Rheni*, circa Eccleſiam ſancte Marie in *Walkenryde* in patrimonio ſuo *Kemenadin*, *Helekenroth*, *Immedeshuſen*, *Walmedehuſen* & in *ſilua Pandelbeke* feciſſe dinoſcitur, quam donationem *pater noſter Dnus O. Dux de Brunſwig* priuilegio, inſcriptis teſtibus, confirmauit, ipſam vero donationem, quam progenitores noſtri de bona voluntate in iam dictis bonis feciſſe dinoſcuntur, ratam, gratam duximus & acceptam. Ne autem ex parte noſtra aut heredum noſtrorum hec donatio anteceſſorum noſtrorum poſſit calumpniari, preſentem paginam ſigilli noſtri munimine roboramus. Huius conſenſus teſtes ſunt:

Hermannus de Werberch.
Ludolfus de Honlo. (*Honlage.*)
Reinke de Beſinge.
Conradus de Sehuſen.
Conradus Tepeke.
Borchardus & filius ſuus Wedekindus.
Ludolffus de Crame.

Heinricus

Heinricus de Wreſtede.
Eckardus de Hannenſee.
Richardus de Domo & alii quam plures.

Actum eſt anno incarnationis Domini Milleſimo, CC°. LII°. viuente Romanorum Pontifice Innocentio IIII°. *Regnante Romanorum Rege WILHELMO.*

Datum *Oſterrode* per manus Notarii noſtri Iohannis, Plebani Sancti Martini in Brunſuig.

In prenotata approbationis littera DNI ALBERTI DVCIS *ſupradicti ſeu priuilegio quoddam ſigillum de cera glauca ad modum clipei ſormatum in filis ſericis rubei & glauci coloris erat appenſum & in medio eiusdem ſigilli duo Leones inſculpti erectis caudis prima facie tunc apparebant. In lineis circumferentialibus litere parue capitales ſatis legibiles inſculpte etiam plene claruerant cum hiis dictionibus & ſignis.* ✠ *ALBERTVS DEI GRATIA IVVENIS DVX BRVNSVICENSIS.*

No. CCXVI.

Eiusdem Alberti amplior confirmatio doni a patre patruoque Monaſterio Walkenriedenſi facti. Anno 1252. Ex eadem membrana vidimata. 1421.

ALBERTVS *Dei gratia Dux de Brunſuig* omnibus in perpetuum. Quoniam labente tempore labuntur omnia, ſuccurrendum eſt rebus labentibus, vt per eternam viuant memoriam litterarum & viuentium teſtimonio roborentur. Sciant ergo preſentes & poſteri, quod patrimonium *Kemenaden* incliti *Ducis Saxonie & Comitis Palatini Rheni, HEINRICI, conſanguinei noſtri*, quod Baſilius, ſenior filius Baſilii de *Oſterroth* de manu ipſius dicti Ducis immediate tenuit, & ipſi reſignauit; inſuper *Helekenroth*, quod idem Baſilius fratribus de *Ebirſteyn*; & *Immedesbuſen*, quod idem Baſilius Comiti *Sifrido* de *Blanckenburg*; preterea *Walmedehuſen*, quod idem fratribus de *Schonenberg*; inſuper ſiluam *Pandelbeke*, quam ſepedictus Baſilius Godeſcalco & Ludolfo fratribus de *Pleſſe* libere reſignauit, & que predicti Nobiles de manu memorati Domini *HEINRICI Ducis* ſecundum diſtinctionem predictam in feodo tenuerunt, & in manus ipſius voluntarie reſignarunt; hec omnia cum vniuerſis eorum attinentiis tam in agris, quam in pratis & ſiluis, data ſunt per

ım *illuſtrem HEINRICVM Ducem* beate Marie Virgini in ɜnryd, Abbati & Fratribus eiusdem loci, de conſenſu & petitione & Nobilium predictorum, ſine angariis & parangariis, & ab omni duocationis in perpetuum libere poſſidenda data ſunt. *Poſtmo-* ie recordationis *pater noſter Dominus OTTO illuſtris Dux Brun-* *is* eamdem donationem priuilegio ſuo, inſcriptis teſtibus, confir-

Nos quoque proceſſu temporis exiſtentes in ciuitate noſtra *Oſter-* prenominati Baſilii & filiorum ſuorum *Guntzelini* & *Eſquini* renunem & reſignationem recepimus in predictis bonis, & ad conſenpetitionem ipſorum eadem bona, videlicet *Kemenadin*, *Heleken-* *Immedeshuſen*, *Walmedehuſen* & ſiluam *Pandelbeke* prememorate ie Walkenryden confirmauimus, & propter amouendam omnem orum noſtrorum calumpniam preſentem paginam inde confectam noſtro fecimus communiri.

ius reſignationis teſtes ſunt:
Baldeuinus de Hertesberg.
Winandus frater Baſilii.
Hugo & Henricus fratres de Thoweuelt.
Theodericus de Beſingen & Wernerus filius eius.
Wernerus Teppek.
Heinricus Egel & *vniuerſitas totius Ciuitatis Oſterroth*.

ſtre autem confirmationis & conſenſus teſtes ſunt:
Hermannus de Werberch.
Ludolfus de Honlo.
Reyneke de Beſingen.
Conradus de Sehuſen.
Conradus Tepeke.
Burchardus & filius ſuus Widekindus.
Ludolfus de Cramme.
Heinricus de Wreſtede.
Ekhardus de Hannenſee.
Richardus de Domo & alii quam plures.

um eſt anno Incarnationis Dominice M°. CC°. LII°. Viuente Romanorum Pontifice Innocentio quarto: *Regnante Romanorum Rege WILHELMO.*

:um (*cetera deſunt, ſimilia procul dubio iis, quae in compendio. Quia tamen aliud ſigillum bis habetur, datum hoc forte eſt demum ab obitu patris, cum Albertus iam Dominus rerum eſſet.*)

In

In iam prenotato priuilegio Domini ALBERTI DVCIS DE BRVNSVIG hic a tergo tranſſcripto quoddam ſigillum rotundum de cera glauca in filis ſericis rubeis appenſum erat, in cuius medio figura Leonis erecta cauda inſculpta apparuit. In lineis circumferentialibus littere parue & capitales ſatis legibiles inſculpte clarebant ſub ſigno crucis & in hiis dictionibus: ✠ *SIGILLVM ALBERTI DVCIS DE BRVNSVIG.*

No. CCXVII.

Alberti Pinguis confirmatio donationis & renuntiatio iurium ſuorum in Curiam Immedhuſen pro Monaſterio Walckenriedenſi. Anno 1293. Ex ead. membr.

DEI gratia *ALBERTVS Dux de Brunſuig* omnibus preſens ſcriptum viſuris ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Viri religioſi, nobis dilecti, Dominus Abbas & conuentus Monaſterii ordinis Ciſtercienſis in *Walkenryde* ad noſtram preſentiam accedentes nobis grauiter ſunt conqueſti, quod Aduocati noſtri Curiam in Immedishuſen, ad idem Monaſterium pertinentem, petitionibus, exactionibus & aliis ſeruitiis importunis angariant & moleſtant, quaſi eadem Curia, in qua ius aliquod non habemus, ſicut proteſtamur literas per preſentes, nobis ad ſeruitia facienda ex debito ſit aſtricta. Nos autem ſecundum noſtre nobilitatis decentiam cupientes, vt Curia ſupradicta gaudeat & fruatur priſtina libertate, volumus & mandamus noſtre gratie ſub obtentu, ne aliquis, qui pro tempore noſter fuerit Aduocatus, aliquid ſibi iuris noſtro nomine vendicet vel vendicare preſumat in iſta Curia nunc deinceps, vel aliquid cuiuscunque generis ſeruitutis exigat ab eadem; ſed, ſi ſecus factum fuerit, quicunque ille fuerit Aduocatus, nouerit, ſe offenſam noſtram incurriſſe. Verum tamen ſi Curia ſepe dicta tempore procedente pro gratia, non pro iure, ex mera liberalitate aliquod ſeruiticum nobis duceret impendum, illud non ſolum gratanter recipere deberemus, ſed etiam apud Monaſterium memoratum ſpecialiter, loco & tempore ſe offerentibus, promereri.

Preſentes autem aderant & ſunt teſtes:

Dominus Baldewinus Prepoſitus Eccleſie ſancti Blaſii in Brunſuig.
Bertoldus de Honlage, Canonicus ibidem.
Baldeuinus de Wenethen.

 Vlricus

Vlricus de Weuerlinge.

Eckebertus de Aſſebeke, iunior.

Godefridus de Taſtunge, noſtri milites, & quam plures alii fide digni.

In rei huius teſtimonium preſens ſcriptum ſcribi fecimus & ſigilli noſtri munimine roborari.

Datum Brunſuig M°. CC°. nonageſimo tertio. In die ſancta beati Iohannis Baptiſte.

In ſupradicto DOMINI ALBERTI DVCIS BRVNSVICENSIS priuilegio quoddam ſigillum rotundum in cedula pergameni de cera glauca appendebat & appenſum erat, in cuius medio figura quaſi Leonis erecta cauda, vt tunc videbatur, inſculpta apparuit. In lineis autem circumferentialibus littere parue capitales ſatis legibiles inſculpte erant in hiis ſignis & dictionibus: ✠ *S. ALBERTI ET WILLEHALMI DVCVM DE BRVNSWIG.*

No. CCXVIII.

Henricus Palatinus conſentit, vt Marienbergenſes tres manſos in villa Sellen a Praepoſito Eimbeccenſi comparent. Anno 1226. Ex autographo.

HENRICVS *Dei* (*) *Dux Saxonie, Comes Palatinus Rheni.* Omnibus hoc ſcriptum videntibus ſalutem. Notum vobis facimus, quod dilectus nobis Prepoſitus Sancte Marie in Helmſtat tres manſos a Prepoſito Otraueno Embicenſi, in villa Sellin ſitos, cum omni iuris integritate pro viginti marcis comparauit. Sed quoniam predictus Prepoſitus O. hanc venditionem ſine noſtro conſenſu firmare non potuit, noſtrum aſſenſum humiliter adeſſe poſtulauit. Nos igitur eius deuotis precibus benignum auditum exhibentes, hanc paginam, de prefata venditione & emptione conſcriptam, noſtra autoritate & ſigilli noſtri munimine confirmari decreuimus, in robur ſupradicte actionis, & perpetuum firmamentum.

Datum Bruneſwic, anno verbi incarnati Milleſimo ducenteſimo viceſimo ſexto. Indictione quarta decima.

No. CCXIX.

*) Vox *gratia* in ipſo autographo per incuriam ſcriptoris eſt omiſſa.

Henricus propter deum ad ee teneamur. Dignum est tamen.

omni racc affectione diligamus. & circa eorum promotionem. de

libertate. op nostris progenitoribus fundatum fuit. & ab ipsis multis

bonoribus & ab ipsis tali libertate dotatum. Quod abbas iam dicti

loca. omnia, exerceret secularem potestate. nisi ab abbe uocatus, p aliqua

legitima causdium. ab omni seruitio ee liberum deberet. Hanc igi

tur libertate unimine cor ro bo ra ri.

Acta sunt Iohanes de bornem. henric de helbeke & ceteri.

Io. Kerings sculp. Han.

No. CCXIX.

Henrici Palatini commutatio bonorum cum Abbate Vallis S. Mariae. Anno 1226. Ex autographo.

HEINRICVS Dei gracia Abbas Vallis ſancte Marie cum vniuerſo grege ſibi credito, omnibus Chriſti fidelibus hanc paginam inſpecturis ſalutem in vero ſalutari. Quoniam teſte Apoſtolo tenemur prouidere bona non tantum coram Deo, ſed coram hominibus; condecens eſt & per omnia laudabile, vt iuſtis actionibus & contractibus tam efficax ſcripture teſtimonium adhibeamus, ne poſterorum ſucceſſio aliquem de hiis ſcrupulum ambiguitatis poſſit inuenire. Hinc eſt ergo quod vniuerſitati fidelium innoteſcimus, quod bona, que libere multo tempore poſſedimus in Garſwede, & Horlingeborſtele, in concambio bonorum, que *HENRICVS Dux Saxonie*, *Comes Palatinus Rheni* in Duderothe hereditario iure poſſederat, contradidimus, perpetuo cum omnibus ſuis attinenciis poſſidenda. Ne autem huius concambii actionem aliqua poſterorum temeritas valeat infirmare, preſentem paginam cum ſigilli noſtri confirmatione prefato Duci ob robur perpetuum tradidimus, cum annotatione teſtium, quorum nomina ſunt hec:

Iordanis Dapifer.
Willekinus Marſkalcus, &
Heinricus de Volkmerothe, frater eius.
Godefridus Aduocatus.
Anno & Otto fratres de Ingeleue.
Iohannes de Bornheym.

Actum in Helmeſtad in eccleſia ſancti Ludgeri IIII°. Idus Martii. Anno gracie MCCXXVI.

No. CCXX.

Henricus Palatinus ratam habet emtionem quorundam manſorum in Wolfishagen, quos Abbas S. Aegidii (*) ſibi comparauerat. Anno 1226. Ex autographo.

HEINRICVS *Dei gracia Dux Saxonie*, *Comes Palatinus Rheni*. Cum omnium eccleſiarum profectibus merito intendere debeamus; his tamen maxime intentos nos eſſe oportet, quarum

 annuente

*) Idem Sancti Aegidii Coenobium aliam Chartam ab *Henrico Palatino* hoc anno impetrauit, qua allodium in *Valeberg* ipſi cum omni iure & immunitate conceſſum eſt. Quae cum in manus noſtras inciderit poſteaquam integer Liber VII. iam typis exſcriptus eſſet, neque hinc commode in ipſo textu allegari potuit, Tab. XXXI. iuxta archetypum aeri inciſa comparet.

annuente Domino iure hereditario & curam gerimus & patronatum. Vnde notum eſſe volumus tam preſentibus, quam futuris, quod dilectus nobis . . Abbas ſancti Aegidii in Brunſwick quedam bona erga Willelmum, Mareſcalcum noſtrum, que idem W. a nobis in pheodo tenuit, videlicet manſum & dimidium, in Woluishage ſitum, & inſuper tres manſos ibidem ſitos, a Mathilde, filia Geuehardi, & filiis ipſius Elardo & Iohanne, marito eius Ludero conſentiente, ad vſus eccleſie ſue comparauit. Cum igitur proprietas eorundem bonorum nobis pertineat, & ſine nobis hec venditio rata haberi nec poſſet nec deberet; eam pro ſalute anime noſtre admiſimus, & ſupradicta bona cum iuris integritate preſate eccleſie contulimus in proprium, ſemper libere ac quiete poſſidenda, & ad vſus neceſſarios conuertenda. Indulſimus inſuper eidem eccleſie, vt quicquid de bonis noſtris, circa idem confinium ſitis, quocunque modo iuſte adipiſci poterit, hoc faciendi liberam habeat facultatem, nulla ſucceſſorum noſtrorum audacia reclamante aut id impediente. Vt igitur hec ſemper rata maneant, & in perpetuum firma, hanc cartam inde conſcriptam ſigilli noſtri munimine ſecimus corroborari, adiunctis teſtibus, quorum nomina ſunt hec:

Herwicus Decanus ſancti Blaſii, & Achatius Canonicus ibidem.
Willelmus Mareſcalcus.
Baldewinus, filius Mareſcalci Friderici.
Iohannes de Bodendike.
Fridericus de Medingen.
Iohannes de Welethin.
Iohannes de Rotene, & alii quam plures.

Acta ſunt hec anno Dominice incarnationis Milleſimo, ducenteſimo, viceſimo ſexto, Indictione XIII.

Datum Brunſwich per manum Iohannis Notarii noſtri.

No. CCXXI.

Idem Eccleſiae S. Cyriaci in Brunſuic Aduocatiam in Bennendorp ſibi reſignatam confert, & Aduocatiam ceterorum eius bonorum eidem dimittit. Anno 1226.

Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *HEINRICVS Dei gratia Dux Saxonie, Palatinus Comes Rheni.* Cum plerique aduocati eccleſiarum debitum ſui officii minime, ſicut deberent, attendant, & aduocationis obſequium in abuſum dominationis conuertant, ipſas eccleſias

eccleſias violenta oppreſſione pocius offendentes, quam defendentes, & bona earum vſu ſacrilego iugiter diripientes; ſi quis propter timorem Dei pariter & amorem eccleſias ab huiusmodi vexatione liberare ſtuduerit, ſicut coram hominibus eum commendatum videmus, ita apud Deum meritum eum habere non dubitamus. Hac igitur ſalutari ſpe inducti, notum eſſe volumus tam preſentibus, quam futuris, quod, accedens ad preſentiam noſtram *Heinricus de Wenethen* aduocatiam in *Benneſthorp*, quam de nobis tenuit, ſuper bona beati Cyriaci in Bruneſwich, & bonorum ad ipſam villam Benneſthorp pertinentium, tam in campis, quam in ſiluis, cum conſenſu omnium, qui aliquid iuris in ea habere dinoſcebantur, in manus noſtras ſpontanee reſignauit; & nos propter prefata incommoda, que eccleſiis per inſolentiam aduocatorum frequenter contingunt, eam eccleſie beati Cyriaci pro ſalute anime noſtre contulimus, omnimodis liberam & abſolutam. Statuentes, ne quisquam de cetero in eisdem bonis nomen aduocati ſibi vſurpare preſumat, aut quamcunque ſecularem exerceat poteſtatem. Preterea poſſeſſiones alias, quas eadem eccleſia hactenus ſine aduocatia tenuit ac poſſedit, has ſcilicet, Montem beati Cyriaci cum appendiciis, & agros eidem adiacentes, molendinum in Eyſerbetle, duo allodia in Velerſtide & dimidium manſum, in paruo Schepenſtide quinque manſos, in Athleueſſem tres manſos, in Watekeſſem vnum manſum, in Runinge tres manſos, in Wolethe vnum manſum, in Wenetheborch vnum manſum, in Lenthorpe dimidium manſum, in Bethmere duo bona ſoluentia XIII. ſolidos, in Schoderſtide modium ſiliginis, ad nouale tres ſolidos, in Berneſthorpe duos ſolidos, in Winningſtide vnum manſum, in Holthorpe duos ſolidos, in Vrethe duos ſolidos, in Geuensleue XXX. denarios, in Gluſinge vnum manſum, in Watenſtide vnum manſum, & inſuper quascumque inpoſterum iuſto ac rationabili modo adepta fuerit, ab omni onere aduocatie liberas manere volumus ſemper & abſolutas. Statuentes, ne vlla perſona nobilis aut ignobilis, ratione aduocatie aut quoquo modo alio quicquam iuris ſiue poteſtatis ſibi in eis addicat, ſed eccleſia ſemper pacifica & quieta ipſarum gaudeat poſſeſſione, & ad vſus quoscunque ſibi maxime viderit expedire, eas conuertat. Vt igitur hec noſtra donatio & ordinacio ſemper rata maneat & inconuulſa, hanc paginam inde conſcriptam in perpetuum robur & firmamentum ſigilli noſtri teſtimonio fecimus communiri.

Teſtes hii ſunt: Clerici: Theodericus, Abbas ſancti Egidii. Burchardus Prepoſitus & Herwicus Decanus ſancti Blaſii. Iohannes Cuſtos. Zacharias, Bernardus de Wolethe. Anno de Vrethe. Willehelmus Vicedominus. Iohannes Notarius. Theode-

Theodericus Rubbo. Florinus, Baldewinus, Ricbodo, & alii eiusdem eccleſie Canonici.

Volpertus, Prepoſitus ſancti Cyriaci. Elyas Decanus. Olricus Vicedominus. Iohannes Criſpus. Herewicus, Georius, Sifridus, Lutbertus. Iohannes de Sancto Mychaële. Iohannes Phyſicus. Wernerus de Bortuelt, & alii eiusdem eccleſie Canonici.

Laici: Comes Hermannus de Woldenberch, & Heinricus frater ſuus.
Luthardus de Meynerſem.
Bernardus de Dorſtat.
Iordanis Dapiſer.
Willehelmus Marſcalcus.
Heinricus de Wenethen.
Iohannes de Bornen.
Segefridus de Tſicthe.
Ludolfus de Bortuelt, & Fredericus frater ſuus.
Iohannes de Blankenborch.
Iuſarius frater Dapiferi.
Fridericus de Luneborch.
Baldewinus filius Marſcalci, & fratres ſui, Gereko & Iohannes Kamerarii.

Acta ſunt hec anno milleſimo, ducenteſimo, vigeſimo ſexto, indictione quarta decima.

Data Bruneſwich per manus *Iohannis*, *noſtri Protbonotarii*.

No. CCXXII.

Idem Poledenſibus Monachis confirmat bona ſua in villa Polede, quae ad ipſos peruenerunt.

Anno 1226. Ex Leuckfeld. Antiq. Poled. p. 216.

H*ENRICVS Dei gratia Dux Saxoniae, Comes Palatinus Rheni.* Omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum; ſi loca ſacra diuino cultui mancipata bonis a Domino nobis conceſſis, eius fauente ac inſpirante gratia, ditare ac ampliare ſtuduerimus, ſpem firmam ac certam habere debemus, quod ab eo, qui eſt remunerator omnium bonorum, certiſſimis bonis temporalibus habundabimus, & inſuper in celeſti palatio ſempiternam nobis comparabimus manſionem. Inde eſt, quod ad notitiam praeſentium & futurorum cupimus peruenire, quod nos, ad honorem Dei, eiusque ſanctiſſimae genetricis, pro noſtrorum remiſſione

remiſſione peccaminum, ob ſpem quoque aeternae retributionis, & pro cunctorum noſtrorum carorum ſalute, vniuerſa bona in villa *Polide*, quae iure hereditario & proprietatis titulo ad nos fuerunt deuoluta, Coenobio ſancti Iohannis Baptiſtae ſanctique Seruatii, quod eſt in eadem villa, cum ſyluis, pratis, agris & paſcuis, ceterisque vtilitatibus vniuerſis, libere contulimus & abſolute ipſi coenobio in perpetuum habenda & poſſidenda; firmiter prohibentes, & ſub interminatione diuini iudicii interdicentes, ne quis ſucceſſorum noſtrorum, aut quisquam alius, ſupradictum Coenobium grauare aut impedire praeſumat. Vnde, ne factum noſtrum rite & ſolenniter celebratum ab aliquo temere impediri poſſit, aut a quoquam illicite reuocari, hanc cartam inde conſcriptam ſigilli noſtri teſtimonio communiri fecimus ac corroborari: appoſitis nominibus teſtium, qui huic facto interfuerunt:

Comes Hermannus de Hartisburch.
Comes Hethenricus de Lutterberch.
Comes Burchardus de Schartfeld & fratres ipſius.
Iordanus Dapifer noſter, & fratres ſui Balduinus & Iuſarius.
Wilkinus Marſchalcus noſter.
Gotfridus Aduocatus.
Hethenricus Rime & Thidericus Wolfgroue, & alii plures.

Acta ſunt haec Anno Dominicae incarnationis MCCXXVI. Indictione XIV. nobis *Brunſuic* exiſtentibus *in noſtro palatio*, nono Kalendar. Aprilis.

No. CCXXIII.

Idem Coenobio de Lacu S. Mariae confert bona in Vrilede & Bodendorf, quae Iuſtacius de Slon ante in feodo habuit. Anno 1226. Ex autographo.

H. *Dei gratia Dux Saxonie, Comes Palatinus Rheni.* Dilectis ſuis omnibus, hanc cartam videntibus ſalutem Notum vobis eſſe volumus, quod nos bona quedam in villa *Vrilethe* & in villa *Bodindorp*, que dilectus miniſter noſter *Iuſtacius de Slon* in feodo de nobis tenuit Cenobio de Lacu Sancte Marie contulimus, legittime tenenda ac poſſidenda, & noſtram donacionem preſenti ſcripto confirmamus, & ſigillo noſtro corroboramus, ne aliqua inpoſterum contradictio aut dubietas poſſit oriri aut obiici.

Datum apud *Harlungberg* anno Dominice incarnationis MCCXXVI. Indictione octaua.

No. CCXXIV.

Idem Eccleſiae in Vornhagen tradit duas curtes & tres manſos in Vrilede. Anno 1226.

Ex autographo.

H. *Dei gratia Dux Saxonie & Comes Palatinus Rheni.* Omnibus hoc ſcriptum videntibus ſalutem. Ad noticiam vniuerſorum tam preſencium quam futurorum volumus peruenire, quod Thitwardus & Theodricus fratres, miniſteriales noſtri, de *Vrilede* duas curtes, & tres manſos, *de manu Dapiferi noſtri Iordani tenuerunt*, quos idem Iordanus de nobis tenebat. Inſtinctu autem diuine pietatis, prefatos manſos & curtes Iordano reſignauerunt, & ipſe nobis. Nos vero pro remedio & ſalute anime noſtre ea eccleſie *Vornhagin* legittime & libere tradidimus ad vſum omnium Deo ibidem deſeruiencium, & hoc ſub teſtimonio bonorum hominum fecimus. Et ne factum noſtrum aliqua calumpnia comitetur, hanc cartam inde conſcriptam ſigillo noſtro fecimus aſſignari & communiri.

No. CCXXV.

Matrimonii inter Ottonem, Ludouici Bauari filium & Agnetem Palatinam, quam Henricus III. Angliae Rex conſanguineam ſuam vocat, memoria in foedere tractato inter vtrumque. Anno 1227. Ex Rymer. Act. Angl. T. I. p. 292.

HENRICVS *Dei gratia* &c. Amico in Chriſto dilecto & illuſtri viro L. Duci Bawariae ſalutem, cum ſincera dilectione. Tranſmiſſum ad nos, ex parte Romanorum Regis illuſtris & veſtra, Magiſtrum Conradum, Praepoſitum Spirenſem, cum gaudio ſuſcepimus, & audiuimus diligenter; & ecce! dilectionem veſtram, quae de foederatione inter Imperium & nos ineunda laborare voluit, gratiarum actione proſequimur. Cupientes igitur Regi & Imperio, ac Nobilitati veſtrae, cui iam iunctos & foederatos nos cernimus per *conſanguineam noſtram*, quam *filius veſter in vxorem duxit*, in amicitia & foedere mutuo ſpecialius adiungi, dilectos nobis & ſpeciales Magiſtrum Henr. & Bernardum Clericos noſtros, vt dicti Regis & veſtram plenius & euidentius ſuper hiis audiant voluntatem, ad vos duximus transmittendos, rogantes, quatenus ad condignum & laudabilem pertrahere velitis effectum laudabiliter inchoata.

Teſte Rege apud Weſtmonaſterium, 13. die Aprilis, anno Regni noſtri XI.

No. CCXXVI.

No. CCXXVI.

Agnetis Palatinae fundationem Winhuſenſem confirmat Conradus Hildenſemenſis Epiſcopus, Anno 1233. Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Conradus Dei gratia Hildenſemenſis Epiſcopus omnibus hoc ſcriptum inſpecturis ſalutem in vero ſalutari. Accedens ad nos humiliter & deuote dilecta in Chriſto, nobilis Domina, *AGNES*, *Duciſſa de Schielle*, ſuum deſiderium nobis aperire curauit de inſtitutione noui conuentus ſacrarum virginum Cyſtercienſis ordinis, in noſtra diceceſi a ſe facienda, ob remedium peccatorum ſuorum, & mariti ſui bone memorie, cari noſtri *HEINRICI*, quondam *Ducis Saxonie & Comitis Palatini Rheni*, locum quemdam ſuo propoſito congruum preuidens, matricem ſcilicet eccleſiam in *Huginbuſen*, qui in vulgari dicitur *Winhuſen* ſuper Aleram fluuium, cuius proprietas ſiue donatio cum omnibus ſuis pertinentiis tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus, ad ius epiſcopale Hildenſemenſis eccleſie pleno iure noſcitur pertinere. Propter quod nobis ſupplicauit, vt pro amore Dei prefatam eccleſiam ad deſiderii ſui complementum ancillis Chriſti ibi Deo perpetuo ſeruituris, ſecundum ordinationem ipſius ac noſtram, conferremus; ſuper quo deliberatione habita cum Prepoſito, Decano, Prelatis & aliis maioris eccleſie Fratribus noſtris, de ipſorum conſilio & voluntate, de ſpeciali quoque conſenſu *Siſridi* de *Barem*, tunc Archidiaconi, & Conradi tunc plebani eccleſie preſate, petitioni antedicte Domine facilem & benignum prebuimus aſſenſum, iuſtum arbitrantes, vt, que Dei ſunt, & que donauit nobis, ipſi & pro ipſo libenter dare debeamus: magnum quoque reputamus queſtum, ſi de rebus eius cultus Domini tam laudabiliter augeatur. Igitur ad honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti & matris eius concedimus, vt in prememorata eccleſia conuentum ſacrarum virginum Cyſtercienſis ordinis inſtituat, quibus, & hiis que ſucceſſerint eis, ad ſuſtentationem & ad commoditates ſuas ipſam eccleſiam cum omnibus ſibi pertinentibus, ſiue in cura ſiue in dote, ſiue in domibus, ſiue in areis, ſiue in agris, ſiue in decimis, ſiue in aquis, ſiue in aliis quibuscumque poſſeſſionibus, vbicumque ſitis, damus, ſecundum quod prefata omnia parochianus ipſius eccleſie & anteceſſores eius a nobis & anteceſſoribus noſtris conſtat hactenus tenuiſſe. Hii autem ſunt redditus eccleſie in Winhuſen. In ipſa villa XV. iugera non decimalia cum dote, etiam prata in Brocledhe IX. ſolidi pro ex emptione. Nortededhe manſus vnus ſoluens quatuor ſolidos. Bodeſcampe decima par-

 ua

nagna. Falkenhorſt decima parua & magna. Herewerdesbur-
ecima parua & magna. Bennenburſtolt decima parua & magna.
ia Weſterſcielle cum redditibus ſuis, videlicet vrna mellis & man-
ıi ſoluit XX. denarios: in Lachtenhuſen decima parua & magna.
neshuſen manſus vnus & domus cum decima parua & magna, qui
: quatuor ſolidos, & pratum. Securitati etiam huius ſacri collegii
ere volentes & quieti, ſtatuimus, vt eccleſia ipſa, ſicut hactenus
ita deinceps tam in eis, que nunc habet, quam que dante Deo ex
m elemoſinis vel alio quocunque titulo iuſte adquiſierit, ab omni
e & poteſtate aduocatorum ſit ſoluta, & ſecundum tenorem priui-
ım ſui ordinis in ſuorum iurisdictione bonorum plena gaudeat liber-
rt neque nos, neque ſucceſſores noſtri dandi eis aduocatum aliquo
re poteſtatem habeamus. Vt autem ad deprecandum pro noſtro
leſie noſtre ſtatu magis reddatur obnoxia, adicimus de conſueta
ecleſie beneuolentia, vt prefati collegii prepoſitus, quicunque
npore fuerit, bannum prefate eccleſie, ſicut eum prefatus Sifridus
liaconus tenuit, habeat & miniſtret, ipſum de manu noſtra vel
orum noſtrorum, ſecundum aliorum Archidiaconorum conſuetu-
, manualiter recepturus. Et hec concedimus, ſalua nobis cano-
omnibus dioceſani iuſtitia; ſaluis & hiis omnibus poſſeſſionibus &
, que in ipſa villa, & extra villam, ſiue in omni *pago*, qui dici-
twede, quocunque modo eccleſie competunt, quorum & in hoc
noſtro mentio non habetur: Volentes, quod in recognitione
ıtronatus, quod nobis & ſucceſſoribus noſtris retinemus, cereus
ibrarum cere ad principale noſtrum altare in annunciatione glorioſe
; a prepoſito prefati conuentus absque omni dubio detur annuatim.
ſtes huius noſtre conceſſionis & ordinationis ſunt:

Capitulo noſtro:
Reinoldus Prepoſitus.
Conradus Decanus.
Hugo Prepoſitus ſancte Crucis.
Heinricus de Toſſem.
Hermannus de Goslaria.
Rudolphus.
Conradus Plebanus ſancti Andreae.
Sifridus de Barem.
Gerewinus Scolaſticus.
Conradus de Goslaria, Sacerdotes.
Item Willehelmus de Holte, Prepoſitus Osnabrugenſis.

Wicboldus

Wicboldus.
Iohannes Cellerarius.
Meinardus Cantor, Diaconi.
Item Sigebodo de Bodenſtede.
Cônradus de Altaſago.
Heinricus de veteri foro.
Wernerus de Bortuelde.
Ludolphus de Embeke. ſubdiaconi.

Ad maiorem igitur geſtorum euidentiam & memoriam perhennem hoc ſcriptum inde confectum noſtra & Capituli noſtri ſigillorum auctoritate iuſſimus communiri.

Ad ampliorem etiam ipſius firmitatem ſigilla Domine *Duciſſe* & ipſius ſacri Conuentus duximus apponenda.

Acta ſunt hec in Capitulo noſtro Hildenſem. Anno dominice Incarnationis Milleſimo CCXXXIII. VIII. Kal. Maii. Pontificatus noſtri anno XII.

L. S.	L. S.	L. S.	L. S.
Conradi Ep.	*Capituli Hildesh.*	*Agnetis Duciſſe.*	*Eccleſiae Winhuſenſis quod decidit, & cuius loco Henricus Ep. ſuum appendit.*

No. CCXXVII.

Agnes, fundatrix Winhuſenſis Monaſterii, & Praepoſitus Winhuſenſis Ioanni de Osbernshuſen & vxori eius pro beneficio collato anniuerſarium promittunt. Anno 1240. Ex autographo.

AGNES *Dei gratia Duciſſa*, *fundatrix Eccleſie in Winhuſen*, Eliſabeth Abbatiſſa & *Wernerus* Prepoſitus, *fundator eiusdem loci*, omnibus hoc ſcriptum intuentibus ſalutem. Quoniam facta hominum cum tempore tranſeunt & mutantur, idcirco noticie poſterorum per ſcripta autentica commendantur. Scire itaque volumus omnium tam preſentium quam futurorum induſtriam, quod Dominus Iohannes de *Osberneshuſen*, (*) & vxor ipſius A. de *Bocborne*, pro remuneratione diuina, ex inſtinctu Spiritus Sancti, pro ſe & ſuorum anteceſſorum ſalute modium ſalis, pro ſeptuaginta marcis comparatum, Eccleſie noſtre contulerunt, & in preſenti duas marcas communis argenti ad emendationem prebende noſtre dimiſerunt, & quod ſupereſt, habebunt omnibus diebus vite ſue, nullo inpediente, & poſt obitum ipſorum predicta

*) Hodie *Oppershauſen* ad Alleram.

dicta eccleſia eandem pecuniam ex integro poſſidebit & abſolute. Anniuerſarii vero ipſorum ſolempniter peragentur, & in cuiuslibet anniuerſario dabuntur decem ſolidi ad ſeruitium dominarum, & pauperum refectionem. Vt autem hec donatio rata & inconuulſa ſemper permaneat, rogamus & diſtricte precipimus. Ne igitur aliquis preſumat infringere, fecimus conſcribi & ſigillis noſtris communiri.

L. S.	L. S.	L. S.
Eccleſiae Winhuſ.	*Werneri Praepoſiti.*	*Agnetis Duciſſae.*

No. CCXXVIII.

Otto Puer Agneti Palatinae ſatisfacit pro Caſtro Zelle. Anno 1235. Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis Dei gratia *OTTO Dux de Brunſuic* omnibus in perpetuum. Vniuerſa, que ab hominibus geruntur & tractantur in tempore, a memoria facillime laberentur, niſi ſcriptis & teſtibus firmarentur. Sciant igitur vniuerſi, tam poſteri quam preſentes, quod nos in reſtauro caſtri *Tſelle*, quod honorabilis Domina *AGNES*, relicta *Ducis HEINRICI* bone memorie, *patrui noſtri*, reſignauit & reliquit nobis & noſtris heredibus permanſurum, Eccleſie in Winhuſen, quam de ſuis conſtruxit expenſis, de patrimonio noſtro dedimus vnam ſartaginem in ſalina Luneborch, & molendinum in Lachtenhuſen, & quatuor domos in Gakenholte, cum omni iure & vtilitate attinente, ſine iugo Aduocatie, quiete ſemper & libere poſſidenda. Ad petitionem ſiquidem predicte domine donationem eius, quam ipſa fecit in octo domibus, quarum vna in Houere & alia in Scamhorſt ſita eſt, & quarum ad nos proprietas pertinebat, & quas ipſa ſuo precio comparauit, eidem Eccleſie aſſignantes, ratam ſemper & firmam volumus obſeruare. Ad confirmationem ſiquidem omnium predictorum paginam iſtam ſigillo noſtro iuſſimus inſigniri.

Acta ſunt hec apud Bruneſuich anno dominice Incarnationis MCCXXXV. in menſe Iunio, Indictione VIII.

Teſtes ſunt:

Ludolfus Comes de Halremunt.
Hermannus Comes de Woldenberghe.
Bernardus de Dorſtat.
Iordanis Dapiſer.

Willekinus

Willekinus Marſcalcus.
Heinricus de Heimborch.
Fredericus de Meſinge.
Wernerus & Crachto, Prepoſiti, & alii multi.

No. CCXXIX.

Idem eidem pro decima Goslarienſium metallorum praeter multam pecuniam dat locum Iſenhagen. Anno 1243. Ex Leuckfeld. Antiq. Poled. p. 101.

Nos *OTTO Dux de Brunſwich* tenore praeſentium proteſtamur, quod cum dilecta nobis *Vidua* felicis memoriae Palatini, *patrui noſtri*, pro decima in Goslaria concordauimus in hunc modum. Dabimus dictae Dominae mille & centum marcas puri argenti: quarum octingentis perſolutis & in feſto Michaëlis centum & quindecim marcas ſoluere debemus. Pro ſumma, quae ſupereſt, dedimus ei proprietatem noſtram *Iſenhagen*, cum omni eius vtilitate & pertinentiis, ita vt, ſi quis de proprietate illa aliquid impetat, ab omni impetitore a feſto Iohannis infra annum debeamus totaliter expedire; ſi vero partem aliquam proprietatis eiusdem expedire infra dictum terminum non poſſemus, ſuper eo ſecundum Abbatis de Riddagshuſen conſilium faciemus. Vt autem ſummam praedictarum centum quindecim marcarum perſoluamus, feſto Michaëlis proxime nunc venturo; vt etiam proprietatem Iſenhagen ad datum nobis terminum ab impetitore quolibet abſoluamus; ipſi nos promiſimus fide data, & nobiſcum duodeni de noſtris miniſterialibus promiſerunt, ſi non fuerit, quod promiſimus, obſeruatum, Brunſuic intrent, inde non exituri, niſi in Dominae ſaepe dictae & Abbatis de Riddagshuſen fuerit voluntate. Nomina eorum, qui nobiſcum promiſerunt, haec ſunt:

Ebertus de Aſſeborg.
Anno de Heimborg.
Iuſarius Pincerna.
Anno Dapiſer.
Heino de Wenethen.
Fridericus de Esbecke.
Iuſarius de Herlingsberge.
Borchardus de Wolferbütle.
Baldeuinus de Blanckenburg.

Geuehardus

Geuehardus & Ludolfus de Bortfelde.
Bertramus de Veltem.
Qui autem promiſſum receperunt, hi ſunt:
Dominus Bernardus de Dorſtad.
Conradus filius ſuus.
Luthardus de Meinerſen, nobiles.
Nicolaus Aries.
Conradus de Stathen.
Eiluardus de Luneburg, milites.
Cum autem dilectos ſoceros noſtros, illuſtrem Ducem Saxoniae & Dominos Marchiones de Brandenburg, poterimus attingere, illis ſimiliter promittemus.
Datum Brunſuic. Anno incarnationis Domini MCCXLIII. III. Non. Iunii.

No. CCXXX.

Conſtructionem Monaſterii Ciſtercienſis Ordinis in Iſenhagen laudat Otto Dux. Anno 1243.

Indidem p. 104.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Dei gratia *OTTO Dux de Brunſuick* omnibus in perpetuum. Quia vergentis in ſenium ſeculi corruptelam non ſolum ſapiunt elementa, ſed creaturarum digniſſima ad imaginem condita Creatoris, vt, ſi fuerit in potentatibus octoginta amplius, ſit labor & dolor; ad falſam impiorum aſſertionem tollendam acta digna memoriae ſcriptis publicis & authenticis roborantur. Ea propter notum eſſe volumus, tam praeſentibus quam futuris, quod, cum ſanctae deuotionis Domina *AGNES, vidua* quondam Palatini, bonae memoriae *HENRICI, patrui noſtri*, nobis a pheodo noſtro decimam montanam in Goslaria, ſibi ad tempora vitae ſuae deputatam, de ibera voluntate pro quadam ſumma pecuniae cederet, eidem viduae dedimus proprietatem noſtram in Iſenhagen ad extruendam domum monachorum Ciſtercienſis ordinis per manum Abbatis de Riddageshuſen, & ratrum eiusdem loci; & in ea iuſtam & perpetuam Warandiam praeſtaimus, tam in decimis cum voluntate Epiſcoporum & Eccleſiarum, ad quas pertinent, quam villis & curiis, quorum nomina ſunt haec: Winlersbütle, Gluſinge, Danhorſt, Rikenhagen, Wenedorpe, Oyeſſem, ſenbecke, cum molendinis, molendinum prope Danhorſt, cum omnius attinentiis ſuis & vtilitate, ſi qua nunc eſt, vel in futurum haberi oterit, & determinationibus hactenus habitis, tam in paſcuis, quam pratis,

pratis, paludibus, nemoribus, ſyluis & aquis, liberis ab omni ſeruitio, iudicio, angariis & parangariis, prout ſuas poſſeſſiones conſueuerunt liberas poſſidere, ſecundum priuilegia Romanorum Pontificum Ordini indulta, cum plantare & plantatam fouere ſacram religionem modis omnibus debeamus. Vt autem dicta donatio, de voluntate & aſſenſu haeredum noſtrorum facta, ſtabilis in perpetuum permaneat, praeſentem paginam ſigilli noſtri appenſione & teſtium inſcriptione roborauimus.

Teſtes ſunt:

Luthardus de Meinerſen,
Berwardus & Conradus de Dorſtad,
Anno de Heimborg,
Balduinus de Blanckenborg,
Fridericus de Esbecke,
Ebertus & Borchardus de Wolfenbutle,
Anno Dapifer,
Heino de Wenethen,
Ludolphus & Geuehardus de Bortuelde.

Acta ſunt haec anno gratiae MCCXLIII. Indict. I. III. Non. Iunii.
Data per manum Henrici *notarii noſtri.* Canonici S. Blaſii in Brunſuic.

No. CCXXXI.

Agnes Duciſſa, vidua Henrici Palatini, locum Iſenhagen Abbati Riddageshuſenſi tradit, ad Monaſterium Ciſtertienſis Ordinis in eo exſtruendum. Anno 1243.

Indidem p. 103.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Dei gratia *AGNES, vidua quondam Palatini Comitis Rheni* omnibus in perpetuum. Recolentes, qualiter haec vitis fructifera Ciſtercienſis Ordinis, multiplicauit ſuauitatem odoris, & in florem honoris & honeſtatis longe lateque ſuos extendit palmites, & multiplicatum fructum in vitam aeternam reportauit. Ea propter notum eſſe volumus, tam praeſentibus, quam futuris, quod nos, ad cultum Dei omnipotentis & honorem ſanctae genetricis, ſemperque virginis Mariae, & nomen dicti ordinis dilatandum, proprietatem in *Iſenhagen* in manus venerabilis Domini Arnoldi, Abbatis Eccleſiae in Riddageshuſen, ad extruendum conuentum eiusdem ordinis monachorum, in remiſſionem peccatorum noſtrorum, contulimus & poſſeſſionem reſignauimus &c.

Acta ſunt haec Anno gratiae MCCXLIII. Ind. I. tertio Non. Iunii apud Brunſuick.

No. CCXXXII.

Otto Dux de Brunſuic amitae Agnetis teſtamentum confirmat, quo in Eccleſia Winhuſen anniuerſaria inſtituit, ſuum, mariti ſui, ſoceri Henrici Leonis, & ſocrus Mathildis, expreſſis reditibus, huic vſui inſeruituris.

Anno 1248. Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Dei gratia *OTTO*, *Dux de Bruneſwich*, omnibus in perpetuum. Quecunque ad diuini cultum nominis laudabiliter & rationabiliter ordinantur, neceſſe eſt, vt ſcripture teſtimoniis confirmentur, quia fidele teſtimonium habet ſcriptura, que, licet omnia cum tempore euaneſcant, ea non patitur interire, que ſibi fuerint fideliter commendata. Nouerit igitur preſens etas, & futura plenius intelligat & cognoſcat, quod nos, pie deuotionis affectu conſiderato, quo honorabilis Domina *AGNES*, relicta *Ducis Heinrici* bone memorie, *patrui noſtri*, in extremis poſita, inſtruente Spiritus ſancti gratia, regebatur, ordinationem eius ratam & firmam volumus obſeruare. Statuerat equidem ipſa, vt de bonis *Helende*, & de omnibus, que pertinent ad ipſam, ſiue in agris, ſiue pratis & ſiluis fuerint, vel in aquis, anniuerſarius eiusdem *Agnetis* & illuſtriſſime Domine *Mechtilldis* pie recordationis, *auie noſtre* ſolempniter annis ſingulis peragatur. De bonis autem in *Vletmere*, que a Domino Baldewino de Blankenborch comparauit, quorum proprietatem nos Eccleſie Winhuſen contulimus, ordinauit, vt anniuerſarius *aui noſtri Heinrici Ducis Bawarie & Saxonie*, & *filii eius* Ducis *Heinrici*, *patrui noſtri* agatur annis ſingulis cum miſſarum ſolempniis, & elemoſinis dandis omnibus illis, qui illuc in nomine domini ſunt venturi. Videntes autem voluntatem eius bonam, & factum iſtud laudabile & honeſtum, aſſenſum noſtrum plene appoſuimus & conſenſum. Statuentes & volentes, vt bona premiſſa, & illa in *Helende*, & illa in *Vletmere*, cum omnibus eorum pertinentiis & vtilitatibus, tam in agris, quam pratis, piſcaturis, paſchuis & in ſiluis, clauſtro *Winhuſen* perpetuo maneant ad iſtos anniuerſarios ſuis temporibus peragendos, & ſint libera ab omni exactione & iugo aduocatie, & infeſtatione ac preſſura. Vt ergo cum maiori ſolempnitate & ampliori elemoſinarum largitione dicti anniuerſarii valeant celebrari, clauſtrum Winhuſen iam premiſſum apponit de bonis ſuis quatuor domos ſitas in *Gakenholte* ſoluentes anno quolibet quatuor vrnas mellis, vt omnibus, tum deuotionis cauſa venientibus, tum propter elemoſinas colligendas, poſſit eo perfectius & plenius miniſtrari. Verum vt hec ordinatio & noſtra confirmatio manifeſtius

illu-

illuceſcat, preſens ſcriptum inde confectum ſigillo noſtro fecimus communiri. Huius rei teſtes ſunt:

Heinricus iunior Comes Aſcharie.
Ludolfus Comes de Halremunt, & Ludolfus, filius ſuus.
Comes Olricus de Regenſtein.
Comes Burchardus de Lutterberch.
Hermannus nobilis de Wereberge.
Dominus Bernardus Iunior de Hardenberge.
Ekbertus de Aſſeborch.
Baldewinus de Blankenborch.
Yuſarius Pincerna noſter, & Lothewicus frater ſuus.
Heinricus Grubo Marſcalcus noſter.
Anno Dapifer noſter.
Herewicus de Vtteſſen, Camerarius noſter.
Heino de Wenethen.
Ludolfus & Geuehardus fratres de Bortuelde.
Heinricus de Honborch.
Baſilius de Oſterrothe.
Thitmarus Lethgaſt.
Thidericus de Area.
Euerardus de Odem, & alii quamplures.

Acta ſunt hec Bruneſwich. Anno Dominice Incarnationis MCC. XL. octauo.

No. CCXXXIII.

Wilhelmi, vltimi Aquitaniae Ducis, Comitis Pictauienſis, confictum a Gallis teſtamentum. Anno 1137. Ex Io. Haii Originib. Pictauienſ. p. 33. & Chron. Pictau. apud Marten. Collect. Ampliſſ. T. V. p. 1153.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis, quae eſt vna Deitas. Hoc eſt teſtamentum, quod ego *Willelmus* Dei gratia cum Willelmo epiſcopo facio in honorem Saluatoris mundi & beatorum martyrum & omnium confeſſorum & virginum, maxime Virginis Mariae. Cogitans de meis innumerabilibus peccatis, quae, ſuadente diabolo, temerarie perpetraui, & timens tremendi iudicii diem, videns bona, quae videmur tenere, ſicut fumum in aëre, inter manus noſtras euaneſcere, noſmet etiam in hac peregrinatione ſine peccato vna hora non poſſe viuere, & ſatis paruo tempore manere, & omnia quae putamus poſſidere, eſſe caduca,

duca, & ſuis poſſeſſoribus grauamen; commendo me Deo, quem relictis omnibus ſequi volo. *Filias meas* Regis, domini mei, protectioni relinquo; *Leonoram* collocandam cum Domino *Ludouico*, Regis filio, ſi baronibus meis placuerit, cui *Aquitaniam* & *Pictauiam* relinquo; *Petronellae* vero filiae meae poſſeſſiones meas & caſtella, quae in Burgundia, vt proles Gerardi Ducis Burgundiae, poſſideo. Atque ne videar degenerare, ſed imitari ſancta veſtigia parentum meorum in bono opere, & commendare me Deo & ſanctis eius, & in bonis operibus ſocietatem ſeruorum Dei, & benedictionem accipere; do omnibus monaſteriis dominationis meae mille libras terrae, diſtribuendas prout baronibus meis placuerit. Et quicumque hoc noſtrum teſtamentum disrumpere tentauerit, excommunicatus a Deo & hominibus exiſtat. Qui vero in hoc coadiutor fuerit, ſit in omnibus particeps.

Et ſubſcripſit *Willelmus* ille Dux, & *Leonora, eius filia*, videntibus, qui ſequuntur, adhibitis teſtibus.

Dominus Comes Aluerniae.
Dominus Rainaldus Vicecomes de Thoarcio.
Ebles de Malo-leone, Baro.
Willelmus de Talemundi, frater illius.
Brocardus Comes.
Galfridus de Podio Fagi.
Willelmus Camerarius Franciae, frater illius.
Willelmus de Podio Auguſti.
Richeldus Baro, frater illius.
Rainaldus de Mauritania.
Rainaldus de Floſcellariis, &
Willelmus de Herbertis, eiusdem Willelmi Ducis Aquitaniae dapifer.

No. CCXXXIV.

Ludouicus ſeptimus ſeu iunior, Franciae Rex, Dux Aquitanorum, liberas Eccleſiarum electiones eſſe iubet, & iuri ſpolii nuntium mittit. Anno 1140. Ex Io. Beslii Hiſtor. Pictau. p. 481.

EGO *LVDOVICVS iunior*, magni Ludouici filius, Dei gratia *Rex Francorum & Dux Aquitanorum*, tibi, Gaufride Burdigalenſis Archiepiſcope, cum tuis ſuffraganeis Epiſcopis, Raimundo Agennenſi, Lamberto Angoliſmenſi, Guillelmo Santonenſi, Guillelmo Pictauenſi, & Guillelmo Petragoricenſi, nec non cum Abbatibus Burdegalenſis

lenſis prouinciae, veſtrisque ſucceſſoribus. Petitionibus veſtris, communicato prius Epiſcoporum, Abbatum & Procerum noſtrorum conſilio, duximus annuendum, & in Sede Burdigalenſi, & in praenominatis epiſcopalibus ſedibus, & Abbatiis eiusdem prouinciae, quae defuncto *Aquitanorum Duce & Comite Pictauis GVILLELMO, per filiam ipſius ALIENORAM nobis ſorte matrimonii cedit*, in Epiſcoporum & Abbatum ſuorum electionibus, canonicam omnino concedimus libertatem, absque hominii, iuramenti, ſeu fidei per manum datae obligatione. Porro decedentis Archiepiſcopi, & ſuffraganeorum ipſius Epiſcoporum, ſiue Abbatum decedentium res vniuerſas ſucceſſorum vſibus regia auctoritate ſeruari volumus, & concedi praecipimus illaeſas. Hoc quoque adiicientes, vt omnes eccleſiae, infra denominatam prouinciam conſtitutae, praedia, poſſeſſiones ac vniuerſa ad ipſas pertinentia ſecundum priuilegium, iuſtitias & bonas conſuetudines ſuas habeant & poſſideant illibata. Quinimo eccleſiis ipſis vniuerſis, & earum miniſtris cum poſſeſſionibus ſuis canonicam in omnibus concedimus poteſtatem.

Actum Burdegalae, anno MCXL. regni noſtri IV.

No. CCXXXV.

Imago Henrici II. Angliae Regis, aui materni Ottonis Imperatoris. Ex Petri Bleſenſis epiſtol. 66.

QVOD autem a me cum omni inſtantia poſtulatis, vt *formam* & *mores* Domini Regis Angliae vobis ſub certa deſcriptione transmittam; meas quidem facultates excedit: ad hoc enim ſatis inſufficiens videretur Mantuani vena ingenii. Ego tamen, quod ſcio, vobis ſine inuidia & detractione communico. De Dauid legitur ad commendationem decoris eius, quoniam *rufus* erat. Vos autem Dominum Regem *ſubrufum* hactenus extitiſſe noueritis, niſi quia colorem hunc venerabilis ſenectus & ſuperueniens canicies aliquantulum alterauit. Statura eius mediocris eſt, vt & inter paruos magnus appareat, nec inter maiores minimus videatur. Caput eius ſphaericum eſt, tanquam ſapientiae magnae ſedes, & alti conſilii ſpeciale ſacrarium. Ea vero eſt capitis quantitas, vt collo & toti corpori proportionali moderatione reſpondeat. Oculi eius orbiculati ſunt, dum pacati eſt animi, columbini & ſimplices; ſed in ira & turbatione cordis quaſi ſcintillantes ignem & in impetu fulminantes. Caeſaries eius damna caluitii non veretur; ſuperueniente tamen artificii capillorum tonſura. Leonina facies quaſi in quadrangulum ſe dilatat. Eminentia naris ad totius corporis venuſtatem naturali eſt mode-

moderatione propenſa: arcuati pedes: equeſtres tibiae: thorax extenſior: lacerti pugiles virum fortem, agilem & audacem denunciant. In quodam tamen articulo pedis eius pars vnguis innaſcitur carni, atque in contumeliam totius pedis vehementer increſcit. Manus eius quadam groſſitie ſat hominis incuriam proteſtantur: earum enim cultum prorſus negligit, nec vnquam, niſi aues deferat, vtitur chirothecis.

No. CCXXXVI.

Deſcriptio virtutum & vitiorum eiusdem Henrici II. Regis. Ex Radulfi Coggeshale Chronico

Anglicano apud Marten. Collect. Ampliſſ. T. V. p. 814.

OBIIT *HENRICVS Rex Anglorum*, qui Regnum Anglorum per XXXIV. annos & ſeptem menſibus, & tribus diebus, cum Ducatu Normanniae & Comitatu Aquitaniae & Andegauiae, ſtrenuiſſime rexerat, ſemper paci ciuium, pauperum & mediocrium ſtudens; nobilium ac potentum arrogantiam atque tyrannidem potenter reprimens; ſures, reos, atque criminoſos miſericorditer puniens. Galenſes etiam, regibus Angliae ſemper rebelles, non ſine magna ſuorum principum amiſſione & exercitus ſui diſpendio debellauerat, ac tandem inuitos nolentesque ſubiugauerat. Inſuper & maximam partem Hyberniae tum per ſe, tum per ſuos principes ſuo dominio ſubegerat. Cumque in Regni ſui negotiis tractandis, prouidendis, diſponendis, vbique fortunatiſſimus exiſteret; a filiis tamen ſuis, quos genuerat, enutrierat, exaltauerat, multotiens grauiter infeſtabatur; ſed praecipue ab Henrico, quem Regni diademate inconſulte inſigniuerat; ſicut ſuperius deſcripſimus. Quae perſecutio inteſtina atque domeſtica ideo ei iuſto iudicio, vt credimus, illata eſt, quia in B. Thomam plurimum deliquerat. Nam cum latiore imperii potentia, diuitiis & ſaeculari magnificentia prae cunctis Regibus Angliae, qui ante eum regnauerant, praepolleret; non tamen his contentus, auſu temerario irruit in diuina, libertates videlicet eccleſiaſticae dignitatis, & iura eccleſiaſtica vſurpare contendens, ſicut in paſſione B. Thomae plenius legitur. Quod inexorabilis diſcordiae inter ipſum & B. Thomam ſeminarium fuiſſe dinoſcitur. Archiepiſcopatus inſuper & epiſcopatus vacantes, nec non & abbatias, propriis paſtoribus orbatas, & cenſus eccleſiaſticos in proprios vſus multis annis retinere conſueuerat. Quae nimirum contra ſacros canones illicita vſurpata regiae maieſtatis ſerenitatem plurimum obnubilabant.

No. CCXXXVII.

No. CCXXXVII.

Familia Henrici II. Angliae Regis ab auctore coaeuo magnificis verbis deſcripta. Ex Chron. MS. Comitum Andegau. apud Beslium p. 493.

MORTVO Gaufredo, filius eius Henricus, aetatis annum inchoans viceſimum, Guillelmi Comitis Pictauienſium primogenitam *Alienor*, alienatam a thoro Ludouici Regis Francorum, & ſub examine Sanſonis Remorum Archiepiſcopi propter cognationem disiunctam, ſibi thori participem ſociauit, cum ea ſimul Aquitaniae Ducatus obtinens principatum. Poſtmodum Henricus II. a natiuitate ſua XXII. annis fere decurſis, poſt mortem Stephani Regis, in Regem Anglorum conſecratus eſt. Et vt titulos plures ab anteceſſoribus emanantes ſub vna clauſula, ſub vnius perſona complectamur pauciſſimis, Henricus Rex Anglorum, Dux Normannorum, & Aquitanorum & Comes Andegauenſium, auo materno tam in ſobole procreanda, quam in ſobole numeroſa multo felicior, ex legitimo matrimonio ſex filios ſuſtulit, & tres filias, foecunditatem matris Alienor aliis etiam generationibus praedicabilem offerentes. Ex filiis autem, duobus in pueritia ſublatis de medio, quatuor & ſuperſtites & incolumes in ſpem magnam virium exercendarum ſuccreſcunt, & in hoſtibus proſternendis mores anteceſſorum & actus imitari non ceſſant, & in nationibus diuerſis per orbem, quae iuxta diſpoſitionem ſuam paternam ſuo regimini deputantur, cum moderatione iuſtitiae virgam directionis aſſumere ſtrenuis repromittunt actibus & operibus. *Henricus* eorum quatuor primogenitus in Regem Angliae conſecratus eſt. *Ricardus* Comes Pictauienſis eſt aſſignatus a patre. *Galfridus* totius Britanniae nactus eſt principatum. *Iohannes*, de permiſſione patris & de prouiſione ſecurus, diuerſas Hiberniae portiones, ſi deſuper ei datum fuerit, in monarchiam reducet. *Filiae* vero *tres* Regis, vt diximus, & Alienor, alienationem a natiuo ſolo forſitan eo ſuſtinent aequanimius, quod de ſemine Regio procreatae, nupſerint Regiae ſtirpis viris illuſtribus; quorum nomina licet ſubticeam, populos, quibus praeſunt, praeterire non conuenit. Hinc etenim *Saxones*; hinc Hiſpanos; hinc Siculos, debita coërcitione refraenant. Inter hos itaque populos victu, veſtitu, moribus, habitatione tam remotos ab Anglia filias Regis Angliae commorantes, barbaries ſaxea *Saxonum*; dubius Hiſpanorum ſub Agarenis conflictus; tyrannis effera Siculorum, poterant in continuum horrorem inducere, niſi generoſitas auiae ſuae, Mathildis Imperatricis, & in eius ſemineo corpore virile pectus, neptibus ſuis tolerantiae

rantiae ſemitas & apertas patientiae vias imitabiles praemonſtraſſet. Sed vt ſexus infirmior in aliquo firmius releuaret filias Alienor; alienum aërem ſub annis tenerrimis imbiberunt, ibidem enutritae ſalubrius, diuerſitatem quoque facilius alienarum ſunt edoctae linguarum.

No. CCXXXVIII.

Geruaſii Tilberienſis deſcriptio Familiae Henrici II. Angliae Regis. Ex Leibnitii Scriptor. Brunſuic. Tom. I. p. 947.

DEFVNCTO Rege Stephano, Dux *Henricus* coronatur in Regem: qui ducta Regina Franciae, & a piiſſimo Rege Ludouico dimiſſa, praetextu conſanguinitatis probatae, filia ſcilicet quondam Illuſtriſſimi Ducis Aquitaniae, Comitis Pictauiae, *Alienor*, genuit ex ea filios, contracto ſibi dominio Aquitaniae. Igitur Henricus Rex Anglorum Dux Normannorum & Aquitanorum, & Comes Andegauenſis, genuit *Guillelmum* primogenitum, qui velut ros matutinus, nec Solis exſpectato calore, pertranſiit. Additur Regi filius alter *Henricus*, qui vix plenae pubertatis effectus, vngitur in Regem, & diademate paterno coronatur *iuniorque Rex* appellatur. Hic ſtatura procerus, effigie praeclarus, vultu pro debito iucunditatem & maturitatem praetendebat; ſpecioſus inter filios hominum, affabilis, hilaris, & apud omnes gratioſus ab omnibus diligebatur, & omnibus amabilis inimicum habere non poterat: militia ſingularis, vt corporis venuſtate omnes antecedebat, ſic ſtrenuitate, fauore, & morum inſigni gratia, largitate & fidei ſinceritate omnibus praeferebatur. Quid plura? In hoc omnia probitatum & virtutum genera Deus conflauit, & quae plus illuſtribus ſors ſingularibus largitur ſingularius, huic ita omnia contendit generalius & pinguius clare praeconia, vt nil in eo terrenum fuiſſe putaretur, ſi non immatura morte fuiſſet interceptus. Nempe vt in ipſo adoleſcentiae feruore viuens, mundo fuit ſolatium, ita moriens vniuerſae militiae fuit exitium. Vnum in eius planctu memini dixiſſe:

Roſa formae ſingularis
Marcet: perit alter Paris;
Hector alter occubuit.
Alter primus, non ſecundus,
Illi Troia, huic mundus,
Et ius omne periit.

Cum obiit Henricus, coelum eſuriit, & mundus abiit mendicus. Poſt

hunc

hunc genitus floruit ille Rex Regum terrenorum *Ricardus*, in ſtrenuitate, magnanimitate, militari ſcientia, & omnis generis virtutibus nulli mortalium ſecundus: ſacri patrimonii Ieſu Chriſti, Terraeque Sanctae ſtrenuus defenſor: timor gentilium, mors hoſtium, gladius & tutamen Chriſtianorum; cui mundus ad largitiones non ſufficeret, & orbis velut pugillus erat ad dominandum. Succeſſit proles tertia, Comes aut potius Dux Brittonum; *Arturo*, fabuloſo animali, virtute non inferior, ſtrenuus, militia pollens, liberalitate excelſus, probitate & magnanimitate incomparabilis, exactis paucis in virtute immenſa annis obiit. Adiungitur quartus, illuſtris Rex *Iohannes*, cuius incrementum ac laudes praeſentiali inſpectioni commendo, ne videar aut ex inſufficientia mea minus dixiſſe de eo, quam eſt; aut adulationi deſeruire in eo, quod dixero aliquid, quod non eſt. Ecce! vt de Leone rugiente quatuor Leunculi prodierunt, quorum quilibet in fortiſſimum creuit Leonem, aut itidem ſpe futurae nobilitatis minitantem. Nec tacenda ſunt inſignia illa Leonum vbera, quae ſuo lacte & ſtrenuitate potentiſſimas orbis partes illuſtrauerunt. Dum ex eodem rege Henrico prodiit hinc *Duciſſa Saxoniae*, cuius flos, tu, Sereniſſime Princeps, vt bonae arboris dulciſſimum pomum, proceſſiſti, cum illuſtri Comite Palatino *Henrico*, & *Guillelmo longa ſpata*, fratribus tuis, vtroque parente coniunctis; nec non nobiliſſima Comitiſſa *Alienora*, germana tua. Ex *altera* eiusdem Henrici filia nouellae & inſignes plantationes *Hiſpaniae* pullulant, filii Illuſtriſſimi Regis Compoſtellani, quorum initia, ſi medium & finem coepto proſequuntur auſpicio, magis patrum praeambuli videbuntur, quam pediſſequi. Ex *tertia* quondam illuſtris *Regis Siculi* coniuge prodiit Raimundus Dux Narbonenſis, Comes Toloſae, & Marchio Prouinciae: qui vtinam vtriuſque aeui fidem, virtutem & conſtantiam imitabitur, vt ſub Ducis, Comitis & Marchionis nomine, virtuti & ſtrenuitati Regum auito more aequiparetur.

No. CCXXXIX.

Gaſto Vice Comes Bearnenſis Siluae maioris Monaſterio donationes maiorum confirmat & auget,

Richardo Ducatum Aquitaniae obtinente. Anno 1181. Ex Gall. Chriſtian. T. I. inſtrum. p. 165.

Gasto, Vicecomes Bearnenſis & Gauerretanus & de Bruelles, Comes de Bigorra, & Vicecomes de Marſan, Bernardo, Auſcitano Archiepiſcopo, & omnibus Epiſcopis terrae ſuae, abbatibus, baronibus, iuſtitiis, militibus, miniſtris, & omnibus fidelibus

ſuis, ſalutem in perpetuum. Sciatis, quod ego Gaſto Vicecomes, veniens ad Siluam maiorem amore Dei & Sanctae Mariae, iuraui libertatem & ſaluitatem ipſius eccleſiae & villae, & ſecuritatem omnium hominum, & rerum cunctarum, quae ad monachos pertinent vbique, & conceſſi & confirmaui Deo & ſanctae Mariae, & *beato Giraldo*, Siluae maioris primo abbati, & monachis ibidem Deo ſeruientibus, totum, quidquid praedeceſſores mei, Gauerretani Vicecomites, videlicet Petrus cognominatus Sorguers, proauus meus, & ceteri Vicecomites Gauarretani conceſſerunt, tertiam ſcilicet partem omnium reddituum, qui ratione pedagii vbicumque pro Gauarreto recipiuntur, &c. Conceſſi etiam eccleſiam cum ſtiuariis & appenditiis, & decimam totam ex integro, ſicut ſupradictus proauus meus Petrus Soriguers eam conceſſerat, cum aſſenſu videlicet & voluntate Guilielmi, tunc archiepiſcopi Auxitani, volente quoque hoc idem atque confirmante Petro Adurenſi epiſcopo, in cuius epiſcopatu tunc erat nominatus locus de Gauarreto, qui etiam eidem eccleſiae contulit in perpetuum, quidquid in ea iuris habebat, praeter procurationem ſibi ſemel in anno debitam, & capellanorum praeſentationem. Conceſſi quoque eidem eccleſiae *caldariam iudiciariam* (*) cum marmore, ita quod in toto archidiaconatu non habeatur niſi ibi tantummodo &c. Hanc conceſſionem ſeu confirmationem ego, Gaſto Vicecomes feci apud Siluam maiorem in capitulo, aſſidentibus dominis epiſcopis Bernardo Olorenſi, & Sancio Anerii. (**) Teſtes ſunt:

Arnaldus Guilhelmi de Marſiano.
Odo de Cadalon.
Garſias Arnaud de Nauailhas.
Arnaldus de Codaraſa.
Amaneuus de la Mota.
Peregrinus de Burdegala.
Burgenſis de Morlaas, & alii plures.

Factum eſt hoc anno incarnationis Verbi MCLXXXI. Indict. XIV. epacta III. concurrente III. cyclo decem nouennali, IV. feria II. Idus Februarii.

Philippo Rege Francorum regnante, II. anno ſui regni.

Richardo, filio Henrici Regis Anglorum, *Ducatum Aquitaniae obtinente.*

✠ Signum Gaſtonis Vicecomitis.

No. CCXL.

*) In qua fiebant probationes ſeu iudicia per aquam calidam.

**) ſeu Laſcurenſis.

No. CCXL.

Richardus Aquitaniae Dux, Comes Pictauienſis, Burdigalenſi Eccleſiae confirmat dona & priuilegia maiorum. Anno 1186. Ex Gall. Chriſtian. T. II. inſtrum. p. 285.

RICARDVS *Dux Aquitaniae, Comes Pictauiae*, filius Regis Angliae, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Baronibus, Iuſtitiariis, Balliuis & omnibus has litteras videntibus, ſalutem. Sciatis, quod ego pro redemptione animae meae & parentum meorum conceſſi eccleſiae ſancti Andreae Burdigalenſi integre & plenarie, quidquid anteceſſores mei eidem eccleſiae donauerant & conceſſerant, ſicut carta eorum teſtificatur & affirmat, ſcilicet tertiam partem camerae ſeu monetae, ſiue etiam omnium teloniorum, ac curtem legiam cum omnibus ad ſe pertinentibus, Cadauiac & Berarol, & Serporale cum omnibus ad ſe pertinentibus, & tertiam partem telonei de Boeys, & nauim liberam ab omnibus teloneis a Mauritania vſque ad Lingonem, & formentagium ad reſtitutionem aedificiorum, ſeu poſtmodum ad menſam canonicorum.

Huius vero conceſſionis cartulam ſigilli mei impreſſione & munimine confirmo.

Actum hoc apud Capſius anno ab Incarnatione Domini M.C.LXXXVI. teſtibus:

Stephano Burdigalenſi Decano &
Raymundo Blauienſi Archidiacono.
Arnoldo Burdigalenſi Canonico.
Willelmo de Mauſtac tunc magiſtro hoſpitalis in Burdigalenſi epiſcopatu.
Iohanne Clerico & Notario meo.
Gaufrido de Lezinhan, & Gaufrido de Ponte, militibus.
Ademaro Comite Engoliſmenſi.

No. CCXLI.

Richardus Rex Angliae confirmat Monaſterio Siluae maioris omnia anteceſſorum dona, teſte *Henrico filio Ducis Saxoniae*. Anno 1190. Ex Gall. Chriſtian. Tom. I. p. 988.

RICHARDVS *Rex Angliae &c.* Heliae Archi Epiſcopo Burdigalenſi, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus &c. ſalutem. Sciatis, nos con-

conceſſiſſe Monaſterio Siluae maioris omnia dona anteceſſorum noſtrum Ducum &c. Cuius rei teſtes ſunt:

Geraudus Auxitanus Archi Epiſcopus. Ademarus Petragoricenſis, Bertrandus Agennenſis, & Gallardus Vaſatenſis, Epiſcopi. Stephanus Caſae Dei, Bertrandus Moiſſiacenſis, Wilhelmus Brantolmenſis, Arnaldus Clariacenſis, Aymericus Caduinenſis, Abbates. Helias de Cella, Seneſcallus Vaſconiae. *HENRICVS, filius Ducis Saxoniae.* Bernardus Comes de Armanaco. Bernardus Comes Bezelmenſis. Gaſto Bearnenſis, Petrus Caſtellionenſis, Vicecomites. Willelmus Amaneui de Frontiaco. Arnoldus Guillelmi de Marciano. Amaneuus de Lebred. Amaluinus de Blancafort. Petrus de la Mota. Aiquelmus Guillelmi de Leſparra. Gaufridus de Pont. Geraldus de Burgo. Stephanus de Caumont. Betrandus de Fumel, & alii plures.

Datum apud Regulam per manum Iohannis Lexouienſis Archidiaconi Vicecancellarii *anno regni noſtri primo:* tertia die Februarii.

No. CCXLII.

Confoederatio hereditaria inter Richardum Angliae Regem & Balduinum Comitem Flandriae contra Regem Franciae, ſubſcriptore *Ottone Comite Pictauiae.*

Anno 1197. Ex Rymer. Act. T. I. p. 94.

NOTVM ſit vniuerſis hoc ſcriptum viſuris, quod hoc eſt foedus, & conuentio inter *Richardum Regem Angliae* & *Baldewinum Comitem Flandriae & Haynoiae*, conſanguineum ſuum, videlicet, quod idem Rex Angliae pacem aut treugam cum Rege Franciae non faciet, nec facere poterit, absque voluntate & aſſenſu eiusdem Comitis; nec idem Comes faciet aut facere poterit pacem aut treugam cum Rege Franciae, absque voluntate & aſſenſu praedicti Regis Angliae. Et ſi forte de voluntate & aſſenſu vtriusque pax aut concordia fieret inter Regem Francorum & eos, & Rex Franciae poſtmodum alterutrum guerreraret; tenerentur praedicti Rex Angliae & Comes, ad mutuum ſubſidium & auxilium ſibi inuicem conferendum, prout melius poterunt, & ſicut fecerunt tempore, quo foedus iſtud inter eos contractum eſt. Et ſciendum eſt, quod hoc foedus & haec conuentio non ſolummodo duratura eſt tempore guerrae, ſed imperpetuum inter eos, & inter haeredes eorum, qui terras ipſorum tenebunt poſt eos, ſiue pax fuerit, ſiue guerra: Ita quod, ſi Rex Angliae hoc foedus & hanc conuentionem non obſer-

d by Google

obſeruauerit, qui iurauerunt hoc foedus & hanc conuentionem tenendam pro Rege Angliae, mittent ſe in captionem praefati Comitis infra menſem, poſtquam id bona fide ſcierint, non expectata ſummonitione dicti Comitis: Similiter, * ſi dictus Comes hoc foedus & hanc conuentionem non obſeruauerit, illi, qui iurauerunt hoc foedus & hanc conuentionem tenendam pro ipſo Comite, mittent ſe in captionem dicti Regis Angliae, infra menſem, poſtquam id bona fide ſciuerint, non expectata ſummonitione dicti Regis Angliae. Hoc iurauit pro ipſo Rege Angliae bona fide tenendum, *Iohannes Comes Moriton*, *frater ipſius Regis*, & in animam eiusdem Regis, & pro ſe ipſo iurauit idem Comes in animam ſuam. Et alii, quorum nomina ſubſcripta ſunt, iurauerunt in animas ſuas idem foedus & eandem conuentionem bona fide tenendam, videlicet,

OTHO Comes Pictauiae.

Baldewinus Comes Albemarlae. Will. Mareſcallus. Will. de Humet Conſtabularius Normanniae. Hugo de Gurnay. Robertus de Harecurt. Robertus filius Rogeri. Will. Comes Arundell. Rogerus de Toony. Willielmus Seneſcallus Normanniae. Robertus Marmion. Robertus Bertram. Ranulphus Comes Ceſtr. Will. de Stagno. Will. de Kato. R. Tecſon. Petrus — Boſco. Hugo de Coloneis. Ger. de Furniual. Fulco Stainel. Sym. de Kyma. Hub. de Karenay. Will. de Hundeſcot. Walkelinus de Ferrariis. Haſcoil de Solmy. Radulphus de Arden.

Qui iurauerunt, in preſentia dicti Regis Angliae, & dicti Comitis Flandriae Baldewini in Normannia.

Robertus vero Comes Leiceſtr, & Radulphus Comes Augi. Will. de Warenna. Will. de Malion. Warinus de Glapion. Robertus de Treſgoz. Henr. de Bohon. Willielmus filius Hamon. Philipp. de Columbar. Willielmus Maeengot. Regin. Baſſet. Henr. de Ferrariis. Ioel de Maduana. Willielmus de Mortuo Mari. Hugo de Ferrariis. Rogo de Sarcy. Robertus Comes de Mellent. Thomas Baſſet. Alanus Baſſet. Robertus de Tiebouill. Walterus Pippard. Richardus de Humet. Willielmus Malet de Geraruill. Henr. Biſet. Henr. de Stuteuill. Willielmus de Mobray. Willielmus Martel. Robertus filius Galteri.

Idem iurauerunt in Normannia, coram dicto Rege Angliae, & Siger. Caſtellano de Gant, & Nichol. de Coudato, qui ad hoc miſſi fuerunt in Normanniam, ex parte praedicti Comitis Flandriae.

Praefatus vero Comes Baldewinus iurauit, propria manu, hoc foedus & hanc conuentionem bona fide tenendam, & Philippus Comes de Namur, & Henricus, fratres eiusdem Comitis, & Barones, & alii homines ſui, quorum nomina ſubſcripta ſunt, idem iurauerunt. Scilicet,

Roger de Cortraco. Hugo de Sancto Osberto. Remerus de Trit. Nichol. de Condato. Theodor, filius Comitis Philip. Altare Sakerell. Theodor. de Beuerna. Bald. de Comines. Willielmus de Hundeſcote. Simon de Hauerets. Henr. de Paskendale.

Hii praedicti iurauerunt in Normannia, coram praefato Rege Angliae, & praefato Comite Flandriae praeter praefatum Comitem Namur. qui hoc iurauit in Flandria coram Bald. Comite Albemarl. & Willielmo de Stagno, qui ad hoc miſſi fuerunt in Flandriam ex parte ſaepe dicti Regis Angliae.

Walterus vero de Anendnes. Ger. Praepoſitus Burgienſis. Baldewinus Camerarius. Polius de Vilers. Ger. de Balliolo. Siger. Caſtell. de Gand. Euſtac. de Maclines. Goſumus de Wauerin. Oſto de Arbore. Hug. de Ruet. Galterus de Stotenghem. Gerardus de Roda. Theod. de Formeſele. Rad. Milpel. Henr. de Balliolo. Ger. de Buz. Ger. de Stailhon. Euſtac. de Ruet. Rogerus Caſtellan. Cortracen. Remerus de Montibus.

Idem iurauerunt in Flandria pro ipſo Comite Flandriae coram praedictis Baldewino Comite Albemarle, & Willielmo de Hundeſcort, & Willielmo de Stagno.

Appendet Comitis Sigillum Flandriae de cera albida vinculo membranaceo.

No. CCXLIII.

Ottonis Aquitaniae Ducis Charta, qua Monachis Sabluncellenſibus in dioeceſi Santonenſi deceſſorum ſuorum Pictauienſium Comitum donationes confirmat. Anno 1197. Ex Gallia Chriſtian. T. I. Inſtrum. p. 477.

OTO *Dux Aquitaniae*, *Comes Pictauiae*, omnibus praeſentibus & futuris, chartam iſtam videntibus, ſalutem. Sciatis, me conceſſiſſe, & praeſenti charta confirmaſſe R. abbati, & fratribus *de Sabluncellis* pro amore Dei & pro ſalute animae meae, & parentum meorum, omnes eleemoſynas, dona, conceſſiones, quas ſuis praedeceſſoribus ante me fecerunt *Comites Pictauienſes*, videlicet locum, in

quo

quo ſita eſt abbatia de Sabluncellis, & quidquid habet in Malauilla, vt ducit via de Parirach ad campos de Peyrateaux arcis, & in villa ſancti Romani de Benais, ſiue in parochia eius tam in landis, quam in paludibus, tam in terra culta, quam inculta; praeterea quidquid habent in monte Toulon, cum ſubiacenti palude & landis & buſchis circumſtantibus, terris cultis, vel incultis. Locum quoque de Bertegiles cum landis, & buſchis, & praeterfluenti palude, quae palus extenditur a loco de Sabluncellis verſus vſque ad molendinum de Gado. Rurſus confirmo illis locum, qui dicitur de Manſagro cum nemore & terra culta ſiue inculta, dulci vel ſalſa (aqua), & cum externis, & cum captione volatilium & quadrupedum & piſcium. Confirmo etiam eis landam de Pendente-Capra, (*Chevre-penduë*) quae extenditur verſus nemus, quod dicitur Vlmus; nec non etiam landam quae dicitur de Arbore- curuata, (*Arbrecour*) & extenditur ad ampliationem praedictam, vſque verſus Gorzan de Farvaux. Iterum confirmo eisdem, vt quaecumque ſiue ad aedificia conſtruenda & reparanda, ſiue ad quotidianos vſus eccleſiae, ſiue domorum ſuarum, in lignis & lapidibus, paſcuis & aquis, ſeu aliquo alio modo, accipiant libere & quiete, ſine omni pretio, & ſine omni contradictione & exactione in foreſta, quae vocatur Baconis. Hoc quoque adiicitur: in vendendo res ſuas, & emendo alienas, ſeu tranſeundo per loca, ditioni meae ſubiecta, nihil ab eis exigatur, obtentu cuiuslibet conſuetudinis, videlicet paſcheriae, vectigalium, & tributi, & talliatae, ſeu cuiuslibet alterius exactionis; neque a ſubditis eorum laborantibus in terris & aquis, pratis, vineis, & hortis eorum. Praeterea lignorum ſeu lapidum opifices, & omne operariorum genus, quandiu operibus praedictorum fratrum intendunt, vel dum de opere ad propria remeant, & domibus ſuis ad opera veniunt, ſicut cetera familia, ſalui maneant vndique & illaeſi; nec per aliquam violentiam miniſterialium meorum quenquam operariorum ab operibus eorum amoueri & alias traduci ſit licitum. Quidquid etiam a Baronibus meis, & ab aliis hominibus meis acquirere dono & emptione poterunt, illud eis liberum & quietum annuo perenniter poſſidendum. Inſuper confirmo praeſcriptis fratribus, ſicut continetur in charta ſecundi W. C. M. N. Comitis Pictauienſis, *ataui mei*, duas maſuras de foreſta mea ad ampliationem circa locum de Sabloncellis, & nemus quod Lemeum dicitur, cum circumfluentia pratorum & paludis. Terminus autem, quo diuiditur illud nemus, quod Lemeum dicitur, eſt foreſta, & via, quae ducit de Balenzac ad pratum ſanctae Gemmae. Amplius confirmo eis annuam leuatam anguillarum in fluuio Carontonae, a ciuitate Xanctonica vſque ad caſtrum quod dicitur Merplins. Et ſicut Burgenſes Xanctonenſes

ſes de conſuetudine ibant ad ſubmonitionem Comitis cum nauibus ſuis ad leuatam illius faciendam; ſimiliter faciant ad ſubmonitionem fratrum de Sabloncellis, ſine omni remoratione; niſi fratres voluerint eos relaxare. Confirmo etiam ſupradictis fratribus in Xanctonenſi epiſcopatu per ſingulas villas ſingulos hoſpites, qui eis deſeruiant; & ob hoc ab exercitu & equeſtri conuocatione & talliata liberi habeantur. Rurſus confirmo eis quadraginta ſolidos publicae monetae, quos eis reddendos praecepit *auunculus meus*, *Richardus Rex Angliae*, per manus praepoſiti de Rochela, ſingulis annis. Vt autem haec mea conceſſio & confirmatio ſtabilis perpetuo maneat & inconcuſſa, eam litteris annotari feci, & *ſigilli mei* munimine roborari, teſtibus Gaufredo de la Cela Seneſcallo Pictauiae; Petro Bertin; Raymundo Mulo de Lozay Praepoſito Xanctonenſi, & multis aliis.

Apud *Sulbiſiam* (Soubize) octauo die Martii, *Comitatus mei anno primo.*

No. CCXLIV.

Monumentum regnantis in Aquitania Ottonis Ducis. Anno 1197. Ibidem T. II. p. 856.

STEPHANVS Decanus Burdigalenſis, Domini Archiepiſcopi Vicarius, & P. Abbas Aureuallenſis confirmant donationem cuiusdam prati apud Verruam, Monaſterio S. Maxentii factam, a P. Meingot, milite, Domino de Chaucarota: quam etiam ratam habuit Hugo Archiepiſcopus, Dominus Partiniaci.

Actum apud Partiniacum in capitulo beati Laurentii.

Audientibus Iohanne Priore S. Laurentii. Gauterio ſacriſta S. Maxentii. Iohanne Priore de Verrua, Monachis & aliis Militibus & Clericis.

Anno incarnati verbi M. C. XCVII.

Philippo Rege Franciae.

Ricardo Rege Anglorum.

OTTONE Comite Pictauenſium & Duce Aquitannorum.

No. CCXLV.

Charta cuiusdam militis, qui fit Monachus apud S. Stephanum de Vallibus in dioeceſi Santonenſi.

Ottone Ducatum Aquitaniae feliciter gubernante. Anno 1197.

Ibidem T. II. Inſtrum. p. 463.

EGO Arnaudus Gemo, Miles de Valle, excogitans, quanta mala eccleſie ſancti Stephani de Vallibus & eius membris intuleram &c.

dedi

dedi praefatae eccleſiae locum, qui vulgo appellatur Deſens: praeterea quidquid iuris habebam in duabus manſionibus Petri Bru & Vu. Fou, & X. ſolidos ſingulis annis ad illuminandum eccleſiam.

Actum apud *Valles* in manu Vu. Funelli Abbatis, qui tunc eccleſiam regebat, qui me Monachum fecit, & ad religionem huius eccleſiae me ſuſcepit, Incarnati Verbi anno MCCLVI. (*)

Innocente Papa III. regnante

Philippo Rege Francorum.

Richardo Rege Angliae.

OTHONE Ducatum Aquitaniae feliciter gubernante.

Henrico Epiſcopo Xantonenſi.

Teſtes ſunt: S. Prior eiusdem Abbatiae, G. Prior S. Palladii, S. Monachus. P. Archipresbyter Aruerti. R. de Montandra Clericus. A. Andros Clericus. Vu. Bocha & P. Sauaris milites, & Domina Nembriea, quae hoc donum voluit & conceſſit. (*forte:* conſenſit.)

No. CCXLVI.

Otto Dux Aquitaniae electioni & conſecrationi Ademari, Pictauienſis Epiſcopi, refragatur.

Anno 1197. Ex Cod. Mſcr. Coronae (*) in Sammarthan. Gall. Chriſtian. T. II. p. 1181.

In aduentu Domini MCXCVII. (***) conuenerunt ad Eccleſiam de Corona cauſa conſecrationis ſuae Ademarus de Peirato electus Pictauienſis, vir magnae manſuetudinis, & Raymundus de Caſtronouo electus Petragoricenſis. Sed iſte quidem per manum Heliae Burdigalenſis Archiepiſcopi, dominique Iohannis Engoliſmenſis, Santonenſis & Caturcenſis Epiſcoporum ibi conſecrationem accepit; alter vero propter inhibitionem & metum *OTHONIS Comitis Pictauienſis*, conſecrari non potuit. Sed Romam profectus, atque a ſummo Pontifice conſecratus, cum ad vrbem propriam repedaret, veneno vitam finiuit. (****)

No. CCXLVII.

*) Numeri corrupti. Reponendum potius MCXCVI.

**) Corona Monaſterium virorum eſt Ordinis S. Auguſtini in dioeceſi Engoliſmenſi. vid. ibid. p. 1043.

***) In margine legitur: *melius 1198.* Quod ego non probo; Cum Otto noſter eo anno iam a Proceribus Germaniae electus fuerit Imperator.

****) Obiit An. 1198. quippe tantum ſedit ſeptem hebdomadibus & tribus diebus.

No. CCXLVII.

Wilhelmi Auſcienſis Archiepiſcopi teſtimonium de Rogerio Oloronenſi Epiſcopo, falſi diplomatis fabricatore. Anno 1154. Ibid. T.I. Inſtrum. p. 198

NOTVM habeant vniuerſi, ad quos haec charta perueniret, quod eg W. Auſcitanae metropolis praeſul indignus, interfui exequiis Rodgerii bonae memoriae Olorenſis Epiſcopi. Cumque de more miſſarum & ſepulturae peregiſſem ſolemnia, & debitum defuncto fratri perſoluiſſem obſequium, cum Canonicis eccleſiae illius coepi diligenter pertractare de ſtatu defuncti. Nimirum in concilio, quod apud Nugariolum proximis anteactis diebus auctoritate metropolitica, Deo auctore, celebraueram, per violentiam potionis acceptae morte repentina, inteſtatus, inconfeſſus, naturae conceſſerat. Vnde mihi,* de eius *eſſe* ſtudioſius inueſtiganti, reſponſum eſt a clericis, quoniam inter cetera, quae, ſi dici licet, minus iuſte geſſerat, *falſum* confecerat *priuilegium*, hoc modo: Ad Electenſem veniens eccleſiam de priuilegio monaſterii illius adulterinum ſibi fecerat tranſcribi priuilegium, quibusdam mutatis, detractis & additis, bullamque nouam fabricari, qua priuilegium bullatum erat. Quo in facto ſpecialis acceſſit teſtis ſub oculis meis, vnus ex eis, qui in praeſentia ſua id factum fuiſſe teſtato aſſeuerabat. Hoc audito, miratus ſum vehementer, tanti viri prudentiam tam enormiter exceſſiſſe. Nolens autem, vt opinio defuncti pontificis huius rei fama ſuggillaretur, ſcriptum illud ignibus concremandum eſſe decreui, &, vt in occulto atque ſine mora fieret, praecipiendo praecepi. Huius rei & ſcriptura & voce viua teſtimonium perhibeo coram Deo & hominibus, quia ſcire volenti non eſt meum celare veritatem huius facti, ne ex occaſione priuilegii illius aliquod alicui poſſit emergere diſpendium.

No. CCXLVIII.

Henricus Comes Palatinus Rheni ſuo & fratrum Wilhelmi & Ottonis Comitis Pictauienſis nomine conſentit venditioni quinque quadrantium terrae in villa Woldesdorpe Friderico Bremenſi Praepoſito factae. Anno 1197. Ex authentico Mſct.

HENRICVS *Dei gratia Comes Palatinus Rheni* Friderico, ſancte Bremenſis Eccleſie maiori Prepoſito, & generaliter omnibus tenorem huius ſcripti videntibus, vere pacis & ſalutis incrementum.

mentum. Veritatem racione fultam inficiari nec volentes, nec valentes, recognoſcimus & ſignificamus omnibus, tam preſentibus quam ſucceſſuris hominibus, quod Thiedmarus de *Vlugelingen*, Miniſterialis noſter, permiſſione & conſentanea voluntate noſtra, & *duorum fratrum noſtrorum*, liberum arbitrium & poteſtatem habuit & habet, vendendi maiori Prepoſito F. quinque quadrantes terre, quos in villa Woldeſtorpe iuſte poſſidet. Quapropter nos conuentionem predicti ſcilicet Dni Prepoſiti & Thiedmari gratam & ratam habentes, ipſi Dno Prepoſito Warandiam predicte terre ex parte noſtri & *duorum fratrum noſtrorum* *WILHELMI* & *OTTONIS*, *Comitis Pictauienſis*, preſtamus, ipſamque ratihibitionem & Warandiam preſenti ſcripto & ſigillo noſtro roboramus. Teſtes autem huius poteſtatis, Thiedmaro de Vlugelinghen a nobis date & confirmate, hii ſunt:

Comes Luderus de Woldenberch.
Comes Siffridus de Blankenburck.
Helmoldus de Pleſſe.
Iordanus & Iuſarius, fratres de Blanckenburch.
Fridericus de Volcmarode.

No. CCXLIX.

Wilhelmi Domini Talemundenſis donatio ad Eccleſiam S. Mariae de Cancellata, hodie Fontenellas in dioeceſi Lucionenſi, facta *regnante Ottone in Alemannia.*

Anno 1210. Ex Gall. Chriſtian. T. II. Inſtrum. p. 420.

QVAE geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, litterarum teſtimonio debent perhennari. Noſcat igitur praeſens aetas & ſciat poſtera, quod ego Willelmus de Malleone, tunc temporis Dominus Talemundenſis, & Dominus de terra Rochae & pertinentiis, dedi & conceſſi in puram & perpetuam helemoſynam, pro ſalute animae meae, & anteceſſorum meorum, & ſucceſſorum, Deo & eccleſiae beatae Mariae de Cancellata, in foreſta mea de Rocha, terram, ſcilicet terram de domo Tornatoris de Cola ſicuti cheminus ducit vſque ad foramen, quod eſt ſuper domum Giraudi Bereut, & de Doito de Cola, ſicut pratum Paſtel diuidit vſque ad Plancham de Roiſol, qui percutit in Noa ſuper Fontenellas, diuidit & vadit vſque ad pratum Bechet. Vt autem haec donatio & conceſſo rata & inconuulſa inpoſterum permaneat, praeſens ſcriptum ſigilli mei munimine roboraui.

Ego vero Beatrix, vxor Domini Guillelmi de Malleone, cui Dominus Bernardus de Machecou pater meus cum terra Rochae & per-

 tinentiis

tinentiis me dedit ad vxorem, hanc donationem & conceſſionem, quam Dominus meus Guillelmus de Malleone fecit, volui & approbaui, &, vt maiorem obtineat firmitatem, praeſentem paginam ſigilli mei teſtimonio confirmaui.

Hoc donum factum fuit anno ab Incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo decimo, menſe Iulii.

Regnante OTTONE in Alemannia.
Philippo in Francia.
Iohanne in Anglia.

Huius rei teſtes ſunt: Guillelmus de Mota, Brientius de Monteacuto, Gaufredus Ruſſion, Guillelmus Vigier &c.

No. CCL.

Philippus Franciae Rex Innocentio III. Pontifici cauſas aperit, quamobrem Ottonem Regem odio habeat, ductas e praefectura Pictauienſi. Anno 1208.

Ex Marten. Collect. Ampliſſ. T. I. p. 1079.

REVERENDO in Chriſto patri ac Domino Innocentio, Dei gratia ſummo & vniuerſali pontifici, Philippus eadem gratia Rex Francorum, ſalutem, & tam debitam, quam deuotam reuerentiam. Super eo, quod nobis mandaſtis de Epiſcopo Cameracenſi, vt ei reſtitueremus ablata, & iniurias emendari faceremus, quae Cameracenſi eidem gentes noſtrae intulerunt; pro certo nouerit veſtra paternitas, quod nos de rebus eiusdem Epiſcopi nihil, aut gentes noſtrae habuimus vel habemus, nec ciuitas Cameracenſis de *Regno* eſt, ſed de *Imperio*: neque nos debemus emendare facta illorum, qui ſunt de *Imperio*; ſicut nec nos vellemus, quod ipſi emendarent facta illa, quae fiunt in *Regno* noſtro. Ad illud autem quod ſignificaſtis, quia amorem veſtrum reliquimus, & adhaeſimus *Philippo*, *Regi Alemanniae*, noueritis indubitanter, quod dilectioni eiusdem Philippi contra vos non adhaeremus; quamuis pluries ſuper hoc fuerimus requiſiti, nec adhuc in mente habemus, & Dominus ponat in corde veſtro & in mente, quod nos ad hoc non inducatis, quod alicui contra vos adhaerere debeamus. „Ceterum noueritis, „quod omnibus illis de iure confoederari poſſumus, qui *Regem OTHONEM* inquietant, & ei aduerſantur. Idem enim *OTHO*, dum eſſet „*Comes Pictauiae*, terram noſtram & eccleſias terrae noſtrae combuſſit & „depredatus eſt, nec poſtea nobis exinde ſatisfecit, neque nos treugam „aut pacem poſt illa malefacta habuimus, & quando cum *Iohanne Rege*

„*Angliae*

„ *Angliae* pacem habuimus, ipſum a pace illa excluſimus. (*) Vnde mirari „non debetis, ſi nos ipſum odio habeamus. Solus enim Deus nobis poteſt inſpirare, vt maleſactores noſtros diligamus.„ Ad illud autem, quod nobis mandaſtis, quod Epiſcopum Cameracenſem odio habemus, vobis reſpondemus, quod nos nullum ſacerdotem odio habemus, nec alicui ſacerdoti malum faceremus; maxime illi, qui eſt Epiſcopus & ſacerdos.

No. CCLI.

Permutatio molendinorum Rotomagenſium cum villa Andeliaco (**) inter Richardum Regem & Waltemarum Rotomagenſem Archi Epiſcopum, ſubſcripta a Regis fratre & *Ottone Comite Pictauienſi.* Anno 1197. Ex Rymer. Act. T. I. p. 96. & Ducheſnii Scriptor. Norman. p. 1052.

RICARDVS Dei gratia Rex Angliae, Dux Normanniae, Aquitaniae, Comes Andegauiae, Archi Epiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Iuſticiariis, Seneſcalcis, Vicecomitibus, Praepoſitis, Miniſtris, Balliuis, & omnibus fidelibus ſuis ſalutem. Cum Sacroſancta Eccleſia ſponſa ſit Regis Regum, & vnica dilecta illius, per quem Reges regnant & Principes gubernacula poſſident; tanto ampliorem ei volumus deuotionem & reuerentiam exhibere, quanto certius non regiam tantum, ſed omnem a Domino Deo eſſe credimus poteſtatem. Vnde, ſicut venerabilis Rothomagenſis Eccleſia, quae inter vniuerſas terrarum noſtrarum plurima celebritate dinoſcitur enitere, pro rerum neceſſitate vel temporum, noſtris ducit vtilitatibus opportuna diligentia conſulendum; ſic nos eiusdem matris noſtrae commodis & augmentis digna compenſatione dignum ducimus reſpondere. Sane villa *Andeliaci*, & quibusdam aliis adiacentibus locis, quae erant Rothomagenſis Eccleſiae, minus ſufficienter firmatis, inimicis noſtris in terram noſtram Normanniae per eadem loca patebat ingreſſus: per quae incendiis & rapinis, nec non & aliis hoſtilitatis ſaeuitiis in eandem terram nonnunquam licentius graſſabantur. Quocirca, venerabili patre

 Wal-

*) Vera haec eſſe oſtendit inſtrumentum pacis Galetonenſis anno 1200. menſe Maio factum, & inter caeteros Philippi homines a *Gaufrido Comite Pertici* ſecundo loco fideiubentis ſubſcriptum apud Rymer. Act. Anglic. T. I. p. 118. & Leibnit. Cod. Diplom. p. 8. cuius articulus XIX. ita habet: „In „conuentionibus iſtis Regi Angliae (*lege:* „a Rege Angliae) habemus conuentionem, „quod nec ipſe *nepoti ſuo Ottoni* nullum auxilium faciet, nec per pecuniam, nec per „milites, nec per gentem, nec per ſe, nec per „alium, niſi per conſilium & aſſenſum no„ſtrum. vide ſupra p. 581. ſq.

**) Hanc vi ad ſe adtractam Richardus munierat. Vnde turbae, diſcedente e prouincia Archiepiſcopo & interdictum relinquente. Coggeshale ad Annum 1197.

Waltero Archiepiſcopo & Capitulo Rothomagenſi debitum habentibus ad noſtra & praedictae terrae noſtrae damna reſpectum, facta eſt haec permutatio inter Eccleſiam Rothomagenſem & Archiepiſcopum Rothomagenſem Walterum ex vna parte, & nos ex altera parte de Manerio de Andeli in hac forma. Scilicet, quod idem Archiepiſcopus, de conſcientia & voluntate domini Papae Celeſtini Tertii, & de aſſenſu Capituli Rothomagenſis Eccleſiae, & Coëpiſcoporum ſuorum, & cleri eiuſdem Archiepiſcopatus, conceſſit, & in perpetuum quietum clamauit nobis & haeredibus noſtris praedictum *Manerium de Andeli*, cum nouo Caſtello de Rupe, & cum Foreſta, & cum aliis omnibus pertinentiis & libertatibus ſuis; exceptis Eccleſiis, & Praebendis, & feodis militum, & excepto Manerio de Fraxinis cum pertinentiis ſuis; quae omnia idem Archiepiſcopus Eccleſiae Rothomagenſi & ſibi, & ſucceſſoribus ſuis retinuit, cum omnibus libertatibus & liberis conſuetudinibus ſuis, & cum omni integritate ſua in perpetuum; ita quod tam milites, quam clerici, & omnes homines, tam de feodis militum, quam de praebendis ſequentur molendina de Andeli, ſicut conſueuerunt, & debent; & *moltura* erit noſtra. Archiepiſcopus autem & homines ſui de Fraxinis molent, vbi idem Archiepiſcopus volet; & ſi voluerint molere apud Andeli, dabunt molturas ſuas, ſicut alii ibidem molentes. In eſcambium autem praedicti Manerii de Andeli cum pertinentiis conceſſimus & in perpetuum quieta clamauimus Eccleſiae Rothomagenſi & praedicto Archiepiſcopo, & ſucceſſoribus ſuis, omnia molendina, quae nos habuimus Rothomagi, quando haec permutatio facta fuit, integre cum omni ſequela & moltura ſua, ſine aliquo retenimento eorum, quae ad molendina pertinent, vel ad molturam, & cum omnibus libertatibus & liberis conſuetudinibus, quas ſolent & debent habere. Nec alicui alii licebit molendinum facere ibidem ad detrimentum praedictorum molendinorum. Et debet Archiepiſcopus ſoluere eleemoſynas antiquitus ſtatutas de eiſdem molendinis. Conceſſimus etiam eis villam de Diepa, & villam de Boteilles, cum omnibus pertinentiis, & libertatibus, & liberis conſuetudinibus ſuis; exceptis eleemoſynis conſtitutis in Manerio de Diepa a nobis & anteceſſoribus noſtris, quarum ſumma eſt trecentae & ſeptuaginta duae librae, quae debent ſolui per manum praedicti Archiepiſcopi & ſucceſſorum ſuorum his, quibus aſſignatae ſunt. Conceſſimus etiam eiſdem Manerium de Louiers, cum omnibus pertinentiis & libertatibus & liberis conſuetudinibus ſuis, cum miniſterio de Louiers; ſaluis ad opus noſtrum *venatione noſtra* & deſtructione foreſtae, ita tamen quod non ſit in reguardo. Conceſſimus etiam eis totam foreſtam de Aliermont, cum *feris*, & omnibus aliis

aliis pertinentiis & libertatibus ſuis, ſicut eam habuimus. Haec autem omnia in eſcambium praedicti Manerii de Andeli, cum praedictis pertinentiis data habebunt Eccleſia Rothomagenſis & praedictus Archiepiſcopus & ſucceſſores ſui in perpetuum, cum omnibus libertatibus & liberis conſuetudinibus ſuis, ſicut praedictum eſt. Homines autem praedicti Archiepiſcopi, de praedicto eſcambio, habebunt omnes libertates, & liberas conſuetudines, quas habuerunt homines de Andeli, dum manerium ipſum eſſet in manu ipſius Archiepiſcopi. Haec etiam omnia, quae idem Archiepiſcopus in hoc eſcambio recepit, warantizabimus nos & haeredes noſtri Eccleſiae Rothomagenſi & praedicto Archiepiſcopo, & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum, contra omnes homines; ita quod ſi aliquis eſcambium aliquod eſt recepturus pro aliquo praedictorum, quae memoratus Archiepiſcopus hic recepit, nos vel haeredes noſtri faciemus illud eſcambium, & Eccleſia Rothomagenſis haec omnia praedicta in perpetuum pacifice poſſidebit. Nos autem, quantum Rex poteſt, excommunicamus & concedimus, quod incurrat indignationem omnipotentis Dei, quicunque contra hoc factum venerit.

Teſtibus his:

Huberto Cantuarienſi Archiepiſcopo. Iohanne Wigornienſi, Hugone Couentrenſi, Sauarico Bathonienſi, Henrico Baiocenſi, Garino Ebroicenſi, Liſiardo Sagienſi, Willielmo Lexouienſi, Willielmo Conſtantienſi, Epiſcopis. Willielmo Abrincenſi Electo. R. Sanctae Trinitatis de Monte Rothomagenſis, Regin. Sancti Wandregiſili, Victore Sancti Georgii, Arturo Vlterioris-Portus, Osberto de Pratellis, Hugone de Augo, Guillelmo de Cornauilla, Abbatibus. *IOHANNE Comite Moretonii. OTHONE Comite Pictauienſi.* Balduino Comite de Albemarle. Radulfo Comite Augi. Willielmo Mareſcallo Comite de Strigoill. Willielmo, filio Radulfi, Seneſcallo Normanniae. Roberto de Torneham Seneſcallo Andegauenſi. Willielmo de Humeto, Conſtabulario Normanniae. Giliberto filio Renfredi. Hugone Bruno. Gaufrido de Leziniaco. Willielmo de Rupibus. Radulpho Camerario de Tancaruilla. Willielmo Martello. Radulfo Teiſſim. (Texon.) Gaufredo de Say. Roberto de Harecourt (Harecuria) & multis aliis.

Datum per manum Euſtachii, Helienſis Electi, tunc agentis vices Cancellarii apud Rothomagum, Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Septimo, XVII. die Octobris, Regni noſtri Anno IX. (VIII.)

No. CCLII.

No. CCLII.

Otto Dux Aquitaniae, Comes Pictauiae, hominibus Oleronenſibus magna priuilegia concedit, ſubſcriptore ſororis marito, Domino Gaufrido, Comite Perticenſi. Anno 1197. Ex Rymer. Act. T. I. p. 105.

OTHO, *Dux Aquitaniae, Comes Pictauiae*, omnibus tam futuris quam praeſentibus, ad quos litterae iſtae peruenerint ſalutem. Sciatis pro certo, me dediſſe imperpetuum, & praeſenti carta priuilegialiter conceſſiſſe omnibus hominibus de *Olerone*, tam diuitibus, quam pauperibus, & haeredibus eorum, quod ego & ſucceſſores mei ipſis & eorum haeredibus in puellis vel viduis totius Inſulae Oleronis nuptui tradendis, in ballio pupillorum & viduarum, & poſſeſſionum ad ipſos pertinentium ſaiſiendo, ſale & vino proborum hominum capiendo, in poſſeſſionibus ſine liberorum procreatione decedentium occupandis, etiam aliis violentis huiuſmodi impedimentis, quae apud Oleronem a Principibus olim ſolebant fieri, nullam vim vel moleſtiam deinceps inferemus, nec inferri ab aliquo permittemus; ſaluis tamen & retentis iuſtis conſuetudinibus, & ſeruitiis noſtris, quae apud Oleronem praedeceſſoribus noſtris & mihi *ratione dominii* conſueuerunt (competere.) Volo autem & ſtatuo, vt hoc priuilegium, cum aſſenſu & voluntate Domini *Regis auunculi mei* factum, vniuerſis hominibus de Olerone & eorum haeredibus, ſicut ſuperius eſt adnotatum, illaeſum & inconcuſſum perpetualiter obſeruetur; nec vlli hominum liceat illud infringere, vel ei auſu temerario derogare. Quod vtique priuilegium, vt perpetuum robur & auctoritatem obtineat, ego *ſigilli mei* impreſſione feci has litteras inſigniri.

Teſtibus: *Domino Gaufrido Comite Perticenſi.*
Girardo de Furnuall.
Iohanne de Stagno.
Gaufredo de Cell. tunc Seneſcallo Pictauiae & Vaſconiae.
Petro Lbertini Lanuo.
Ogerio Soroneco Praepoſito Moſterolii, & multis aliis.

Anno incarnati verbi Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Octauo. XXIX. die Decembris.

Apud Benaon.

No. CCLIII.

No. CCLIII.

Alienora Regina iura Communiae firmat Oleronenſibus. Anno 1199. Ex Rymer. Act. T. I. p. 111.

ALIENORA Dei gratia *humilis Reginae Angliae*, Duciſſa Normanniae & Aquitaniae, & Comitiſſa Andegauiae, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, Seneſcallis, Praepoſitis, Iuſticiariis, Balliuis & vniuerſis, tam futuris, quam praeſentibus, ad quos literae iſtae peruenerint, ſalutem. Sciatis, nos conceſſiſſe, & praeſenti Carta noſtra in perpetuum confirmaſſe, dilectis & fidelibus noſtris, vniuerſis *iuratis communiae Oleronis*, & eorum haeredibus perpetuam & inuiolatam ſtabilitatem communiae ſuae iuratae apud Oleronem, vt tam noſtra, quam ſua propria iura melius defendere poſſint, & magis integre cuſtodire; ſalua in omnibus & retenta fidelitate noſtra & haeredum noſtrorum; ſalua etiam libertate, & ſaluis iuribus Sanctae Eccleſiae, quae perfecte & integre praecipimus obſeruari. Volumus igitur & praecipimus, vt ipſi, & eorum haeredes iuſtas & liberas conſuetudines terrae ſuae cuſtodiant, defendant & teneant, ſicut anteceſſores eorum eas, ſub anteceſſorum noſtrorum dominio, tenuerunt; & vt, ad ipſas cuſtodiendas, defendendas & tenendas, totam vim & totum poſſe communiae ſuae, ſalua fidelitate noſtra & haeredum noſtrorum, contra omnem hominem ſi neceſſe fuerit, exerceant & apponant. Vt autem haec noſtra conceſſio ſiue confirmatio perpetuam autoritatem & plenum robur obtineat, nos cartam iſtam ſigillo noſtro fecimus ſigillari.

Datum apud Andilliacum, Anno Incarnati verbi Milleſimo Centeſimo Nonageſimo nono.

Teſtibus: Domino Henrico, tunc Xantonenſi Epiſcopo. Petro Bertino, tunc Seneſcallo Pictauiae. Launo Ogerio. Chalone de Rocha Forti. Gauf. de Chauigne. Himberto de For. Willielmo Bormaut. Iohanne Roilloy. Iohanne Vitale. Iohanne Ioſcelino & multis aliis.

No. CCLIV.

Iohannes Rex Angliae Oleronenſibus dat iura Communiae. Anno 1199. Indidem p. 112.

IOHANNES Dei gratia Rex Angliae, Dominus Hiberniae, Dux Normanniae & Aquitaniae & Comes Andegauiae Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Iuſticiariis, Vice-

ed by Googl

comitibus, praepoſitis & omnibus Balliuis & fidelibus noſtris ſalutem. Noueritis, quod nos conceſſimus & praeſenti Charta noſtra confirmauimus dilectis & fidelibus noſtris de *Olerone*, quod habeant *Communiam* in Olerone. Quare volumus, & firmiter praecipimus, quod ipſi communiam habeant bene & in pace, cum omnibus libertatibus & liberis conſuetudinibus ad Communiam pertinentibus. Conceſſimus etiam eis & Carta noſtra confirmauimus, quod ipſi habeant omnes libertates & liberas conſuetudines per totam terram noſtram, quas habere debent & ſolent, ſicut Carta *ALIENORAE* Reginae, *Matris noſtrae* teſtatur; ſaluo in omnibus iure noſtro. Teſtibus:

E. Elienſi. S. Bathonienſi Epiſcopis. Willielmo Comite Arundel. R. Comite Leiceſtriae. Garin filio Geroldi. Sahero de Quent.

Dat. per manum H. Cantuarienſis Archiepiſcopi, Cancellarii noſtri. Apud Vernolium, viceſimo tertio die Iulii, *Anno Regni noſtri primo.*

No. CCLV.

Rex Angliae Iohannes Reginae matri poſt diſceſſum Ottonis Pictauiam dimittit. Anno 1199.

Indidem p. 113.

IOHANNES Dei gratia &c. Sciatis, nos conceſſiſſe, & praeſenti Carta noſtra confirmaſſe kariſſimae ac venerabili Dominae, & matri noſtrae *ALIENORAE*, Dei gratia Reginae Angliae, quod habeat & teneat, omnibus diebus vitae ſuae, vel quamdiu ſibi placuerit, totam *Pictauiam* cum omnibus pertinentiis, cum tota haereditate & adquiſitione, quae eam ex aliqua parte, vel quocumque iure, contingat, quod nobis tanquam recto haeredi ſuo conceſſit & dimiſit, & carta ſua confirmauit, & vnde homagium noſtrum recepit; & vnde dominium totius terrae praedictae homagium, fidelitatem & ſeruitia nobis atturnauit. Et non tantum de praedictis terris noſtris volumus quod ſit Domina; ſet etiam de nobis, & omnibus terris, & rebus noſtris. Conuentio etiam inter nos, quod ipſa nil dabit de praedictis ſine aſſenſu & conſilio noſtro; nec nos, ſine aſſenſu & conſilio ſuo; excepto aliquo competenti beneficio, quod ipſa, vel nos faciamus pro ſalute animarum noſtrarum.

Teſte me ipſo &c.

No. CCLVI.

No. CCLVI.

Alienora Regina Angliae Abbatiae de Gratia S. Mariae, a Richardo filio fundatae, confirmat donum, quod ei fecit *Otto*, nepos eius, tunc *Dux Aquitaniae & Comes Pictauienſis*. Anno 1199. Ex Gall. Chriſtian. T. II. inſtrument. p. 389.

ALIENORA Dei gratia humilis Regina Angliae, Duciſſa Normanniae & Aquitaniae, & Comitiſſa Andegauenſis, archiepiſcopis, epiſcopis, comitibus, baronibus, ſeneſcallis, praepoſitis, iuſtitiariis, balliuis, & vniuerſis tam futuris quam praeſentibus, ad quos litterae iſtae peruenerint, ſalutem. Sciatis, nos conceſſiſſe, & praeſenti carta confirmaſſe, abbatiae de Gratia ſanctae Mariae, quae eſt filia abbatiae Gratiae Dei, donum, quod eidem abbatiae fecit *OTHO nepos noſter*, tunc *Dux Aquitaniae & Comes Pictauienſis*, quam fundauit kariſſimus *filius* noſter *Ricardus*, Dei gratia quondam venerabilis Rex Angliae, videlicet quicquid *Comes Pictauienſis* habebat in banchis de Rochella, & in *Olerone* redditum quemdam, qui vocatur Meſtiua de Trea, & quicquid ad eundem redditum pertinet, & quicquid *Comes Pictauienſis* habebat in cenſibus domorum de *Olerone*, & vnam procurationem, quam annuatim habebat in prioratu ſancti Petri de Olerone, & aliam procurationem cum vno ſextario auenae, quem ſimiliter annuatim habebat in villa quae dicitur *Alberium*. Quae vt perpetuo firma conſiſtant, praeſentem cartam *ſigillo* noſtro fecimus ſigillari. Haec, inquam, omnia pro remedio animae noſtrae, & kariſſimi *filii* noſtri *Ricardi* regis Angliae, praefatae eccleſiae libere & quiete conceſſimus & confirmamus.

Datum apud *Niortum* anno ab Incarnatione Domini M. C. XCIX. menſe Maio, teſtibus hiis:

Guidone Abbate Ciſtercii. Iohanne Abbate Oratorii. P. Bertin[illegible] tunc Seneſcallo Pictauienſi. Chalone de Rupe forti. Longu[illegible] Ogerio, & pluribus aliis.

No. CCLVII.

Richardi Angliae Regis, fundatoris, priuilegium in compendium miſſum. Anno 1189. Indidem p. 388.

RICHARDVS Dei gratia Rex Angliae, Dux Normanniae & Aquitaniae, Comes Andegauenſis, Archiepiſcopo Burdegalenſi, & Epiſcopo Xantonenſi, Comitibus, Baronibus, Iuſtitiariis, Prae-

poſitis, & omnibus miniſtris & fidelibus ſuis ſalutem. Sciatis, nos conceſſiſſe, & praeſenti carta confirmaſſe, eccleſiae noſtrae Gratiae beatae Mariae, & monachis ibidem Deo ſeruientibus, omnes donationes, quas eis fecimus de fundatione eorum in inſula de Lagullona, & loco de Pala cum pertinentiis ſuis. - - Concedimus etiam eis & confirmamus, vt in omnibus rebus antiquas conſuetudines Beneonis vel Rochellae eis tenere liceat, id eſt, ea, quae in parochia, quam habitant, *per annum & diem*, vel in alia parochia, quam non habitant, *per diem & ſeptemnium* ſine calumpnia tenuerint, deinceps libere & quiete poſſideant. - - Sciant ſiquidem vniuerſi, quod praefata eccleſia & monachi, & omnes res eorum & poſſeſſiones & homines ſunt in manu, & cuſtodia & protectione noſtra. Quare prohibemus, ne eis vel hominibus ſuis, ſiue rebus eorum, aliquam iniuriam faciatis, vel fieri permittatis. Teſtibus Guidone de Toarz, Wellelmo de Forz, P. Bertin, P. de Voluiria, Gaufrido de Pons, fratre Milone.

Data per manum Iohannis de Alenconio, Lexouienſi Archidiacono, Vicecancellario, VIII. die Maii apud Coignac, *anno primo regni noſtri.*

No. CCLVIII.

Alienora Regina confirmat Eccleſiae Burdigalenſi priuilegia maiorum & poſſeſſiones ſuas.

Anno 1199.(*) Ex Gall. Chriſtian. T. II. inſtrum. p. 285.

ALIENORA Dei gratia Regina Angliae, Duciſſa Normanniae & Aquitaniae, Comitiſſa Andegauenſis - - - Noueritis, quod nos concedimus & confirmamus omnes donationes & libertates olim conceſſas per quoſcumque praedeceſſores noſtros, quondam Vaſconiae dominos, Odonem ſiue Sancium & omnes alios, archiepiſcopis Burdegalenſibus, ſcilicet tertiam partem camerae, vendae, monetae Burdegalenſis, & tertiam partem omnium teloneorum de Boeys, & nauim liberam ab omnibus teloneis a Mauritania vſque ad Lingonem; adiicientes pro ſalute animae noſtrae & omnium noſtrorum, quod omnes Burdegalenſes archiepiſcopi canonicam habeant libertatem, & quod nullus de noſtris aut ſucceſſorum noſtrorum gentibus aut ſubditis vel miniſtris ſiue fidelibus archiepiſcoporum Burdegalenſium eccleſias, capellas, villas, domos, terras, territoria, homines, poſſeſſiones, bona, & quaſcumque res alias, aut ſuorum, inuadere, occupare, moleſtare, ſeu in aliquo grauare ſiue damnificare audeat, nec nunc, nec in perpetuum, & quicumque

cumque

*) Ibi eam hoc anno menſe Iulio fuiſſe, probatur ibi p. 820.

cumque aliquid de praemiſſis fecerit, archiepiſcopi Burdigalenſes ſua auctoritate talium malitiam ſine cuiuſquam requiſitione arcere & cohibere valeant . . . . his teſtibus.

Helia archiepiſcopo Burdegalenſi. Roberto de Corneani, Seneſcallo Pictauienſi. Martino Algay Seneſcallo Vaſconiae. Ioſcelino & Rampnulphis, capellanis noſtris & multis aliis.

No. CCLIX.

Carta Reginae Alienorae, per quam confirmat Communiae de Oleron, libertates ſuas & conſuetudines antiquas. Anno 1199. Ex Rymeri T. I. p. 111.

Vide ſupra No. CCLIII. p. 745.

No. CCLX.

Alienora Regina Oleronenſibus confirmat priuilegia, abrogatis prauis conſuetudinibus ſub Henrico II. introductis. Anno 1199. Ex Rymer. Act. T. I. p. 111.

A*LIEONORA* Dei gratia humilis Regina Angliae, Duciſſa Normanniae & Aquitaniae, & Comitiſſa Andegauiae, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, Seneſcallis, Praepoſitis, Iuſticiariis, Balliuis vniuerſis, tam futuris, quam praeſentibus, ad quos litterae iſtae peruenerint, ſalutem. Sciatis, nos conceſſiſſe, & praeſenti Carta noſtra in perpetuum confirmaſſe dilectis & fidelibus noſtris *vniuerſis hominibus de Olerone*, & eorum haeredibus, vt de puellis & viduis ſuis nuptui tradendis, & de maſculis ſuis vxorandis, & de Ballio puellarum, & viduarum, & maſculorum ſuorum habendo, ſine noſtri & noſtrorum haeredum contradictione, ad voluntatem ſuam licite faciant in perpetuum & ſecure. Conceſſimus etiam, vt ipſis & eorum haeredibus vina ſua, & ſal ſuum, & omnes ceteras res venales, nullius obſtante inhibitione, vendere & quolibet modo diſtrahere liceat. Conceſſimus etiam ipſis & eorum haeredibus, vt in vltimis teſtamentis ſuis res & poſſeſſiones ſuas diuidant ad voluntatem ſuam, vel ad voluntatem amicorum ſuorum, ſi forte aliqui ex eis, praeoccupati vel occiſi, copiam & poſſe non habuerint teſtamentum ipſum diſponendi. Omnes etiam prauas conſuetudines, quae apud Oleronem impoſitae ſunt, ex quo venerabilis & illuſtris *vir noſter*, dominus *Henricus* Rex Angliae nobiſcum matrimonium contraxit, quaſſamus in perpetuum & penitus abolemus; volentes & praecipientes, vt praedicti

homines de Olerone, & eorum haeredes iuſtas & liberas conſuetudines terrae ſuae cuſtodiant & habeant, ſicut anteceſſores eorum ſub noſtrorum anteceſſorum dominio tenuerunt. Vt autem haec noſtra conceſſio ſiue confirmatio perpetuam auctoritatem & plenum robur optineat, nos cartam iſtam ſigillo noſtro fecimus inſigniri.

Datum apud Andiliacum, Anno incarnati verbi, Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Nono.

Teſtibus: Domino Henrico, Xancton. Epiſcopo. Petro Bertino, tunc Seneſcallo Pictauiae. Launo Ogerio. Chalone de Rochforti. Gaufrido de Chauuigne. Hymberto de Forum. Willielmo Bormant. Iohanne Roilloy. Iohanne Vitale. Iohanne Ioſelino, & multis aliis.

No. CCLXI.

Eadem Reginaldo de Marinis in vrbe Pictauienſi furnum publicum concedit. Anno 1203.

Ex Beſl. Hiſtor. Comit. Pictau. p. 497.

ALIENORA Dei gratia Regina Angliae, Duciſſa Normanniae & Aquitaniae, Comitiſſa Andegauiae, omnibus, ad quos praeſens ſcriptum peruenerit, ſalutem in vero ſalutari. Nouerit vniuerſitas veſtra, quod nos, intuitu obſequii, nobis & filio noſtro bonae memoriae, *RICARDO Regi*, fideliter impenſi, conceſſimus & dedimus Raginaldo de Marin. & ſucceſſoribus ſuis, vel quibuscumque relinquere voluerit, furnum vnum in platea, quae dicitur trium furnorum. Hoc autem donum ei fecimus & ſucceſſoribus ſuis, habendum & tenendum, de nobis & ſucceſſoribus noſtris, libere, quiete & pacifice, ſine qualibet exactione. Hominibus vero, ad furnum ſuum frequentantibus, pro *fornagio* libertatem dedimus de talliis & exactionibus, & omnibus malis conſuetudinibus. Vt autem haec noſtra conceſſio & donatio robur habeat perpetuum, eandem ſigilli noſtri appoſitione corroborauimus.

His teſtibus: Radulpho de Faia. Willelmo Vigerio. Capicerio de Caluiniaco, milite Dominae Reginae. Senoreto maiore Pictauis. Ioſcelino, Ranulfo, Capellanis Reginae. Magiſtro Richardo. Domino Drogone de Bernazai, & Drocone Capellano ipſius, & Henrico Clerico Domni Epiſcopi Pictauenſis, & Iohanne de Plagina, & Willelmo Ioſeph ſcriptore, & multis aliis.

Factum eſt hoc anno ab incarnatione Domini MCCIII.

No. CCLXII.

No. CCLXII.

Iohannes Angliae Rex ſolui iubet reditus de Pictauia, quos Otto nepos ſuus aſſignauerat.

Anno 1206. Ex Rymer. Act. Angl. T. I. p. 140.

REX Sahero de Malo-Leone ſalutem. Mandamus vobis, quod habere faciatis Abbati & Monachis Eccleſiae ſanctae Mariae de Chaurrun. quinquaginta libratas redditus de Pictauia, quas dilectus *nepos noſter*, Dominus *OTHO*, *dum haberet Balliuam Pictauiae* eis dedit in Rupella & in Olerone, niſi eas alibi dederimus, & eis alibi commodius ad opus noſtrum aſſignari poſſit; tunc illas eis alibi aſſignari faciatis, quouſque in partes illas venerimus.

Teſte, Domino Iohanne de Gray. Cant. Electo, & Domino P. Winton. Epiſcopo.

Apud Lamb. viceſimo quinto die Martii.

No. CCLXIII.

Otto Aquitaniae Dux Praeſulibus in Ducatu Aquitaniae conſtitutis mandat, vt canoniſationem S. Geraldi (*) Abbatis in ſuis Eccleſiis promulgent. Anno 1197.

Ex Marten. Anecdot. T. I. p. 666.

O*THO Dux Aquitaniae*, *Comes Pictauiae*, venerabilibus viris Archiepiſcopis & Epiſcopis, aliarumque eccleſiarum praelatis in ducatu Aquitaniae conſtitutis, ſalutem. Sciatis quod Dominus Papa ſignificauit mihi per literas ſuas, ſanctum Geraldum, Abbatem primum & fundatorem Monaſterii Syluae maioris, multis & magnis atteſtantibus eius ſignis & miraculis, in coelo iamdudum gloria & honore coronatum, nuper de conſilio & ex decreto Romanae Eccleſiae ob meritorum eius ac virtutum inſignia, quae fecit per illum Dominus, ab Eccleſia Romana canoniſatum, & in catalogo ſanctorum annumeratum, praeſentibus quamplurimis Archiepiſcopis & Epiſcopis, aliiſque eccleſiarum praelatis, ipſiusque feſtum cum deuoto laudis obſequio Romae ſolemniter celebratum eſſe. Mandans mihi, quatenus feſtos eius, vt ipſius meritis debeam & interceſſionibus adiuuari, deuote celebrem, eundemque Dei ſanctum ſincera colam & venerer deuotione, atque alios exemplo

*) Hic Monaſterii Siluae maioris, inter Garumnam & Dordoniam haud procul Burdigala ſiti, conditor, Anno 1095. defunctus, a Coeleſtino PP. III. Anno 1197. V. Cal. Maii in album Sanctorum relatus eſt. vid. Gallia Chriſtian. T. II. p. 867.

plo & hortatu meo ad hoc ipſum inducam. Mandatum ergo apoſtolicum deuote in hac parte ſuſcipiens, & reuerenter amplectens, rogo vos, quatenus in ſynodis veſtris & in Eccleſiis & conuentibus hoc ipſum fidelibus vobis commiſſis, ob reuerentiam eiusdem Sancti denuncietis faciendum, & diligenter obſeruandum, vt pro nobis omnibus intercedat ad Dominum. Omnibus autem quicumque ad viſitandum ſanctum corpus eius, & ad dies feſtos ipſius, ſiue ad feriam & ad nundinas venerint, quas concedo eidem Monaſterio penitus liberas, & ibi conſtituo celebrandas ſingulis annis in die Reuelationis eius, quarto die ante natiuitatem ſancti Iohannis Baptiſtae, vniuerſis praeſto ſecuritatem eundo & redeundo.

No. CCLXIV.

Confoederatio Philippi Sueui cum Philippo Franciae Rege contra Ottonem Romanorum & Richardum Angliae Regem. Anno 1198. Ex Rymer. Actis Anglic. T. I. p. 107.

PHILIPPVS *Romanorum Rex ſemper Auguſtus.* Notum, &c. Quod propter dilectionem, quam mutuo habuerunt erga Dominum *Philippum*, Regem Francorum, genitor noſter *Fredericus*, & *Henricus*, *frater noſter*, piae recordationis, Romanorum Imperatores, hanc confoederationem propter bonum pacis & publicam vtilitatem cum chariſſimo amico noſtro, *Philippo* illuſtri Rege Francorum duximus ineundam, in hunc modum. Quod nos eidem adiutores erimus, nominatim contra *RICARDVM Regem Angliae*, & *Comitem OTHONEM*, *nepotem ipſius*, & *Balduinum Comitem Flandriae*, & *Adolphum Archiepiſcopum Coloniae*, & contra omnes alios inimicos eius, vbicumque cum honore noſtro id facere poterimus, bona fide & ſine malo ingenio, quando locum & tempus id faciendi habebimus. Si aliquis de Imperio noſtro eidem *Philippo* Regi Francorum malum, vel ipſius regno, fecerit, ſi ille, qui deliquiſſet, non emendaret hoc per nos, vel per nuncios noſtros, per pacem, vel per rectum in Marchia competenti; infra quadraginta dies, poſtquam id ſciuerimus per praedictum Regem Francorum, ſi fuerimus circa montes, vel Epiſcopus Metenſis hoc ſciuerit, ſi fuerimus vltra montes, Dominus Rex Francorum poterit ſe vindicare de eo ſine interruptione, & nos iuuabimus eum bona fide. Nos non retinebimus in Imperio noſtro aliquem hominem de regno Franciae, ſiue clericum, ſiue laicum, contra voluntatem chariſſimi amici noſtri praedicti Regis Franciae. Praedictus Rex Franciae, quandocumque voluerit,

poterit

poterit ſe vindicare de Comite Flandriae, de terra, quam idem Comes habet in Imperio, tam in feodo, quam in dominio, & hoc ſine interceptione. Nos bona fide promittimus, quod ſi ſciremus, quod aliquis quaereret malum *Philippi* Regis Francorum illuſtris, vel eius regni, nos bona fide id diſturbaremus, &, ſi non poſſemus diſturbare, id nunciaremus eidem Regi. Et quando, Domino volente, coronati fuerimus in Imperatorem, has conuentiones eidem illuſtri Regi Francorum renouabimus, & ſigillo noſtro confirmabimus. Nos autem in manu Neuelonis, venerabilis Sueſſionenſis Epiſcopi, fiduciauimus, quod omnia praedicta bona fide obſeruabimus. Id etiam de mandato noſtro, dilecti Principes noſtri.

Conratus Wirzeburgenſis. B. Mettenſis. Diethelmus Conſtantienſis Epiſcopi. Theodoricus quoque de Greuch. Fredericus de Zolre. Hartemannus de Careberch. (*Sarebrug.*) Godefridus de Vehinge, (*Vehringe.*) Euerhardus de Euerſten, Comites;

Et de latere noſtro, Truſardus Camerarius noſter. Warnerus de Roſſenach. Warnerus de Bollande. Warnerus de Ceangues, milites,

iurauerunt, quod bona fide ſtudebunt, quod haec a nobis obſeruentur & teneantur. Id quoque adhuc vnum Archiepiſcopum, & vnum Epiſcopum iurare faciemus.

Datum Warniaci Anno Dominicae Incarnationis, Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Octauo, Regni noſtri primo. Tertio Kalendas Iulii, per manum Imperialis aulae Prothonotarii.

No. CCLXV.

Adolfi Colonienſis Archiepiſcopi confoederatio cum Witekindo, Abbate Corbeienſi, ſcripta ipſo die coronationis Ottonis Regis. Anno 1198. Ex Schaten. Annal. Paderborn. T. I. p. 916.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *Adolphus* diuina fauente clementia ſanctae Colonienſis Eccleſiae Archiepiſcopus. Licet naturalis Legis aequitas generaliter depoſcat, vt omnes Eccleſiae mutuis gaudeant conſolationibus, tamen quia plus ſolet obligare, quod ſpecialiter pollicetur, quam quod generali ſponſione concluditur; notum facimus tam futuris, quam praeſentibus, quod temporibus Widekindi Corbeienſis Abbatis, inter noſtram & ipſius Eccleſiam, conſentientibus

& cooperantibus noſtris fidelibus, huiuſcemodi obſeruationis foedus adhibitis neceſſariis ſolemnitatibus contraximus, vt praedicta in quolibet neceſſitatis articulo noſtro fulciatur praeſidio, & verſa vice noſtra Eccleſia a Corbeienſi opportunum auxilii experiatur commodum. Ne ergo pactum tam ſolerti induſtria firmatum, nobis & praedicto Abbate decedentibus, aliqua ſucceſſorum leuitate ſoluatur, non ſolum circa perſonas praeſidentium, quae mutari poſſunt, ſed circa praenominatas Eccleſias perpetua ſtabilitate inuiolabiliter ſtatuimus obſeruandum. Huius ergo facti ſeriem praeſenti inſtrumento commendatam ſigilli noſtri & Eccleſiae beati Petri impreſſione firmamus, & teſtium ſubſcriptione roboramus.

Teſtes ſunt hi:

Theodericus Traiectenſis Epiſcopus.
Tietmarus Mindenſis Epiſcopus.
Heribertus Abbas de Werthen.
Ludewicus Maior Praepoſitus.
Vdo Maior Decanus.
Bruno Bunnenſis Praepoſitus.
Theodericus Praepoſitus SS. Apoſtolorum.
Engelbertus Praepoſitus S. Georgii.
Herimannus Chori Epiſcopus.
Rodolfus maior Scholaſticus.
Heinricus Dux de Limburg.
Heinricus Comes de Seyna.
Simon Comes de Teckeneborg.
Arnoldus Comes de Altena.
Albertus Comes de Euerſtein.
Adolfus Comes de Monte.
Heinricus Comes de Keſſele.
Heinricus Comes de Hukeſwage.
Herimannus de Waldeke.
Heinricus de Swalenberg.
Henricus & Gerardus de Wolmundeſtein.
Herimannus Colonienſis Aduocatus.
Herimannus Sclultetus de Suſatia, & Herimannus filius eius.
Otto Camerarius.
Henricus Dapifer.
Henricus Marſcalcus.
Adam Pincerna, & alii quam plures.

Acta ſunt haec anno Dominicae Incarnationis MCXCVIII. Indict. I.

Datum

Datum apud Aquiſgranum *IV. nonas Iulii*, per manus Godefridi Cappellani, *in die ſcilicet Coronationis Domini* OTTONIS *quarti Romanorum Regis* feliciter Amen.

No. CCLXVI.

Otto Rex Adolfo Colonienſi Archiepiſcopo allodium in Salefeld dimittit, Ducatum confirmat, & iuri ſpolii renunciat. Anno 1198. Ex Gelen. Coment. hiſtor. de Vit. S. Engelberti. p. 25.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis *OTTO* diuina fauente clementia *Romanorum Rex ſemper Auguſtus.* Ratio ſuadet, aequitas requirit, Noſtramque decet Celſitudinem, omnium Eccleſiarum indemnitati noſtra ſolertia prouidere, & eas in ſui honoris ac iuris conſeruatione pie & clementer confouere: inter quas ſpecialis gratiae beneuolentia Colonienſem diligentes Eccleſiam, vniuerſa bona, quibus a noſtris anteceſſoribus minus decenter priuata eſt, reſtituenda duximus ac liberanda, nec non ab indebitis oppreſſionibus miniſteriorum, quibus quorundam aggrauata eſt; ad haec quidem per fideliſſimum Principem noſtrum Adolphum venerabilem Archiepiſcopum inuitati. Inde eſt, quod omnibus Chriſti fidelibus per ſcriptum praeſens cupimus clareſcere, quod nos, attendentes deuotionis ac fidelitatis conſtantiam iam dicti Principis noſtri, nobis ſaepius exhibitam, Colonienſi Eccleſiae, ei, eiusque ſucceſſoribus, allodium in *Saleueldt*, cum omni integritate & vſu fructu attinentium, plene reſtituimus, & in perpetuum confirmamus. . . . . . Et Ducatus, allodia, feoda, ſiue miniſteriales, quos nunc Colonienſis Eccleſia vel alii eius nomine poſſident, cum bona voluntate Noſtra & *fratrum* Noſtrorum; *HENRICI Palatini Rheni*, & *WILHELMI de Brunſwick* & heredum noſtrorum, ſine calumnia ſaepe nominatus Archiepiſcopus & eius ſucceſſores in perpetuum poſſidebunt. Mindenſis etiam Eccleſia ea, quae a Colonienſi Eccleſia de bonis tenet, eisdem quiete ſine aliqua contradictione poſſidebit. Praeterea conſuetudinem minus decentem, quam *Fridericus* Imperator contra iuſtitiam induxerat, ſcilicet quod decedentibus Principibus, Eccleſiaſticis videlicet Perſonis, quemadmodum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Abbatiſſis & Praepoſitis, eorum ſuppellectilem ſibi violenter vſurpauit, penitus abolemus, nec a nobis, nec a noſtris ſucceſſoribus retractandam. Adhaec bona fide praememoratum iuuabimus Archiepiſcopum, vt bona quae Colonienſis Eccleſia a Moſella ſuperius tenet, & a quorum poſſeſſione ipſe violenter

lenter deſtitutus eſt, recuperet. Vt igitur hoc regalis noſtrae munificentiae factum pium ac commendabile, nullius impoſterum calumnia perturbari poſſit, ſed ratum permaneat, etiam in perpetuum perſeueret, praeſentem iſtam paginam conſcribi, & Maieſtatis noſtrae ſigillo iuſſimus inſigniri.

Cuius rei teſtes ſunt:

. . . . Argentinenſis Epiſcopus.
Dithmarus Mindenſis Epiſcopus.
Tirricus Traiectenſis Epiſcopus.
Bernardus Paderbornenſis Epiſcopus.
. . . . Xantenſis.
Bonnenſis Praepoſitus, Bruno.
Mechtildis Duciſſa Brabantiae.
Baldewinus Comes Flandriae.
Henricus Dux de Limburch.
Otto Comes Geldrienſis.
Arnoldus Comes de Cliuo.
Tirricus Comes Hollandiae.
Henricus de Kiuck.
Henricus Comes de Seyna.
Simon Comes de Teclenburg.
Arnoldus Comes de Altena.
Wilhelmus Comes Iuliae.
Gerhardus Comes de Are.
Henricus Comes de Hockeswagen.
Henricus Comes de Keſſele.
Rutgerus de Merheim.
Conradus de Dicka.
Giſelbertus & Rutgerus de Brempt.
Otto de Wickerothe.
Henricus & Gerhardus de Wolmunſtein.
Hermannus Aduocatus Colonienſis.
Hermannus de Aluetre Mareſcalcus.
Otto Camerarius.
Reymarus de Rothe.
Giſelbertus de Cerreke, & alii quam plures viri honorati.

Signum Domini OTTONIS Quarti Romanorum Regis inuictiſſimi.

No. CCLXVII.

No. CCLXVII.

Idem Rex Witekindo Abbati Corbeienſi ius foreſti in Soligo concedit, & priuilegia confirmat.

Anno 1198. Ex Schaten. Annal. Paderborn. T. I. p. 921.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *OTTO* diuina fauente clementia *Romanorum Rex & ſemper Auguſtus.* Vniuerſis regni fidelibus in perpetuum. Cum diuina clementia nos ad Romani regni faſtigium prouehere dignata ſit, merito ſubiectorum noſtrorum patrociniis intendere, & maxime locorum venerabilium iura manutenere & augmentare debemus; & ſi quae per alicuius potentiam Eccleſiis Dei fuerunt ſubtracta, ea ad priſtinum ſtatum ex regali beneuolentia reuocare volumus. Quapropter vniuerſis tam futuris quam praeſentibus regni noſtri fidelibus notum eſſe volumus, quod fideli noſtro Widekino Corbeienſi Abbati, & Eccleſiae ſibi commiſſae, feodum foreſti, quod *Soligo* dicitur, in praeſentia Principum Imperii recognouimus & tradidimus, eo tenore, vt in eo vſum venandi habeat, & ius, quod vulgariter *Wiltban* appellatur, ſine qualibet contradictione excerceat. Bona quoque Corbeienſis Eccleſiae antiqua, vel de nouo acquiſita, vacantia, vel locata, & iurisdictiones, videlicet Aduocatias & comitatus, & regales bannos, quos ipſi de noſtra Serenitate indulſimus, priuilegiis confirmamus. Vt ergo inuiolabiliter obſeruetur, quod legaliter ordinauimus, huius facti ſeriem praeſenti inſtrumento commendatam ſigilli noſtri impreſſione, & teſtium ſubſcriptione roboramus, adiicientes, vt ſi quis hoc factum noſtrae auctoritatis munimine conſolidatum qualibet occaſione ſoluere attemptauerit, veluti laeſae maieſtatis reus, noſtrae ſeueritatis ſentiat indignationem, & pro tam temerario exceſſu exſoluat centum talenta puri auri; noſtrae Maieſtati quinquaginta, aliam partem Eccleſiae quam laedere praeſumpſit.

Huius rei teſtes ſunt:

Adolfus Colonienſis Archiepiſcopus.
Conradus Argentinenſis Epiſcopus.
Theodericus Traiectenſis Epiſcopus.
Thidmarus Mindenſis Epiſcopus.
Heribertus Abbas de Werden.
Bruno Praepoſitus Aquenſis.
Henricus Dux de Lenborg. (*Limburg.*)
Heinricus Comes de Seyna.

Simon Comes de Tekkeneborg.
Arnoldus Comes de Althena.
Albertus Comes de Euerſtein.
Adolfus Comes de Monte.
Heinricus Comes de Keſſele.
Heinricus Comes de Huckeswage.
Herimannus de Waltecke.
Heinricus de Swalenberch.
Walterus & Kuno de Ruland.
Albertus de Hurde.
Warnerus & Reimarus de Reimbach.
Heinricus de Synzeche, & alii quam plures.

Acta ſunt haec Anno Dominicae Incarnationis MCXCVIII. Indictione prima, anno Regni noſtri I. IX. die menſis Auguſti.

Signum Domini OTTONIS quarti Romanorum Regis inuictiſſimi.

Data per manum Morandi, Regalis aulae Prothonotarii, Aquisgrani feliciter Amen.

No. CCLXVIII.

Otto IV. Imperator Eccleſiae S. Iacobi in Erfurt feudum foreſti confirmat. Anno 1198. Ex Falckenſtein. Chron. Thuring. Part. II. p. 1062. (*)

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *OTHO* diuina fauente clementia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Vniuerſis Regni fidelibus in perpetuum. Cum diuina clementia nos ad Romani regni faſtigia prouehere dignata ſit, merito ſubiectorum noſtrorum patrociniis intendere, & maxime locorum venerabilium iura manutenere & augmentare debemus, & ſi qua per alicuius potentiam Eccleſiis Dei fuerunt abſtracta, ea ad priſtinum ſtatum ex regali beneuolentia reuocare volumus. Quapropter vniuerſis, tam futuris quam praeſentibus regni noſtri fidelibus, notum eſſe volumus, quod fideli noſtro, Henrico Abbati, & Eccleſiae Sancti Iacobi in Erfurdia ſibi commiſſae, feudum foreſti, quod vulgo dicitur, in praeſentia Principum Imperii recognouimus, & tradidimus eo tenore, vt in eo vſum venandi habeat, & ius, quod vulgariter *Wildtbahn* appellatur, ſine qualibet contradictione exerceat. Bona quo-

*) Hoc diploma ex praecedenti diplomate Corbeienſi, omiſſo ſolummodo vocabulo *Soligo*, quod rationis erat, verbotenus deſcriptum eſt.

quoque Sancti Iacobi Eccleſiae in Erſurdia, antiqua vel de nouo acquiſita, vacancia, vel locata, & iurisdictiones, videlicet Aduocatias, comitatus & Regales bannos, quos ipſi de noſtra ſerenitate indulſimus, priuilegiis noſtris confirmamus. Vt autem inuiolabiliter obſeruetur, quod legaliter ordinamus, huius facti ſeriem praeſenti inſtrumento commendatam ſigilli noſtri impreſſione & teſtium ſubſcriptione roboramus; adiicientes, vt ſi quis hoc factum, noſtrae auctoritatis munimine conſolidatum, qualibet occaſione ſoluere attentauerit, veluti laeſae Maieſtatis reus noſtrae ſeueritatis ſentiat indignationem, & pro tam temerario exceſſu ſoluat centum talenta puri auri, noſtrae Maieſtati quinquaginta, alias partes eccleſiae, quam laedere praeſumpſit.

Huius rei teſtes ſunt:

Adolphus Colonienſis Archiepiſcopus.
Conradus Argentinenſis Epiſcopus.
Theodoricus Traiectenſis Epiſcopus.
Thetmarus Mindenſis Epiſcopus.
Heribertus Abbas de Werdenn,
Bruno Praepoſitus Aquenſis.
Henricus Dux de Lymburch.
Henricus Comes de Seina.
Simon Comes de Thitenaburch. (Tekeneburg)
Arnoldus Comes de Athena. (Althena)
Albertus Comes de Euerſtein.
Adolphus Comes de Monte.
Henricus Comes de Keſſele.
Henricus Comes de Hukeſchwage.
Hermannus de Waldekke.
Henricus de Schwallenborg.
Waltherus & Cuno de Ruland.
Abertus de Gurde. (Hurde)
Wernherus & Reynharus de Steymbach. (Reimbach)
Henricus de Sinzecke, & alii quam plures.

Acta ſunt haec anno Dominicae Incarnationis, Milleſimo centeſimo nonageſimo VIII. Indictione prima, anno Regni noſtri primo, IX. die menſis Auguſti.

Data per manum Conradi, regalis Aulae Protonotarii, Aquisgrani feliciter.

No. CCLXIX.

No. CCLXIX.

Otto Rex Coenobium Riddageshuſen in tutelam ſuſcipit. Anno 1198. Ex Meibom. Scriptor. Tom. III. p. 158.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *OTTO quartus* Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Ad hoc nos diuinitate propitia ad faſtigium Regalis dignitatis credimus eſſe promotos, vt Eccleſias Dei gladio acceptae poteſtatis a violentorum oppreſſione defenſando tueamur, eas praeſertim, quas ſub patronatu & defenſione piae memoriae *patris noſtri* poſitas, arctius & familiarius nobis conſtat eſſe obligatas. Vnde nos vniuerſitati fidelium conſtare volumus, quod nos dilectum coenobium noſtrum in Riddageshuſen ſub defenſionis noſtrae patrocinium ſuſcipientes, Regali auctoritate noſtra diſtricte prohibemus, ne aliquis eiuſdem Coenobii terminos, in pratis, paſcuis & ſiluis inuadere, imminuere, conuellere & immutare praeſumat. Quod ſi quis praeſumſerit, gratiae noſtrae offenſam ſe nouerit incurſurum, quia omnes terminos, quos idem coenobium ſub *patris noſtri* protectione quiete poſſedit, integros ei in perpetuum conſtare decernimus. Porro vt hoc ratum & inconuulſum impoſterum perſeueret, praeſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione iuſſimus inſigniri, & idoneorum teſtium ſubſcriptione roborari: quorum nomina ſunt haec:

Borchardus Praepoſitus de S. Blaſio.
Walterus de Baldenſele.
Conradus de Hagene.
Baldewinus Aduocatus.
Baſilius de Oſterode.
Anno de Blanckenborg.
Actum ab Incarnatione Domini MCXCVIII.

No. CCLXX.

Otto Rex ciues Brunſuicenſes in tutelam ſuſcipit, & ab omni exactione & telonio per vniuerſos Imperii fines liberos eſſe iubet. Anno 1199. Ex autographo.

OTTO diuina fauente clementia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Vniuerſis Regni fidelibus in perpetuum. Regie Maieſtatis excellentia deuotos ac ſubiectos Imperii ex aſſuete pietatis beniuolentia propenſius diligere conſueuit, &, ne vllorum hominum inquietationibus moleſtentur, ſue protectionis munimine confouere. Qua-

Quapropter deuotionem ac fidei ſinceritatem familiarium Burgenſium noſtrorum de Bruneſwic, progenitori noſtro felicis memorie, *HEINRICO Duci Saxoniae*, exhibitam, attendentes, multimoda quoque obſequia nobis & fratribus noſtris ab eis impenſa memorie reuocantes, perſonas eorum & res in noſtre Serenitatis defenſionem ſuſcipimus, eoſque ab omni exactione ac telonio per vniuerſos Imperii fines regali munificentia liberos & abſolutos eſſe volumus. Decernimus ergo, vt nulla deinceps perſona, humilis vel alta, ſecularis vel eccleſiaſtica, in noſtra iuriſdictione conſtituta, prefatos Burgenſes noſtros in aliqua exactione vel telonio fatigare preſumat, vel huic noſtre conſtitutioni auſu temerario contraire. Vt autem hec noſtre auctoritatis pagina perpetuum robur obtineat, ſigilli noſtri munimine ipſam inſigniri precepimus.

Acta ſunt hec apud Bruneſwic Anno Dominice incarnationis M. C. LXXXXVIII. menſe Ianuario, Regni noſtri Anno primo, Indictione ſecunda.

Teſtes: Heribertus Abbas Werdinenſis.
HENRICVS Dux Saxoniae & Palatinus Comes Reni.
Symon Comes de Teckeneburg.
Henricus iunior de Limburg.
Cunradus de Rhode.
Ludingerus de Waldenbruke.
Ludolphus de Stenvorde.
Iohannes de Naus.
Gerardus de Waſſenberg.
Thidericus Ternink.
Helmoldus de Pleſſe.
Bernhardus de Hoſtmere.
Symon Aquenſis.
Ludolphus de Asbecke & frater eius Baldewin.
Fridericus de Volkmarrode.
Iordan de Blanckenburg.
Bertramus & Ludolphus de Velthem, & alii plures.

No. CCLXXI.

Iohannes Rex Placentinis mercatoribus de ſoluendis 2 125. marcis pro negotio Regis Ottonis promouendo mutuo datis cauet. Anno 1199. Ex Rymer. Act. T. I. p. 115.

IOHANNES *Dei gratia Rex &c.* dilectis amicis ſuis, Speren. Bagaret & eorum ſociis, mercatoribus Placentinis ſalutem. Sciatis, quod vobis ſoluere volumus duo millia marcarum, & 125. marcas, quas,

pro amore bonae memoriae Regis *RICARDI fratris noſtri*, & ex mandato ipſius, mutuo conceſſiſtis Willielmo Andeg. R. Bangorn. Epiſcopis, & Stephano Ridel, *ad negotium kariſſimi nepotis noſtri*, *Regis OTHONIS, in curia Romana faciendum.* Ideoque vobis praeſentibus litteris in tantam pecuniam nos obligamus, promittentes, quod ad proximum feſtum ſancti Michaëlis, poſt coronationem noſtram, vobis, vel certo nuncio veſtro, praeſentes litteras afferenti & exhibenti, ſex centas & viginti quinque marcas apud Scaccarium noſtrum in Anglia ſolui faciemus. Et poſtmodum in ſequenti feſto ſancti Michaëlis quingentas marcas ibidem. Et ſic ad proximum ſequens Paſcha quingentas marcas ſimiliter ad Scaccarium noſtrum in Anglia ſolui faciemus vobis, vel certo nuncio veſtro, litteras obligationis noſtrae exhibenti. Et nihilominus ita vobis in gratiarum actione pro benigna exſpectatione veſtra ſauente Domino reſpondeamus, quod exſpectatio veſtra vobis non videbitur onceroſa. Teſte me ipſo apud Rothom. 25. die Auguſti per Dominum Cancellarium.

No. CCLXXII.

Otto Rex Adolfo Colonienſi Archiepiſcopo Ducatum Weſtphaliae & Angariae cum conſenſu Fratrum confirmat. Anno 1200. Ex Gelen. Comment. ad vitam S. Engelberti p. 87.

IN nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *OTTO Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus* omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum. Notum facimus tam futuris quam praeſentibus, quod nos pro fideli & praeclaro ſeruitio dilecti & fidelis Principis noſtri, Adolphi Venerabilis Colonienſis Archiepiſcopi, & totius Colonienſis Eccleſiae, nobis ſaepius exhibito, dilectos *fratres* noſtros, *HENRICVM Comitem Palatinum Rheni*, & *WILHELMVM*, ad hoc induximus, quod vniuerſa illa bona, quae Philippus quondam Colonienſis Archiepiſcopus, *de Ducatu quondam Patris noſtri*, illuſtriſſimi *Ducis Saxoniae*, ſiue in allodiis, ſiue in feodis, ſeu in Miniſterialibus, aut in ſeruis obtinuerat, de bona voluntate Colonienſi Eccleſiae dimiſerunt, perpetualiter in pace ſine conditione qualibet poſſidenda, iuramento firmantes, quod neque per ſe, neque per ſuos Colonienſem Eccleſiam ſuper eorundem bonorum poſſeſſione vllo vnquam tempore debeant moleſtare, ponentes quoque obſides tales: Comitem de Linincken: Comitem Conradum de Regenſtein; Georgium Comitem de Witha; Henricum de Iſenberg,

Iſenberg, qui iurauerunt, quod ſi praedicti fratres noſtri contra conſtitutionem iſtam venire attentauerint, de bonis, quae a *Palatino Comite Rheni* tenent in feodo, Eccleſiae Colonienſi contra *Palatinum* ſeruient, quousque eos ad ſatisfactionem inducant. His etiam tales adiunxerunt: Giſelbertum de Brunshorn, Henricum de Mirwaldt, Thitmarum de Vlogelinken Mareſcalcum, Wernerum Dapiferum, Iuſarium Pincernam, Henricum de Wonenberg, qui iurauerunt, quod, ſi fratres noſtri contra hoc ſacramentum venire tentauerint, Coloniam accedant ad vocationem Colonienſis Eccleſiae Archiepiſcopi, omni ceſſante contradictione, inde ſine licentia Colonienſis Eccleſiae nullatenus receſſuri. Vt igitur haec rata permaneant & inconuulſa, praeſentem paginam conſcribi, & ſigilli noſtri munimine confirmari fecimus, praecipientes deſtricte, ne praenominati fratres noſtri, aut aliqui eorum nomine, huic conſtitutioni contraire praeſumant.

Teſtes ſunt:

Siffridus Moguntinus Electus.
Hermannus Monaſterienſis Epiſcopus, Imperialis aulae Cancellarius.
Bruno Bonn. Praepoſitus.
Henricus Comes Seien.
Simon Comes de Tecklenburg.
Gerardus Comes de Are.
Henricus Comes de Keſſele.
Godefridus Comes Arnsbergenſis.
Adolphus Comes de Monte.
Bernardus de Wilepa.
Burckardus Comes de Aldenberg.
Hermannus de Lippa.
Godeſcalcus de Pirremunt.
Godefridus de Eppenſtein.
Wulframus Comes Rheni.
Rutgerus de Merheim.
Rutgerus de Brempt.
Wernerus de Bolant, & frater ſuus Philippus.
Hermannus Aduocatus Colonienſis.
Hermannus de Aluetre Mareſcalcus.
Otto de Schonenberg.
Reymarus de Rothe.
Cunradus de Wilre.
Simon Aquenſis, & alii quam plures.

Acta ſunt haec Anno Dominicae Incarnationis Milleſimo Ducenteſimo Datum apud Wirtzenberg tertio nonas Febr. per manum Hermanni Venerabilis Monaſterienſis Epiſcopi, Imperialis aulae Cancellarii.

No. CCLXXIII.

Pro Ottone Rege ſubleuando Iohannes Angliae Rex ſubſidium a Clero petit. Anno 1202.

Ex Rymer. Act. Anglic. T. I. p. 130.

IOHANNES *Dei gratia Rex Angliae* &c. H. Dei gratia Archiepiſcopo, & vniuerſo Clero, per prouinciam Cantuar. ſalutem. Vniuerſitati veſtrae ſatis credimus innoteſcere, qualiter dilecti & venerabilis *nepotis noſtri*, *OTHONIS*, *Regis Romanorum*, promotionem diuina procreauerit clementia, & ad Imperialis honoris culmen euocauerit ſublimandum; cuius, antiqui hoſtis dudum praepediti verſutia, promotioni inſiſtere, & eidem ea, qua tenebamur & debuimus, affectione ſubuenire, quod dolentes dicimus, minus plene potuimus. Quanto itaque eius ſubſidium, de impotentia noſtra, ab vniuerſis ſingularius erat condolendum; tanto, reformato inter nos & eum debito & deſiderato ſtatu confoederationis, a ſingulis vniuerſalius credimus fore congratulandum; cum, per eam non ſolum inter regnum noſtrum & Imperium vnitatis vinculum indiſſolubile contrahatur, verum etiam Anglicanae Eccleſiae tranquillitati & promotioni plurimum conſulatur. Noſtis enim, quod confoederato nobis tanto viro, & in auxilium debitum conuocato, & via nobis hoſtibus reſiſtendi potentior aperiatur, & nobis & Eccleſiae Anglicanae ad *Eccleſiae Romanae*, *quae eiusdem OTHONIS promotionem ſpecialius affectat*, fauorem & patrocinium optinendum cauſa efficacior generetur; cum & praeterea in huius confoederationis connexione regnum Anglicanum quaſi Imperio adaequetur, & Eccleſia Anglicana a Romanae Sedis patrociniis affectuoſius mereatur. Ad huiusmodi itaque promotionem, quae per Dei gratiam iam in magna ſui parte laudabiliter proceſſit, conſummandam, dictante naturalis ſtimulo connexionis, perſuadente deſiderato & ſperato noſtro & regni noſtri commodo, mentem & manum duximus erigendas; ad quod omnes, qui fideles nobis exiſtunt, aut noſtrum & regni noſtri honorem affectant & vtilitatem, vna nobiſcum viriliter debent aſſurgere. Et, quia res eatenus proceſſit, quod in proximo, volente Domino, debitum poſſit ſortiri effectum; & nos, propter Werram, quam, vt ſcitis, ſuſtinemus, nobis & illi in expenſis ad praeſens plene non ſufficimus; vniuerſitatem veſtram

veſtram humiliter & deuote rogamus, & ea, qua poſſumus, affectione obnixius obſecramus, quatenus, diuini amoris intuitu, & precum noſtrarum interuentu, nobis & illi liberaliter ſubuenire ad tantae rei conſummationem, & auxilium efficax velitis conferre. Et, quod vnusquisque veſtrum in hoc inſtanti neceſſitatis articulo duxerit conferendum, id per viſum & teſtimonium venerabilis patris noſtri H. Cantuar. Archiepiſcopi, & dilecti & fidelis noſtri Galfridi, filii Petri, Iuſticiarii noſtri, conferatur, & per manus eorum London. apud templum deponatur, vt per eorum intimationem nobis innoteſcat, cui, & ſuper quo, grates condignas debeamus referre, & munificam deuotionem veſtram apud Dominum Papam plenius non immerito commendare. Et quanto citius paci noſtrae mederi deſideratis, tanto largitionis veſtrae munificentiam affectuoſius maturare ſatagatis, quia per Dei gratiam, eo ad honorem ſperatum pertingente, non erit opus de cetero pro auxilio expetendo ad vos totiens recurrere.

Teſte me ipſo apud Suſam octauo die Septembris.

No. CCLXXIV.

Eiusdem confoederatio cum Ottone IV. Romanorum Rege. Anno 1202. Ex autographo.

I*OHANNES Dei gratia Rex Angliae, Dominus Hyberniae, Dux Normanniae, Aquitaniae, Comes Andegauenſis*, vniuerſis Chriſti fidelibus, ad quos praeſens ſcriptum peruenerit, ſalutem. Ad vniuerſorum notitiam volumus peruenire, quod nos in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti confoederati ſumus dilecto *nepoti* noſtro, *OTHONI, Dei gratia illuſtri Romanorum Regi & ſemper Auguſto*, de regno noſtro contra omnes homines, ad ipſum & Imperium ſuum & iura ſua cuſtodienda & defendenda, & ad impendendum ei fidele conſilium & auxilium, ad iura ſua perquirenda & manutenenda. Per hanc autem confoederationem remiſſae ſunt hinc inde & perdonatae omnes querelae & omnes indignationes, ſi quae fuerunt inter nos, antequam iſta fieret confoederatio, Et vt iſta confoederatio maiorem & firmiorem optineat ſtabilitatem, omnia ſupradicta fideliter & bona fide conſeruanda per manum Comitis Willelmi Mareſcalli iurauimus. Domini etiam H. Canterb. & G. Eboracenſis & W. Rothomagenſis Archiepiſcopi & G. Wintonienſis & E. Elienſis, & I. Norwicenſis & Ph. Dunolmenſis Epiſcopi in verbo ſacerdotali promiſerunt, & R. Comes Leyceſtriae & R. Comes Ceſtriae & W. Comes Arundeliae & G. filius Petri Comitis Eſſex, Iuſtitiarius

 noſter,

noſter, & Comes W. Mareſcallus & W. Comes Warennae, & R. Comes de Clara, Comes Rogerius Bigot, Willelmus de Breoſta, R. Conſtabularius Ceſtriae, Robertus filius Walteri, Willelmus Briewerus & Hugo Bardus ſuper ſacroſancta iurarunt, quod bona fide & ſine malo ingenio conſilium & auxilium & ſuum fidele poſſe apponent, vt iſta confoederatio, ſicut ſupra ſcriptum, teneatur ex parte noſtra, & in perpetuum fideliter obſeruetur.

Acta ſunt iſta apud Suſam VIII. die Septembris, anno regni noſtri quarto.

No. CCLXXV.

Otto Rex componit litem inter Ducem Brabantiae & eius vaſallum Gelriae Comitem. Anno 1202.

Ex Miraei Notit. Eccleſ. Belg. p. 507.

NOTVM ſit omnibus, quod, cum exorta eſſet diſcordia inter *Henricum Ducem Lotharingiae* & *Othonem Comitem Gelriae, ſuum hominem ligium*, ſuper eo, quod idem Comes ei debitum ſaepius negauerit ſeruitium, tale inter eos pacis reformatae interceſſit pactum. Quod ſi Dux memoratum Comitem ad ſuum aliquando inuitauerit ſeruitium, & Comes ei non obtemperauerit, vel fideliter, ſicut homo ſuus ligius, non ſeruierit, ipſe Comes ſua ſpontanea voluntate elegit, quod omnia bona, quae a Domino Duce in feudum tenet, in ſua ſint poteſtate, vt ipſe Dux de bonis illis pro ſua diſponat voluntate.

Haec autem facta ſunt:

Praeſente *Rege* OTHONE.

Guidone Apoſtolicae Sedis Legato.

Adolpho Colonienſi Archiepiſcopo.

Huius rei etiam ſunt teſtes: Henricus Dux de Limburgis. Gerardus Comes de Are. Adolphus Comes de Monte. Henricus de Waſſenberch. Raſo de Gauera. Arnoldus de Weſemale, Caſtellanus de Bruxella. Rotgerus de Meherem. Theodoricus de Milhem. Reinerus de Tyge. Sibertus Swenus. Arnoldus Seneſcallus de Rotſelare. Goſuinus de Heuerle.

Acta ſunt haec Traiecti ſupra Moſam, Anno MCCII.

No. CCLXXVI.

Digitized by Google

No. CCLXXVI.

Alia conuentio inter eosdem. Anno 1203. Indidem.

NOTVM ſit tam futuris quam praeſentibus, quod talis interuenit forma compoſitionis inter *Henricum Ducem Lotharingiae* & *Othonem Comitem Gelriae*, quod Comes renunciauit omni iuri, quod ſe dicebat habere in Meghem. Additum eſt etiam, quod Burgenſes de Silua iuxta orten per totam terram Comitis Gelriae liberi erunt a teloneo omni. Burgenſes quoque de Tiele gaudebunt eodem iure. Inſuper Comes Gelriae iurauit, quod Duci & heredibus ſuis de cetero tamquam ſuus *homo ligius* fideliter ſeruiet. Vt autem haec rata teneantur, ſigillorum appenſione tam Ducis, quam Comitis, ſunt roborata, teſtibus & iuratis his:

Nobilibus: Henricus Comes de Keſſele. Rogerus de Merheim. Engelbertus de Horne. Theodoricus de Horne. Theodoricus Aduocatus de Hechte. Theodoricus frater ſuus. Wilhelmus Molſen. Theodoricus de Altena. Alardus de Driele. Walterus Spering. Gerardus de Wiſchem. Lambertus de Monte. Henricus de Bruele. Egbertus de Molſen. Arnoldus de Orthen. Theodoricus de Alphen.

Nomina Miniſterialium iuratorum: Engelbertus de O. Franco de Houthem. Theodoricus de Ruremonte. Reinerus de Tregele. Gerardus de Straele. Godefridus Grontuar. Theodoricus Gruntere. Wilhelmus Roble. Stephanus de Pluniſte. Teodoricus Haſtaert. Reinerus Caſtellanus de Hulcken. Chriſtianus & Rodolphus de Armen. Theodericus de Archem. Selinuch Stelix.

Acta ſunt haec apud Louanium Anno MCCIII.

No. CCLXXVII.

Iohannes Angliae Rex ciuibus Colonienſibus gratias agit de fide Ottoni Regi praeſtita, liberum eis cum mercibus ſuis tranſitum in terris ſuis promittens.

Anno 1203. Ex Rymer. Act. T. I. p. 133.

REX &c. Ciuibus de Colonia &c. Grates vobis referimus multiplices ſuper honore, reuerentia, auxilio & bonis, Domino Regi OTHONI, *nepoti noſtro*, a vobis collatis: veſtram dilectionem

ctionem attentius rogantes, quatinus opus dilectionis & obſequii, quod erga eum adeo bene incepiſtis, ad effectum perducere ſtudeatis optatum. Et ad hunc ſummum honorem conſequendum, quem, Deo annuente, in breue conſecuturi ſumus, ei ita viriliter & efficaciter auxilium & conſilium impendatis, vt ex eius ſublimatione merito gloriam conſequi debeatis. Amplius enim veſtro cedet honori, ſi per vos eius promotio finem ſortitur optatum, a quibus totius fortunae eius ſeries & proceſſus ſumpſit initium. Nos autem vos, & omnes res, & poſſeſſiones veſtras in cuſtodiam & protectionem noſtram ſuſcepimus, vobis concedentes liberum ingreſſum & regreſſum, & tranſitum per vniuerſam terram noſtram, quocumque vobis placuerit, cum omnibus mercandiſis veſtris; ſaluis tamen nobis debitis & antiquis conſuetudinibus noſtris, quas anteceſſores veſtri & vos, tempore anteceſſorum noſtrorum Regum Angliae, feciſtis, & fieri conſueuiſtis.

Teſte apud Winton. 11. die Aprilis.

No. CCLXXVIII.

Otto Rex Iohannem Angliae Regem conſulit de induciis cum Philippo Sueuo propoſitis.

Indidem.

OTHO *Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus* kariſſimo *Auunculo* ſuo IOHANNI *Dei gratia* &c. & ſincerae dilectionis pleno. Statu bono, immo Dei gratia operante longe & longe meliorati ſumus quam fuimus, hoc pro certo veſtra ſciat dilectio. Confert autem nobis veſtra moleſtia moleſtiam & dolorem, ira iram, proſperitas proſperitatem, honor honorem. Et, verſa vice, quicquid boni, quicquid honoris nobis accidit, bonum veſtrum minime dubitamus & honorem. Et vere honor noſter veſter eſt, & proſperitas noſtra veſtra. Agente etenim vnum conſilii prouidentia & dictante, modis omnibus, quibus poſſemus, ea quae expediunt, quae vobis & veſtro Regno cedunt profectui & honori, negotiis noſtris in parte poſtpoſitis, pro poſſe noſtro facere volumus & paramus. Vnde, ſi placet, & vobis ſedeat, & de veſtro emergat conſilio, *treugas* capiemus, vel per vnum vel per duos annos, cum *cognato* noſtro, *Duce Sweuiae*, volentes vobis ſuccurrere, & de veſtro, immo noſtro, honori intendere, & veſtros inuadere inimicos. Nos & *frater* noſter *Dux Saxoniae* verſus Remenſes aut verſus partes Cameriacenſes parati ſumus proficiſci. Super hiis autem, quae praedicta ſunt, & in qua parte vos velitis declinare, aut verſus

Digitized by Google

ſus Remenſes, aut verſus Cameriacenſes feſtinanter & indilate nobis ea, quae veſtrum potiora eliget conſilium, dignemini ſignificare, quia, quicquid nobis conſuletis, voluntarie faciemus. Super donis autem & ludicris, in quibus veſtra nos viſitauit gratia, quae gratiſſima tenemus, & maximas dilectioni veſtrae grates referimus, quantas poſſumus & quantas debemus. Suſcepimus autem de ludicris veſtris LX. cuppas & IV. corngas, & VIII. firmaria, & XVIII. annulos: praeter haec, duas pelues, & III. iuſc. ſcutellas. Super hiis autem, & ſuper bonis, quae veſtra gratia contulit dilecto & fideli noſtro & veſtro T. grates vobis referimus multimodas.

No. CCLXXIX.

Otto Rex Riddageshuſenſibus Fratribus cum conſenſu fratrum ſuorum donat octo manſus in Dalem. Anno 1203. Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *OTTO Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus*, vniuerſis Chriſti fidelibus. Conſtare volumus vniuerſitati veſtre, quod nos, cum conſenſu *duorum fratrum noſtrorum*, pro remedio anime noſtre, contulimus cenobio noſtro in Riddageshuſen proprietatem octo manſorum in Dalem, cum adiacente ſilua, & omnibus attinentiis, quos Ludolfus miniſterialis noſter a nobis iure beneficii poſſedit. Vt autem hec noſtra donacio rata & in perpetuum inconuulſa perſeueret, preſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione, & idoneorum teſtium ſubſcriptione roborauimus, diſtrictiſſime prohibentes ſub obtentu gratie noſtre, ne quis hanc donationem noſtram conuellere, mutare, aut imminuere aliquatenus preſumat.

Teſtes autem hi ſunt:

Ludegerus Comes de Waldenbroken.
Comes Bernardus de Wilepe.
Ludolfus Dapifer de Esbike, & frater ſuus Baldewinus.
Ludolfus de Bortfelde.
Eilardus de Oberge.
Waltherus de Baldenſele.
Luthardus de Meinerſen.
Fridericus Marſchalcus.
Herwicus de Scowe.
Otto de Luneborg.
Eluericus de Dunſtede.

Wernerus de Luneburc.

Vlricus de Smedenſtede.

Acta autem ſunt hec ab incarnatione Domini MCCIII. Anno autem Regni noſtri IV.

No. CCLXXX.

)tto Rex Eccleſiae in Riddageshuſen ſex ıanſos in Maſcerot cum ſilua Coleholt, cum conſenſu fratrum ſuorum vendit. Anno 1204. Ex Meibom. Scriptor. Tom. III. p. 159.

N nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *OTTO Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus*, vniuerſis fidelibus ſuis gratiam ſuam & omne bonum. Fidelitati veſtrae conſtare volumus, quod ɔs ſex manſos in *Maſcerot*, cum adiacenti ſilua, quae dicitur Coloholt, cum omnibus reliquis pertinentiis ſuis, cum conſenſu *duorum fratrum ſtrorum*, eccleſiae in Riddageshuſen pretio ſexaginta ſex marcarum vendimus. Porro vt huius noſtrae venditionis contractus ratus & inconılſus perſeueret in perpetuum, praeſentem paginam ſigilli noſtri impreſɔne communiri fecimus, & idoneorum teſtium ſubſcriptione roborauius, quorum nomina ſunt hec:

HENRICVS Dux Saxoniae & Comes Palatinus Rheni.

Bernhardus Comes de Wilepe.

Luthardus de Meinerſen.

Ludolphus de Esbeke.

Eckebertus de Wulferbutle.

Walterus de Ganderſem.

Godefridus de Summerſenborg.

Bertholdus de Bornem.

Acta ſunt haec ab Incarnatione Domini MCCIIII. anno Regni noſtri VI.

No. CCLXXXI.

.ccleſia de Riddageshuſen receptis ad ſe bois in Maſcerot vaſallis Hohenſteinenſibus alia concet, &, quod ab Ottone Imperatore rem alienam emiſſet, Friderico Halberſtadenſi Epiſcopo ſatisfacere tenetur. Anno 1219. Ex autographo.

IN nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Fridericus diuina prouidencia ſancte Halberſtadenſis eccleſie Epiſcopus, imperpetuum. Quecunque

Quecunque ad eccleſiarum nobis in Deo ſuffragancium commodum & quietem per fideles quoslibet ordinata fuerint, & ad pacem perpetuam in melius commutata, nos ex officii noſtri debito contra varios futurorum incurſus, qui diebus hiis malis frequenter emergunt, tam valido noſtre firmitatis munimine duximus roborare, vt & memoria eorundem in longum vigeat, & omnis poſterorum tergiuerſatio ſuper eis penitus conquieſcat. Eapropter notum eſſe volumus vniuerſis Chriſti fidelibus, tam preſentis temporis quam futuri, quod, cum eccleſia noſtra bona in *Maskerot* cum eccleſia & aduocatia iuſto proprietatis titulo poſſideret, & eadem bona *filii nobilis viri, Elgeri Comitis de Honſtein, Tidericus* & *Heinricus*, de manu noſtra; de manu vero ipſorum Ceſarius de Halberſtat; de manu Ceſarii Albertus de Adenem, eccleſie noſtre miniſterialis, hinc inde iure pheodali tenerent; Dilecto in Chriſto filio, Conrado, Abbati de Riddageshuſen ac eiusdem loci fratribus vniuerſis predicta bona pro aliis bonis ipſorum placuit commutare, noſtrum & eccleſie noſtre conſenſum, ſicut oportuit, ſuper commutacione facienda requirentes humiliter & deuote. Nos igitur, habito conſilio fratrum noſtrorum, & eorum obtento conſenſu, petitionem dilectorum filiorum duximus admittendam, eos, qui hec bona tenebant, ad conſenſum huius commutationis ſimiliter inducentes, & optinentes ab ipſis, quod de bona voluntate bona premiſſa ſinguli ſingulis reſignarunt, & nobis ſupremo. Habentes igitur ea in manu noſtra libera & ſoluta, ſub nomine commutationis contulimus ea eccleſie in Riddageshuſen perpetualiter poſſidenda, conſenſu fratrum noſtrorum, maioris eccleſie noſtre Canonicorum, nobis in omnibus aſſauente. Memoratus autem Abbas & fratres ipſius XVI. manſos: decem in Orem; quatuor in Bungenſtide; duos in Haletere, quos ipſi iuſto titulo poſſederant, eccleſie noſtre in reſtaurum condignum & in commutationem congruam contulerunt, & ſicut bona ſupradicta de manu ad manum ab infima ad ſupremam reſignando conſcenderant, ſic & iſta de manu in manum de ſuprema ad infimam deſcendebant. Nos enim loco predictorum bonorum predictis nobilibus filiis *Elgeri Comitis H.* bona conceſſimus, patre iam defuncto. Hii nobiles Ceſario; Ceſarius Alberto, & ſic quilibet ſuo beneficio ſuoque iure gaudebat. Ad hec eccleſia de Riddageshuſen tempore venerabilis predeceſſoris noſtri, Domini Conradi Epiſcopi, in ſupradicta villa *Maskerot* emerat ſex manſos ab Imperatore *OTTONE*, ſub nomine proprietatis ſue ipſos vendente. Poſtquam autem cognouerunt contra eccleſie noſtre beneplacitum ſe egiſſe, eo quod ab anteceſſore noſtro in cauſam vocati quod bona eccleſie noſtre emiſſent, opponeretur eisdem, ne contrarii nobis inuenirentur

aliquo, de conſilio Domini noſtri Epiſcopi & Capituli noſtri cum
ia noſtra compoſuerunt hoc modo. Dederunt Domino Heinrico
lenſtide XX. marcas, qui quatuor manſos proprietatis ſue ecclesie
: dedit: duos in Eillenſtide & duos in Gadersleue, quos in ſheodo
ato Domino noſtro recepit. Et quoniam huic facto preſentes era-
ſic actum eſſe teſtamur.

eſate autem commutationis teſtes ſunt:

Meynardus maior Prepoſitus.
Arnoldus Decanus.
Almarus ſancti Pauli Prepoſitus.
Anno Cellerarius.
Arnoldus Archidiaconus in Oskersleue.
Burchardus Prepoſitus in Iecheburch.
Conradus ſancte Marie Prepoſitus.
Gardolſus de Meynershem.
Conradus de Bramberc.
Albertus Prepoſitus in Burslo.
Conradus de Vroburc.
Conradus de Quidelingeburch.
Otto & Richardus Sacerdotes, maioris eccleſie noſtre Canonici.

ici vero:

Baldwinus Aduocatus de Dalheim.
Tidericus Marſcalcus.
Bernhardus de Aſpernſtide.
Fridericus de Hersleue.
Liudolſus de Honlinde.
Tidericus de Werebinne, & alii quam plures.

ta ſunt hec Anno dominice incarnationis M.CCXIX. Indictio-
ne VII.

Preſidente ſancte Romane Sedi Papa Honorio.

Regnante Sereniſſimo Domino noſtro Friderico Romanorum
Rege ſemper Auguſto.

Et ne impoſterum ſuper commutatione facta legitime aliquid poſte-
ubium generetur; hanc paginam inde conſcribi & duobus ſigillis,
& eccleſie noſtre, fecimus inſigniri, ſub interminatione anathema-
ictius inhibentes, ne quis contra eam venire preſumat.

:um Halberſtat per manum Tiderici Notarii noſtri, conſecrationis
noſtre anno nono.

No. CCLXXXII.

No. CCXXXII.

Otto Rex Eccleſiae ad Fontem S. Mariae duos manſos in Tueluen attribuit. Anno 1204.

Ex Meibom. Scriptor. T. III. p. 159.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *OTTO* diuina fauente clementia *Romanorum Rex & ſemper Auguſtus.* Regiae Maieſtatis decet celſitudinem omnium eccleſiarum vtilitatibus inuigilare, & earum paupertatem in meliorem ſtatum reformare. Quapropter notum facimus tam praeſentibus, quam futuri temporis Chriſti fidelibus, quod nos, de conſenſu fratrum S. Cyriaci in Brunſwick duos manſos in villa, quae dicitur Tueluen, attinentes iam dicto S. Cyriaco, fratribus eccleſiae ad fontem S. Mariae, quae antiquitus dicebatur *Mortdal*, auctoritate Regali liberaliter & libere donauimus. Vt igitur haec noſtra donatio rata ſtabilisque omni aeuo permaneat, & ne per nos, aut ſucceſſores noſtros infringatur, praeſentis ſcripti firmamento & ſigilli noſtri impreſſione fecimus communiri.

Teſtes huius rei ſunt:

Albertus Abbas S. Egidii.
Volbertus Praepoſitus S. Cyriaci.
Rodolfus Decanus & fratres ſui.
Henricus Sacerdos.
Conradus Sacerdos.
Wernerus Diaconus.
Volmarus, Ludolphus, Herwicus, Bertramus, Bertoldus, Anno S. Blaſii Canonici & alii quam plures.

Actum anno Dominicae Incarnationis MCCIIII. regni noſtri ſeptimo. Datum per manum Stephani Notarii noſtri, maioris Eccleſiae Mindenſis Canonici, & in inſula S. Suiberti, feliciter.

No. CCLXXXIII.

Idem ciuibus Brunſuicenſibus comparat ius Patronatus forenſis Eccleſiae S. Martini.

Anno 1204. Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *OTTO* diuina fauente clementia *Romanorum Rex & ſemper Auguſtus.* Iuſtum eſt & pium, & regalem decet benignitatem, vt non ſolum fidelibus noſtris, verum etiam omnibus iuſte & rationabiliter petentibus, aſſenſum facilem prebeamus,

mus, & eis deſiderata concedamus. Vnde ſcire volumus tam preſentes, quam futuros Chriſti fideles, quod dilecti ciues noſtri de ciuitate noſtra Bruneſwic ſepius a nobis petebant, vt eis daremus in eccleſia noſtra ſcilicet ſancti Martini, que *Forenſis* dicitur, ius inſtituendi ſacerdotem. Quia vero hoc ſine grauamine Fratrum ſancti Iohannis Baptiſte & ſancti Blaſii facere non potuimus, quia ipſi fratres dicebant, eccleſiam illam ad decaniam eorum pertinere; nos, pro bono pacis & concordie, capellam ſancti Georgii, que noſtra eſt, cum omnibus ad eam pertinentibus in reſtauro eccleſie ſancti Martini iam dictis fratribus conceſſimus, ita quod Decanus loci illius omnia attinentia Capelle cum omnibus bonis, nunc conquiſitis & in futurum conquirendis, cum vtriusque ſexus mancipiis, areis, edificiis, agris, cultis & incultis, paſcuis, campis, aquarum decurſibus, piſcationibus, ſeu cum omni vtilitate, que inde prouenire poteſt, percipiat, & in ea diuina celebret, & omnia, que in ea ſunt facienda, diligenter prouideat. Sancimus ad hec edicto regali, vt nullus aduocatus de bonis predicte Capelle ſe intromittat; & ſi predictus Decanus aliquas iniurias, quod Deus auertat, in eisdem bonis ſibi ſenſerit inferri, ad nos, vel ad Principem, qui nobis in predicta ciuitate ſucceſſerit, confugiat, & ibi cauſas ſuas determinet. Similiter dilectis ciuibus noſtris de Bruneſwic, pro fideli & indefeſſo obſequio, patri noſtro pie recordationis & nobis ſepius exhibito, eccleſiam ſancti Martini tradidimus, & ius inſtituendi ſacerdotem auctoritate regia liberaliter & libere donauimus. Vt igitur hec noſtra donatio tam ſepe dictis Fratribus, quam ciuibus rata ſtabilisque conſeruetur, & ne per nos aut ſucceſſores noſtros infringatur, preſentis ſcripti firmamento, & impreſſione noſtri ſigilli fecimus communiri, omnem malignandi aditum precludentes.

Teſtes: Heruuicus Decanus.
Iohannes Cuſtos.
Ludolfus de Volemerioht, & Anno frater eius.
Frithericus de Velthem.
Iohannes Anno de Vrethe.
Iohannes de Brunesroht.
Gerhardus de Darſem.
Thidericus Rubbo.

Laici quoque nobiles:
Berriardus Comes de Wilpa.
Adolfus Comes de Dasle.
Bernardus de Horſtmaria.
Thidericus de Heſſenem.

Haoldus

Haoldus de Biwende.
Bernardus de Dorſtat.
Miniſteriales:
Ecbertus de Wulferbutile, & frater ſuus.
Gunzelinus Dapifer.
Baldewinus de Esbike.
Baldewinus Aduocatus.
Bertramus de Velthem, & Ludolfus frater ſuus.
Ludolfus de Bortfelde.
Ciues de Bruneſwic:
Gilmarus, Fritherieus, Heinricus de Domo.
Windelmarus, & frater ſuus Ludolfus, Daniel.
Conradus filius Domine Ode.
Conradus Holtnikker.
Heinricus Hiszele filius.
Wernerus & Hildebrandus.
Sifridus & Heinricus Monetarii.
Conradus de Bokenem.
Rotholfus Niger.
Luderus Vinitor & Ludegerus nepos eius.
Gerwicus. Luderus. Hemezo. Alradus. Ludegerus. Timmo & alii quam plures.

Actum anno dominice incarnationis milleſimo, ducenteſimo quarto, indictione ſeptima. Anno Regni noſtri ſeptimo. XI. Kal. Nouembris. Datum per manum Notarii noſtri Stephani, maioris Eccleſie Mindenſis Canonici, in inſula beati Suiberti Werde feliciter.

Sigillo Regio in cera flaua membranae adpenſo circumſcriptum: OTTO DEI GRA. ROMANOR. REX ET SEMPER AVGVST.

No. CCLXXXIV.

Philippus Sueuus Henrico Brabantiae Duci defectionis ab Ottone Rege inſignia praemia tribuit.

Anno 1204. Ex Butken. troph. Brabant. Inſtrum. p. 55.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *Philippus* diuina fauente clementia *Romanorum Rex & ſemper Auguſtus.* Regalis excellentiae prouida conſpectio nobilium pariter & magnorum Principum deuotionem & praeclara conſueuit penſari obſequia, & circa eorum augmentum

tum & honoris promotionem cum omni effectu curam & operam adhibere diligentem. Quapropter ad vniuerſorum Imperii fidelium praeſentis aetatis & poſteritatis ſucceſſiuae notitiam duximus proferendum, quod, accedens ad praeſentiam noſtram ſub frequentia Principum apud Confluentiam dilectus Conſanguineus & Princeps noſter, *Henricus, illuſtris Dux Lotharingiae & Brabantiae*, hominium nobis fecit, & de manu noſtra recepit foeudum, quod ab Imperio tenere debet. Nosque, vt ipſe pro exaltatione noſtra operoſa voluntate deſudet, & vbique locorum Imperiale commodum procuret, concedimus ſibi & legitimis haeredibus ſuis in rectum foeudum Abbatiam Nyuellenſem cum omni honore, & eo iure, quo eam Imperium & noſtri anteceſſores Romani Imperatores & Reges vſque ad noſtra tempora habuerunt. Inſuper concedimus ei & haeredibus ſuis in foeudum ciuitatem Traiectenſem, cum omnibus iuſticiis & appendiciis ſuis extra ciuitatem & intra, nec non ibidem Eccleſiam Sancti Seruatii, cum omni integritate, & eo iure, quo patri & fratri noſtro, Diuis Romanorum Imperatoribus, attinebat. Nouiomagum quoque, quod ad noſtrum & Imperii dominium reduximus, ipſi Duci in aliis recompenſabimus bonis. Item conceſſimus ei omne foeudum, quod *patruus ſuus, Comes Albertus de Dagiſpurg* de manu noſtra & Imperio obtinet, ita quod ipſe Dux poſt mortem ipſius Comitis in omnibus bonis ſiue pactis absque cuiuslibet contradictionis impedimento, ſi tamen Comes ſine haerede diſceſſerit, ei ſuccedat. Homines quoque Ducis, ciuitatis videlicet Orten, quae nunc Sylua dicitur, & Thiele, per totum Imperium in exactione thelonii, eandem habebunt iuſtitiam & libertatem, quam habuerunt temporibus patris & fratris noſtri; & proinde homines noſtri in terra Ducis ab onere exactionis liberi erunt. Inſuper Regia auctoritate noſtra ſtatuimus, & memorato Duci concedimus, vt filiae ſuae, ſi maſculum haeredem non habuerit, in foeudis ſuis libere ei tamquam maſculi ſuccedant. Demum Regia benignitate in rectum foeudum concedimus ei annuatim ſexaginta carratas vini; quarum media pars apud Boperdiam, reliqua pars apud Baldebern in Alſatia tempore vindemiae ei perſoluentur. Compromiſſum eſt etiam ex parte noſtra & ipſius Ducis, quod omnium amicorum noſtrorum fidus erit amicus, & aduerſariis noſtris inimicabitur, & nobiſcum eos diſtricte perſequetur, nec aliquem manutenebit; & nos etiam ipſum Ducem in omnibus negotiis ſuis manutenentes, nulli inimicorum ſuorum contra eum auxilium vel conſilium praeſtabimus. Vt autem haec omnia rata ſemper permaneant, & inconuulſa perſeuerent, hanc paginam exinde conſcriptam, ſigilli noſtri charactere iuſſimus communiri.

Huius

Digitized by Google

Huius rei teſtes ſunt:

Adolphus Colonienſis Archiepiſcopus.
Dithalmus Conſtantienſis Epiſcopus.
Conradus Spirenſis Epiſcopus.
Comes Wilhelmus Iuliacenſis.
Comes Arnoldus de Altenach.
Comes Otto de Geldere.
Comes Siuertus de Werda.
Comes Henricus de Gemino Ponte.
Comes Erneſtus de Velſeki.
Otto de Buren.
Cono de Mintſenberg.
Henricus Dapifer de Walpurg.
Henricus de Smalinecke.
Wernerus, & Philippus frater eius, de Bonlandia.
Conrardus puer de Bopardia.
Reinhardus de Lutre, & alii complures.

Item concedimus Duci vniuerſa bona conſtituta vltra Moſam, quae antea Comes de Loen ab ipſo Duce in foedum acceperat, Imperio attinentia.

Acta ſunt haec anno Domini MCCIV.

Datum Confluentiae ſecundo Id. Nouembris. Indictione ſeptima.

No. CCLXXXV.

Innocentius III. Pontifex Iohannem Angliae Regem ad ſolutionem pecuniae Ottoni Regi a fratre Richardo legatae hortatur. Anno 1205. Ex Regiſtro Innocentii III. de negotiis Imperii epiſt. 129. p. 744.

ILLVSTRI Regi Anglorum. Quantum tuae Serenitatis excellentia honoris & exaltationis reciperet incrementum, ſi cariſſimi in Chriſto filii noſtri, *Illuſtris Regis OTTONIS*, in Romanorum Imperatorem electi, promotio felicem ſortiretur euentum, ſi diligenter attendas, intelliges per te ipſum, cum te latere non poſſit, quod ei non ſolum aduerſarii ſui potentia, ſed & tuae conſanguinitatis reſpectus multiplicauit aemulos, & hoſtes adauxit. Ne igitur ad onus ſit ei potius, quam honorem, quod te proxima linea conſanguinitatis attingit; non ſolum ex abundantia diuitiarum tuarum eius deberes indigentiae prouidere, ſed multa etiam tuae neceſſitati ſubtrahere, vt eius neceſſitudinem ſubleuares. Cum ergo inclitae recordationis *RICHARDVS Rex*

Digitized by Google

Angliae, *frater tuus*, ei certam legauerit pecuniae quantitatem, & tu illam te iuraueris, ſicut accepimus, ſoluturum, iurantibus tecum Epiſcopis regni tui; rogamus ſerenitatem regiam & exhortamur attentius, quatenus pecuniam ipſam eidem, in multae neceſſitatis articulo conſtituto, perſoluas, ne te ac nos in eam neceſſitatem inducas, vt, cum iuſta petentibus fauorem teneamur apoſtolicum impertiri, te ad ſoluendum debitum, quod non denegas te debere, *cogere compellamur* poſt commonitiones multotiens iteratas, per quas te non potuimus hactenus emollire.

No. CCLXXXVI.

Innocentius III. Pontifex praecipit Iohanni Angliae Regi ſolutionem pecuniae a Richardo fratre Ottoni Regi legatae, & tergiuerſantem cenſura eccleſiaſtica ad id compelli iubet. Anno 1205. Indidem p. 745.

CVM cariſſimo in Chriſto filio noſtro *illuſtri Regi OTTONI*, *nepoti tuo*, tenearis magnifice ſubuenire, non ſolum ratione carnis & ſanguinis, verum etiam conſideratione commodi & honoris; quoniam, ſi per tuae ſubuentionis auxilium idem Rex, nepos tuus, ad coronam Imperii perueniret, ſtatus vtique regni tui robur ſuſciperet & augmentum; plus vtique, quam oporteat litteris explicare, miramur, & mouemur non modicum, quod ei vel de tuo ſubuenire non curas, vel ſaltem de ſuo, videlicet quod ex teſtamento inclitae recordationis *RICHARDI Regis*, germani tui, ſoluere ſibi ſine dubitatione teneris. Volentes igitur tam tibi, quam ipſi, paterna ſollicitudine prouidere, ſerenitatem tuam rogamus attentius & monemus, fideliter conſulentes, quatenus ei ſuper his, quae praedictus Rex, frater tuus, ei teſtamento legauit, non differas vlterius ſatisfactionem debitam exhibere, ne per tuum defectum ſuus impediatur profectus; quatenus, ſi per te fuerit adiutus, negotium eius, optatum ſortiatur effectum.

Datum Romae apud ſanctum Petrum XIII. Kalend. Martii, pontificatus noſtri anno octauo.

In eundem fere modum ſcriptum eſt ſuper hoc Elienſi, Dunelmenſi & Wigornenſi Epiſcopis, hoc adiecto :

Quocirca fraternitatem veſtram rogamus & monemus attentius, per apoſtolica vobis ſcripta praecipiendo mandantes, quatenus eundem Regem ad hoc moneatis prudenter & efficaciter inducatis. Et ſi forte per exhortationes veſtras ad id induci nequiuerit, vos eum *per diſtrictionem eccleſiaſticam compellere* non tardetis, non obſtante compoſitione,

quae

Digitized by Google

quae facta eſt inter ipſos; praeſertim cum in ea de relaxatione pecuniae ſibi teſtamento legatae nulla mentio habeatur.

Datum Romae.

Scriptum eſt ſuper hoc in eundem fere modum aliis Epiſcopis & Magnatibus Regni Angliae, vt ipſum Regem ad hoc moneant & inducant, & ipſi etiam Regi OTTONI, ſicut habent caram gratiam diuinam & Domini Papae, ac regni ſui diligunt commodum & honorem, ſtudeant ſubuenire.

Datum vt ſupra.

No. CCLXXXVII.

Otto Rex Monaſterio de Inſula ſanctae Mariae donat manſum in Garboldeſſem. Anno 1207.

Ex autographo.

OTTO diuina fauente clementia *Romanorum Rex & ſemper Auguſtus.* Regie maieſtatis decet celſitudinem, omnium eccleſiarum vtilitatibus inuigilare, & earum paupertatem in meliorem ſtatum informare, & peticiones racionabiles virorum religioſorum pie & miſericorditer exaudire. Quapropter notum facimus tam preſentis, quam futuri temporis Chriſti fidelibus, quod nos, ad petitionem *Ottonis*, viri probati & ſancte conuerſationis, *Prepoſiti in Inſula ſancte Marie*, Symonis eciam & Bernardi de Herre, *manſum* vnum de *hereditate noſtra*, ſitum in *Garboldeſſem*, iam dicte eccleſie dedimus voluntarie, & ipſam eccleſiam in noſtram accepimus protectionem. Vt igitur hec donatio rata ſtabiliſque omni euo permaneat, & ne per nos aut ſucceſſores noſtros infringatur, preſentis ſcripti firmamento & ſigilli noſtri impreſſione fecimus communiri, omnem malignandi aditum vſque quaque precludentes.

Actum anno Dominice incarnationis M°. CC°. ſeptimo. Indictione X. anno regni noſtri X.

Teſtes: Magiſter Henricus, Scolaſticus ſancti Gereonis in Colonia,
Heinricus Decanus in Gladebach.
Iohannes Prepoſitus Frideslarie.
Herwicus, Decanus ſancti Blaſii in Bruneſwich, & Canonici eiuſdem Eccleſie.
Volbertus Prepoſitus ſancti Ciriaci & ſui confratres.

Laici: *Bernardus Comes de Wilpa.*
Comes Adolfus de Dasle.

Digitized by Google

Helmoldus de Pleſſe.
Guncelinus de Wulferbutle.
Bertrammus de Velthem.
Ludolfus de Bortfelde.
Eylardus de Oberghe & alii.

Datum per manum notarii noſtri *Stephani*, in maiori eccleſia *Minde* & in eccleſia Suiberti Canonici, feliciter.

No. CCLXXXVIII.

Tidericus Praepoſitus nouellae plantationis beatae Mariae iuxta Limbere vendit Hildenſemenſibus manſum in villa Garboldeſſem. Anno 1223. Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *Tidericus* Prepoſitus & Capitulum *nouelle plantacionis* beate *Marie* iuxta *Limbere*. Notum eſſe volumus tam preſentis quam futuri temporis fidelibus vniuerſis, quod eccleſia maior in Hildenſem manſum vnum, in villa *Gherboldeſſem* ſitum, conſentientibus loci noſtri perſonis ſingulis & diuerſis, XVIII. marcis a noſtro conuentu rationabiliter comparauit. Volentes igitur & deſiderio deſiderantes, hoc ratum & inconuulſum perhenniter obſeruari, preſens ſcriptum inde dedimus, ſigilli noſtri munimine roboratum.

Actum anno Dominice Incarnationis M°. CC°. viceſimo tercio.

No. CCLXXXIX.

Factum hoc confirmat Dioeceſanus, Conradus Mindenſis Epiſcopus. Anno 1223. Ex autog.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *Conradus* Dei gracia *Mindenſis* eccleſie Epiſcopus. Ad cautelam futuri temporis notum eſſe volumus fidelibus vniuerſis, quod eccleſia maior in *Hildenſem*, noſtra conniuencia ſimul & voluntate, manſum vnum, in villa *Garboldeſſem* ſitum, a Prepoſito *Tiderico* & Capitulo *nouelle plantacionis* ſancte *Marie* iuxta *Limbere*, conſencientibus eiusdem loci perſonis ſingulis & diuerſis, XVIII. marcis racionabiliter comparauit. Volentes igitur hoc factum ab omnibus inuiolabiliter obſeruari, dedimus inde preſens ſcriptum, ſigilli noſtri munimine roboratum: obſeruantibus in domino gloria; temere contraire preſumentibus, anathema Maranatha.

Actum anno Incarnationis Dominice M°. CC°. XXIII.

No. CCXC.

Maria ſeu Irene Regina ex iuſſu & pro anima Philippi coniugis Adelbergenſi Monaſterio donat Curiam ſuam in ſuperiori Eslingen. Anno 1208. Ex Cruſii Annal. Sueu. Part. II. p. 561.

M*ARIA Dei gratia Romanorum Regina Auguſta* vniuerſis hoc praeſens ſcriptum intuentibus ſalutem. Iudicia Dei abyſſus multa. Cum dilectus Dominus ac maritus noſter *PHILIPPVS glorioſus Romanorum Rex Auguſtus*, ſicut diuina praeuidit ordinatio & fieri permiſit eius occulto iudicio, ab hac vita diſceſſerit inteſtatus; nos, quae adhuc ei ſuperſtes ſumus, & per iuſtum & legitimum matrimonium, quo ei coniunctae fuimus, ſecum fuerimus vnum corpus, id, quod ipſe Dominus noſter crudeliſſima morte praeuentus nec fecit, nec facere potuit, dignum cenſuimus per nos hoc ſuppleri: maxime cum nos per gratiam ipſius, vniuerſam omnium bonorum ſuorum legitimam intrauerimus haereditatem, hoc ipſo Domino noſtro diu ante diem obitus ſui ordinante. Notum igitur facimus omnibus, hoc publicum inſtrumentum inſpicientibus, quod nos, pro ſalute animae iam dicti Domini noſtri,* quandam curiam noſtram in ſuperiori Eslingen, cum omni iure, in iuſtam proprietatem tradidimus Eccleſiae in Madelberch &c.

Teſtes huius rei ſunt:

Comes Ludewicus de Wirtenberch. (*)
Vlricus Notarius.
Et vltra Bernoldus de Stophen.
Egeno de Stophen.
Eberhardus de Tannbach, & alii quam plures.

Datum apud Stophen, XIII. Kl. Sept. Indict. XI.

No. CCXCI.

Ottoni Wittelsbachio Regicidae per donationem Curiae in Wittelsbach ſepultura in Vndesdorf poſt longas moras conceditur. Anno 1217. Ex copia vidimata. Habet id etiam Hund. Metrop. Salisburg. T. III. p. 304.

NOVERIT omnis Chriſti fidelium induſtria, tam praeſentium, quam futurorum, quomodo *LVDOVICVS Dux Bauariae*, curiam

*) Hunc teſtem inſtrumento infarſiſſe videntur conſiliarii Wurtembergici, qui cum Cruſio hanc Chartam communicarunt, neque enim apud alios bonae notae auctores hoc tempore Ludouicus Comes de Wirtenberch occurrit.

m in *Witleſpach*, fratribus in *Vndenſtorf* contulerit, & in propria na ſuper altare beatae Mariae delegauerit, pro remedio tam ſui, ı parentum ſuorum, in ſepultura quondam *Ottonis Palatini*, quondam reus laeſae Maieſtatis auſu videlicet temerario manus in *pum* Regem mittere praeſumpſit, diu aggreſſae ſepulturae deputa- multo tandem labore fratrum in *Vndenſtorff*, diuino annuente ſuſ- , eccleſiaſticam, Innocentio ſedem gubernante Romanam, inuenit ſe- ·am: quae traditio facta eſt Anno Dominicae incarnationis MCCXVII. ante Friderico Rege Romanorum & Apuliae, praeſentibus:

Petro Cardinali Presbytero ad ſanctam Potentianam.
Eberhardo Salisburgenſi Archiepiſcopo.
LVDOVICO Duce Bauariae.
Rapotone Palatino de Ortenberg.
Conrado Comite de Moſpurg.
Eberhardo Comite de Dornberck.
Conrado Libero de Horbach.
Hainrico Pes.
Eberhardo de Mutichingen.
Voca de Voccenberg Stump.
Arnoldo de Camer, & filio ſuo Berchtoldo.
Engelramo de Dachau.
Conrado de Vſenhouen.
Conrado de Mülhauſen.
Gunthero de Gieſenbach.
Rugero de Staingrif.
Rudolpho Grans de Starckenberg.
Marquardo de Aichach.
Berchtoldo de Mulhauſen.
Ottone & fratribus ſuis de Arnpach. (forte: *Arnpeck.*)
Haidenrico & Conrado ac Berchtoldo fratribus ibidem*.
Haidenrico & fratre ſuo N. de Paternhofen.
Arnoldo de Windingen.
Eberhardo de Sielenpach.
Friderico de Weiern.

No. CCXCII.

*. de Vttendorff. fuiſſe enim nobi- ıuaria familiam, quae nomine hoc inclaruit, iam pridem obſeruauit Hundius *in Bayeriſchen Stambuch* P. I. p. 208.

No. CCXCII.

Otto Rex donationem Abbatiae Niuellenſis Duci Brabantiae factam per ſententiam Principum

reuocat, Abbatiſſam in integrum reſtituit, eique dominium oppidi cum reliquis iuribus confirmat. Anno 1209. Ex Butken. Trop. Brabant. Inſtrum. p. 60. & Miraei Notit. Eccleſ. Belgic. p. 504.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *OTTO* diuina fauente clementia *Romanorum Rex ſemper Auguſtus.* Notum facimus, quod accedens ad noſtrae Maieſtatis praeſentiam fidelis noſtra, *Berta*, Nyuellenſis Eccleſiae Abbatiſſa, flebili querimonia propoſuit, quod nos tempore diſcordiae noſtrae, contra ius & libertatem Imperii, ipſam & Eccleſiam ſuam ab Imperio alienauerimus, & in manus *Henrici Ducis Lotharingiae* contulerimus. Principum vero dictauit ſententia, quod nos eandem Abbatiſſam & Eccleſiam ſuam non potuerimus ab Imperio alienare, ſed quod in omni iure, honore & libertate, ſicut ad nos deuenit, ipſam conſeruare tenemur. Ad hanc itaque ſententiam, aſſenſu Principum Imperii legitime approbatam, Regali authoritate caſſauimus & in irritum deduximus eandem donationem, quam aliquando praedicto Duci per ſcriptum noſtrum & priuilegium de ipſa Eccleſia feceramus, & iuxta priuilegium *Friderici Romanorum Imperatoris* ipſi Abbatiſſae & Eccleſiae reſtituimus & confirmamus Burgum & ipſam villam Niuellenſem cum mercato, teloneo, moneta ac menſis concambiorum, cum maceria, quae alio nomine Grut appellatur, cum campis & molendinis, terris cultis & incultis &c.

Huius rei teſtes ſunt:

Euerhardus Saltzburgenſis Archiepiſcopus.
Ioannes Cameracenſis Epiſcopus.
Vulferannus Abbas Wiſemburgenſis.
Gerardus Praepoſitus de Carpena.
Sibodo Praepoſitus ſancti Adelberti de Aquis.
Hermannus & Fredericus Marchiones de Baden.
Boppo Comes de Louſe.
Rudolfus de Kiſelowe.
Henricus de Scarſemberg.
Conradus de Bobardia.
Henricus de Rikere.
Reinardus & Ioannes fratres de Lutra, & alii quam plures.

Ego

Ego Conradus Spirenſis Epiſcopus, Imperialis aulae Cancellarius, vice Sifridi, Moguntinenſis Sedis Archiepiſcopi & totius Germaniae Archicancellarii, recognoui.

Acta ſunt haec anno MCCIX. Indictione XII. Regnante Ottone Romanorum Rege.

Datum apud Spiram, XVI. Kalendas Iulii.

No. CCXCIII.

Eiusdem Ottonis Regis priuilegium Stadenſe. Anno 1209. Ex autographo deſcripſit G. Rothius. (*)

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *OTTO Quartus* diuina fauente clementia *Romanorum Rex & ſemper Auguſtus.* Iuſtis fidelium ſuorum poſtulationibus inclinari regia nouit benignitas, & circa eorum commoda curam efficacem & operam impendere diligentem. Quapropter vniuerſis Imperii fidelibus, tam preſentibus, quam futuris, duximus innoteſcendum, quod nos, inſpecta fidelium noſtrorum, qui Stadiis Ciuitatem inhabitant, deuocione, ipſos in iure ſuo, quod ad eiusdem loci profectum recolende memorie *HEINRICVS Dux Saxonie, pater noſter*, ſtatuit, diligenter volumus conſeruare, eiusdem predilecti patris noſtri, tam in hiis, quam in aliis, que laudabiliter geſſit, veſtigia cupientes imitari. Concedimus itaque ipſis & indulgemus, vt Burgenſes & optimi Ciues coram aduocato vel alio quouis iudice, *iuricapium*, quod vulgariter *Vare* dicitur, in iudicio omnimodis non ſuſtineant. (**) Qui moram fecerit & aduocati edicto tardius ſteterit, octo denarios in vadio componat. Qui inſolentiam per ſtrepitum fecerit, octo denarios componat. Item in iure conceſſo ſtatuimus, vt, ſi quis alteri alapam dederit, vel aliam aliquam intulerit leſionem, aduocato in quatuor ſolidos componat. Si leſus ſeruilis conditionis homo fuerit, aut cenſualis in ſatisfactionem octo ſolidos accipiat; ſi ingenuus, ſiue libertus, vel miniſterialis fuerit, qui leditur, talentum in compoſitionem ſatisfactionis;

*) Peculiari programmate de hoc priuilegio Ottonis IV. egit laudatus Rothius. Habet id etiam vir Perill. Dn. Frid. Eſaias Pufendorf in Obſeru. Iuris Vniuerſi T. II. in app. n. 4. p. 152. & vir Conſultiſſ. Chriſtianus Gottl. Riccius im Entwurff von Stadt Geſetzen oder Statutis vornemlich der Land-Städte p. 167. ſq. Germanicam huius diplomatis verſionem dedit Ioh. Vlricus Wallichius in relatione de incendio Stadenſi p. 109. qui tamen circa tempus, quo ſcriptum, lapſus, illud MCC. datum fuiſſe ſcribit.

**) Id eſt, *ſie ſollen mit keinem perſonal Arreſt beſchwebret werden.* vid. Heinecc. Antiq. Goslar. in priuilegio Frid. II. Imp. & Statuta Curienſ. ap. Mencken T. III. p. 711. *Es ſoll kein Richter keinen Bürger zu Gefängniß legen, er ſoll das Recht von Im verbürget nemen: on allein vmb Sach, die den Halſ antretten.*

factionis; accipiat nichilominus aduocatus quatuor ſolidos in vadio. Concedimus preterea, vt in quolibet caſu vel exceſſu aduocatus non plus quam octo in cauſis principalibus ſolidos in vadii compoſitionem accipiat. Vbi aliquis in calore & vehemencia animi ſui cum altero conflictum fecerit, & gladium eduxerit, pacemque in ſanguinis effuſione violauerit, ita quod reus ſanguinis capite plecti, vel manu truncari debeat; coram Comite, dum pro tribunali in plebiſcito ſederit, ſexaginta ſolidos in vadio, & ciuibus nonaginta componat. Si quis vir vel mulier in ciuitate Stadienſi ſub eo, quod dicitur Wicbelethe, per annum & diem, nullo impetente, permanſerit, & ſi quis poſtea libertati eius obuiare voluerit, actori ſilentio jmpoſito probacionis, liceat ei dicti temporis praeſcriptione libertatem ſuam probare. Si quis autem huiusmodi hominem impecierit, primum in ingreſſu cauſe fideiuſſores congruos ponat, & ſi in propoſicione ſua procedere non potuerit, impetito & iudici componat vtrique ſecundum ius ſuum. Adhec ſi quis ſub Wicbelethe in ciuitate Stadienſi mortuus fuerit, ſuum *Herwede* ſub iudiciaria poteſtate per annum & diem permaneat ſub exſpectatione legitimi heredis, qui illud hereditario iure debeat obtinere. Huic vero conditioni connectimus, vt nullus omnino lito in veſtram ciuilem iuſticiam, niſi ex permiſſione & licentia Domini ſui, coram iudice & communi vulgo recipiatur. Preterea, ſi quis aliquam hereditatem acquiſierit in ciuitate Stadienſi ſub Wicbelethe, & eam per annum & diem nullo impetente poſſederit, ipſe propior & magis idoneus habeatur ad probationem obtinende hereditatis, quam alter ad auferendum, niſi forte Dominus aree eam vendiderit in propria perſona, vel certi nuncii ſui ad ea commiſſa procuracione. Omnes autem areas illas, que fuerunt Erici de Bedirkeſa, quas felicis memorie Archiepiſcopus Sifridus, & poſt eum antefatus pater noſter, *Dux HENRICVS*, per recompenſacionem bonorum ſuorum liberauerunt, illas libere tradimus Burgenſibus eisdem, ſub iure, quod vocant Wicbeleth, ita, vt ab omni iure quorumlibet, & exactionibus, & iudicio ſint excepte, & nulli de eis aliquid reſpondeant, niſi ſoli aduocato Ciuitatis, qui dicitur *Wicuogt*, in iure ſuo, & tantum Dominis ſuis, quorum prius erant aree, cenſum debitum perſoluant. Addimus preterea eisdem Burgenſibus, vt a *Bottingis* (*) omnino ſint liberi, ita vt eos Bottingis nemo conſidere, & eos ibi iurisdicioni ſtare de cetero poſſit coartare. Concedimus

*) *Botting* audiit *iudicium prouinciale generale, ruri ſub dio certis temporibus habitum,* de quo egregia exſtat diſſertatio V. C. Ioh. Caroli Conradi Oelrichs Berolinenſis, Francofurti ad Viadrum ſub Praeſidio Ill. Ioh. Chriſtoph. Pesleri, ICti conſummatiſſimi, Anno MDCCL. habita. Ab hoc iudicio liberantur ciues Stadenſes, donati iure de non euocando, quod proprium Aduocatum intra moenia haberent.

dimus preterea, vt omnes viarum exitus & omnia paſcua, que ad noſtra vſque tempora libera produxerunt, eisdem Burgenſibus libere permaneant, & ſi quis hec impecierit, ipſi cum iure inde reſpondeant. Statuimus etiam, quod nec nos poſſimus, nec alius aliquis poſſit, dominium ſuper ipſam habens ciuitatem, obſides a ciuibus exigere, niſi forte aliquos inter ſe inueniant, qui nobis & ipſi ſint inutiles, a quibus ad conſilium ipſorum obſides recipere debeamus. Indulſimus preterea eisdem ciuibus, quod nullam ab eis pro eductu annone, quam ſuo comparauerint argento, pecuniam repetere debeamus. Si quis autem annonam alieno argento comparatam educere attemptauerit, furti reus habeatur. Concedimus adhec ipſis, vt nulli extraprouinciali liceat in ciuitate res alicuius hoſpitis occupare, ſed ſi forte ciuis, vel aliquis incola terre, extraprouincialem aliquem habeat ſuper aliquo impetere, prius coram iudice extraprouinciali per iuris ordinem debet obtinere, vt licitum ſit ei res ipſius occupare. De eo autem, quod vocatur *Wiuerate*, hoc ſtatuimus, vt, mortua aliqua paupere vel diuite muliere, tota ſupellectile perſpecta, precioſiora queque veſtimenta heredibus exhibeantur; reliquas vero veſtes, & vir & heredes equaliter diuidant; vtenſilia autem viro domus permaneant. Demum de ſpeciali gratia noſtra ipſis concedimus & inuiolabiliter decernimus obſeruandum, vt nulla extranea perſona quemquam de ciuibus, neque etiam ciuis ciuem per duellum, quod vulgo *Kampliche* dicitur, (*) in aliquo caſu impetere poſſit. Vt autem hec noſtra ſublimitatis noſtre conceſſio & confirmacio memoratis ciuibus firma ſtabilisque omni euo permaneat, hanc ducalem (*lege:* diualem) paginam exinde conſcriptam, ſigilli noſtri impreſſione iuſſimus communiri.

Huius rei teſtes ſunt:

Albertus Magdeburgenſis Archiepiſcopus.
BERNHARDVS Dux Saxonie.
Tidericus Marchio Miſnenſis.
Albertus Marchio Brandenburgenſis.
Hermannus Landgrauius Thuringie.
Geuehardus Burggrauius Magdeburgenſis.
Comes Burchardus de Manisfelt.
Comes Adolfus de Schowinberg.
Comes Bernhardus de Welpia.
Comes Gunzelinus de Zwirin.
Comes Adolfus de Daſſil.
Guntherus & Heinricus Comites de Schwarzpurc.

Henricus

*) *Kaempflichen fordern.* vide Statuta Curienſia ap. Menken. T. III. Scriptor. p. 710.

Comes Fridericus de Bichlingen.
Henricus Marſcalcus de Kallindin.
Gunzilinus Dapiſer.
Baſilius de Oſtirrode, & alii quam plures.

Signum Domini OTTONIS Quarti Romanorum Regis inuictiſſimi.

Ego Conradus Spirenſis Epiſcopus, Regalis aule Cancellarius, vice domini Sifridi, Maguntinenſis Archiepiſcopi, & tocius Germanie Archi Cancellarii, recognoui.

Acta ſunt hec anno Dominice Incarnationis milleſimo CCVIIII. Indictione XII. Regnante Domino *Ottone Quarto Romanorum Rege glorioſo*, anno regni vndecimo.

Datum apud *Aldinburc* VI. nonas Maii.

No. CCXCIV.

Otto Rex tranſigit cum Alberto Archiepiſcopo Magdeburgenſi, nato ex Comitibus Hallermundiae, ante expeditionem Romanam, ſuper diuerſis rebus. Anno 1209.

Ex veteri Charta Magdeburg. cuius pleraque iam euanida omnem oculorum aciem fugiunt.

OTTO *Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus.* Vniuerſis Imperii fidelibus hoc ſcriptum intuentibus gratiam ſuam & omne bonum. Recognoſcimus & preſentibus literis profitemur, quod inter Nos ex vna parte, & inter domnum Albertum, Magdaburgenſem Archiepiſcopum, ex alia parte, admiſſa eſt compoſitio in hunc modum:

Conferemus eccleſie Magdaburgenſi *Haldisleua* cum omnibus attinentiis ſuis, & omnem proprietatem, quam *pater noſter* habuit in *Marchia Brandenburgenſi*, & in terra, quae Wiſch vocatur. Dedimus quoque fideiuſſores, quod proprietatem iſtam ſtabiliemus eccleſie in omni iurisdictione, vbi bona ſita ſunt, & ſecundum iuſtitiam warendabimus eam de ipſis bonis, cum pleno conſenſu heredum noſtrorum, & ſuper hoc dabimus priuilegium noſtrum eccleſie Magdaburgenſi.

Item, nos & fratres noſtri renuntiabimus omni iuri, quod duximus nos habere in caſtro *Sommeriſchinburg* & in omnibus attinentiis ipſius. Renuntiabimus praeterea omnibus *feodis*, que pater noſter tenuit ab eccleſia *Magdaburgenſi*, in quibus dicebamur (*forte:* videbamur) ius habere.

Item nos dabimus priuilegium eccleſie, quod nunquam in bonis

eccleſie contra voluntatem Archiepiſcopi vel ſucceſſorum ſuorum faciemus exactionem, vel ſumemus hoſpitium, nec vnquam monetam vel theloneum iuxta conſuetudinem, que ab antiquo in Curiis obſeruabatur, in ciuitatibus Archiepiſcopi occupabimus, & eum in nullo officio pregrauabimus. Dabimus preterea priuilegium quod nunquam in eccleſia Magdaburgenſi & ſuffraganeis ſpolia capiemus Archiepiſcopi vel Epiſcopi decedentis. Caſtrum Lewen . . . . mille in feſto ſancte Walpurgis tunc proximo. tertia mille in feſto ſancte Margarete.

Item dabimus in curiam Archiepiſcopi quingentas marcas, quas ſoluemus in proximo feſto Pentecoſtes. *Fratribus Archiepiſcopi*, Comiti *Heinrico* & *Guntero*, concedimus ciuitatem *Salueld* ſub hac forma, vt, quandocumque nos ipſis ſoluerimus mille marcas, libera ſit ciuitas nobis, & ſic cum Archiepiſcopo in noſtro ſeruicio permanebunt.

Ceterum, cum nos tantam concordiam habuerimus, cum principibus, quod Archiepiſcopo videbitur, quod Comitem Adolfum (*) poſſimus iuuare, nos, ſi amice per preces non poterimus, per guerram iuuabimus eum ad recuperationem tam puerorum, quam terre ſue, nec vnquam contra ipſum malum aliquod intendemus.

Item, ſi Burcardum in Prieszna apud *Ducem* iuuare non poſſumus amice, nos de curia in *Gloworp* & duabus villis & omnibus attinentiis ipſarum, faciemus ei gratiam & iuſtitiam, qualem exſpectabat ab Imperatore Heinrico.

Item, ſi pueros Dni Richardi de Czereuiſt apud Ducem iuuare non poſſumus, nos ſuper tertia parte ciuitatis Czereuiſt faciemus eis gratiam & iuſtitiam, quam pater eorum exſpectabat ab Imperatore Heinrico . . . .

Item promittimus, quod Archiepiſcopum . . . . . . principibus, in noſtris conſiliis familiarem habebimus . . . . vniuerſa debebimus iuxta conſilium Archiepiſcopi . . . . fidei ſacramentum, & ſeruiet nobis tanquam *fratrum noſtrorum* & *puerorum ſuorum* (vaſallus ſeu homo ſeu amicus) . . . . nos ſuper hoc conſilium Archiepiſcopi . . . . adhibebimus. *caetera legi non poſſunt.*

No. CCXCV.

*) Erat Adolfus Schaumburgicus, cuius in Holſatiam reſtitutionem, & liberationem filiorum, qui tum pro patre obſides Waldemaro II. Daniae & Nordalbingiae Regi dati erant, Otto promittit.

Digitized by Google

No. CCXCV.

Otto Rex decidit plures iuris quaeſtiones. Anno 1208. Ex veteri apographo.

OTTO *Quartus Romanorum Rex ſemper Auguſtus.* Ea, quae facta ſunt coram nobis, in iudicio, in praeſentia multorum Principum, quae ad vtilitatem communem praeſentium & futurorum ſpectare videntur, publico ſcripto & authentico ſunt committenda, ne a memoria hominum elabantur, & vt in conſimilibus caſibus facilius homines ea poſſint expediri. Conſtitutus igitur in praeſentia noſtra in ſolemni Curia, apud Auguſtam in multorum hominum & aliorum Principum praeſentia dilectus fidelis noſter, Fridericus, Tridentinus Epiſcopus, quaeſiuit in ſententia, *ſi Miniſterialis alicuius Eccleſiae duceret in vxorem aliquam mulierem liberam, ſi pueri inde ſuſcepti vel eſſe debeant liberi, vel eſſe debeant iuxta conditionem patris eccleſiae Miniſteriales?* Et dictatum eſt in ſententia, quod pueri ex huiusmodi matrimonio nati eſſe debeant ipſius eccleſiae Miniſteriales, cuius & pater eſt Miniſterialis: alias enim omnes Miniſteriales omnium eccleſiarum Imperii deperirent. Item quaeſiuit in ſententia, *ſi aliquis Miniſterialis alicuius eccleſiae de bonis ſuis ſiue patrimonialibus, ſiue feudalibus, aliquid poſſit alienare, vel in aliquam aliam perſonam transferre ſine manu & Domini ſui licentia & voluntate?* Et dictatum eſt in ſententia, quod hoc fieri non poſſit, quia ſic eccleſiae ad nimiam paupertatem redigerentur. Item quaeſiuit in ſententia, *ſi aliquis ſine Regia licentia & authoritate nouum poſſit inſtituere teloneum?* Et data eſt ſuper hoc ſententia, quod nullo modo hoc fieri poſſit vel debeat, &, ſi factum fuerit, irritum ſit & inane. Item quaeſiuit in ſententia, *ſi Epiſcopus Tridentinus aliquos pro ſuis factionibus & exceſſibus banniret, ſi non illud bannum confirmare deberemus?* Et datum eſt in ſententia, quod ſi ipſe Tridentinus Epiſcopus ſeptem idoneis teſtibus probare poſſit, aliquos homines pro exceſſibus & factionibus ſuis banniiſſe, quod nos hoc bannum deberemus confirmare. Cum igitur ipſe Tridentinus Epiſcopus hoc ſtatim ſeptem idoneis teſtibus probaſſet; nos bannum ſuum Regia authoritate confirmauimus. Proſcribimus igitur & bannimus Adelpertum, & quosdam fratres ſuos, Arnoldum de Mos, & filium ſuum, Ruodegerum de Iuuo, Henricum Craſſi, Henricum de Porta, Andream & Bertoldum de Burgonouo, Henricum de Bozano, Vitaldum & Bonauenturam, & filios Muſcardi, & omnes eorum complices. Mandamus igitur & praecipimus ſub diſtrictu gratiae noſtrae, vt nemo

mo iſtos bannitos & proſcriptos aliquo modo recipere audeat, vel ali-
iod conſilium vel auxilium eis impertiri. Quod qui facere praeſumpſe-
, in eadem ſe ſciat eſſe poena & damnatione.

Acta ſunt haec anno Dominicae Incarnationis milleſimo ducenteſimo octauo, Regnante *Domino Ottone quarto glorioſo Romanorum Rege Auguſto.*

Datum apud *Auguſtam*, Idus Ianuarii, Indictione duodecima.

No. CCXCVI.

Iemoria coronati Romae Ottonis Imperato-is in Charta Schonaugienſi conſeruata. Anno 1209.

Ex Diplomatar. Schonaug. p. 80.

VLRICVS diuina miſeratione Wormatienſis Eccleſie maior Prepoſitus, Heinricus de Cella Moguntin. dioceſ. Prepoſitus, Wernerus Cuſtos ſancti Pauli Wormatie, Iudices a ſummo Ponti-e delegati, vniuerſis Chriſti fidelibus, huius ſcripti tenorem audituris, ıtem in eo, ſine quo non eſt ſalus. Scripſit nobis Summus Pontifex hunc modum &c. &c.

His itaque probatis, nos auctoritate Dei omnipotentis & beaton Apoſtolorum Petri & Pauli, & Domni Pape Innocentii, cuius ndato fungebamur, bannum fecimus ſepedicto monaſterio de eisdem nis iuſte obtentis. Vt, ſi quis ſuadente diabolo, aliquam vim vel ıriam Abbati vel Fratribus ſuis ibidem irrogaret, ſciret, ſe ſententie communicationis innodatum, nec relaxandum, niſi reſipiſceret, & naſterio condigne ſatisfaceret. In munimentum etiam, & robur firatis ſigilla noſtra cum ſigillo Burgenſium huic ſcripto appendimus.

Actum eſt hoc Dominice Incarnationis anno MCCIX. in clauſtro Sancti Petri Wormatie. *Regnante glorioſiſſimo Imperatore Ottone, anno conſecrationis eius primo.*

No. CCXCVII.

tto IV. Imperator Monaſterio Walckenenſi ſua priuilegia & poſſeſſiones confirmat.

Anno 1209. Ex Diplomatario Mſcto. Habet id etiam Meibom. Scriptor. T. III. p. 160.

nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Diuina fauente clementia *OTTO Quartus Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus.* Imperialem decet munificentiam, vt in his facilem praebeat aſſenſum

&

& fauorem, quae ad honorem Dei & eccleſiarum vtilitatem pertinent & quietem, & vt id libenter faciat pro amore ipſius pariter ac timore, a quo & per quem omnia habet, in cuius manu cor Regis eſt, & omnium poteſtates conſiſtunt & iura regnorum. Ea propter in propoſito habentes, diuinitate propitia, non ſolum ea, quae a Diuis anteceſſoribus noſtris Imperatoribus pro eccleſiis vtiliter ſunt ordinata ſeruare, ſed &, ſi quid minus factum fuerit, prout intellexerimus & potuerimus, ſupplere; ob reuerentiam ſanctae & intemeratae genetricis Dei & virginis Mariae, venerabile & dilectum nobis monaſterium in *Walkenrith*, Ciſtercienſis Ordinis, & omnes eiusdem loci fratres, clericos & laicos, cum omnibus hominibus & poſſeſſionibus, quas nunc habet, & futuris temporibus iuſtis modis poterit adipiſci, in noſtram & Imperii protectionem & ſpeciale patrocinium ſuſcipimus. Imperiali auctoritate nihilominus confirmantes eidem monaſterio poſſeſſiones infra ſcriptas, cum omnibus ſuis pertinentiis: Grangiam, quae vocatur Beringe cum villa Othſtede & villa, quae dicitur Roth, ſiue nouale: Grangiam, quae vocatur Chaldenhuſen in arundineto inferiori, & aliam, quae vocatur Beruesleben, cum alia, quae dicitur Rithoue: Cellarium Thalheim cum vinea ſua: Grangiam Kintheroth cum alia, quae vocatur Guntzeroth & curia Wodenroth: Grangiam Hildewinesburne cum alia, quae dicitur Himmeroth: Grangiam Schowen cum ſuis attinentiis: curiam & areas, quas poſſidet monaſterium praedictum in Goslaria, cum vniuerſo emolumento, quod ibidem habet in monte, & caſas conflatorias, quas habet in nemore: curiam & vineas ipſius in Herbipoli & eius pertinentiis ſitas: praeterea ſiluam praefato monaſterio adiacentem, quae dicitur Bogenthal, quam ab anteceſſore noſtro, piae memoriae Imperatore Friderico, pro reditibus duorum talentorum commutando acquiſiuit, cum omni libertate poſſidendam ei perpetuo donamus; & confirmamus inſuper quaecunque bona vbicunque locorum in ſiluis, in agris cultis & incultis, in paſcuis, in aquis & aquarum decurſibus vel piſcationibus poſſidet; omnesque libertates & priuilegia & donationes, ipſi a praedeceſſoribus noſtris, Romanis Imperatoribus, vel quibuscunque aliis noſtris ſubditis, collatas confirmantes, illibatas eas praecipimus omni tempore conſeruari. De liberalitate vero noſtra, ob remedium animae noſtrae & ſucceſſorum noſtrorum, Imperatorum vel Regum, praemiſſis adiicimus, vt, quicquid deinceps idem monaſterium de bonis Imperii iuſtis modis fuerit adeptum, ſiue per emptionem, ſiue per commutationem, ſiue per eleemoſynarum largitionem, vel alio quocunque iuſto modo, a quacunque perſona, ſiue libera fuerit, ſiue miniſterialis Imperii, & non requiſito ſuper hoc ſpecialiter

aſſenſu

Digitized by Google

noſtro, aut exſpectata ſententia, eadem bona & licenter recipiat, mni libertate quiete poſſideat, omni contradictione ceſſante, ita a lex, vel generalis vel priuata, hoc valeat impedire. Praeterea fra- aeſatae eccleſiae abſoluimus ab omni exactione & collecta, quae fit thuſen ad qualeſcunque ciuitatis neceſſitates, vt nec de areis ſuis ad aliquam ciuitatis iuſtitiam, neque de curribus onera eccleſiae bus, teloneum ſoluatur; & liberam eis concedimus facultatem com- di argentum ſuum apud quemcunque valuerint. Imperiali igitur tate praecipimus, vt nulla perſona, ſecularis vel eccleſiaſtica, prae- itum monaſterium in rebus, vel perſonis, aliquatenus contra teno- iius priuilegii moleſtare, vel huic facto audeat contraire: alioquin ram incurret indignationem, & in poenam temeritatis ſuae com- XL. marcas auri Camerae noſtrae inferendas. Vt autem oſtra conceſſio omni tempore inuiolabilis perſeueret, praeſentem n ſigillo noſtro iuſſimus communiri.

ius noſtrae conceſſionis teſtes ſunt hi:

Volkerus Patriarcha Aquilegienſis.
Lotharius Archiepiſcopus Piſanus.
Iohannes Cameracenſis Epiſcopus.
Henricus Mantuanus Epiſcopus.
Henricus Scholaſticus S. Gereonis.
Iohannes Bardewicenſis Praepoſitus.
Gerhardus Comes Viennenſis.
Azo Marchio Eſtenſis.
Meinardus Comes de Friol.
Salinguerra de Ferraria.
Hermannus Comes de Wirtenberg, (in Mſct. *Hartesburg.*)
Rudolfus de Keſeloue.
Helmoldus de Pleſſe.
Bernhardus de Dorſtadt.
Luthardus de Meinerſen.
Gunzelinus Imperialis aulae Dapifer.
Henricus de Schaladin (in Mſct. *Kalandin.*) Marſcalcus,
Cuno de Minzenberg Camerarius.
Waltherus de Scipſe Pincerna.
Henricus de Rauensberg.
Monachus de villa & Paſſagwerra Mediolanenſis.
Albertus Strutio Imperialis aulae iudices.
Henricus de Rotenburg.

Cuno

Digitized by Google

Cuno de Somerowe.
Albertus Rindesmuel.
Herewicus de Witenſe.
Henricus de Reueninge, & alii multi honeſti clerici & laici.

Signum Domini OTTONIS Quarti Romanorum Imperatoris inuictiſſimi.

Ego Conradus Spirenſis Epiſcopus, Imperialis aulae Cancellarius, vice Theoderici Colonienſis Archiepiſcopi, recognoui.
Data per manum Waltheri Imperialis aulae Protonotarii.
Acta ſunt haec apud Interamnem in partibus Spoletanis; anno incarnationis Dominicae MCCIX. anno regni noſtri XI. Imperii vero I. IX. Kal. Ianuarii Indictione XII.

No. CCXCVIII.

Idem eidem Monaſterio Imperatoris Friderici I. donationes confirmat & auget. Anno 1209.

Indidem p. 161.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Dei gratia *OTTO Quartus Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus.* Quoniam Imperialis exigit maieſtas, vt quae dictante rationis aequitate ſtatuerit, nulla debeat retractare poteſtas; tamen ne quis ſe excuſet de facti ignorantia, placuit ſcripto annotari, in quibus ſibi decreuerit obtemperari. Ea propter notum ſit vniuerſis Chriſti fidelibus, quod piae recordationis anteceſſor noſter *Fridericus*, Romanorum Imperator, de Imperii vtilitate ſolicitus, inferius arundinetum per quendam fratrem de Walkenrith, Iordanem nomine, ex aquarum inundatione valida reuocauit ad habitationem hominum & culturam agrorum. Vnde ob gratiam impenſi laboris ad prouentum emolumenti amplioris eccleſiae de Walkenrith ibidem contulit aream curiae, quae vocatur Kaldenhuſen, & duos manſos, cum omni iure tam cenſuali, quam decimali, deinceps libere poſſidendos. Aliam etiam contulit aream ad molendinum conſtruendum, reſeruato ſibi priuilegio, vt penes decurſum aquae illius, niſi de licentia Imperii, nemo praeſumeret molam conſtruere. Praeterea ex Imperiali munificentia contulit eccleſiae VII. manſos, ſaluo ſibi iure cenſuali, videlicet XXVIII. ſolidis, quos annuatim ſoluebant: ex quibus etiam huiusmodi ſoluitur decima; de omnibus, quae creſcunt in agro, portio rei vndecima; de agnis, porcellis, anſeribus, quod decimum venerit in numero; de pole-

enarium; de vitulo obolum. Ab hac vero lege decimandi exce-
nt volatilia, quae nutriuntur in curia, & quaecunque intra ſepta
xcoluntur, & quaelibet genera holerum; fructus quoque arborum.
:io autem ad nos canónice deuoluto, ſicut ea, quae a praedeceſſo-
noſtris Romanis Imperatoribus circa ſtatum eccleſiarum acta noſcun-
ſiue ipſis de fiſco Imperiali collata, tenemur illibata conſeruare: ita
ci deuotione decreuimus ad releuandas ſeruorum Dei neceſſitates
d ſupererogare. Vnde diuinae retributionis intuitu & pro conſer-
› Imperii ſtatu, praedictos VII. manſos in arundineto iacentes, cum
enſu, ſcilicet viginti octo ſolidis, de fauore principum & aſſenſu curiae
e, contulimus Dei genitrici Mariae & eccleſiae de Walkenrith, &
nu Henrici Abbatis, cum omni iure deinceps libere poſſidendos,
generali, vel priuata lege contradicente. Statuimus igitur & Im-
i praecipimus edicto, quatenus imposterum nullus homo, cuius-
ιe fuerit conditionis, auſu temerario praeſumat contra factum no-
venire, & ſupra dictum coenobium ſuper poſſeſſione collata & im-
ate praeſcripta grauare, aut aliquam in eis bonis rerum ſacrarum
iacturam. Quod ſi quis facere praeſumſerit, tremendi iudicis ſe
ıcurriſſe animaduerſionem, & maieſtatis noſtrae reportare offen-
In vindictam vero ſui reatus centum libras auri componat, dimi-
Camerae noſtrae, reliquum monaſterio iniuriam paſſo. Vt autem
ıoſtra conceſſio omni tempore inuiolabilis perſeueret, praeſentem
m ſigilli noſtri impreſſione ſignauimus.

ιius rei teſtes ſunt:

Volkerus Patriarcha Aquilegius.
Lotharius Archiepiſcopus Piſanus.
Ioannes Cameracenſis Epiſcopus.
Henricus Scholaſticus S. Gereonis.
Iohannes Bardowicenſis Praepoſitus.
Azo Marchio Eſtenſis.
Gerhardus Comes Viennenſis.
Meinhardus Comes de Friol.
Helmoldus de Pleſſe.
Bernhardus de Dorſtad.
Luthardus de Meinerſen.
Rudolfus de Keſelowe.
Guntzelinus Imperialis aulae Dapifer.
Henricus de Schaladin (*Kalandin.*) Marſchalcus.
Cuno de Mincenberg Camerarius.

Walthерus

Walthérus de Scipſe Pincerna.

Henricus de Rauensberg.

Henricus de Rotenburg, Magiſter Coquinae.

Cuno de Somerowe.

Albertus Rindesmuel.

Herwicus de Witenſe.

Henricus de Reueninge.

Monachus de villa & Paſſowerra Mediolanenſis & alii quamplurimi honeſti viri, tam clerici quam laici.

Signum Domini OTTONIS Quarti Romanorum Imperatoris inuictiſſimi ſemper Auguſti.

Ego Conradus Spirenſis Epiſcopus, Imperialis aulae Cancellarius, vice Theodorici Colonienſis Archiepiſcopi, recognoui.

Data per manum Waltheri Imperialis aulae Protonotarii.

Acta ſunt haec apud Interamnem in partibus Spoletanis, anno incarnationis Dominicae MCCIX. anno regni noſtri XI. Imperii vero primo IX. Kal. Ianuarii. Indict. XII.

No. CCXCIX.

Idem Imperator Monaſterium Portenſe ad Salam in tutelam ſuſcipit. Anno 1209.

Indidem p. 159.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Diuina fauente clementia *OTTO Quartus Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus.* Imperialem decet munificentiam religioſam vitam profeſſis, in iis, quae ad vtilitatem eccleſiarum pertinent, ſuum praeſtare ſubſidium, ne cuiuslibet temeritatis incurſu indebite patiantur detrimentum. Eapropter in propoſito habentes, non ſolum ea, quae a Diuis anteceſſoribus noſtris Imperatoribus pro eccleſiis ſunt vtiliter ordinata, ſeruare, ſed & ſi quid minus actum eſt, prout intellexerimus & potuerimus, ſupplere; ob reuerentiam intemeratae Domini genetricis Mariae, venerabile ac dilectum noſtrum monaſterium in Porta, Ordinis Ciſtercienſis, cum omnibus hominibus & poſſeſſionibus, quas in praeſentiarum canonice poſſidet, & in futurum iuſtis modis, procurante Domino, poterit adipiſci, in noſtram & Imperii protectionem & ſpeciale patrocinium ſuſcipimus, Imperiali auctoritate confirmantes eidem monaſterio poſſeſſiones, cum omnibus ſuis pertinentiis, in quibus haec propriis exprimenda duximus vocabu-

Digitized by Google

lis: Locum ipſum, in quo praeſatum monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis: grangias, ſcilicet, de Cuſne, cum pertinentiis ſuis: aliam quae vocatur Wentzendorff: aliam quae vocatur Kokelau: aliam quae vocatur Borſchendorff: aliam quae vocatur Scopecou, & Hummelſtede, cum molendino & cum adiacente vinea. Inſuper vineas, quae adiacent Wentzendorff grangiae ſupraſcriptae cum molendino, piſcatione, fruteto & ſalicto. Praeterea aliam grangiam, quae vocatur Gernſtede cum adiacente vinea & carecto & pratis: praedia in Krenewitz: aliam quae dicitur Hechendorff cum adiacente carecto & cum ſilua & adiacente vinea: Grangiam quae dicitur Osforte cum piſcatione in aqua, quae dicitur Vnſtruta, aliam quae dicitur Lepitz cum molendino adiacente & cum piſcatione in aqua, quae dicitur Luppa: aliam quae vocatur Mettendorff cum adiacente vinea & carecto & molendino: Vnam quae dicitur Flemingen & paſcua de Catzenrode cum adiacente area ad molendinum conſtruendum: Grangiam quae vocatur Vehre cum piſcatione in aqua, qua vocatur Vnſtruta, & carecto & ſalicto: Inſuper villam, quae dicitur Burgowe, & aliam, quae dicitur Hirten, cum vinea adiacente: Praeterea locum in marchia, quae dicitur Luciſt, cui nomen Holtze in confinio vrbis & ciuitatis, quae dicitur Sturkowe, cum manſis centum iuxta lacum Culenze, quae omnia ſimul & ſemel *Conradus Marchio de Landsberg*, cum fauore noſtro Portenſi contulit eccleſiae in Aldenburg, praeſentibus Principibus Duce Bernhardo, Hermanno Landgrauio, Theodorico Marchione de Miſna, & aliis pluribus. Inſuper quaecunque bona vbique locorum in ſiluis, in agris, cultis & incultis, in paſcuis, in aquis & aquarum decurſibus vel piſcationibus poſſidet, omnes libertates & priuilegia & donationes ab anteceſſoribus noſtris Romanis Imperatoribus, vel quibuscunque, liberis ſiue miniſterialibus Imperii, collatas & exemptiones ſecundarum exactionum confirmantes, illibatas praecipimus deinceps obſeruari. Praemiſſae vero conceſſioni, ob remedium animarum noſtrae & ſucceſſorum noſtrorum Imperatorum vel Regum adiicimus, vt quaecunque deinceps idem monaſterium de bonis Imperii iuſtis modis fuerit adeptum, ſiue per emptionem, ſiue per commutationem, ſiue per eleemoſynarum largitionem, vel alio iuſto modo a quacunque perſona libera, ſiue miniſteriali Imperii, non requiſito ſuper hoc ſpeciali noſtro conſenſu, licenter recipiat & quiete poſſideat, ita vt nulla lex generalis vel priuata haec valeat impedire. Imperiali ergo auctoritate ſtatuimus, vt nulla perſona ſecularis aut eccleſiaſtica, praedictum monaſterium in rebus aut perſonis, contra tenorem huius priuilegii moleſtare, aut huic conceſſioni audeat contraire: alioquin & noſtram indignatio-

Digitized by Google

dignationem incurret, & volumus, vt in poenam temeritatis componat libras auri XL. dimidium Camerae noſtrae & dimidium eccleſiae iniuriam paſſae. Et vt haec noſtra conceſſio omni tempore inuiolabilis perſeueret, praeſentem paginam ſigillo noſtro fecimus communiri.

Huius rei teſtes ſunt hi:

Volcherus Patriarcha Aquilegienſis.
Lotharius Archiepiſcopus Piſanus.
Iohannes Cameracenſis Epiſcopus.
Henricus Epiſcopus Mantuanus, Imperialis aulae Vicarius.
Henricus Scholaſticus Sancti Gereonis.
Iohannes Bardewicenſis Praepoſitus.
Gerhardus Comes Viennenſis.
Azo Marchio Eſtenſis.
Azelinus de Romania.
Meinhardus Comes de Friol.
Salinguerra de Ferraria.
Hartmannus Comes de Wirtenberg.
Rudolfus de Keſelowe.
Hellemoldus de Pleſſe.
Bernhardus de Dorſtat.
Luthardus de Meinerſen
Gunzelinus aulae Imperialis Dapifer.
Henricus de Kalendin Marſchalcus.
Cono de Munzenberg Camerarius.
Walterus de Schipſe Pincerna.
Henricus de Rauensburg.
Monachus de Villa & Paſſa Guerra Mediolanenſis & alii quam plures ſeculares & laici.

Acta ſunt apud Interamnem in partibus Spoletanis anno incarnationis Dominicae MCCIX. Anno regni noſtri XI. Imperii vero I. VI. Kal. Ian. Indictione XII.

Datum per manum Walteri Imperialis aulae Protonotarii.

No. CCC.

Rex Philippus Azoni Marchioni Eſtenſi & Coniugi eius in feudum confert quaſdam villas in Epiſcopatu Vicentino ſitas. Anno 1207. Ex Murator. Antiq. Eſtenſ. T. I. p. 381.

PHILIPPVS *Secundus Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus.* Regalis eminentie prouida circumſpectio eos in ſuis deſideriis

deriis conſueta eſt diligentius exaudire, per quorum ſollicitudinis operam poſſunt vtilitates & commoda Imperii beneficiis poſcentibus interdum diligentius promoueri. Qua ſane conſideratione habita, ad omnium Imperii fidelium preſentis etatis & poſteritatis ſucceſſure notitiam duximus perferendum, quod nos, intuentes ſinceram fidem ac deuotionem, quam erga progenitores noſtros ſemper habuit, & circa nos inceſſanter gerit dilectus conſanguineus noſter *Azo*, Marchio Eſtenſis, animaduertentes quoque obſequia fructuoſa, que ipſe Imperio & nobis impoſterum poterit exhibere, regia liberalitate damus, concedimus, & confirmamus ſibi, & vxore ſue, Domine *Aliſie*, & eorum heredibus, in rectum & perpetuum feudum, cum Imperiali & Regali per omnia iuriſdictione, villas ſubnotatas in Epiſcopatu Vicentino ſitas: Prexanam, Coloniam, Baldariam, Simellam, & Bagnolum cum ſiluis, pratis, paſcuis, agris, vineis, molendinis, piſcationibus, & cum omnibus appendiciis earum, & tenimentis, ſicut predicta matrona *Aliſia* de theſauro ſuo illas comparauit. Vt deinceps ipſa, & maritus ſuus *Azo*, Eſtenſis Marchio, cum plenitudine totius poteſtatis eas habeant, & cum quiete exerceant, & exigant, non ſolum per ſe, ſed etiam per nuntios ſuos in hiis rationes & iura vniuerſa. Si vero ſine heredibus maſculis aut feminis ſimul procreatis predictarum perſonarum alteram premori contingat; decernimus, vt ſuperſtes Marchio, aut eius vxor Domina *Alis*, nec non heredes eorum, maſculi, ſeu femine, ſine omni repulſa, in eadem ſuccedant hereditate, & in prememoratis poſſeſſionibus plenam & omnimodam, ſicut premiſſum eſt, pro voluntate ſua diſponendi habeant facultatem. Et licet legum ſanxit auctoritas, feminas a ciuilibus & publicis officiis poſſe remoueri, ex certa tamen ſcientia indulgemus & permittimus quoque, vt deficientibus maſculis, femine, que ex ipſo Marchione, & vxore ſua progenite fuerint, pre aliis mulieribus eo gaudeant honore & beneficio, vt tanquam legitime heredes in eiſdem bonis ſuccedant, & que perſonis feminei ſexus iure regulari denegata ſunt officia, per ſe & ſuos vicarios libere poſſint exercere. Statuimus itaque, & Regio edicto firmiter precipimus, vt nulli perſone, humili vel alte, eccleſiaſtice vel ſeculari, licitum ſit huic noſtre conceſſioni & confirmationi contradicere, vel ipſam aliquo improbitatis auſu in irritum reuocare. Quod qui fecerit, in vltionem temeritatis ſexaginta libras auri puriſſimi componat, dimidium fiſco noſtro, reliquum vero paſſis iniuriam. Ad cuius rei euidentem in poſterum notitiam, hanc paginam exinde conſcriptam ſigilli noſtri munimine iuſſimus corroborari.

Teſtes

Teſtes huius rei ſunt:
Conradus Spirenſis Epiſcopus.
Henricus Argentinus Epiſcopus.
Fridericus Dux Lotharingie.
Comes Albertus de Tagiſpurch.
Comes Sibertus de Werda.
Comes Rodolfus de Hauſpurc.
Willelmus Viennenſis & Matiſconenſis Comes.
Henricus de Kuningiſpere.
Henricus de Niffen.
Conradus de Horburc, & fratres ſui.
Cono de Minzenberc.
Fridericus de Schovvinbert.
Sefridus Mareſcalcus de Hagenowe, & alii quam plures.

Datum apud Argentinam Anno Dominice Incarnationis milleſimo CCVII. XIIII. Kalendas Iulii, Indictione Decima.

No. CCCI.

Eberhardi Salisburgenſis Archiepiſcopi confoederatio cum Ottone Imperatore. Anno 1210.

Ex autographo.

E. Dei gratia Salzpurgenſis eccleſie Archiepiſcopus. Notum facimus vniuerſis, preſentem paginam inſpecturis, quod nos bona fide & excluſa omni fraude promiſimus, & ſacramento iuramenti ſuper ſancta ewangelia confirmauimus, quod nos, occaſione diſcordie inter Dominum Papam, & Dominum noſtrum O. Sereniſſimum Romanorum Imperatorem exorte, memoratum Dominum noſtrum Imperatorem nunquam deſeremus; quin nos in omnibus hiis, quae honorem Imperii & ſue perſone reſpiciunt, promouendis, ſibi tanquam legittimo Domino noſtro, & in rebus & in perſona, pro viribus noſtris aſſiſtemus, & contempto mandato apoſtolico, ſi quod forte Dominus Papa daret in contrarium, ad manutenendum honorem ſuum & Imperii, ipſi Domino noſtro auxilio pariterque conſilio ſemper aderimus, & bona fide, tum contra Papam, tum contra quemlibet alium hominem, nulla impediente occaſione, ad conſeruandum honorem ſuum & Imperii, perpetuo ipſum pro poſſe noſtro iuuabimus. Ad cuius rei certam euidenciam preſentem paginam conſcribi iuſſimus, & ſigillo noſtro conſignari.

Datum apud Nouum forum V. Non. Iulii. Indictione XIII.

No. CCCII.

Digitized by Google

No. CCCII.

Conuentio Ottonis IV. Imperatoris cum Sifrido Archiepiſcopo Moguntino, qua pro inueſtitura de feudis Moguntinis quingentas marcas ſoluere, aliqua occupata reſtituere, & de caeteris arbitros pati promittit. Anno 1212. Ex Perilluſtris Dn. de Guden. Cod. diplom. Mogunt. P. I. p. 418.

In nomine Domini Amen. *OTTO gratia Dei Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus.* Inſpectoribus huius pagine vniuerſis in perpetuum. Ea, que ab Imperatoribus vel Regibus erga ſuos Principes, maxime autem Eccleſiaſticos, ſollempni ſerie pertractantur, vt perhennis efficacie robur obtineant & vigorem, vtiliſſimum eſt ſcriptorum teſtimonio commendari. Eapropter liqueat omnibus, & a poſterorum memoria non recedat, quod, nobis regnantibus, necdum Imperatoriam conſecrationem adeptis, ſuper beneficiis, que anteceſſores noſtri tenuerant ab Eccleſia Maguntina, cum fideli Principe noſtro *Sifrido*, eiusdem Eccleſie Archiepiſcopo, frequentes ſunt habiti diuerſique tractatus. Conſulentibus demum fidelibus noſtris Principibus & dilectis, *Iohanne* Treuirenſi, *Theodrico* Colonienſi Archiepiſcopis, *Cunrado* Spirenſi Epiſcopo, Imperialis Aule Cancellario, pro exhibendis nobis ab Archiepiſcopo Maguntino feodis memoratis ſecum egimus diligenter, eumque videntes noſtre obnoxium voluntati, quingentis marcis donare promiſimus, & bona, de quibus nos intromittere ceperamus, ſue reliquimus libere poteſtati, ſicut inferius declaratur. *Patronatum eccleſie de Guttingen*, *Aduocatiam in Northeim*, iurisdictionem & dominium *Abbatie* in *Reimbuſen*, omni modo, quo pie recordationis Cunradus Maguntinus Archiepiſcopus, ipſius nouiſſimus anteceſſor fruebatur, eadem ſine quolibet impedimento dimiſimus Eccleſie Maguntine. Decimam autem in *Roſtorf* nobis porrexit Archiepiſcopus, ea forma, vt, ſi nomine beneficii euinceretur ab ipſo, nos eum redderemus indempnem. Promiſit etiam excellentia noſtra caſtra *Glicben* ſternere, ſeditione temporis & intranquillitate patrie quieſcente. Super caſtro vero *Hanenſtein*, quod dictus Sifridus Archiepiſcopus, vtpote ſibi proprium, repetiuit a nobis, huiusmodi reſeruamus queſtionem, ſcilicet, vt dicti Archiepiſcopi, Spirenſis & Herbipolenſis Epiſcopi, qui noſtrum moderabantur conſilium tam in eundo nobiſcum pro Imperatorie conſecrationis obtentu, quam domi manendo, meram inde cunctarentur ſollicite veritatem, & ſcito per experientiam publice noticie, ipſi Archiepiſcopo competere ius in

in caſtro, nos illud iuberemus eidem cum omni libertatis plenitudine aſſignari. Si vero reſtaret ambiguitas qualiſcunque; noſtra tamen dominatio ſecum in iudices conueniret, coram quibus ipſe Archiepiſcopus ſue poſſeſſionis titulum tueretur, noſque iuſtam moueremus in contrarium actionem, qua ſi caſtrum euincere valeremus, de permiſſione Archiepiſcopi noſtrum eſſet. Adiecimus autem de gratia habundanti, quod, etſi bene nanciſceremur ipſius caſtri dominium, ſi Archiepiſcopus inter redeundum a conſecrando tale nobis obſequium preſtitiſſet, in quo noſtre Maieſtati complacere deberet; ipſe prefati caſtri maneret dominus & poſſeſſor, de noſtra gratuita voluntate. Conſequenter ad perpetuandum circa Imperium & noſtre Serenitatis perſonam ipſius Archiepiſcopi fauorem, ſtudium & iuuamen, ſecundum ius priuilegiatum Eccleſie Maguntine, ciuitates eius & oppida, munitiones & predia ſub Regiam recepimus tutelam Liberos & Miniſteriales, ſue iuriſdictioni ſpectantes, frui permiſimus iure debito & conſueto. Iudeos ciuitatum ſuarum & homines cenſuimus ex parte Imperii cuiuslibet petitionis expertes. Item faſallos ac Miniſteriales ipſius Archiepiſcopi, Principes Comites, Liberos, inferioresque perſonas, que leſe Maieſtatis reatum incidiſſent, ſuo indulſimus gaudere patrocinio, donec Imperialem gratiam ſortirentur. Vt autem in hoc arduo negotio, & ſollempni, cum Archiepiſcopo ſic concorditer conſummato noſtram vertere non poſſemus in contraria voluntatem, dictos Archiepiſcopos & Epiſcopos, mediatores concordie conſiliique datores, obligauimus Archiepiſcopo, dedimusque ſponſores, vt, ſi pretaxatam ſeriem mutaremus, vel aliquando infringere niteremur, iidem contra nos ſuo ipſi aſſiſterent conſilio & fauore. Spirenſis ſiquidem Epiſcopus ipſi Archiepiſcopo in virtute obedientie ſe aſtrinxit, vt, eo contingente, ſe in locum, quem vellet transferret, non diſceſſurus ab illo, donec emendationem ſuſciperet a nobis Archiepiſcopus habundantem. Tanta quippe ſe dicebat cum Imperio familiaritate ligatum, vt nunquam ſe foret oppoſiturus. A ſimili Archiepiſcopus ſepedictus, cognatos, faſallos & Miniſteriales ipſius Sifridum de Runckel, Wernherum & Philippum de Bonlanden, Wolframum Ringrauium, Walpertum & Gerardum Aduocatos Pinguie, Embrichonem Volpem, Giſelbertum, Conradum de foro Rudensheim, Vlbertum de Sunnenberc, Theodricum Vicedominum de Ruſteberg, nobis ſponſores tradidit ſuper obſeruantia premiſſorum.

Hys in ſtatu Regio pertractatis, regalis ſcripti munimem addidimus & ſigilli. Poſtremo nobis in apicem Imperatorie dignitatis euectis, & munus benedictionis Apoſtolice aſſecutis, quia per multa innotuit

argumenta, quod Archiepiſcopus Excellentie noſtre tam laudabilem exhibuerat famulatum, vt his & amplioribus eſſet beneficiis non indignus, ſcripta, vſui (*lege:* viſui) noſtro ſubiecta, Imperatorio duximus roboranda ſigillo.

Datum apud *Lucam* XII. Kal. Decembris Indictione.. (*)

No. CCCIII.

Otto IV. Imperator Moguntino concedit petitiones ad Iudaeos in omnibus ciuitatibus eius.

Anno 1212. Indidem p. 419.

DEI gratia *OTTO Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus.* Inſinuatione preſentium innoteſcat Vicedomino de Ruſteberg, & Vlrico de Dullenſtede, quod eam formam compoſitionis, que, antequam conſecraremur in Imperatorem, fuit inter nos & Archiepiſcopum Maguntinum, integram ſeruare volumus & firmam, & ei feodaliter concedere *peticiones ad Iudaeos* in ciuitate Maguntina, & Erfurt, & in aliis ciuitatibus ſuis, que ſub iurisdictione ſunt, niſi cum bona voluntate ipſius Archiepiſcopi poſſimus ex his aliqua commutare. Preterea omni promotioni ſue & Miniſterialium totius Archiepiſcopatus, cum honore & profectu ſemper intendemus affectuali diligentia.

Datum Keuerlingenburg (*lege:* Scheuerlingburg) IIII. Idus Iunii.

No. CCCIV.

Idem Bonifacio Eſtenſi Marchioni veniam aetatis concedit, eumque a tutela Azonis Marchionis liberat. Anno 1212. Ex Murator. Antiquit. Eſtenſ. T. I. p. 396.

IN nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *Dei gratia OTTO Quartus Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus.* Vniuerſis Imperii noſtri fidelibus, preſentem paginam intuentibus, gratiam & bonam voluntatem. Imperialem decet mageſtatem iuſtis poſtulationibus ſubditorum Imperii condeſcendere, ac prouidere benigne, & que iuſte ſunt impetrata concedere. Vnde cum dilectus fidelis noſter *Bonifacius,* Eſtenſis Marchio, filius quondam *Opizonis* Marchionis de Eſt, noſtram adueniſſet preſentiam, ſuppliciter poſtulauit, vt *veniam etatis* ſibi concedere dignaremur, & *Azonem* Eſtenſem Marchionem, tamquam ſuſpectum, ab

*) Numerus omiſſus eſt duodecimus.

ab adminiſtratione ſuorum bonorum, quam ſuſceperat, tutele, vel curationis, ſeu cuiuslibet geſtionis occaſione remoueremus: & hoc propter malam adminiſtrationem & ſuſpectam, quam habuerat ſuper bonis eiusdem *Bonifacii* tam patris, quam matris, & propter dolum & culpam, ſiue peruerſos & iniquos mores & actus, quos contra eundem *Bonifacium* exercuerat, ab vniuerſis videlicet bonis ſuis, vt dictum eſt, ipſum expoliando, & de poſſeſſionibus ſuis expellendo violenter, domos & terras, & bona ſua materna penitus deſtruendo, & turpiter auferendo. Volentes igitur eiusdem fidelis noſtri *Bonifacii* Marchionis iuſtis petitionibus condeſcendere, notum facimus vniuerſis Imperii fidelibus, preſens reſcriptum ſpectantibus, quod nos eidem *Bonifacio* Marchioni *veniam etatis* ex certa Celſitudinis noſtre ſcientia, Imperiali auctoritate concedimus, vt ipſe tamquam maior libere poſſit agere, cauſari, petere, & experiri, teſtari, & omnia ſua negotia pleniſſime tam ciuiliter, quam criminaliter contra quoscumque, & ſpecialiter contra ſupraſcriptum *Azonem* Marchionem, ſiue coram noſtre Mageſtatis preſentia, ſiue coram quibuslibet aliis ciuitatum vel locorum poteſtatibus, Conſulibus, vel Rectoribus. Decernentes firmiter, & precipientes, eundem *Bonifacium* admitti & haberi pro maiori in omnibus ſuis actibus & exerciciis, non obſtante vlla lege, que dicat hoc benefitium non poſſe ſub conditione concedi, nec vlla lege alia, vel cuiuslibet gentis conſuetudine, vel ſtatuto.

Preterea quod notorie ac manifeſte comperimus, ſupraſcriptum *Azonem* Marchionem tutelam adminiſtraſſe male, crudeliter, & dampnoſe, dolum & culpam, iniquos mores & peruerſos contra iam dictum *Bonifacium* exercuiſſe: & quia ſuper hoc citatus ad Iuditium & rationem faciendam venire contempſit; eundem ab adminiſtratione bonorum ſupraſcripti *Bonifacii*, & tutele, ſiue curationis offitio tamquam manifeſto ſuſpectum, de certa noſtra ſcientia, Imperiali remouemus auctoritate, & ipſo iure, tamquam ſuſpectum & infamie nota ſubiectum, absque vlla lite vel controuerſia iudicamus, iam dictum *Bonifacium* a vinculo curationis illius penitus abſoluentes. Statuentes firmiter, & precipientes, vt nullum Commune, nullaque Poteſtas, vel Conſularia, nullaque magna vel parua perſona contra preſens reſcriptum iudicare, vel quolibet modo contrauenire preſumat. Transgreſſoribus autem violatoribus, ſeu contemptoribus, aut contra hoc allegantibus, penam imponimus, quod perpetue infamie maculam Imperialis ſubeant Mageſtatis, noſtram indignationem incurrant, omniumque publicorum offitiorum ſint expertes & actuum. Ita quod ſi fuerit in dignitate poſitus, ſit illa priuatus; ſi in offitio, careat illo; ſi Aduocatus, amplius poſtulare non valeat vel allegare; alienandi

 vel

Digitized by Google

vel contrahendi eis omnino ſit adempta licentia; nec alicui ſuccedere valeant. Ipſorum bona pro medietate ad fiſcum noſtrum deuoluantur; altera vero medietas aſſignetur iniuriam patienti. Pari etiam pena laboret, qui contra hoc preſumpſerit allegationes audire. Pena vero predicta per illam ciuitatem exigatur, in cuius delinquens fuerit iurisdicione compertus; & dimidio iniuriam patienti debito, fiſcalem partem in beneſitium ab Imperiali percipiat Mageſtate. Pro ſeruitio vero hoc preſentis beneficii ſolummodo preſens reſcriptum faciat inuiolabiliter obſeruari. Pena tociens exigatur, quotiens contra factum fuerit. Cuius rei gratia teſtes interfuerunt:

Conradus Spirenſis Epiſcopus, Imperialis aule Cancellarius.
Comes Ripandus Apulie.
Salinvvera de Ferraria.
Iſnardinus de Lindenaria.
Bonacurſus de Monzanbano.
Oppicinus & Nicolaus de Caſtello Veron.

De his autem iubemus, quod nulla poſſit a nobis vel ſucceſſoribus noſtris venia poſtulari, nec pena mitigari, nec aliud reſcriptum contrarium poſſit impetrari, nulla lege Romana, vel Lombarda, ſeu conſuetudine, vel Statuto cuiuslibet gentis . . . . .

Datum Mediolani, Milleſimo CCXII. Indictione XV. IIII. Idus Februarii.

No. CCCV.

Idem eidem dimidiam partem hereditatis Opizonis Marchionis adiudicat. Anno 1212.

Indidem p. 397.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Dei gratia *OTTO Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus.* Vniuerſis Imperii noſtri fidelibus preſentem paginam intuentibus gratiam, & bonam voluntatem. Veniens ad nos dilectus fidelis noſter *Boniſatius*, Eſtenſis Marchio, filius quondam *Opizonis* Eſtenſis Marchionis, conquerendo nobis expoſuit, quod, cum dimidium totius hereditatis, omniumque poſſeſſionum *Opizonis*, patris ſui ſupraſcripti, aliorumque Marchionum anteceſſorum ſuorum, cum toto incremento & acquiſitionibus, per *Azonem* ſimiliter Eſtenſem Marchionem, filium quondam *Azonis*, qui fuit filius ſupraſcripti Marchionis *Opizonis*, factis, ad ipſum *Boniſatium* pertineat tum hereditario iure ac ſeculi natura; predictus *Azo*, qui tamquam frater in altero

altero ſucceſſit dimidio, ipſum *Bonifatium* nequiter de poſſeſſione ſua violenter eiecit, & partem, que contingit ipſum *Bonifatium* habere, eidem dare denegat penitus, & contradicit enormiter. Vnde iam dictus *Bonifatius* a Maieſtate noſtra ſuppliciter poſtulauit, vt ipſum in poſſeſſionem ſuam debemus Imperiali auctoritate ponere, & in iure ſuo manutenere. Volentes igitur eundem *Bonifatium* rationabiliter in ſua manutenere iuſtitia, & ſuis iuſtis poſtulationibus annuere, & condeſcendere; notum facimus vniuerſis Imperii fidelibus, preſens reſcriptum ſpectantibus, quod nos, maxime cum iam dictus *Azo* Marchio ſuper his citatus ad iuditium venire contempſerit, ſupraſcriptum *Bonifatium* Marchionem, patruum eius, in poſſeſſionem medietatis omnium bonorum mobilium, & immobilium, & aliarum omnium cautionum, que tempore mortis *Opizonis*, patris ſupraſcripti *Bonifatii*, in hereditate & bonis eiusdem *Opizonis*, & etiam in bonis aliorum Marchionum de Eſt comperiebantur, & adhuc omnium illorum bonorum, que poſtea dictus *Azo* Marchio dicitur acquiſiuiſſe, tam de Calaone, & Colonia, quam de aliis acquiſitis, & tam in Comitatu & diſtrictu Paduanenſi, Veronenſi, Ferrarienſi, Bononienſi, quam in Epiſcopatu Adrian . . . & in Comitatu Rodigii, & omnium aliorum locorum, vbicumque iura predictus *Azo* infra ſcripto modo habere dignoſcitur, ita quod de omnibus ad medietatem libere & abſolute perueniat, nullis alienationibus, quantum ad medietatem, obſtare valentibus, que actenus a tempore mortis predicti Marchionis *Opizonis* per ipſum *Azonem* Marchionem facte reperiuntur, de omnibus his iam dictum *Bonifatium* in poſſeſſionem eſſe ex certa noſtra ſcientia Imperialis iudicamus auctoritate, & tenutam ei damus iuſte petenti, & iam dictum *Azonem* Marchionem in reſtitutionem dimidii infra ſcriptorum omnium eidem *Bonifacio* condemnamus; & hoc abſque omni litigio & controuerſia, non obſtante ſupraſcripti Marchionis *Opizonis* teſtamento, vel alterius, propter quod aliqua contradicendi ſumi poſſit occaſio; non obſtantibus etiam aliquo, vel aliquibus inſtrumentis, pacto vel pactis, ſeu transactionibus, que huic noſtre conceſſioni poſſent impedimentum preſtare: ſed pro non cogitatis omnibus habitis, que ſupradictis impedirent proceſſum, item cum omnibus fructibus, perceptis & percipiendis, reſtitutionem predictam fieri iubemus. Liberum quoque arbitrium intrandi poſſeſſionem auctoritate ſua eidem concedimus *Bonifatio*, Conſtitutione: ſi quis &c. in tacita vel alia lege non obuiare valente. Sancimus etiam & precipimus, quod ſupraſcriptus *Bonifatius* in nullo teneatur debito ſupradicto *Azoni*, nec ei aliquid compenſetur, niſi rationabiliter oſtenſum fuerit, illud in vtilitatem eiusdem *Bonifatii* fuiſſe conuerſum,

Digitized by Google

nec de compoſitione litigium audiatur ante poſſeſſionem eidem *Bonifatio* traditam. Item hoc intelligatur qualitercumque idem *Azo* poſſeſſionem habuerit, vel intrauerit. Hoc autem reſcriptum noſtrum ab omnibus inuiolabiliter obſeruari precipimus: penam transgreſſoribus, violatoribus, ſeu contemptoribus imponentes, quod perpetue infamie maculam ſubeant, Imperialem Maieſtatis indignationem incurrant, omniumque publicorum offitiorum, & actuum ſint expertes; ſi fuerit in dignitate poſitus, ſit illa priuatus; ſi in offitio, careat illo. Si fuerit Aduocatus, vltra non valeat poſtulare; alienandi & contrahendi eis omnino ſit adempta licentia, nec aliqui ſuccedere valeant. Illorum bona ad fiſcum noſtrum pro dimidio deuoluantur; alterum vero dimidium aſſignetur iniuriam patienti. Pari etiam pena laboret, qui contra hoc auſus fuerit, vel aliquas alegationes audire; pena vero predicta per illam ciuitatem exigatur, que ſub ſua iuriſdictione habuerit delinquentem, dimidio iniuriam patienti ſoluto, partem fiſcalem ab Imperiali Mageſtate in benefitium retineat, faciens pro ſeruitio benefitii ſolummodo preſens reſcriptum inuiolabiliter obſeruari, & totiens exigatur pena, quotiens durante reſcripto contrafactum fuerit. De his autem iubemus, quod nulla poſſit in perpetuum a nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, venia poſtulari, nec pena mitigari, nec aliud contrarium poſſit vnquam impetrari reſcriptum, nulla lege Romana vel Lombarda, ſeu conſuetudine vel ſtatuto gentis cuiuslibet obuiare valente, & hoc . . . . . . fidem adhibendam, bulla noſtra felicis nominis iuſſimus inſigniri.

Cuius rei gratia teſtes interfuerunt:

Dominus Conradus Spirenſis Epiſcopus, Imperialis Aule Cancellarius.

Manfredus Marchio dictus Punaſius de Saluz.

Ildebrandinus Comes de Soana.

Riprandus Comes Apulie.

Sallinwerra Ferrarienſis.

Dalmaninus Paduanenſis.

Iſnardinus de Lindenaria.

Magiſter Ioannes Canonicus de Aſia la Capella.

Opicinus de Caſtello Veronenſis.

Conradus de Bonauerra.

Zagnius Iacobi de Monticulis, aliorumque nobilium copia.

Datum Mediolani MCCXII. Indictione XV. Quartus Idus Februarii.

No. CCCVI.

Digitized by Google

No. CCCVI.

Conſoederatio Theoderici Marchionis Miſniae cum Ottone IV. Imperatore. Anno 1212.

Ex autographo.

HEC eſt forma conuentionis facte inter *O. inuictiſſimum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, & Thidericum Marchionem Miſſenenſem & Orientis.* Predictus Marchio Miſnie fide data promiſit & iurauit, quod abhinc, vt in antea, Domino Imperatori aſſiſtet, & eum iuuabit, ſpecialiter contra Papam *Innocentium* in preſenti diſcordia, aut ſi alias eum iniuſte vellet grauare; & ſimili modo contra *Odacrium* Regem Boëmie & *H. Lantgrauium Thuringie*, & generaliter contra omnem hominem viuentem, in omni neceſſitate ſua; & quod nunquam eum deſeret; & hec omnia bona fide obſeruabit ſine fraude & malo ingenio. Vt autem hec conuentio firmius obſeruetur, pro eo & cum ipſo, & de ſua voluntate & mandato, ſimiliter data fide promiſerunt & iurauerunt nobiles & homines ſui: *Geuehardus* de *Quernuorde* Comes, Burchardus de *Mannisuelt* Comes, Henricus de *Schwartzburc* Comes, Cunradus de *Zana*, Henricus de *Chorun*, Burchardus de *Glinde*, Guntherus de *Rochisberc*. Et hoc idem data fide promittent & iurabunt alii Nobiles infeudati ſui: Hermannus Aduocatus de *Salik*, Iohannes de *Lubin*, Henricus de *Scuditz*, Dudo de *Domo*, Harmannus de *Lobdiburc*, Erkinboldus de *Wizenueltz.* Hoc idem eodem modo fide data promiſerunt & iurauerunt Albertus Dapifer de *Burne*, Cunradus *Pincerna*, Gotzvvinus de *Branditz*, Bodo de *Ilburc*, Otto de *Liethtinhagin.* Et hoc idem eodem modo iurabunt alii ſui miniſteriales, ſcilicet Henricus de *Chamborc*, Conradus de *Landiſperc*, Otto Aduocatus de *Ilburc*, Otto de *Pouch*, Henricus de *Sladebach*, Eckehardus & Henricus fratres de *Crozne*, (forte: *Crozuc*) Cunradus de *Cleberc*. Sub hac forma & conditione data fide promiſſum & iuratum eſt, & ab hiis, qui nondum iurauerunt, data fide promittetur, & iurabitur, vt, ſi aliquo modo, quod abſit, Marchio Miſnenſis, ſecundum quod promiſſum & iuratum eſt, non obſeruaret, omnes intrabunt *Bruniſwic*, & inde nunquam recedent ſine Domini Imperatoris licentia & voluntate. Inſuper ad maiorem ſecuritatem predicte conuentionis obſeruande, filios miniſterialium ſuorum tredecim Marchio Miſnenſis Domino Imperatori pro obſidibus dabit, ſcilicet filium Geuehardi de *Zurbeke*, filium Wolcmari de *Chanburc*, filium Borhardi de *Tebezin*, filium Ludolphi de *domo Grimme*, filium Guntheri de *Dewitz*, filium Hagenonis de *Doblin*, filium Alberti

Digitized by Google

berti de *Ziznick*, filium Friderici *Caratz* de *Donin*, filium Pincernae Henrici, filium Friderici de *Groiz*, filium Godefridi *Kiſeling*, filium Thietdoldi de *Nidecke*. Hec autem conditio obſeruabitur de obſidibus: quod ſi Marchio, quemadmodum promiſſum & iuratum eſt, quod abſit, non obſeruauerit, liberam habebit Dominus Imperator facultatem de ipſis obſidibus faciendi, quod ei placuerit, & erit in eo ſtatu, qui vulgariter *vergiſelt* dicitur. Predictos autem obſides, ſecundum dictas conditiones tenebit Dominus Imperator, a proximo Paſcha vsque ad biennium, & tunc ipſos Marchioni reſtituet, ita tamen, quod tunc patres obſidum, vel alii Miniſteriales Marchionis aeque idonei, & totidem numero, promittent & iurabunt, ſecundum quod ſupradicti tam infeudati quam Miniſteriales Marchionis promiſerunt, & iurauerunt. Si vero aliquis denominatorum obſidum vel morte interueniente, vel aliquo caſu alio, Domino Imperatori dari non poſſet, alius, aeque idoneus, Domino Imperatori dabitur loco illius, omnibus aliis in ſuo vigore permanentibus. Ex alia parte Dominus *OTTO Romanorum Imperator* promiſit fide data T. Marchioni Miſnenſi, quod ſibi bonus & propitius dominus abhinc vt in antea erit, & quod ei aſſiſtet, & eum iuuabit contra omnem hominem in ſua iuſtitia & omni neceſſitate, & nunquam eum deſeret. Et quod Regnum Bohemie concedet nepoti Marchionis *Wratizlao*, & ad optinendum eum iuuabit, & optentum defendet, Marchione in omnibus & diligenter cooperante; & hoc obſeruabit bona fide & ſine fraude & malo ingenio. Et hoc pro eo & de eius voluntate & mandato promiſerunt data fide, & iurauerunt, *frater eius, H. Palatinus Comes Rheni;* Albertus de *Arnſtein* & Gerhardus Burggrauius de *Liznic*, Albertus Burggrauius de *Aldenburc*, Gunzcelinus *Dapifer*, Henricus de *Coldiz*, Henricus de *Widha*, Henricus de *Drackinuclz*, Henricus de *Crematzone*, Hermannus de *Schoneburc*. Sub hac autem conditione promiſſum eſt & iuratum, quod ſi forte, quod abſit, ex parte Domini Imperatoris non obſeruaretur conuenientia, omnes iſti, qui iurauerunt, ciuitatem *Miſnam* intrabunt, nec inde recedent ſine licentia Marchionis, excepto ſolo Dapifero, qui in hoc caſu *Goslariam* intrabit, inde nunquam receſſurus, ſine voluntate & licentia Marchionis.

Actum apud Frankinuurt, anno Dominicae incarnationis MCCXII. XIII. Kal. Aprilis. Indict. XV.

No. CCCVII.

Digitized by Google

No. CCCVII.

Otto IV. Imperator fundatum a Theoderico *Marchione* Miſnenſi Monaſterium Thomanum Lipſienſe confirmat. Anno 1212. (*) Ex Schoettgen. Spicileg. diplom. T. I. p. 45.

DEI gratia *OTTO Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus.* Notum facimus vniuerſis, praeſentem paginam inſpecturis, quod nos, aduertentes puram fidem & ſinceram deuotionem, quam dilectus Conſanguineus noſter, *Theodoricus*, Marchio Miſnenſis & Orientalis, hactenus nobis exhibuit, quia preces ipſius aure clementi ſemper admittere decreuimus, ad petitionem ipſius monaſterium & hoſpitale, quae ipſe apud Libniz ſundauit & dotauit, legitima cenſemus, roboramus & autenticamus, omnesque poſſeſſiones, quas nunc habent, vel quas ipſe Marchio diuina inſpiratione impoſterum de patrimonio ſuo, ſeu de bonis Marchiae Miſnenſis vſque ad reditus quinquaginta marcarum ipſis contulerit, ſeu quas etiam iuſto acquiſitionis titulo acquiſierint, autoritate Imperiali ipſis confirmamus. Aduocatiam quoque memoratarum domorum nulli vnquam perſonae, niſi qui Marchiam Miſnenſem habuerit, concedere volumus, & ipſe Marchio eandem aduocatiam ex conſtitutione Imperiali a manu ſua nunquam alienare poterit. Statuentes, & Imperiali autoritate firmiter praecipientes, vt nulli vnquam perſonae licitum ſit, hanc noſtrae confirmationis diualem paginam infringere, ſeu aliquo ei temeritatis auſu obuiare. Ad cuius rei certam impoſterum memoriam praeſentem paginam conſcribi iuſſimus, & maieſtatis noſtrae bulla conſignari.

Teſtes huius rei ſunt:

HEINRICVS Comes Palatinus Rheni.
Theodoricus Marchio Miſnenſis.
Henricus Dux Brabantiae.
Ludouicus Dux Bauariae.
Gebhardus Burgrauius de Magdeburg.
Comes Henricus de Schwartzburg.
Henricus de Korun, & alii quam plures.

Datum apud Francfurt, Anno domini MCCXIII. XIII. Kal. Aprilis. Indictione XV.

No. CCCVIII.

*) Ob Indictionem & confoederationem praecedentem, eodem loco, menſe & die ſcriptam, potius annum 1211. ponendum eſſe cenſeo.

Digitized by Google

No. CCCVIII.

Confoederatio Ludouici Bauariae Ducis cum Ottone IV. Imperatore. Anno 1212. Ex autographo.

HEC eſt forma *compoſitionis* facte inter Dominum O. glorioſum Imperatorem Romanorum, & Dominum *Ludeuicum*, illuſtrem Ducem Bawarie. Dominus L. Dux Bawarie primum data fide promiſit, & poſtmodum ſacramento iuramenti firmauit, quod ipſe omni tempore vite ſue bona fide & ſine omni fraude ſeruiet Domino Imperatori contra Papam & contra omnem hominem, nec aliqua vnquam occaſione emergente a ſeruicio eius recedet. Iurauerunt etiam quidam, & adhuc alii iurabunt, pro eo duodecim ſubſcripti Nobiles, quod ſi Dux Bawarie, quod abſit, aliquo modo contra promiſſionem ſuam veniret, ſeu ipſam infringeret, quod ipſi bona fide, & ſine fraude, Dominum Imperatorem modis omnibus contra Ducem iuuabunt, iuxta mandatum ſuum. Sunt autem hi Nobiles: Rapoto Comes Pal. Bawarie; Comes Hainricus de Ortenburch; Comes de Moſeberc; Comes Kalhohus; Hainricus de Lapide; Chuonradus de Horbah; Comes Eberhardus de Dornberch; Heinricus de Randeke; Lupus de Lenginuelt; Alrammus de Halſe; Comes de Valai; Comes Sigboto de Niwenborc. Poſtmodum etiam ad validiorem confirmationem facti iurauerunt quidam, & adhuc iurabunt duodecim ſubſcripti Miniſteriales, quod ſi ipſe Dux aliqua occaſione promiſſionem facti violaret, quod ipſi commoniti, quindecim diebus ante in ciuitatem *Auguſtam* intrabunt, nunquam inde ſine licentia Domini Imperatoris receſſuri. Sunt autem hi Miniſteriales: Sifridus Koph; Otto Koph; Otto Vuoz; Hainricus Vuoz; Cuonradus Dapifer; Otto de Rore; Berhtoldus de Schiltperch; Arnoldus de Camera; Ruodigerus de Sandincella; Euerhardus de Wittlinſpah; Euerhardus de Curia; Hainricus de Ruoden. Et vt etiam maior de Duce Domino Imperatori ſecuritas fiat; ipſe Dux XII. obſides ſubſcriptos dabit Domino Imperatori, qui a proximo feſto Paſce ad duos annos in poteſtate erunt Domini Imperatoris, & tunc, ſi Dominus Dux promiſſionem factam Domino Imperatori bene ſeruauerit, Dominus Imperator obſides illos liberos Duci reddet. Sed promiſſiones & iuramenta ipſius Ducis & tam Nobilium quam Miniſterialium ſemper firma & inuiolabilia permanebunt. Sunt autem hii obſides: Filius Pincernae; filius Hermanni Pedis; filius Bartholdi de Vrowenhouen; filius Henrici de Kranechesberch; filius Friderici de Brunowe; filius Gerungi de Berge;

Berge; filius Heinrici Dimonis; filius Werneri de Burchuſen; filius Grinarii; filius Cuonradi de Vriuntſperch; filius Berhtoldi de Snaitbah; filius Grimoldi de Bullenhuſen. E contrario Dominus Imperator data fide promiſit, quod ipſe ſemper Domino Duci pius & propitius erit Dominus, & in omnibus, que honorem & vtilitatem ipſius reſpicient, Dominus Imperator benigno vultu eum promouebit.

Acta ſunt autem hec anno Domini MCCXII. apud Franchenfort XIII. Kal. Aprilis. Indictione XV.

No. CCCIX.

Otto IV. Imperator ciues Treuirenſes in tutelam ſuſcipit. Anno 1212. Ex Academ. Gotting. genſ. Cod. Bulou. MS. XIX. p. 258.

DEI gratia *OTTO Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus*, vniuerſis Imperii fidelibus praeſentem paginam inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum. Nouerit vniuerſitas veſtra, quod, cum fidelium noſtrorum tam Miniſterialium, quam ciuium Treuirenſium, deuotionem & ſinceram fidem operis executione ſaepius cognouimus, non indignum reputamus, vt nos eos tanquam ſpeciales Imperii fideles ſemper honoremus, & in omnibus factis ſuis ipſos manuteneamus. Verum quia ſpeciali dono munificentiae Imperialis eos ad ſeruitium noſtrum obligare volumus, omnibus praeſentis paginae innoteſcere cupimus inſpectoribus, quod nos tam Milites, quam Burgenſes eiuſdem ciuitatis, ſub protectione noſtra recipimus, & quocunque per totum Imperium noſtrum iuerint, ſub patrocinio noſtro, ſaluis rebus & perſonis, eos ire & redire volumus, in omnibus negotiationibus ſuis ſecuritate defenſionis noſtrae eos gaudere volentes. Quicunque igitur memoratis Militibus ſiue Burgenſibus ſub noſtro conductu euntibus damnum ſeu grauamen aliquod inferre praeſumpſerit, ſeu aliquod in negotiationibus ipſorum impedimentum eis intulerit, Imperialem indignationem ſe nouerit grauiter incurriſſe, & in eorum moleſtatione ſciat ſe pupillam oculi noſtri tetigiſſe, nec dubitet ſe tanquam temeratorem Imperialis culminis grauiſſimam poenam reportaturum.

Datum apud Hagenoam XIV. Kal. Maii. Indict. XIV.

Digitized by Google

No. CCCX.

Ciuium & Miniſterialium Treuirenſium confoederatio cum Ottone IV. Imperatore. Anno 1212.

Indidem p. 257.

DEI gratia *OTTO Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus*, vniuerſis Imperii fidelibus praeſentibus & futuris, quibus hae litterae oſtenſae fuerint, gratiam ſuam & omne bonum. Notum vobis facimus, quod nos prae oculis habentes ſinceram deuotionem dilectorum fidelium noſtrorum, tam Miniſterialium, quam ciuium Treuirenſium, quam habent erga Imperium & nos, recepimus eos cum perſonis & vniuerſis rebus ipſorum mobilibus & immobilibus, ſub noſtram & Imperii ſpecialem defenſionem, ab omni eos grauamine & iniuria immunes eſſe decernentes. Et quia memorati Miniſteriales & ciues, quemadmodum ab iis poſtulandum duximus, mandatum noſtrum in omnibus adimplere curarunt, & de ſeruitio ſuo ad honorem Imperii, contra omnem hominem viuentem ſecuros nos reddiderunt; nos quoque, verſa vice ipſis Miniſterialibus & ciuibus, fidelibus noſtris promiſimus, & nos ipſis obligauimus, quod neque cum Papa, neque cum alio aliquo homine viuente, in negotiis, quae ipſos tangere videantur, compoſitionem aliquam ſeu concordiam faciemus, niſi ipſis in ea compoſitione & concordia incluſis, volentes eos in omnibus ſemper manutenere, & honorem ciuitatis Treuirenſis & commodum eorum diligenter & vbique promouere. Ad cuius rei certitudinem hanc paginam exinde conſcriptam, ſigilli noſtri impreſſione iuſſimus communiri.

Datum apud Hagenouam, anno Dominicae Incarnationis milleſimo ducenteſimo duodecimo, decimo quarto Kalend. Maii Indictione XV.

No. CCCXI.

Confoedaratio Alberti Marchionis Brandenburgici cum Ottone IV. Imperatore. Anno 1212.

Ex autographo.

HEC eſt forma *vnionis*, qua ſe Dominus *OTTO Romanorum Imperator*, & *ALBERTVS Marchio Brandenburgenſis*, confoederando colligarunt. Imperator Marchioni data fide manu in manum, ſicut Imperialem excellentiam certitudinem decet facere, promiſit, ſe mediatorem ſtudioſum & efficacem inter Regem Dacie & ipſum Marchionem & Sclauos exiſtere. Si vero medium Marchioni competens

tens non inuenerit, promiſit, Regi Dacie ſuisque fautoribus dedicere, & Marchioni contra ipſos, & contra omnem hominem, firmum & conſtans auxilium cum effectu portare. E contra Marchio promiſit Domino Imperatori in terminis ſibi finitimis, precipue in Saxonia & Thuringia, contra omnem hominem ad conſeruandum ei Imperium, quantum vires & facultates ipſius admittunt, fideliter ſeruire. Idem etiam viginti familiares Marchionis, quorum nomina ſubſcripta ſunt, ſub forma ſubſcripta iurauerunt. Si Marchio promiſſum infregerit, Imperator ipſum ſuper voti violatione conueniet. Accepta conuentione, Marchio in praeſentia Imperatoris, productis vtrobique conſcriptis, innocentiam ſuam probabit. Si in probatione defecerit, ab inde infra ſex ſeptimanas viginti ſacramentales ipſius *Brunſwik* intrabunt, & inde non exibunt, niſi per conſenſum Domini Imperatoris. Sine vinculis tamen & captiuali cuſtodia manebunt. Nomina Sacramentalium: Henricus Comes de *Zwerin*; Iachezo; Fridericus de Haſſele; Theodoricus & Henricus fratres de Oſterborch; Burchardus de Cocſtede; Albertus de Niendorp; Gerhardus de Belitz; Yo de Giſeslage; Albertus de Buntuelt; Rudengerus de Piulingen; Fridericus de Buch; Arnoldus Sac; Conradus & Henricus de Saltwedele. Vt autem hec forma rata teneatur & inconuulſa, placuit vtrique, Imperatori ſcilicet & Marchioni, preſentem paginam, que pacti certum maneat indicium, inde conſcribi & appenſione ſigilli communiri.

Acta ſunt hec anno Dominice Incarnationis MCCXII. Indict. XV. apud Wicenſe in caſtris, hiis teſtibus preſentibus:

Adolpho & Ludolpho, Comitibus de Daſſela.
Bernardo de Dorſtad.
Hermanno & Henrico, Comitibus de Hartesburc.

No. CCCXII.

Iohannes Rex Angliae Vicecomiti Thouarcenſi ſignificat, quae ab Ottone Imperatore acceperit. Anno 1212. Ex Rymer. Act. T. I. p. 156.

REX Vicecomiti Tuwarcenſi &c. Sciatis, quod Dominus Imperator, nepos noſter, miſit ad nos in Angliam Comitem Boloniae ad faciendam voluntatem noſtram, & manucepit ſuper corpus ſuum & animam ſuam, quod idem Comes fideliter nobis in perpetuum ſeruiet. Miſit etiam nobis per eundem Comitem literas ſuas de credentia, mandans, quod totis viribus ſuis, quando & ſicut voluerimus, nos

Digitized by Google

paratus eſſet adiuuare. Quaedam etiam alia verba priuata nobis ſignificauit, quae litteris adhuc commendare noluimus, ſed, Deo volente, vobis ſperato citius praeſentialiter exponemus. Mandauit etiam per literas ſuas omnibus, qui ei in fide & in amore tenentur, quod, ſicut nos diligunt, nobis, tanquam caro auunculo ſuo, ſint auxiliantes ad ius noſtrum conquirendum, & quicquid nobis fecerint, ſibi factum reputabit. Fecit igitur idem Comes penitus noſtram voluntatem, & in die Aſcenſionis Domini nobis homagium & fidelitatem apud London facturus erit coram multitudine Comitum & Baronum, quos illuc generali edicto fecimus ſummoneri. Haec antem ita publice apud London fieri voluimus, vt amici noſtri gaudium, & inimici noſtri confuſionem habeant manifeſtam. Credimus autem, quod Dei & amicorum noſtrorum auxilio, nobis in breui ad iura noſtra conquirenda accreſcet fortitudo. Ad haec vobis mandamus, quod, cum ille, de quo nobis mandaſtis, ad nos venerit, mittatis ad nos fideles noſtros Odon. de Sancto Bertwin. & Radulſum de Normanuill. & quod apud ipſum inueneritis, per ipſos nobis ſignificetis. Mandetis etiam nobis de ſtatu Hugonis de Bancay, qui ſe multum intromiſit, vt audimus, de habenda cuſtodia villae de Thumarc. & ſciatis, quod, ex quo illud audieramus, mandauimus Balliuis & Conſtabulariis noſtris, vt ſe de illius cuſtodia praecauerent. Ad haec ſciatis, quod Dominus Imperator nobis mandauit, illos mendaces extitiſſe, qui nobis dederunt intelligere, quod ipſe nuncios Regis Franciae receperat; quia nullos ipſius nuncios ſine nobis recipiet; & nos rogauit, vt nos ſine eo nullos recipiamus. Et dixit, quod, ſi homines ſui, qui hoc nobis intelligere fecerunt, proditores ſui erant; &, ſi noſtri homines, tunc noſtri proditores fuerunt. Hoc autem vobis mandamus, vt haec ſciatis, &, quibus videritis communicanda, communicetis.

Teſte me ipſo apud Lameh. quarto die Aprilis.

No. CCCXIII.

Idem Magnatibus ſuis ſignificat, quid Otto Imperator ipſi ſcripſerit. Anno 1212.

Indidem p. 159.

Rex fidelibus ſuis G. de Podio maiori Engoliſm, G. de Nevill Camerario, Radulpho de Faya, Emer. de -- awrick, & Petro de Faya, &c. Sciatis, quod Dei gratia, ſani ſumus & incolumes; &, vt de ſtatu noſtro de rumoribus noſtris vos reddamus certiores, mittimus vobis tranſcriptum litterarum Domini Imperatoris, nepotis noſtri,

noſtri, quas nuper, ſub Bulla aurea per nuncios ſuos ſolempnes nobis transmiſit. Nos vero ad eum nuncios noſtros ſolempnes miſimus, ſcilicet, W. de Gray Cancellarium noſtrum, S. Comitem Winton. W. de Cantilupo Seneſcallum noſtrum, & Robertum Treſgoz, & in proximo, Deo volente, tales audietis rumores, vnde vos & omnes, qui nos diligunt, gaudium merito habere debebitis. Rogamus autem vos, quatenus agendis noſtris diligenter & viriliter intendatis, de ſtatu veſtro & terrae noſtrae nos certificetis, & praedicta, quibus videritis communicanda, communicetis.

Eodem modo ſcribitur Ivon. de Iallia Seneſcallo Pictauiae, A. Vicecomiti Thuwarc. T. R. apud Lameh. 23. die Maii.

No. CCCXIV.

Idem Henrico Duci Brabantiae ſignificat, ex literis Ottonis Imperatoris ſpem magni commodi ſibi & confoederatis allucere. Anno 1212. Indidem p. 160.

REX Henrico Duci Louan. &c. Grates vobis referimus de hoc quod ad petitionem noſtram diligenter & efficaciter intendiſtis promotioni & ſeruitio nepotis noſtri Imperatoris Romani. Scimus autem, quod pro amore & occaſione noſtri multo & deuotiores in multis, noſtri gratia, extitiſtis. Sciatis autem, quod ipſe ad nos nuncios ſuos ſolempnes, & litteras amicabiles tranſmiſit, propter quos, in proximo, Deo volente, vtrique noſtrum commodum & honorem, & vobis & omnibus amicis noſtris gaudium credimus prouenturum. Mittimus autem ad eum nuncios noſtros, fideles & familiares noſtros Walterum de Gray Cancellarium, Sayerum de Quency Comitem Winton. W. de Cantilupo Dapiferum noſtrum & Robertum Tregoz, cum reſponſo & voluntate noſtra: Et vos rogamus, quatinus, ſi fieri poſſit, in propria perſona ad ipſum Imperatorem accedatis, vt vna cum eis coram eo praeſentes ſitis, vel litteras veſtras ei deſtinetis: Rogantes & conſulentes, quod, iuxta mandatum noſtrum efficaciter ſuo & noſtro commodo prouideatis & honori. Grates autem Deo referimus de hoc, quod nobis ad votum ſucceſſit in partibus Epiſcopi Leodien. vnde nobis mandaſtis: Mittimus autem ad vos dilectum noſtrum Gothfredum fratrem veſtrum G. de Louuan. vt per ipſum nobis ſcire faciatis, quod nobis auxilium in hoc negotio noſtro facturi ſitis, quia iam diu vobis peparcimus, ſicut bene

Digitized by Google

ne ſcitis. Vobis etiam nuper bene prouidimus poſt aduentum Comitis oloniae in Angliam; quia ſuſtinere nolumus, quod in aliquo de iure ſtro alienati eſſetis vel elongati.

No. CCCXV.

riderici II. Regis confoederatio cum Philippo Auguſto Galliarum Rege, contra Ottonem Imperatorem & Iohannem Angliae Regem. Anno 1212. Ex Diplomatario MSCto. Habet id etiam Marten. Collect. Ampliſſ. T. I. p. 1111.

F*RIDERICVS Dei gratia Romanorum Imperator electus & ſemper Auguſtus, Rex Siciliae, Ducatus Apuliae, principatus Capuae.* Notum facimus vniuerſis, praeſentem paginam inſpecturis, quod os, propter mutuam dilectionem & confoederationem, quam cariſſimus ter noſter, *PHILIPPVS Francorum Rex illuſtris*, habuit ad progenitos noſtros, Romanos Imperatores, confoederationem cum eodem Philip- Rege Francorum iniuimus in hunc modum, quod nos cum *Othone* ondam dicto Imperatore, & *Iohanne* Rege Angliae, & eorum auxitoribus manifeſtis, nullam pacem faciemus, ſine aſſenſu eiuſdem Res: nullum etiam de illis, qui eumdem inquietant manifeſte, recipieus in terra noſtra, vt ſcilicet poteſtatem habeamus eum amouendi bona le. Ad cuius rei certam in poſterum memoriam praeſentem pagim conſcribi iuſſimus, & maieſtatis noſtrae bulla aurea conſignari.

Datum apud Tullum, anno gratiae milleſimo ducenteſimo decimo ſecundo, tertio decimo Calendas Decembris, Indictione prima.

No. CCCXVI.

hannes Angliae Rex Ottoni Imperatori ſoluit nouem millia marcarum. Anno 1213. Ex Rymer. Act. T. I. p. 164.

K**ARISSIMO** nepoti ſuo, *OTHONI, Dei gratia illuſtri Romanorum Imperatori & ſemper Auguſto*, Iohannes eadem gratia Rex Angliae &c. & tam ſincerae quam debitae dilectionis integritan. Miſiſtis nobis litteras veſtras patentes, ſcilicet duo paria, quibus ndaſtis, vt de denariis, quos vobis dedimus, liberari faceremus fideus veſtris, Gerardo de Rodes, & *Conrado de Wilre*, Seneſcallo veo, octo mill. & quingent. marc. vobis deportandas, & Simoni Saphir ingent. marc. quas vobis accommodauit. Nos igitur in continenti ri fecimus, ſimiliter duo paria, quibus mandauimus magiſtro militum Templi

Templi in Anglia, qui pecuniam illam habuit in cuſtodia ſua, vt ſine dilatione, pecuniam illam liberaret, ſicut mandaſtis, iuxta formam literarum veſtrarum, quas ſimiliter ei miſimus. Miſiſtis etiam ad nos magiſtrum Ywan, Clericum veſtrum, cum litteris veſtris de credentia, qui nobis dixit ex parte veſtra, quod miſſuri eſtis ad nos *fratrem veſtrum*, nepotem noſtrum, *Comitem Palatinum* & R. Comitem Bolon. & W. Comitem de Holand. Super quo vobis mandamus, quod, cum venerint, bene venerint. Nos vero in receſſu latoris praeſentium fuimus in partibus borealibus Angliae: quibus ordinatis & aſſecuratis, prout viderimus melius expedire, verſus partes auſtrales in occurſum praedictorum nunciorum veſtrorum feſtinanter reuertemus. Praeterea ad hoc, quod nobis mandaſtis de Comite Bolon. & Simone fratre ſuo, vt eis de denariis veſtris habere faceremus; vobis reſpondemus, quod, cum fideles veſtri Gerardus & Conradus ſaiſiti fuerint de denariis veſtris, faciant de hiis, quae voluerint; quia denarios veſtros expendere nolumus nec debemus, poſtquam eos liberauimus, quibus mandaſtis.

Teſte me ipſo apud Bamburic. viceſimo octauo die Ianuarii.

No. CCCXVII.

Otto IV. Imperator Wilhelmo Hollandiae Comiti in feudum confert omnia feuda Imperialia, a Florentio & Theodorico Hollandiae Comitibus ante poſſeſſa.

Anno 1213. Ex Marten. Anecdot. T. I. p. 841.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Eius gratia *OTHO quartus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus.* Iuſtum eſt & imperatoriae maieſtati conuenit, vt fideles ſuos tanto maiori beneuolentia reſpiciat & honoret, quanto eos in ſuis obſequiis promtos magis inuenerit ac deuotos. Hinc eſt, quod nos, attendentes fidem ac deuotionem magnam dilecti ac fidelis noſtri, viri nobilis, *Willelmi*, Comitis *Hollandiae*, omnia feoda, quae nobiles viri, *Florentius* & *Theodoricus* bonae memoriae, Cõmites Hollandiae, videlicet praedeceſſores praefati Comitis *Willelmi* Hollandiae, ab imperiali aula tenuerint, eidem *Willelmo* in purum feodum cum omni integritate, ad eamdem Comitiam attinente, contulimus, & vt haec noſtra conceſſio & donatio rata ſit, & in futurum intemerata permaneat, praeſens priuilegium bulla noſtra iuſſimus inſigniri.

Huius autem noſtrae conceſſionis hii ſunt teſtes:

Balduinus Comes de Benthem.

Bernardus de Horſtmarre.

Digitized by Google

Hugo de Forne.
Godefridus de Bredha.
Wilhelmus de Thelinge, & alii quam plurimi.

Datum per manum Iohannis praepoſiti Werdenſis, Domni Othonis Imperatoris Clerici familiaris.

Signum Domni OTHONIS Imperatoris IV. inuictiſſimi.

Acta ſunt haec anno Incarnationis Dominicae M CC XIII. Regni noſtri XIV. Imperii vero IV. apud Nimagum, Idus Ianuarii, Indictione I.

No. CCCXVIII.

Otto IV. Imperator Eccleſiam S. Mariae apud Scheuerlingeborch dotat. Anno 1213.

Ex Mader. Antiq. Brunſuic. p. 245.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Dei gratia *OTTO quartus Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus.* Deuotionem, quam poſſumus, ad ea, quae Dei benefactoris noſtri ſunt, gerentes, his quoque merito curam aduertimus diligentem, quae ſanctae matri eius credimus complacere. Igitur cum nos circa eccleſiam ſanctae Mariae apud Ceuerlingeborch, a nobis inchoatam, pium felicis conſummationis habeamus propoſitum; notum facimus vniuerſis, quod nos eandem, de aſſenſu dilecti *fratris* noſtri *HENRICI, illuſtris Comitis Palentini*, proximi haeredis noſtri, dotauimus iſtis bonis: Apud *Honrod* XVII. manſis, vno molendino, cum omnibus pertinenciis in litonibus, in ſiluis & in pratis; piſcationibus exceptis: apud *Waggen* duobus manſis, & ſilua *Bodenborn:* apud *Soſthorne* vno molendino, & ceteris omnibus, quae ibidem noſtro dominio pertinebant, in agris, ſiluis, pratis & aquis: apud *Gamenbuſen* ſimiliter omnibus, quae noſtra erant. Item Bocla cum omnibus pertinentiis eius: apud *Borſne* XXXV. manſis, & XVIII. agris, & vno molendino, cum litonibus, & aliis pertinentibus ad villicationem illam in ſiluis, pratis & aquis: Parochia quoque ibidem, cum XI. manſis: apud *Wenedeſſum* XVIIII. manſis, vno molendino, cum litonibus & aliis pertinentiis villicationibus illius, in ſiluis, pratis & aquis, & parochia ibidem cum V. manſis & vno molendino: Item Eccleſia apud *Elmesborch*, & medietate Eccleſiae apud *Aſſle.* Ad haec libera dimittimus Eccleſiae praenotatae, quaecunque poſtmodum ex proprietatibus noſtris poterit adipiſci. Hanc itaque dotem, ab omni iugo Aduocatiae liberam aſſignauimus eidem Eccleſiae in manus fidelium noſtrorum, Hart-

berti

Digitized by Google

berti Hildenſemenſis Epiſcopi & Guntzelini Dapiferi noſtri: praeſentibus & atteſtantibus fidelibus noſtris:

Hugoldo, Abbate Sancti Michaëlis in Hildenſen.
Luthardo Scholaſtico.
Magiſtro Thiderico de Hamelen.
Magiſtro Hugone, Canonico Hildenſemenſi.
Comite Henrico de Schladen.
Helmoldo de Pleſſe.
Waltero de Baldenſele.
Baldewino Aduocato.
Baſilio de Schiltberch.
Henrico de Schowen, & pluribus aliis, tam clericis, quam laicis.

Vt ergo haec apud omnes inpoſterum rata permaneant & firma, ſcriptum hoc ſigilli noſtri patrocinio fecimus communiri.

Acta ſunt haec anno incarnationis Dominicae MCCXIII. anno Regni noſtri XV. Imperii vero IV.

Signum Domini OTTONIS IV. Romanorum Imperatoris inuictiſſimi.

Datum Brunſwik VI. Kal. Februarii.

No. CCCXIX.

Otto Imperator bona Ordinis Equitum Teutonicorum in Imperio Romano ſita in tutelam ſuſcipit, cunctiſque permittit bona Imperii iiſdem vel donare vel vendere.

Anno 1213. Ex Duell. Hiſtor. Ord. Teuton. Append. p. 11.

O*TTO quartus Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus.* Imperialis manſuetudo, que licet vbique circa diuini cultus incrementa ſollicita eſſe debeat & attenta, curam tamen propenſiorem ſancte Orientalis terre eam gerere nequaquam erit incongruum, & dei illic athletis manum largitatis extendere cenſetur glorioſum. Eapropter cognoſcat fidelium imperii tam preſens ætas, quam ſucceſſura poſteritas, quod nos, ad honorem Dei & genitricis eius ſemper virginis Marie, nec non pro noſtra ſalute & remedio animarum parentum noſtrorum, ſub omnimodam noſtrae maieſtatis tutelam recipimus omnia & ſingula predia, poſſeſſiones & bona hoſpitalis Teutonicorum, vbique in Imperio Romano conſtituta, ex innata nobis pietate eidem domui & Fratribus, qui Deo illic famulantur, concedentes & indulgentes, vt, quicumque liber homo, aut miniſterialis, vel cuiuſcumque conditionis fuerit, aliquid de his bonis, que ab Imperio tenet, diuine

emunerationis intuitu eis tradere, aut etiam vendere voluerit, plenam e hoc & liberam habeat facultatem, ipſam donationem ratam habentes : Imperiali confirmantes auctoritate. Statuimus igitur & ſub intermiatione gratie noſtre firmiter precipimus, vt nullis vnquam hominum citum ſit, memoratam domum Hoſpitalis in omnibus prediis ſuis tam ei ollatis, quam conferendis, moleſtare, ſeu quicquam damni aut iniurie rogare: quod qui facere temptauerit, in vindictam tante temeritatis, ıri puriſſimi libras centum componat, quarum medietas camere noſtre erſoluatur, & pars reliqua paſſis iniuriam. Ad cuius rei perpetuam ertitudinem hanc paginam conſcribi iuſſimus, & ſigillo noſtro communiri. Teſtes ſunt hi:

Theodericus Colonienſis Archiepiſcopus.
Manegoldus Pataulenſis Epiſcopus.
Engelhardus Cizenſis Epiſcopus.
Hertwicus Eyſtetenſis Epiſcopus.
Theodericus Marchio Miſnenſis.
Ludouicus Dux Bauarie.
Bernhardus Dux Carinthie.
Heinricus Dux Saxonie.
Heinricus Marchio Morauie.
Raboto Palatinus Comes.
Heinricus in Ortemburg.
Guntherus Comes de Keuernberg, & alii quam plures.

Datum apud *Nurenberg* Anno Dominice Incarnationis M CC XIII. Id. Maii. Indict. XV.

No. CCCXX.

ttonis Imperatoris reſcriptum ad Ottonem omitem, vt Tegernſeenſibus monachis vineas apud

Bauzanum iis abſtractas reſtituat. Anno 1213. (*) Ex Pezii Cod. Diplom. Part. II. p. 50.

O*TTO Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus.* Ottoni Comiti ſalutem & gratiam. Monachi de *Tegrinſe* noſtram queritando adierunt praeſentiam pro vineis ad Pauzanum iniuſte ſibi

) Celeberrimus Editor huic epiſtolae m 1197. adſcripſit, non conſiderans, ıno Ottonem nondum Regem, ne dum ratorem fuiſſe. Ego vero annum ei :. adſlino, quia Otto Imperator hoc anno menſe Maio Noribergae degit, in qua vrbe Tegernſeenſes eum adiiſſe probabilius videtur, quam ſi loco in remotiori id factum eſſe diceremus.

ſibi abſtractis Firmiter vobis praecipimus, ſi noſtram gratiam, vel aliquid noſtri habere velitis, vt veraciſſime ac diligentiſſime ex credulis & probabilibus viris cum iureiurando examinare valeatis, pro Dei amore & ſancti Quirini, & pro eleemoſyna noſtra, & pro ſtatu Imperii noſtri, praedeceſſorumque noſtrorum abſolutione, quorum temporibus Sancto loco vi & ſine iure alienatum eſt, Imperiali auctoritate noſtra illuc reſtituatis, & poſtea, ſi aliquid inde requirendum ſit, corrigatur. Et hoc pro certo iubemus, ne deinceps incorrectum ad nos perueniat.

No. CCCXXI.

Ottonis IV. Imperatoris litterae ad Innocentium III. Papam de excommunicatione ſui immerita.

Anno 1213. Ex Hahn. Monum. T. I. pag. 209.

OTTO *Dei gratia Romanorum Imperator &c.* clementiſſimo Patri I. diuina cl. (clementia) ſacroſancte Romane eccleſie ſummo Pontifici reuerentiam &c. Quia ſaepe dictorum virtus perditur, cum apud audientium corda minus cauta oportunitate loquacitas leuigatur; mirari poſſumus non immerito & moueri, quod ad indignam noſtri reprehenſionem in tanta verborum multitudine apoſtolica clementia laborauit. Cuius prolixitati nolentes, ſicut valemus, reſpondere, ſub breuiloquo dicimus, nos aliquid non feciſſe, propter quod ſimus ſpirituali & humano gladio feriendi. Nam ſpiritualia, que ad veſtrum pertinere officium dinoſcuntur, vobis non auferimus, nec habemus propoſitum aufferendi, ymmo volumus, quod vbicunque maneant illibata, & ſemper Imperiali auctoritate ſuſcipiant incrementum. In temporalibus vero plenam, vt ſcitis, habemus poteſtatem, de quibus vobis non conuenit iudicare, quoniam hiis, a quibus eccleſie ſacramenta tractantur, iudicium ſanguinis agitare non licet. Habeatis igitur in ſpiritualibus libere plenitudinem poteſtatis, firmiter attendentes, quod temporalia tamquam Imperator per totum Imperium intendimus iudicare.

No. CCCXXII.

Fridericus II. Henrico Brabantiae Duci in feudum confert Traiectum ad Moſam. Anno 1214.

Ex Butken. Trop. Brabant. Inſtrum. p. 64.

FRIDERICVS *Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Rex Siciliae* vniuerſis hanc paginam inſpecturis. Notum fieri vobis volumus, quod Henrico, Duci Lotharingiae, fideli Principi

 noſtro,

noſtro, & Henrico eius filio, pro obſequiis nobis & Imperio impenſis, conſenſu Principum noſtrorum, & in praeſentia eorum, contulimus in feodum *Traiectum*, cum villis & rebus omnibus ad Traiectum attinentibus, & cum aliis feodis ſuis, vt hoc a modo ab Imperio teneant pure & ſincere. Et vt haec noſtra conceſſio rite facta inconuulſa & irrefragabiliter conſeruetur, hanc chartam eis conſcribi, & ſigilli noſtri appoſitione fecimus roborari. Interfuerunt huic facto fideles Principes noſtri.

Theodoricus Treuirenſis Archiepiſcopus.
Conrardus Metenſis & Spirenſis Epiſcopus, & Imperialis aulae Cancellarius.
Leopoldus Dux Auſtriae.
Otto Dux Meraniae.
Bernhardus Dux Carinthiae.
Albertus Comes de Euerſteyn.
Miniſteriales noſtri: Wernerus de Bolandia Dapiſer noſter.
Walterus Pincerna.
Henricus de Dum.

Actum anno incarnationis M CC XIV.
Datum apud Worſele quarto Non. Septembris.

No. CCCXXIII.

Idem terminum conſtituit, intra quem Caſtrum illud a Comite Loſſenſi redemturus ſit.

Anno 1214. Indidem p. 64.

F*RIDERICVS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Rex Siciliae.* Omnibus hoc ſcriptum videntibus, notum fieri volumus, quod dilecto Principi noſtro, Henrico, Duci Lotharingiae bona fide promiſimus, quod oppidum ſuum Traiectenſe, quod ei in feodum dedimus, a Comite de Los redimemus, ita quod libere illud ei reſtituemus vſque ad octauam Paſchae proximam. Et ſuper hoc fideiuſſores ei conſtituimus Principes noſtros, Conradum Metenſem & Spirenſem Epiſcopum, & Imperialis aulae Cancellarium, Lupoldum Ducem Auſtriae, Ottonem Ducem Meraniae, Bernhardum Ducem Karinthiae & Comitem Albertum de Euerſtein. Et ſuper hoc praeſentem paginam in teſtimonium dedimus, ſigilli noſtri munimine roboratam, qui etiam ad petitionem noſtram ſua ſigilla appoſuerunt.

Datum apud Worſele anno MCCXIV. indictione ſecunda, quarto Non. Septembris.

No. CCCXXIV.

Digitized by Google

No. CCCXXIV.

Formula induciarum inter Philippum Franciae & Iohannem Angliae Reges, qua Fridericus II. & Otto IV. ſi nolint eam accipere, excluduntur vtrimque.

Anno 1214. Ex Rymer. Act. T. I. p. 192.

PHILIPPVS *Dei gratia*, *Francorum Rex*, omnibus, ad quos litterae praeſentes peruenerint, Noueritis, quod nos Ioanni Regi Angliae & hominibus, & impriſiis ſuis, qui aperte guerrauerunt pro ipſo de hac vltima guerra, vſque ad diem Iouis proximam poſt exaltationem Sanctae Crucis in Septembre dedimus rectas treugas de nobis & hominibus, & impriſiis noſtris, qui aperte guerrauerunt vſque ad inſtans Paſcha, quod erit anno Domini MCCXV. Et ab eadem Paſcha in quinque annos continuos & completos. Saluis tamen nobis priſonibus noſtris, quos penes nos habemus, & ſaluo iuramento, quod Villae Flandriae & Haynoniae, & milites & alii homines Flandriae & Haynoniae nobis fecerunt, & ſaluis ſimiliter priſonibus, quos Ioannes Rex Angliae habet penes ſe. Nos autem, & homines noſtri, & impriſii erimus in eadem tenetura, in qua eramus praedicta die Iouis, in qua data eſt iſta treuga. Et Ioannes Rex Angliae, & homines & impriſii ſui ſimiliter erunt in eadem tenetura, in qua erant praedicta die Iouis, vſque ad praedictos quinque annos completos. Nullus Multrarius, aut aliquis, qui fuerit Forbannitus a nobis a tempore alterius treugae, inter nos & praedictum Regem Angliae dudum factae, poterit intrare in terram noſtram, infra praedictum terminum, niſi de voluntate noſtra. Neque ſimiliter Multrarius, aut aliquis Forbannitus ab ipſo Rege Angliae poterit intrare terram ſuam, infra praedictum terminum, niſi de voluntate ipſius Regis Angliae. Si autem aliquis, cuius terram habemus in manu noſtra, venerit in terram noſtram pro ſuo negotio, per eam poterit tranſire, ſed in ea morari non poterit, niſi habet rectum eſſonium, praeterquam ad portum maris, vbi licite poterit ventum expectare per tempus competens. Si quis de Comitatu Andegauiae vel Britanniae, qui dicta die Iouis datae treugae adhaereret Ioanni Regi Angliae, faciendo guerram aperte contra nos, & ipſum manifeſte iuuando, voluerit intrare Comitatum Andegauiae vel Britanniae, & ibi morari infra terminum treugae praetaxatum, ſi ſit de Comitatu Andegauiae, Seneſcallo Andegauiae; ſi ſit de Comitatu Britanniae, Comiti Britanniae faciet competentem ſecuritatem, quod nullum malum ipſis, vel terris eorum per eum eueniet. Et ſi aliquis de Pictau. qui praedicta die Iouis adhaereret nobis, faciendo guerram

guerram aperte contra Ioannem Regem Angliae, & iuuando nos aperte contra ipſum, vellet intrare terram ipſius Ioannis Regis Angliae in Pictau. ipſe faciet competentem ſecuritatem Seneſcallo Pictauiae, quod nullum malum Ioanni Regi Angliae & terrae ſuae de Pictauiae per eum eueniet. Iſti ſunt dictatores & emendatores huius treugae inter nos & Ioannem Regem Angliae: Hubertus de Bore Seneſcallus Pictauenſis, Reginaldus de Pontibus, Abbas Sancti Ioannis Angeliac. & Decanus Xantonenſis, ex parte Regis Angliae. Ex parte vero noſtra, Petrus Sauarici, Guido Turpini, Abbas maioris Monaſterii, & Gaufridus Archidiaconus Turonenſis. Et omnes iſti iurauerunt bona fide, quod, ſi contingeret aliquem ex eis decedere, aut infirmari, aut a nobis, vel a Iohanne Rege Angliae reuocari infra praedictum terminum, ipſi bona fide eligent, & ponent alium in loco illius ad hoc idoneum. Quicquid autem quinque, aut plures ex praedictis dictatoribus de interceptionibus hinc inde factis per ſacramentum ſuum dixerint & ordinauerint, tam nos, quam praedictus Rex Angliae tenebimus. Et, ſi per ipſos dictatores treugae emendari non poterint, nos illud bona fide emendari faciemus infra ſexaginta dies, poſtquam dicti dictatores dictum ſuum dixerint, & illud nobis ſignificauerint. Iſti autem dictatores huius treugae pro diſcordiis & interceptionibus emendandis, quae forte orientur in Pictauia, in Comitatu Andegauiae, vel Britanniae, & in Turonia, conuenient apud Abbatiam Monialium de Fulcheroſis iuxta Paſſauant, & pro aliis interceptionibus, quae fient in Bituresio, in Aluernia, in Comitatu Marchiae, & in Lemouicio, inter Agurandas & Cuſon Caſtrum Com. Marchiae. De Malatolta, (*) quam Ioannes Rex Angliae & ſui impoſuerunt, & capiunt, ſic erit. Si Ioannes Rex Angliae & ſui voluerint eam quittare & dimittere, nos eam ſimiliter quittabimus & dimittemus. Quantum autem Ioannes Rex Angliae & ſui de ipſa Malatolta leuauerint & ceperint, nos ſimiliter & noſtri tantundem de illa leuabimus & capiemus. „*Fredericus* Rex Romanorum & Siciliae erit in iſta noſtra treuga ſi voluerit, & „Rex *Otho* ſimiliter erit in treuga Regis Angliae ſi voluerit. Et, ſi alter „illorum noluerit eſſe in treuga, nos poterimus iuuare Fredericum in Im„perio & Rex Angliae *Othonem* in Imperio ſimiliter, abſque meffacere, „& abſque faciendo guerram inter Iohannem Regem Angliae & nos de „terris noſtris.„ Hanc autem treugam bona fide tenendam iurauerunt Vrſio Cambellanus in animam noſtram, & omnes alii, qui ſubſcribuntur, pro ſe vnusquisque de mandato noſtro: Scilicet,

Gualcherus

*) Pecunia ſubditis ſub telonei aut vectigalis nomine impoſita. Plerumque tamen vi & iniuſte ablatas exactiones ſignificat.

Gualcherus Comes Sanĉti Pauli.
Robertus Comes de Alenzon.
Guido de Dampetra.
Guillelmus de Caluiniaco.
Theobaldus de Blazon.
Burchardus de Marliaco.
Iohellus de Meduana.
Hugo de Bauceio.
Guido Senesbaldus.
Americus de Credona.
Giraldus Belois.

Aĉtum apud Chinonem anno Domini MCCXIV. menſe Septembris, die Iouis proxima ſequenti poſt exaltationem Sanĉtae Crucis.

Die Iouis proxima ante feſtum omnium Sanĉtorum, anno Regni noſtri XVI. liberatum fuit Domino Wintonienſi Epiſcopo ſcriptum treugarum captarum inter Dominum Regem & Regem Franciae, & ſigillatum eſt ſigillo Regis Franciae.

No. CCCXXV.

Otto IV. Imperator Riddageshuſenſibus confert bona in Scathorſt a vaſallis ſibi reſignata.

Anno 1215. Ex Meibom. Scriptor. T. III. p. 162.

In nomine ſanĉtae & indiuiduae Trinitatis. Dei gratia *OTTO Quartus Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus.* Sanĉta quidem & Domino placens Ciſtercienſis Ordinis religio, fidelium omnium veneratione digna noſtris tanto deuotius eſt curanda ſubſidiis, quanto nobis excelſiorem inter homines contulit diuina gratia poteſtatem. Piam igitur circa omnia illius Ordinis Monaſteria voluntatem habentes, praecipue circa dileĉtiſſimam nobis eccleſiam in *Riddageshuſen*, bonum & ſalubre propoſitum noſtrum cupimus in effeĉtum opere proficiſci, quotiens nobis oportunitatem adeptis competenter eam ſuppetiuerit promouere. Itaque, Friderico Marſchalco de Volcmerode & filiis eius reſignantibus in manus noſtras ius pheodi, quod habebant in patrimonio noſtro *Scathorſt*, & ſylua & pratis ei attinentibus, cum ceteris pertinentiis, contulimus & donauimus eccleſiae in Riddageshuſen idem patrimonium noſtrum integre, cum toto iure ſuo, *HENRICO illuſtri Comite Palatino conſentiente.*

Haec autem faĉta ſunt atteſtantibus fidelibus noſtris:
Guncelino Imperialis aulae Dapifero.
Wilhelmo Marſchalco.

Digitized by Google

Olrico Aduocato Goſlarienſi.
Borchardo de Wolferbutle.
Caeſario Aduocato de Quidlingeborg.
Tiderico de Werbene,
& Iohanne de Bornem.

Vt igitur praedicto Monaſterio in Riddageshuſen eiusdem praedii poſſeſſio integra, & tam ſalua, quam libera ſine omni moleſtia permaneat in perpetuum, fecimus hoc authenticum ſigilli noſtri munimine roborari.

Acta ſunt haec anno ab incarnatione Domini MCCXV. Anno Regni noſtri XVIII. Imperii autem IX. Indictione IIII. VII. Idus Martii.

No. CCCXXVI.

Fridericus II. Waldemaro II. Danorum Regi omnem Nordalbingiam Romano Imperio attinentem cedit, & Regno eius addit. Anno 1214. Ex Pontano Rer. Dan. Libr. VI. p. 303.

FRIDERICVS diuina fauente clementia *Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Rex Siciliae.* Quoniam omnis gloria Maieſtatis Auguſtae ad augendam vniuerſalis eccleſiae pacem modis omnibus elaborare tenetur; Idcirco, nobis diuina largiente clementia ad paternum atque Romanum Imperium aſcendentibus, primum & potiſſimum conſilium fuit, cum vicinis pacem firmare regibus, vt ſponſa Chriſti eccleſia, pro cuius defenſione gladio vtimur, ipſorum cooperatione in diebus noſtris tranquilla ſemper pace laetetur. Huius rei gratia cum dilecto nobis Domino *Waldemaro, Danorum Rege Chriſtianiſſimo,* perpetuas & inuiolabiles firmauimus amicitias. Eique, de conſilio & conſenſu principum Romani Imperii, pro pace ſui regni cuſtodienda, & hoſtibus noſtri Imperii coërcendis, omnes terminos vltra Eidoram & Albiam, Romano attinentes Imperio, quos Rex Canutus multis prouocatus iniuriis cum fratre ſuo iam dicto Valdemaro Rege armis obtinuit & poſſedit; & quicquid in Slauia Rex Canutus comparatum paterno ſuo labore tenuit, *regno* ipſius *addimus,* factumque praeſentis priuilegii noſtri authoritate & ſigillorum principalium impreſſione, confirmamus. Nullus ergo ſucceſſorum noſtrorum vel principum Romani Imperii ſuper praedictis, eo quod aliquando Imperio ſubiecti fuerunt, memoratum Dominum Valdemarum Regem dilectiſſimum, armis vel quaerimoniis inquietet. Quia nonſolum in iſtis, ſed etiam in omni cauſa & neceſſitate, contra omnem perſonam, ſalua Sedis apoſtolicae reuerentia, ſic ei ſemper adeſſe ſtatuimus, ſicut eum nobis & noſtris negotiis adfuturum non dubitamus.

Digitized by Google

Huius rei teſtes ſunt:

Siſridus Moguntinenſis Archiepiſcopus, & Sedis Apoſtolicae Legatus.

Theodoricus Treuirenſis Archiepiſcopus.

Amadeus Byzantinenſis Archiepiſcopus.

Conradus Metenſis & Spirenſis Epiſcopus, & Imperialis aulae Cancellarius.

Otto Wirtzburgenſis Epiſcopus.

Othecarus Rex Bohemiae.

Ludouicus Dux Bauariae.

Leopoldus Dux Auſtriae.

Theodoricus Marchiae Miſnenſis & Orientalis Marchio.

Theobaldus Dux Lotharingiae.

Otto Dux de Meran.

Albertus Comes de Eberſtein.

Datum apud Mezios anno Dominicae incarnationis MCCXIV. per manus Domini Conradi Metenſis & Spirenſis Epiſcopi, Imperialis aulae Cancellarii.

No. CCCXXVII.

Otto IV. Imperator litem inter Riddageshuſenſes & Henricum Miniſterialem ſuum de bonis in Bersle decidit. Anno 1215. Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Dei gratia *OTTO Quartus Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus.* Preſenti ſcripto manifeſtum eſſe volumus vniuerſis, quod Henrico Grubone, miniſteriali noſtro, faciente nobis querelam de ecclefia in Riddageshuſen, eo quod poſſideret bona, que fuerant Annonis Predere, Canonici Brunewicenſis, aput Bersle ſita, in quibus ipſe Heinricus vxorem ſuam & ſe ratione ipſius aſſeruit ius habere, citauimus eccleſiam in iudicium, mandantes ab ea dicto Heinrico iuſticiam exhiberi. Venientes igitur in preſentiam noſtram Conradus, venerabilis abbas, & cetera potior pars eccleſie, fideliter affirmabatur idoneis teſtibus, pleniſſime conprobantes, ſe bona illa ab Annone predicto emiſſe, fide bona vtrimque ſeruata, & conſentientibus fratribus eius, ſcilicet Ludolfo Concanonico ſuo, & Friderico Marſcalco Volcmeroth, nec non ipſo Friderico, ſicut confeſſus eſt coram nobis, preſtante pro warandia fideiuſſoriam cautionem. Itaque partibus eccleſie iuſtiſſime defenſis, tranſiuit

 lis

Digitized by Google

lis ad Fridericum Marſcalcum ad warandiam obligatum, qui transactione facta promiſit, ac poſtea perſoluit Heinrico & vxori ſue triginta marcas, quarum decem dedit eccleſia, voluntarie pietatis, non iuris reſpectu, ne ſcilicet Fridericus ſolus iam dicta pecunia dampnaretur, aſtantibus & atteſtantibus fidelibus noſtris:

Gunzelino Dapifero.
Baldewino Aduocato.
Burchardo de Wulferbutle.
Olrico Aduocato Goslarie.
Iohanne de Bornem.
Heinrico de Dorſtat, & aliis quam pluribus.

Vt igitur hec ordinatio rata permaneat inpoſterum aput omnes, & gaudeat in perpetuum eccleſia in Riddageshuſen plenitudine ſui iuris in bonis ante ſepius nominatis, fecimus hoc ſcriptum, ſuper eadem ordinatione confectum, ſigilli noſtri patrocinio roborari.

Acta ſunt hec anno incarnationis Dominice Milleſimo, Ducenteſimo, Quinto decimo. Regni noſtri anno ſeptimo decimo. Imperii vero ſexto. Indictione tertia. Tertio Non. Auguſti.

No. CCCXXVIII. (a)

Otto IV. Imperator cum Sifrido Hildenſemenſi Epiſcopo commutationem Miniſterialium hominum inſtituit. Anno 1215. Ex veteri Chart. Hildenſ.

DEI gratia *OTTO Quartus Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus.* Notum facimus vniuerſis, tam preſentibus quam futuris, quod nos vxorem Sifridi de Borſem, filiam videlicet Luduici de Saldere, cum omnibus filiis ſuis & filiabus; & vxorem C. Mareſcalci, filiam L. quondam aduocati de Dalem, & filium, quem modo habet, conceſſimus & dedimus in commutationem Sifrido Hildesheimenſi Epiſcopo, & eccleſie eiusdem loci, pro Eckeberto, G. Dapiferi primogenito; proximus autem filius, quem prefata vxor C. Mareſcalci, Deo dante, eſt habitura, noſtro perpetualiter pertinebit dominio. Et vt hec noſtra ordinatio rata ſit, & intemerata permaneat; preſentem Cartulam bulle noſtre impreſſione iuſſimus communiri.

Acta ſunt hec Brunſuige anno Regni XX°. Imperii IX. XVIII. Kal. Febr.

Digitized by Google

No. CCCXXVIII. (b)

Idem Praepoſito Hildenſemenſi ſuadet, vt ſacra ſui cauſſa intermiſſa denuo peragantur.

Anno 1215. Ex veteri Codice Moguntino.

Dei gratia *OTTO Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus* dilecto filio & Clerico ſuo L. maiori Prepoſito in Hildesheim, gratiam ſuam & omne bonum. Cum Hildesheimenſis Eccleſia magis occaſione perſecutionis noſtre, quam alicuius obedientie timore, per prauas inducta ſuggeſtiones diuina dimiſerit; non debet mirari tua diſcretio, ſi meritis eius exigentibus, erga ipſam animi noſtri permutauerit ſe affectus. Veruntamen cum ad leſionem eius parati non ſumus, & libenter ei parcere volumus, ſi per reſumptionem diuinorum noſtre gratie curauerit acclinari; monemus tuam dilectionem, de qua bonam gerimus fiduciam, vt exores eandem, quod Deo ſeruiat & ſancte matri eius, & de medio tollat omnem grauaminis occaſionem & ſuſpicionis materiam inter nos & ipſam, vt nos recipiat in dominum propitium & clementem, vt ſemper fuimus, & adhuc eſſemus libenter, ſi nollet nos tam grauibus exceſſibus alterare: tanto vero ſunt grauiores, quanto eam ſincerius dileximus, & ipſa nobis ex eo fuit propenſius obligata.

No. CCCXXVIII. (c)

Idem Aduocatiam in Nouali a Comitibus de Hohenſtein ſibi reſignatam confert Monaſterio Walckenriedenſi.

Anno 1215. Ex Mſcto authentico.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Dei gratia *OTTO Quartus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus.* Quoniam ad excellentiam Imperialem nos diuina promouit clementia, circa tutelam Eccleſiarum Dei abundantie nobis incumbit diligentia, quatinus violenter opprimentium reprimamus contumaciam, & ſeruorum Dei conſequamur gratiam. Vniuerſis igitur Chriſti fidelibus indubitanter conſtare volumus, quod Eccleſia de Walcherith, quam ſub noſtro patrocinio conſtitutam fouere curamus, villam quandam, que vocatur Roth, id eſt Nouale, multo tempore iuſte dinoſcitur poſſediſſe; ſed eiusdem ville aduocatiam habuit *Helgherus Comes de Hoënſtein* de Imperio. Cum autem veniſſemus Northuſen, predictus Comes cum duobus *filiis* ſuis *Theodorico* & *Henrico*, non coactus, ſed de mera voluntate in manu noſtra eandem aduocatiam reſignauit, ſtudioſe nobis ſupplicans, quatinus

ım libere poſſidendam predicte Eccleſie conferremus. Nos n remedium anime noſtre, & ſucceſſorum noſtrorum Romano- nperatorum, predictam Aduocatiam contulimus in manu Henrici is de Walchenrith perpetuo poſſidendam.

:ius rei teſtes ſunt:

Helgberus Comes.

Theodoricus & Henricus, filii eius.

Adolfus Comes de Scouwenburg.

Albertus Comes de Clettemberg.

Burchardus Comes de Scarpfelde.

Adolfus Comes de Daſſele.

Helleboldus de Pleſſe.

ıiſteriales: Henricus Kalendin.

Henricus de Mildenſtein.

Conradus Kiſelinc.

Theodericus de Wilroth.

Gunterus de Radelueroth.

Burcardus de Hoenſtein, & alii quam plures.

ıque igitur contra hoc venire & Eccleſiam dampnificare preſum- centum libras auri componat, dimidium Camere noſtre, reli- Eccleſie iniuriam paſſe. Ad huius rei euidentiam, ſcriptum ılle noſtre impreſſione munimus.

Signum Domini OTTONIS Quarti Dei gratia Romanorum Imperatoris inuictiſſimi.

a ſunt hec anno Domini MCCXV. Imperii noſtri anno V. Regni autem noſtri XVII.

No. CCCXXIX.

:io Friderici II. Regis, qua Innocen- III. Pontificem decepit, & confirmationem in egno in Concilio Lateranenſi ſub- & obreptitie impetrauit.

Anno 1215. Ex Raynald. Annal. T. XIII. p. 226

ıCTISSIMO in Chriſto Patri & Domino ſuo *Innocentio*, ſacro- ınctae Romanae Eccleſiae ſummo Pontifici, *FRIDERICUS*, Dei & ſui gratia *Romanorum Rex & ſemper Auguſtus*, *& Rex Sici-* n filiali ſubiectione debitam in omnibus Apoſtolicae Sedi obedien- reuerentiam. Cupientes tam Eccleſiae Romanae, quam Regno

Siciliae

Siciliae prouidere, promittimus & concedimus, ſtatuentes, vt, poſtquam fuerimus Imperii coronam adepti, protinus filium *Henricum*, quem ad mandatum noſtrum in Regem fecimus coronari, emancipemus a patria poteſtate, ipſumque Regnum Siciliae tam vltra Pharum, quam citra, penitus relinquamus ab Eccleſia Romana tenendum, ſicut nos illud ab ipſa ſola tenemus; ita quod ex tunc nec habebimus, nec *nominabimus* nos Regem Siciliae; ſed iuxta beneplacitum veſtrum procurabimus illud nomine ipſius filii noſtri Regis, vſque ad legitimam eius aetatem per perſonam idoneam gubernari, quae de omni iure atque ſeruitio Eccleſiae Romanae reſpondeat, ad quam ſolummodo ipſius Regni dominium noſcitur pertinere, ne forte pro eo, quod nos dignatione diuina ſumus ad Imperii faſtigium euocati, aliquid vnionis Regnum ad Imperium quouis tempore putaretur habere, ſi nos ſimul Imperium teneremus & Regnum, per quod tam Apoſtolicae Sedi, quam haeredibus noſtris aliquod poſſet diſpendium generari. Vt autem haec noſtra promiſſio, conceſſio & conſtitutio debitum ſortiatur effectum, praeſentem paginam aurea bulla noſtra fecimus communiri.

Datum apud *Argentinam* anno Domini milleſimo ducenteſimo decimoquinto Kal. Iul. indictione quarta.

No. CCCXXX.

Charta Wezlarienſis data diſcordantibus inter ſe Friderico & Ottone depoſito. Anno 1214.

Ex Perilluſtris Dn. Guden. Cod. diplom. Mogunt. P. I. p. 430.

QVONIAM diuturna reuolutione temporum, rerum ante geſtarum mentibus hominum facile ſuprepit obliuio, ideo dignum duximus, rem dignam memoria ſcripti teſtimonio roborare. Notum ſit igitur tam preſentis quam futuri eui hominibus, quod, mortuo Henrico molendinario, Irmentrudis, vxor ipſius, cum pueris ſuis omnibus, molendinum cum ſuis appendiciis & ſalicto, a Cononicis Wetslarienſis Eccleſie tali condicione & iure hereditario ſuſcepit, vt ſingulis annis XIIII. maldra ſiliginis, & totidem maldra tritici, & XXX. ſolidos leuis monete, & dimidium ſextarium vini Cellerario perſoluat, & ipſa in quieta poſſeſſione ad finem vite ſue permaneat, eaque defuncta pueri eius indempnes, & ſine exactione, que vulgo *Vorebure*, dicitur, idem beneficium iuxta prefatam conditionem irrefragabiliter & ſine omni contradictione obtineant. Et ſi aliquis heredum neceſſitate compulſus ſuam in

in ante dicto beneficio vendere voluerit porcionem, non in manus alienorum, ſed in manus tranſeat heredum aut Canonicorum.

Acta ſunt autem hec Anno incarnationis Domini MCCXIIII. preſidente Apoſtolice Sedi Papa Innocentio, & diſcordantibus inter ſe *Friderico* Romanorum Rege, & *Ottone* ab Imperio depoſito.

Theoderico Archiepiſcopo Treuirenſis Eccleſie pontificatum regente, & Conrado Wetslarienſis Eccleſie exiſtente Prepoſito, & Conrado Decano, & Erneſto Scolaſtico, & Gerhardo, Ottone, Hartderado, Conrado, Godefrido, Conrado, item Conrado.

Teſtibus ſubſcriptis mediantibus:

Craſdone. Hartberno.
Henrico. Longo Lodewico, Scabinis.
Arnoldo Monetario.
Wigando Mercatore, &
Echardo Inſtitore, & aliis quam pluribus.

Vt hec condicio firma & inconuulſa permaneat, preſentem paginam ſigillo Eccleſie noſtre confirmauimus.

No. CCCXXXI.

Iohannes Angliae Rex Ottoni Imperatori ſignificat quid factu opus ſit ad Comitem Loſſenſem in ſuas partes retrahendum. Anno 1216. Ex Rymer. Act. Anglic. T. I. p. 212.

KARISSIMO nepoti ſuo *OTHONI*, *Dei gratia Romanorum Imperatori & ſemper Auguſto*, *IOHANNES* eadem gratia *Rex Angliae* &c. ſpiritum conſilii & fortitudinis. Significauimus nobili viro, Comiti de Los, quod cum deuotione & humilitate ad fidem & ſeruitium veſtrum reuertatur. Vnde, cum hoc commodo & honori veſtro & noſtro plurimum credimus expedire, ſi ad fidem veſtram redeat; magnitudini veſtrae bona fide conſulendum duximus & monendum, rogantes, quatenus, reſpicientes perſecutionem & turbationem veſtram & noſtram, quibus vndique vallamur, ipſum ad fidem veſtram reuocare, & in gratiam veſtram recipere ſtudeatis. Quoniam ſi litteras veſtras patentes nobis transmiſeritis, quod nos manucapiamus, quod eidem iura ſua reddetis, tam de Comitatu Hollandiae, quam aliis, quae eidem iuſte contingunt, credimus ipſum ad fidem & ſeruitium veſtrum de facili fore reuerſurum; & nos, per litteras noſtras patentes manucapiemus, quod iura ſua ei reddetis. Bene autem nobis videtur, quod ſuper iure ſuo de Comitatu

Digitized by Google

Comitatu Hollandiae exaudire tanto libentius tenemini, quanto Comes Wilekinus cum Lodowico, inimico Dei & Eccleſiae, ad perpetuam exhaereditationem noſtram Regnum noſtrum Angliae praeſumptuoſius ſit ingreſſus. Conſilium vero noſtrum, & aliorum fidelium noſtrorum, & Walteri Bertrand ſuper hoc credatis, quando illud credimus vobis fore profuturum.

Teſte, &c.

No. CCCXXXII.

Legatus Regis Iohannis Comiti Loſſenſi mandata Domini ſui ſignificat. Anno 1216.

Indidem p. 213.

OMNIBVS &c. Walterus Bertrandus ſalutem. Sciatis, quod litteras Domini mei *IOHANNIS Regis Angliae* patentes ſuſcepi, directas Comiti de Los, per quas rogauit ipſum Comitem, & conſuluit in bona fide, quod ad fidem & ſeruitium Domini Imperatoris nepotis ſui redeat, & manucepit ipſe Rex per easdem, quod iura ſua, tam de Comitatu Hollandiae, quam aliis, liberaliter & benigne Dominus Imperator ei reddet. Promiſit etiam idem Dominus Rex per easdem, quod ſi Dominus Imperator praedicta ei non teneret; ipſe Dominus Rex diligenter operam apponet verſus ipſum Dominum Imperatorem per conſilium ipſius Comitis de Los, & aliorum fidelium ſuorum, quod Dominus Imperator praedicta omnia ei tenebit. Cum autem Dominus Imperator iura ſua dicto Comiti de Los reddiderit, tam de Comitatu Hollandiae, quam de aliis, & homagium eius receperit; tunc primo litteras praedictas dicto Comiti de Los liberabo; & non antea.

Et in huius, &c.

No. CCCXXXIII.

Otto IV. Imperator Eccleſiae S. Aegidii in Brunſuick confirmat poſſeſſionem nouem manſorum in villa Limbech. Anno 1216. Ex Rethmeyer. Hiſtor. Eccleſ. Brunſuic. Inſtrum. p. 35.

IN nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Eiusdem gratia *OTTO Quartus Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus.* Quamuis ad Imperialis noſtrae dignitatis lenitatem pertineat, vt omnes praeeminentes, attinentes ſuae ſublimitatis, munificentiae ſuae beneficio reſpiciat, & gratia; Non tamen omnes aequali affectu proſequitur; ſed eos

maiori praerogatiua diligit & honorat, quos in fidei ſuae conſtantia cognouerit firmiores, ac in ardore deuotionis ſuae reperit proniores. Tanto etiam hoc auidiori animo procurare incendimur, quanto ad ſalutem animae noſtrae & praedeceſſorum noſtrorum euidentius congruere ſperamus. Attendentes igitur inextinguibilem deuotionis feruorem, quem Eccleſia beati Aegidii in Bruneſwic circa nos & praedeceſſores noſtros omni tempore fauorabiliter habuit & conſtanter, eam idcirco cum omnibus bonis, quae in praeſentiarum poſſidet, aut in futurum iuſtis modis Deo dante poterit adipiſci, excellentiae noſtrae auctoritate quocunque locorum cupimus ſecuram conſiſtere, & in honeſtis negotiationibus ſuis noſtrae maieſtatis corroboratione gaudere. Notum igitur ſit omnibus tam praeſentibus quam futuris, quod Nos, ex conſenſu & voluntate dilecti noſtri & fidelis Bernardi de Dorſtad, nouem manſos cum omnibus pertinentiis in villa, quae dicitur *Limbech*, exiſtentes, eidem Eccleſiae confirmamus, ſtatuentes & firmiter inhibentes, ne quis ſuper his aliquibus aliis bonis ei pertinentibus aliquam moleſtiam inferre praeſumat aut grauamen. Vt autem haec noſtra confirmatio rata ſit, & in futurum intemerata permaneat, praeſens priuilegium bullae noſtrae impreſſione voluimus communiri.

Huius autem facti teſtes ſunt hi:

Cunradus Abbas de Riddagshuſen.
HINRICVS Comes Palatinus Rheni.
Bernardus de Dorſtad.
Guncelinus Imperialis aulae Dapiſer.
Bertramus de Velthem.
Herwicus de Schowe.
Theodericus de Werberg.
Rotherus filius eius, & multi alii.

Acta ſunt haec anno Incarnationis Dominicae MCCXVI. Anno Regni noſtri XIX. Imperii ſeptimo.

Signum Domini Imperatoris OTTONIS Quarti inuictiſſimi.

Datum *Bruneſwic* duodecimo Kal. Ian. Indictione tertia.

No. CCCXXXIV.

Idem Caſtrum Ardbeck proprium ſibi reddit. Anno 1217. Ex autographo.

Dei gratia *OTTO Quartus, Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus.* Notum ſit vniuerſis, tam preſentibus quam futuris,

quod nos & *Hermannus de Ardbek*, & *Otto* nepos ſuus, ſub tali transactione compoſitionis conuenimus; Videlicet, quod Caſtrum de Ardbek cum ſuis pertinentiis in feodum a nobis & ſucceſſoribus noſtris hereditario iure ſuſceperunt, ſcilicet, ſub tali forma: Quod ipſi in perpetuum nobis contra omnes homines in mundo fideliter ſeruire non omittent. Et quod in eodem Caſtro viginti homines armatos ad ſeruicium noſtrum tenebunt. Et cum quinque militibus & eorum ſeruientibus in exercitu noſtro, cum de eis neceſſe habuerimus, nobiſcum procedent, ſiue alter eorum. Et inſuper in omnibus aliis, quibus poterunt & debeant, nobis fidelitatem debitam, ſicut Domino ſuo, ad honorem noſtrum & vtilitatem obſeruabunt. Hec autem omnia firmiter obſeruanda nobis tam fide interpoſita, quam ſacramento preſtito, ad inuicem compromiſerunt. Quod ſi forte aliquo caſu interueniente contra iſta iam dicta venire preſumpſerint, tres centas marcas argenti nobis perſoluent, de quibus fideiuſſores ſubſcriptos nobis conſtituerunt. Hii ſunt: Wernerus de Amforde pro quinquaginta marcis, Bruno de Aſpenſtede pro viginti marcis. H. Comes de Sladhen pro XXti marc. Walterus de Ameſliue pro XXti marcis. Engelbertus de Roshowe pro XX. marc. Herlewinus de Hummelthorp pro XV. marc. Bernardus de Warmeſthorp pro decem marcis. Godefridus de Helmeſtad, frater Stephani, pro X. marc. Arnuldus de Helmſtad pro X. marc. Hudo Scultetus de Helmeſtad pro X. marc. Albertus de Ardbeck pro X. marc. Schehardus frater eius pro X. marc. Bertoldus de Ardbeck pro X. marc. Hardwicus de Badenliue pro X. marc. Baldewinus de Aeſebek pro XXti marcis. Fridericus frater eius pro XX. marc. Godefridus de Varsfelde pro XX. marc. Georius de Rodthorp pro XV. marc. Egehardus de Bodenſtein pro X. marc. Henricus de Schoterſtede pro X. marc. Praefatus etiam Hermannus & B. vxor eius ſimul cum predicto O. Nepote ſuo predictum Caſtrum Ardbek cum omnibus pertinenciis in Comicia Cunradi, Comitis de Warnigrode iuxta Gicchenthe in manus noſtras reſignauerunt. Et nos illud ſecundum formam preſcriptam de gracia noſtra tam illis, quam heredibus ſuis a nobis & heredibus noſtris in perpetuum poſſidendum reddidimus. Si autem ſepedictus Hermanns ſine herede decedat, B. vxor eius, quamdiu vixerit, predicta bona a nobis optinebit.

Huius autem facti teſtes ſunt hii:

Adolfus Comes de Dasle.

H. Comes de Sladhen.

C. Comes de Warnigrode.

Digitized by Google

3ertoldus Comes, frater eius.
.. Comes de Inſula.
3ern. de Dorſtad.
Wern. de Amforde.
G. Imperialis aule Dapifer.
3ern. de Velthem.
Willelmus Mareſcalcus.
H. de Alebek.
. de Burnheim.
Fridericus de Dalheim.
3. de Dalheim, & multi alii.
ı ſunt hec anno incarnationis dominice MCCXVII. Anno Regni
ıoſtri XIX. Imperii vero octauo.
ım Saltdalheim XI. Kal. Iulii. Indictione quinta.

No. CCCXXXV.

nanni & Ottonis de Ardbek cautio de eadem re. Anno 1217. Ex autographo.

OTVM ſit vniuerſis, tam preſentibus, quam futuris, quod ego *Hermannus* de *Ardbek* & *Otto* nepos meus, cum domino noſtro, Sereniſſimo Romanorum Imperatore, *Ottone*, ſub tali forma itionis, multis nobilibus & miniſterialibus preſentibus, conue- videlicet quod nos caſtrum Ardbek cum omnibus pertinentiis ıanus ſuas reſignauimus, & illud ab eodem in feodum iure heredi- cepimus ab eo & ſucceſſoribus ſuis Nos & heredes noſtri poſſi- ı, tali conditione ſcilicet interpoſita, quod nos ei debitam fideli- ſicuti domino noſtro per omnia obſeruantes, contra omnes ho- in mundo fideliter ſeruiemus, & in eodem caſtro ad ſeruitium ginti homines armatos aſſidue tenebimus in expenſis noſtris; & inque militibus & eorum ſeruientibus in exercitu ſuo cum voluerit mus, ſiue alter noſtrum. Hec autem omnia firmiter obſer- de interpoſita & ſacramento preſtito comproſimus. Quod ſi quo caſu interueniente contra iam dicta preſumpſerimus venire, tas marcas argenti ei perſoluemus, pro quibus fideiuſſores con- s. Hii ſunt: Warnerus de Amforde pro L^ta. marcis, Bruno nſtede pro XX. H. Comes de Sladhem pro XX. Walterus de ıe pro XX. Engelbertus de Roshowe pro XX. Herlewinus de orp pro XV. Bernardus de Warmeſtorp pro X. Godefridus de Hel-

Helmenſtet pro X. Arnuldus de Helmenſtet pro X. Hudo Sculterus pro X. Albertus de Ardbek pro X. Seheardus frater eius pro X. Bertholdus de Ardbek pro X. Hardwicus de Bodenliue pro X. Baldewinus de Alebek pro XX. Fridericus frater eius pro XX. Godefridus de Varsſelde pro XX. Georius de Rothorp pro XV. Egehardus de Bodenſten pro X. Henricus de Schoterſtede pro X. Ego autem Hermannus, ſi ſine herede decedam, B. vxor mea quamdiu vixerit, de gratia Domini mei Imperatoris prefatum caſtrum cum bonis ſuis tenebit;

Huius autem facti teſtes ſunt hii:

Adolfus Comes de Dasle.
H. Comes de Sladhem.
C. Comes de Warnigerode.
B. de Dorſtat.
G. Dapifer.
B. de Velthem.
W. Marſcalcus.
H. de Alebek.
I. de Burnhem.
Fridericus de Dalhem.
Bruno de Dalhem, & multi alii.

No. CCCXXXVI.

Gardolfus Halberſtadenſis Epiſcopus ſacerdoti in Oſſendorp confert decimam in Tonſtorp, quam Fratres de Valle Mariae ei ab Ottone de Hartbeke, fratre Epiſcopi, comparauerunt. Anno 1200. Ex autographo Vallis Mariae.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *Gardolphus* Dei gracia Halberſtadenſis Epiſcopus, omnibus, ad quos preſens ſcriptum deuenerit, in perpetuum. Pontificatus noſtri debitum & racio expoſtulat, vt, quecunque actiones ſiue contractus in eccleſia noſtre diſpenſacioni commiſſa canonice fuerint celebrate, ne vlla vmquam inprobitatis turbentur calumpnia, omni, qua poſſumus, diligencia caueamus. Eapropter notum eſſe volumus tam preſentis, quam futuri temporis fidelibus, quod venerabiles fratres de Valle beate Marie dilecto *fratri* noſtro, *Ottoni* de *Hertbeke* decem marcas argenti dederunt, vt ipſe manſum vnum, in Rodensleue ſitum, quem iure hereditario poſſederat, eccleſie in Oſſendorp pro commutacione decime in Tenſtorp, que ad ipſam pertinuerat, erogaret. Nos ergo eam ratam habentes commutatio-

ſacerdoti de Offendorp decimam ſupradictam ex conſenſu noſtri capituli maioris eccleſie in Valle beate Marie in perpetuo imus perfruendam. Ad huius autem rei, que geſta eſt, inuiolabile ıentum honeſtos viros & idoneos in teſtimonium adduximus, quo- ec ſunt nomina:

Conradus noſtre maioris eccleſie Prepoſitus.
Wernerus Decanus.
Fredericus Vicedecanus.
Geroldus Cellarius.
Olricus Scolaſticus.
Ludolphus Archidiaconus.
Borgardus Archidiaconus.
Conradus Prepoſitus Erfordenſis, vniuerſumque noſtre maioris eccleſie capitulum.

bates: Hermannus Aſſenebergus. (Ilſeneburgenſis)
Robertus Huyesborch.
Sifridus Wimodeberg.
Sifridus Ballenſtad.

ci vero nobiles:
Ludolphus, maior Aduocatus.
Arnoldus de Scherinbeke.
Otto & *Hermannus*, fratres noſtri *de Herbeke.*

ıiſteriales eccleſie noſtre:
Caeſarius & Geuehardus de Oſchersleue.
Fredericus & Ludgerus fratres de Menhagen.
Bartoldus & Criſtianus de Hordorp.
Teodericus Aduocatus de Rena, & alii quam plures, quos cauſa compendii ſubticemus.

a autem ſunt hec in noſtra ſolenni ſinodo anno incarnati verbi M. CC. indictione III.
ïdente ſancte Romane eccleſie Innocentio Papa tertio.
ınante ſereniſſimo Romanorum Rege Philippo. Anno ordi- ıationis noſtre VII.

igitur pretaxatam commutationem noſtramque donationem quis n infringere, vel iniqua attemptacione audeat infirmare; in vir- ritus ſancti banno noſtro ſinodali communimus, & hanc paginam varios futurorum incurſus inde conſcriptam inpreſſione noſtri. cimus inſigniri.

No. CCCXXXVII.

Digitized by Google

No. CCCXXXVII.

Halto de Hartbeke Volrado Halberſtadenſi Epiſcopo reſignat decimam in Adenem. Anno 12 . .

Ex autographo eiuſdem Monaſterii.

HONORABILI Domini ſuo. V. Halber. Epiſcopo, *Halt*, dictus *de Hertbike*, ſue fidelitatis obſequium. Decimam de Adenem, quam nos de manu veſtra, & fratres de Dalem, Baldwinus & Baldwinus, a nobis, & item quidam Burgenſium de Bruneſwic de manu ipſorum iure tenuerant pheodali, a Burgenſibus, dictis fratribus, & ab eiſdem nobis reſignatam, habentes liberam & ſolutam, vobis preſentis ſcripti tenore, & ſigilli noſtri teſtimonio reſignamus, idem facturi verbis, & manu, cum nos contigerit perſonaliter vos videre.

Appendet Sigillum, quod exhibet ſcutum triangulum, in quo tres aquilae volantes ſurſum, circumſcriptum: ✠ *SIGILLVM. HALTONIS. DE. HERTBEKE.*

No. CCCXXXVIII.

Otto Imperator Eccleſiam S. Iacobi in Oſterroda in tutelam ſuſcipit, eique Aduocatiae iura remittit. Anno 1218. Ex autographo.

IN nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Dei gratia *OTTO Romanorum quartus Imperator & ſemper Auguſtus.* Quia diuine diſpenſationis prouidentia ad hoc honorem imperatorie maieſtatis ſublimauit, vt quanto erga nos ſua exuberant beneficia, tanto gratius noſtra ſibi ſeruitus ſit deuota; Vniuerſis Chriſti fidelibus, clericis & laicis, preſentibus & futuris, notum eſſe volumus, quod nos eccleſiam beate Marie virginis ſanctique Iacobi in Oſterrode, in fundo hereditatis noſtre conſtructam, in perhenne noſtre tuitionis monimentum, cum omnibus, que nunc poſſidet, vel in futurum de bonis Imperii & aliis bonis iuſte ac racionabiliter habitura eſt, benigne ſuſcepimus, & eidem eccleſie diuine clementie reſpectu aduocatiam noſtram benigne contulimus, vt nullus eam Comes ſeu Vicecomes, vel Aduocatus, vel Subaduocatus, ſeu aliqua ſecularis perſona aliquo auſu inquietare preſumat. Et vt hec noſtre largitionis autoritas firma & inconuulſa habeatur, & inuiolabilis perſeueret preſentem paginam cum ſigilli noſtri impreſſione, & idoneorum teſtium ſubſcriptione fecimus inſigniri. Huius rei teſtes ſunt:

Bernadus de Dorſtad.

Gunze-

Digitized by Google

Gunzelinus Imperialis aule Dapifer.
Conradus de Wilre.
Baſilius de Oſterrode.
Otrauus Harlenkeberch.
Herwicus de Vttenſem.
Herwicus de Scouwen, & multi alii.

Acta ſunt hec anno incarnationis Domini MCCXVIII. anno regni noſtri XVIII. Imperii VIIII.

Datum Goslarie Kal. Mai, Indictione VI.

No. CCCXXXIX.

Vetus narratio de teſtamento & morte Ottonis IV. Imperatoris. Anno 1218. Ex Marten, Anecdot. T. III. p. 1373.

Licet priuilegia ſingulorum non faciant legem communem; tamen, remota deſperatione gratiae, propter enormitatem ſcelerum, ſpem facit peccatoribus *Otto Imperator* pretioſae mortis obtinendi priuilegium; ſi tamen cum inſtantia merendi, & conſtantia patiendi exemplo ſui tam aequanimiter ſuſtineant Domini flagellum. Pro flagello ei fuit dignitas Imperialis, ad quam tam glorioſe ſublimatus ad punctum, in modico extraordinarie deſtitutus eſt a principibus, quos in nullo laeſerat, nec aliquid eorum ſibi vſurpauerat, in praeiudicium ſuum alio Rege conſtituto, *Frederico* ſcilicet, Henrici Imperatoris filio, vix in vltimis Imperii terminis, hereditario ad ſe iure deuolutis, habitare permittitur: niſi quod loci firmitas ei fuit in praeſidium, quem principum vniuerſitas perſequebatur tamquam maleficum. Sed iudex omnium, qui non iudicat bis in id ipſum, non ſemper damnabit peccatorem, cum iudicabitur illi; immo cuius finis bonus eſt, ipſum quoque eſſe bonum neceſſe eſt. Quod patet in latrone, patet in *Ottone;* cuius vita quantum ad hominum iudicium magis flagitioſa, tanto apud recte ſapientes mors magis pretioſa. Quod cognoſci poterit ex ſcripta agendorum ſerie.

Igitur *OTTO* ipſe, cum eſſet *Comes Pictauiae, HENRICI magni Ducis Saxoniae* filius, ad Imperatorem aſſumptus eſt anno gratiae MCXCIX. (MCCIX.) facto eius aduerſario Philippo, Henrici IV. Imperatoris filio, qui priore anno circa feſtum Sancti Michaëlis obierat. Qui Philippus adeo inualuit, vt eum in Colonia obſedit. Occiſo autem Philippo, confirmatus & ab Innocentio III. in Imperatorem conſecratus eſt;

eſt; ſed paruo tempore imperauit, quia mox ab eodem Papa excommunicatus eſt, cuius mandato alium ſibi Principes Regem creauerunt Fredericum, ſupradicti H. Imperatoris filium. Regnauit autem cum Ph. X. annis; cum Frederico . . (totidem.) Cum ergo Dominus guerris Imperii finem vellet imponere, venit Imperator *Harceſpurg* Dominica ante feſtum Potentianae in Maio anno dominicae incarnationis MCCXVIII. & quia conſuetudo eius fuit, vt ſingulis annis in eodem menſe potionem acciperet, V. feria ante camdem dominicam, quidam amicus eius per nuncium miſit ei, dum adhuc eſſet Harlengeburg, medicinam, qua purgaretur in magdalione. Et quia de ipſo minus ſecurus erat, eamdem medicinam in pillulis formatam recepit in caſtro Harlungeburg in praedicta feria V. antequam veniret Harcesburg. Et quia erat materia indigeſta, non duxit eum ea nocte, neque in feria VI. neque in ſabbato. In dominica nocte coepit eum ex improuiſo ducere vehementer, ita vt infra diem & noctem laxaretur LXX. vicibus: adeo enim duxit eum medicina, quod & ſanguis effluxit cum egeſtione, & fluxus ille coepit eſſe continuus. Feria III. Abbas de Valkenrede, audiens eum de fluxu laborare, miſit ei poma & vinum rubeum, qui remandauit ei, vt ſequenti die, omni neceſſitate poſtpoſita, ad eum accederet. Intendebat ab ipſo abſolui, praeſtita ſufficienti cautione. Sed quia Abbas per diem venire tardabat, & fluxus magis ac magis inualuit; vocauit quendam Praepoſitum ſanctimonialium Ordinis Ciſtercienſis, S. Bulcardi de Habunſtat, exceptae vitae praelatum, a quo, interpoſita cautione iuratoria, quod ad omne mandatum Domini Papae ſtaret, abſolutionem recepit: qui & eum oleo vnxit, & euchariſtiam ſtatim tradidit. Proxima die veniens Abbas inuenit eum inunctum. Quem videns Imperator, tarditionis ſuae moram arguens, dixit ei, vt Caſtrum Goslariam, quod in vicino eſt, intraret, & ſequenti die, ſcilicet VI. feria, ſummo mane ad eum reuerteretur. Rediens mane Abbas, ad ipſum intrauit. Quem Imperator, ſalutato eo, & multum exhilaratus & confortatus de ipſius aduentu, cum omni modeſtia aſſiſtentes praecepit omnes exire de caminata, excepto Abbate, & ceteris Sacerdotibus, qui circa nouem erant, & Imperatrice, cum paucis nobilibus. Deinde fecit ante lectum ſterni tapetum, & ſurgens de lecto, ſtetit innixus illi Praepoſito, qui eum inunxerat. Qui etiam ipſo ſtante, ſtatim incepit antiphonam, *Media vita*, quam & omnes reuerenter decantabant. Cum autem dicerent *Sancte Deus*, &c. oculis & manibus cum fletu ſurſum erectis, in priuata ſtabat oratione. Deinde ordinato Abbate ad caput lecti, & ceteris hinc inde Sacerdotibus ordinate ſtantibus, rogabat, vt ſinguli collis ſuis ſtolas

imponerent, & ipſe ſtratus ſuper tapetum, vocauit ad ſe Abbatem, & parte ſtolae, quam Abbas gerebat, ſibi Imperator collum ſtringendo, rogabat, vt omnes diligenter eum audirent, taliter pro ſe allegantem: „Sub hac ſtola vobis omnibus confiteor, quod grauiter peccaui contra Sedem Romanam, & ex quo Dominus per Principes me honorauerat, qui „vnanimi conſenſu me in Regem elegerunt, & dominus Papa, electione „confirmata in Imperatorem Romanum conſecrauit, contra ipſum Papam „cum Eccleſia Romana, & ſuos nuntios, qui de latere veniebant, eos „male tractaui, contumaciter egi, & inſuper Eccleſias alias grauiter damni„ficaui. Praeterea, domine Abba, in abſolutione mea iuraui ſuper reli„quias Simonis & Iudae, quos de Goslaria afferri mihi praeceperam, quod „ad omnia, quae vita comite proſequi potero, ſtabo mandato domini „Papae; *ſaluo* tamen meo *Imperio*, ad quod canonice ſum electus, & „ſolemniter prouectus:„ *quam exceptionem ſemper apud omnes habebat.* Hac confeſſione facta, generalem fecit confeſſionem, & poſtmodum ſubiunxit: „Poſtquam diuina ordinatione in Imperium electus, & a domino „Papa conſecratus ſum, pro tanto beneficio accepto, ignorans, quid in „recompenſationem Deo offerrem, corpus & animam ei obtuli, qui pro „me crucem ſuſtinuit. Et exiens ciuitate Roma poſt conſecrationem, „aſſumto in partem Epiſcopo Camern, (Cameracenſi) crucem accepi ab „ipſo, quam vſque hodiernum diem in collo tuli, & ab hominibus occul„taui, expectans opportunitatem, vt illam peregrinationem exequerer, „prout deceret Imperialem Maieſtatem, ad laudem & gloriam Crucifixi, „& recuperationem terrae ſanctae. Sed propoſiti executionem hactenus „praepediuit diabolus.„ Tunc Imperatrix ei ſoluit crucem de collo, quam Abbas in remiſſionem omnium peccatorum ſuorum ei ſecundario dedit, & publice ferre praecepit. Deinde dixit Imperator omnibus: Quiſquis Sacerdotum accipiat ſcopam, quas de ſalice afferri iuſſerat; & totus denudatus proſtrauit ſe, & incepto *Miſerere mei Deus*, quamdiu cantabant omnes, ſimul ipſum verberabant, & inter verbera clamabat: *Eia, percutite durius me peccatorem.* Finito pſalmo, adhuc inſtabat, vt eum amplius verberarent, & tam de verbis quam de verberibus omnes commoti ſunt ad lacrymas. Poſt pſalmum dixerunt *Miſereatur*, & *Indulgentiam*, & licet non ſufficerent ei illa verbera; tamen leuauerunt eum in lectum, dicentes, eis & Deo ſufficere; nec vſque ad ſanguinis effuſionem procedendum. Poſitus in lectum, & reſumtis viribus, dixit Abbati: Ite! prandete! & poſtea ſtatim redite. Cum autem rediiſſet Abbas, iterum omnes de caminata fecit egredi, excepta Imperatrice, & quibusdam Secretariis ſuis, & Comite Henrico de Valdenberg, & dixit: „*Quid*

„prodeſt,

Digitized by Google

„*prodeſt, quod de vita mea tractemus, quia nulla eſt?* vnum melius eſt, „quod de morte mea ordinemus. Teſtamentum meum ſubſcriptum, „rogo, vt ſeruetur illibatum, tam de caſtris, quam de hominibus.

(*Sequitur Formula teſtamenti Ottonis Imperatoris, qua finita auctor pergit.*)

Comiti Henrico dixit, vt iret Bruneſwic, & de multa pecunia, quam habebat ibi, D. marchas afferret, quas pauperibus & familiae ſuae dare propoſuerat; ſed Dux, frater eius, impediuit; Comitem tamen remiſit, vt tantum de ea afferret, quo in multo honore, prout decebat Dominum & Imperium, (*forte:* Imperatorem) tumularetur. Ordinauit, vt corona, quam morti ſuae praeparauerat, redimeretur pro XXX. marchis, vt eo mortuo ſuper caput eius poneretur, & indueretur ſuperhumerali abbas (*lege:* alba) ſubtili, & regali pallio, & caligis de ſamito, & ſandaliis in pedibus & calcaribus deauratis, & ſceptrum poneretur ei in dextra manu, & pomum in ſiniſtra, & gladius iuxta dextram, chirotecae in manibus, annulus in digito, armillae in bracchiis. De loco ſepulturae & forma exſequiarum ex toto ordinauit. Dum haec agerentur, flentes hoc modo conſolabatur: Non ploretis, quia hac die non moriar. Cras inter primam & tertiam exitum meum procurate. Sic factum eſt. Circa mediam noctem venit epiſcopus Hildeſemenſis. (Sigefridus.) Quo viſo, Imperator multum gauiſus eſt, & reiterans praedicta, cognouit, (*forte:* recognouit,) quod exceſſiſſet contra Romanam Eccleſiam & alias, & data cautione ſufficienti, abſoluit eum Epiſcopus, data corporali diſciplina, & formam abſolutionis accepit in ſcripto, & cartam ſignauit bulla Imperatoris & ad hoſpitium rediit. Mane facto in die Potentianae Virginis coepit debilitari, & dixit aſtantibus: Videtur mihi, quod ſenſus in me deficiant. Et dixit confeſſori, qui ſemper aſtitit, vt afferret creatorem ſuum, quem quotidie accepit, ex quo abſolutus eſt; qui ei attulit . . . . *cetera deſunt.*

No. CCCXL.

Tabulae Conradi IV. Romanorum Regis, quibus profitetur inter inſignia Imperii *dentem Iohannis Baptiſtae* ſibi eſſe traditam, Anno 1246. ex verſione Germanica tabularii Falckenſteinenſis productae a Georgio Chriſtiano Ioannis in epiſtola, Henningi Schlaafii orationi de caſtro Trifels adiecta.

WIR Conrad — bekennen, daz die — Iſengard, Husfrawe Philipſen von Falckenſtein, vnſers lieben Troſeſſen, vns geantwortet hat die Burg Trivels, vnd die *Keiſerliche Zeichen,*

 mit

mit Nahmen, vnſers Hern Holtz mit einem gulden Crutz; *S. Iohanni Baptiſten Zahn* — S. Mauricien Spehr — vnſers Hern Nagel — zwey Schwert mit zwey Scheiden — den gulden Apfel mit Crutze; den Keiſerlichen Mantel, dru gulden Sporen; ein Albe von wiſſem Sammet; zwey ſcharlaken Hoſen (tibialia) vnd zween Schue (ſandalia) mit Steinen gezieret &c.

Geben am Sanct Lambertes dage MCCXLVI.

No. CCCXLI.

Inſtrumentum Ludouici Marchionis Brandenburgici, quo ſub iurisiurandi fide Carolo IV. Imperatori edit a patre ſibi relicta Clenodia Imperii, & in his nominatim *dentem S. Iohannis Baptiſtae in cryſtallo*, quem Anno 1219. Friderico II. Imperatori ſubductum, hodie Hanouerae inter reliquias Sanctorum aſſeruari fingunt homines inſulſi & infruniti. Anno 1350. Ex Bohuslai Balbini Miſcell. Bohem. Dec. I. Lib. VI. p. 46. ſq.

Nos *Ludouicus* Dei gratia Marchio Brandeburgenſis & Luzicenſis, ſacri Romani Imperii ſupremus Camerarius, Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bauariae & Carinthiae, Comes Tyrolenſis & Goricienſis, ſupremus Aduocatus baſilicarum Aquilegiae, Tridenti & Brixiae, affirmamus & palam facimus his litteris, quod, pro nobis & omnibus noſtris fratribus, die Veneris ante Iudica, dum hae datae ſunt, ſereniſſimo Principi & illuſtriſſimo Domino noſtro, D. *Carolo*, Romanorum Regi ſemper Auguſto & Regi Bohemiae, fideliter in veritate *reliquias ſacri Imperii*, vna cum aliis adiunctis cimeliis, nimirum vnam auream crucem pretioſis lapidibus & vnionibus ornatam, integram & inuiolatam, & in qua cruce eſt lancea vna cum clauo Domini noſtri. In illa eſt etiam pars ſanctae crucis, vnus *dens ſancti Iohannis Baptiſtae in cryſtallo*, & ſanctae Annae brachium. Adſunt quoque ſpeciatim duo gladii: vnus ſancti Mauritii, & alter ſancti Caroli in deauratis vaginis. Adeſt etiam ſingulariter integra & inuiolata praefati ſancti Imperatoris Caroli aurea corona, cum arcu & cruce, pertinentia ad illam, texta de variis pretioſis lapillis & auro, in qua ſingulariter pretioſus eſt lapis intextus, qui vocatur candidus. Adeſt quoque candida toga ſancti Caroli, in manicis contexta lapidibus & vnionibus, & vnum pallium ſancti Caroli, cum duobus leonibus contextum ex auro lapidibus & vnionibus: adeſt etiam aureum pomum vna cum aurea cruce ſancti Caroli, & ambae eius chirothecae cum lapidibus, vnionibus & auro, & argenteum

teum ſceptrum. Adeſt etiam grandis annulus cum ingenti pyropo, quatuor zaphyris & quatuor vnionibus; *quod eo deuenit ab vno Duce Brunſuicenſi.* Adeſt etiam alter annulus cum vno pyropo, & tria aurea calcaria. Etiam adeſt vnum deauratum pomum cum vna cruce & deaurato ſceptro; vnum thuribulum aureum; duae bene candidae partes cerae, & vnum *calefactiuum pomum.* Adeſt etiam coerulea toga contexta in manicis auro & vnionibus, & alia phoenicea toga cum nigris aquilis, & vnus globus, duae chirothecae & duo calcei eiuſdem coloris. Adeſt etiam vna ſtola, contexta auro lapidibus & vnionibus, & altera ſimplex ſtola. Adeſt etiam vnum deauratum ſcrinium, in quo eſt vnum inſtrumentum ſeu teſtimonium, & vna cryſtallus cum reliquiis & vna aurea vacua crucula. Haec proprie ſpectabant ad piae memoriae noſtrum charum dominum & patrem Imperatorem Ludouicum, *complete, ſine diminutione & permutatione*, tradiderimus in omni ea menſura, prout nobis eas praefatas reliquias noſter piae memoriae charus dominus & parens Ludouicus reliquit. Et hoc *ſumimus ad iuramentum & homagium*, quod ſacro Romano Imperio praeſtitimus, cum atteſtatione harum, quae datae ſunt Monachii poſt Chriſtum natum anno MCCCL. die Veneris ante Iudica.

No. CCCXLII.

Ottonis IV. Imperatoris Charta, qua Hildenſemenſi Eccleſiae omnia ablata reſtitui iuſſiſſe dicitur. Anno 1218. Ex veteri Charta Hildenſemenſi.

O*TTO Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus*, omnibus, ad quos he littere peruenerint, in preſenti gratiam, in futuro gloriam. Ad cautelam futuri temporis omnibus notum eſſe volumus, quod quaſcunque poſſeſſiones vel iura Eccleſie Hildeneshemenſis nos vel anteceſſores noſtri iniuſte vſurpauimus, eis renunciamus, & eccleſie cum integritate reſtituimus. Quo autem ſuprema voluntas noſtra effectui mancipetur, preſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione ſignauimus. Teſtes autem ſunt:

Sifridus Epiſcopus Hildeneshemenſis.
Conradus Decanus.
Conradus Cantor.
Conradus Scholaſticus.
Henricus de Toſſem.
Bertoldus Canonicus S. Mauritii.

Digitized by Google

Magiſter Marſilius Canonicus ſancte Crucis.
Florinus Canonicus ſancti Blaſii in Brunſuic.
Bernardus Subcuſtos.
Ambroſius Plebanus de Vrankeneberghe.
Ludolfus Notarius Epiſcopi.
Magiſter Galfridus.

Datum Hartesburch MCCXVIII. XV. Kal. Iunii.

No. CCCXLIII.

Maria Imperatrix confirmat, quae de Eccleſia S. Iacobi in Oſterrode maritus edixerat. Anno 1218.

Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis Amen. M. Dei gratia glorioſi O. Romanorum Imperatoris vidua, vniuerſis Chriſti fidelibus, preſentem paginam intuentibus, ſalutem in vere ſalutis auctore. Cum vniuerſi operis quantumlibet ſtabile fundamentum neceſſariis expediat fulciri edificiis; ad confirmationem facti domini noſtri O. felicis memorie Imperatoris, canonice & ſollempniter per ipſum conſummati, operam noſtre cooperationis apponimus efficacem, Eccleſiam ſancti Iacobi in Oſterrode vacantem, quam dominus noſter memoratus Imperator fraternitati clericorum & militum comprouincialium in remedium ſue anime legittime in perpetuum conceſſit, nos eidem fraternitati eandem conferimus, & hanc ipſius donationem & noſtram, quam nulli mortalium liceat infirmare, preſentis ſcripti munimine, & noſtri ſigilli inpreſſione confirmamus, quo omnium malignantium temptamenta elidentes, iniurioſis calumpniantium impetitionibus ſilentium imponimus.

Datum Hertsberg. Anno Incarnati verbi MCCXVIII. Indictione VI.

No. CCCXLIV.

Adelheidis de Aueſnis a matertera ſua Maria Imperatrice & eius marito Wilhelmo I. Hollandiae Comite, auo ſuo, donatum & a patre Florentio confirmatum cenſum pro Monaſterio Reinsburgenſi commutat in decimam pro anima fratris Wilelmi Regis & mariti Iohannis de Aueſnis, teſtibus Eliſabetha Regina, Wilhelmi vidua, & Mathilde matre, Comitiſſa Hollandiae, vidua Florentii. Anno 1261. Ex Matthaei Analect. T. V. p. 191. edit. nou.

Ego Aleydis quondam vxor Iohannis de Aueſnes, Tutrix Hollandiae, Zelandiae, vniuerſis Chriſti fidelibus tam praeſentibus quam

quam futuris &c. Cum inclytae recordationis Domina Maria quondam Romanorum Imperatrix, *matertera noſtra*, pro incremento & ſalute clariſſimae memoriae mariti ſui Wilhelmi Comitis Hollandiae, *aui noſtri*, in officio de Dordrecht, quod Scrode-ambacht vulgariter nuncupatur, Abbatiſſae, & Conuentui, ac Monaſterio in Rynsburch V. libras Hollandenſes annis ſingulis conceſſerit, eandemque conceſſionem beatae memoriae *Pater noſter*, Comes *Florentius* duxerit confirmandam, &c. noſque praedictas quinque libras ac duas venerabilis ac kariſſimi conſanguinei noſtri, Florentii, heredis Hollandiae, vſibus per commutationem duximus vendicandas, ad notitiam vniuerſorum volumus peruenire, quod tum in reſtaurationem pro remedio animae felicis recordationis Domini ac *fratris noſtri*, Wilhelmi Romanorum Regis, nec non pro ſalute animae Iohannis de Aueſnes mariti noſtri kariſſimi &c. decimam &c. perpetualiter concedimus & donamus, &c.

Teſtes qui huic conceſſioni interfuerunt ſunt:

Domina *Eliſabeth*, venerabilis Regina.
Domina *Mechtildis*, mater noſtra, Comitiſſa Hollandiae.
Theodericus de Theylingen.

No. CCCXLV.

Maria Romanorum Imperatrix Eccleſiae Euerbodienſi adiudicat Curiam de Sterkſele ſuper palude Latebroeck. Anno 1246.) Ex Butken. Trop. Brabant. Inſtrum. p. 74.

MARIA, quondam *Romanorum Imperatrix*, filia Ducis Lotharingiae & Brabantiae, vniuerſis praeſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Cum inter Eccleſiam *Euerbodienſem* ex vna, & homines in Dominio noſtro de *Helmont* conſtitutos ex altera, ſuper palude, quae dicitur Latbroeck iuxta curiam, quae dicitur *Sterckſele*, & lignis & paſcuis eiusdem paludis, a terminis dictis Hogetenrade, vſque ad Honrebon, ab Honrebon vſque ad Scoreken, a Scoreken vſque ad Hogetenrade, & ſuper aliis bonis, quae infra dictos terminos continentur, diſſenſio orta eſſet; ſuper praemiſſis inquiſitionem fecimus diligentem, & per litteras Capituli & Cuſtodiae maioris Eccleſiae Leodienſis & inclytae recordationis *Henrici*, Dei gratia Ducis Lotharingiae & Brabantiae, *patris noſtri*, nec non & nobilis viri, Heriberti Domini de Heſe, quas ſuper hoc confectas fide vidimus oculata, & per ſeniores Dominii noſtri praedicti, & fide dignos ad hoc vocatos pariter & iuratos,

in rei inuenimus veritate, curiam de *Sterckſele*, cum omnibus bonis terminos praeſcriptos exiſtentibus, cum omni proprietate eſſe Eccle. Euerbodienſis, allodialiter & abſolute, & nullum quidquam iuris re in Curia & bonis ſupradictis, praeter Eccleſiam memoratam.
n cuius rei teſtimonium patentes litteras ſigillo noſtro fecimus roborari anno Domini MCCXLVI.

No. CCCXLVI.

dem Henrico fratrueli ſuo cedit Comitaum Boloniae a filia materterae ſuae ad ſe deuolutum. Anno 1258. Indidem p. 75.

M*ARIA* Dei gratia quondam *Imperatrix Romanorum* vniuerſis praeſentes litteras inſpecturis ſalutem in omnium Saluatore. Vniuerſitatem veſtram ſcire volumus, quod nos illuſtri Principi, imo *fratrueli* noſtro, *Henrico*, Duci Lotharingiae & Brabantiae, quid iuris habebamus vel habere poteramus in Comitatu & terra Boe cum omnibus pertinentiis ſuis, per ſucceſſionem haereditariam ex e Dominae *Mathildus* olim Comitiſſae dicti loci, filiae materterae ae, libere & abſolute contulimus, nihil iuris nobis in iisdem bonis iando, vel inpoſterum reclamando. Promittimus inſuper, quod rias & dominos, de quibus dicta bona deſcendere dignoſcuntur, iens a praefato Domino Duce fuerimus requiſitae, inſtabimus, laboius & intendemus bona fide ſicut pro nobiſmet ipſis, quod praelibaDominus Dux in hac parte ius ſuum plenarie aſſequatur, & praedicta totaliter poſſideat, tanquam haereditatem ſuam, pacifice & quiete. ius collationis & promiſſionis teſtimonium & firmitudinem ſigillum im praeſentibus duximus apponendum, adhibitis his teſtibus:

Arnoldo Domino de Weſemale.
Domino Gerardo de Marbais.
Domino Roberto de Hoesden.
Domino Henrico de Hautern.
Domino Henrico & Domino Ioanne de Filſordia, & aliis.

atum & actum apud Attrebatum, Menſe Februario, feria quinta poſt octauas Purificationis B. Virginis anno Domini MCCLVIII.

No. CCCXLVII.

No. CCCXLVII.

Eadem ceſſionarium ſuum ad aulam Regis Franciae ablegat. Anno 1258. Indidem.

SERENISSIMO Domino ſuo, *Luduico*, Dei gratia Regi Franciae, *Maria*, quondam *Romanorum Imperatrix*, ſalutem in omnium Saluatore. Magnificentiae veſtrae dilectum fratruelem noſtrum, *Henricum*, Ducem Lotharingiae & Brabantiae transmittimus, ſupplicantes attentius, quatenus ei ſuper his, quae vobis ex parte noſtra dicit de Comitatu Boloniae, tanquam nobis credatis: ratum enim & gratum habebimus, quidquid idem Dominus Dux pro nobis vobiſcum fecerit, praeſentium teſtimonio litterarum.

Datum Duaci feria quinta poſt Laetare Ieruſalem, anno Domini MCCLVIII.

No. CCCXLVIII.

Atteſtatio quod in foro Atrebatenſi cauſſae ad ſuperiorem deferri nequeant, niſi ius ſit denegatum in prima inſtantia. Anno 1259. Indidem.

INQVESTA facta per Abbatem Foquardimontis Ciſterc. Ordinis, & per magiſtrum Clementem Archidiaconum Laudunenſem ſuper eo, quod in cauſa, quae vertebatur in curia Domini Regis ſuper ſaiſina Comitatus Bolonienſis inter *Mariam*, *Relictam Imperatoris Ottonis* ex vna parte, & Comitem S. Pauli ac vxorem ſuam ex altera, idem Comes ad Curiam ſuam rehabendam propoſuit coram Domino Rege, talem eſſe conſuetudinem curiae Attrebatenſis, videlicet, quodſi Comes Attrebatenſis alicui iniuriam aut grauamen fecerit, ille, cui fit huiusmodi iniuria aut grauamen, tenetur ipſum Comitem requirere, quod ipſam iniuriam aut grauamen emendet; quod ſi facere noluerit, idem tenetur ipſum Comitem requirere, vt per homines ſeu Pares Curiae Attrebatenſis faciat eidem ius reddi, vtrum hoc ſibi facere debeat an non, & ſi huiusmodi ius eidem reddere recuſauerit Comes praedictus, tunc primum, & non aliter, poterit, idem grauatus ad ſuperiorem reclamare & habere recurſum. Facta fuit autem haec Inqueſta ſalua conſuetudine & dignitate Curiae Domini Regis Franciae.

Digitized by Google

No. CCCXLIX.

Mariae Imperatricis Codicillus. Anno 1259.

Indidem p. 76.

VNIVERSIS praeſentes litteras viſuris, *MARIA*, quondam *Romanorum Imperatrix*, ſalutem in Domino. Vniuerſitati veſtrae ſignificamus, quod nos feria tertia ante Laetare Ieruſalem, compos mentis noſtrae & plena ſenſu, ſic de conſilio bonorum virorum, videlicet fratris Ioannis de Bruxella, Monachi Clareuallenſis, Domini G. de Angia militis, conſanguinei noſtri, Magiſtri Theodorici de Zwindrech & fratris Walteri, Cappellani noſtri, de rebus noſtris ordinauimus, quod teſtamentum noſtrum, quod in Buſcoducis condidimus, cuius executores conſtituimus illuſtrem Principem *Henricum*, Ducem Lotharingiae & Brabantiae, nepotem noſtrum, Abbatem S. Bernardi Ordinis Ciſtertienſis, Abbatem de Parco Ordinis Praemonſtratenſis, & deuotum N. famulum noſtrum fidelem, ratum habemus & acceptum, & quod ordinatio praedictorum, ſicut tunc ordinauimus, valeat & per omnia obſeruetur. Si autem in praedicto teſtamento aliquid ſit addendum vel minuendum ſecundum quantitatem bonorum noſtrorum, hoc fiat ſecundum ordinationem praedictorum exequutorum. De paratis vero bonis noſtris, videlicet ſcutellis argenteis, ciphis argenteis, deauratis & maſerinis & aliis noſtris clenodiis, videlicet annulis aureis, lapidibus precioſis & equitaturis, ſic in praedicta feria tertia ordinauimus, quod vendantur, & pecunia familiae noſtrae, quae nobis longo tempore ſeruiuit, ſecundum quantitatem ſeruitii & eorum laboris in recompenſationem ob remedium animae noſtrae diſtribuatur. Vt autem teſtimonium noſtrum inconuulſum permaneat, & ordinatio praeſentis ſcripti firmiter obſeruetur; praeſens ſcriptum ſigilli noſtri munimine fecimus roborari.

Datum anno Domini MCCLIX. feria III. ante Laetare Ieruſalem.

No. CCCL.

Wilhelmus Princeps de Luneburg Monaſterio Lunenſi confirmat donationem duarum ſartaginum ſalis a quadam Otgena factam. Anno 1200.

Ex authentico Mſct.

IN nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *WILHELMVS* Dei gratia *Dux de Luneborch* omnibus in perpetuum. Ne tranſeat cum tempore,

tempore, quod ab hominibus tractatur & geritur intra tempus, priuilegii ſcriptum, & inductio teſtium perhenni ſolet memoriae commendare. Quapropter notum facimus tam futuris quam praeſentibus vniuerſis, quod Domina Otgena ſe obtulit Eccleſiae Sancti Bartholomaei in Lune, vt ad euitandos ſeculi tumultus, ibi Domino poſſet liberius famulari. Vnde quia non incongruum erat, vt, cui corpus & animam obtulerat, illi res offerret, accedente noſtra voluntate duas ſartagines in ſuperiori domo Dernetſinghe, ad dextram ſitas, pecunia mariti ſui legitime comparatas, aſſignauit beato Bartholomaeo in perpetuum poſſidendas. Et datis duobus ſolidis Aduocato, ſicut iuris eſt, talis donatio in noſtro iudicio eſt confirmata. Tempore itaque procedente Otto de Rapenſtede, frater mariti eius defuncti, inſurgens contra Eccleſiam dicebat, ſe ius habere in eisdem bonis. Cum autem lis iſta inter Eccleſiam & ipſum multo tempore verteretur; tandem mediante Venerabili Abbate, Burchardo, & aliis prudentibus viris, tali fine ex arbitrio eſt dirempta; quod praedicta Eccleſia dedit Domino Ottoni triginta & quinque marcas argenti, & ipſe & omnes ſui haeredes renunciauerunt omni ſuo iuri, quod in eisdem ſartaginibus habuerunt, coram multis in iudicio promittentes, quod Eccleſiam in Lune non inquietarent de caetero de hac cauſa. Conſiderato ſiquidem affectu, quem Domina Otgena Eccleſiae multocies declarauit, receptus eſt ibidem puer eius, Deo perpetuo ſeruiturus. Sane vt haec donatio ſemper maneat inconuulſa, & ne ab aliquo poſſet in irritum reuocari ſigillo noſtro eam confirmauimus.

Teſtes autem fuerunt:

Anno Dapifer noſter.
Wernerus de Meding, Marſchalkus.
Ekkehardus Scakke.
Waſmodus.
Olricus Vultur, Senior.
Hartmannus Aduocatus, & alii quam plures Caſtellani noſtri.

Ciues etiam noſtri aderant iſti: Achilles, Adam, Waſmodus de Barſcampe, Lambertus Nipere, Godefridus, Helmuicus, Albertus & alii multi.

Actum eſt anno Domini Milleſimo Ducenteſimo, in menſe Auguſto, regnante fratre noſtro, glorioſo *Romanorum Rege Ottone.*

Digitized by Google

No. CCCLI.

Henrici Palatini inſtrumentum ſuper portione fratris Wilhelmi e diuiſione bonorum paternorum. Anno 1203. Ex peruetuſto libro Copiali Luneburgico.

IN nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *HENRICVS* Dei gracia *Dux Saxonie & Palatinus Comes Rheni.* Prudentia veterum conſuluit, vt res aut rerum contractus, qui teſtimonio poſterorum vel modernorum indigent, ſcriptis & memorie committerentur. Notum igitur eſſe volumus tam futuris, quam preſentibus, vniuerſiſque Chriſti fidelibus, qui hoc ſcriptum audierint, quod, ex conſilio Domini noſtri *OTTONIS Romanorum Regis inuictiſſimi, & ſemper Auguſti,* & conniuentia noſtra, & fratris noſtri *WILHELMI,* particionem patrimonii noſtri fecimus. Hec eſt autem pars, que fratrem noſtrum *Wilhelmum* contingit: Luneborch & tota Prouincia a Luneborch vſque ad fluuium Seuena, & ab eo loco, vbi Seuena influit Albiam, quicquid eſt vltra Albiam, vſque ad mare, & vſque ad Slauiam proprietatis, & citra Albiam ab eo loco, vbi Seuena propius eſt Danlo, vſque Danlo, & a Danlo, vſque Witinghe, a Witinghe vero vſque Swibeke, a Swibeke vſque Wadenberghe, a Wadenberghe vſque Wagersleben, a Wagersleben vſque in montem, qui dicitur Hartz & Reymbeke: omnes termini predicti parti *Wilhelmi* ceſſerunt, quicquid autem proprietatis eſt a terminis predictis verſus orientem, *Wilhelmi* eſt. Hec ſunt nomina Vrbium: Leuwenberch, Blankenburch, Reghenſtein, Heymenburch, Hedeſackere, Dalenburch, Berge, Lichouwe, Danneberch, Brome & Nienwalde, preterea omnis *proprietas que in Marchia eſt,* & tota proprietas Haldesleue, & proprietas tota in Nendorp, & omnes Miniſteriales, qui infra iſtos terminos commorantur, preter Iordanem & Iuſarium & Annonem. Hec omnia ceſſerunt parti *Wilhelmi* & ſuis heredibus in ius proprietatis.

Huius rei teſtes ſunt:

Epiſcopus Padelburgenſis & Hildenſemenſis Epiſcopus.
Abbas Werdenenſis, & Abbas Corbeienſis.
Comes Simon de Tekeneburch.
Comes Bernardus de Welepe.
Comes Henricus de Stumpenhuſen.
Comes Hermannus de Lippia.
Conradus de Dicka.
Henricus de Danne.

Conradus

Digitized by Google

Conradus de Willere.
Simon Aquenſis.
Miniſteriales quoque noſtri:
Ludolfus de Asbeke & Baldewinus frater eius.
Baſilius de Oſterode.
Fridericus de Volckmarrode.
Eylardus de Hoberghe.
Ludolfus de Bortuelde.
Otrauenus de Rotdorp.
Hardewicus de Willeſtorp.
Hartungus de Rodenkerken.
Herwicus de Vtteſſen.

Acta ſunt hec apud Padelburna anno dominice incarnationis MCCIII. Indictione quinta, preſidente ſancte Romane Eccleſie Papa Innocentio huius nominis tertio; Regnante ſereniſſimo Domino noſtro *Ottone quarto*, *Romanorum Rege & ſemper Auguſto.*

Vt autem hec particio, que amice & rationabiliter facta eſt, rata & inconuulſa omni permaneat euo, & nulli prorſus ſit ambigua, preſentem paginam, huius rei teſtimonium ferentem, ſigilli noſtri impreſſione muniuimus, omnem malignandi aditum vſque quaque precludentes.

No. CCCLII.

Ottonis IV. Imperatoris Inſtrumentum ſuper portione fratris Wilhelmi e diuiſione bonorum paternorum. Anno 1203. Ex eodem libro Copiali.

OTTO Dei gracia *Romanorum Rex & ſemper Auguſtus.* Omnibus tam preſentibus, quam futuris in perpetuum. Ad notitiam omnium peruenire volumus, quod nos, inherentes veſtigiis patrum noſtrorum, qui res geſtas, ne traderentur obliuioni, ſcripture mandarunt, ea, que a nobis & a fratribus noſtris *in diuidenda hereditate* ſunt facta, vt firmitatem & perpetuum robur obtineant, noſtro authentico ſcripto fecimus annotari. Itaque, conuocatis *principibus* & *miniſterialibus noſtris*, qui poſſeſſiones noſtras bene nouerunt, plenam de ipſis poſſeſſionibus faciendi diuiſionem contulimus poteſtatem: qui amicabiliter & pacifice inter nos talem fecerunt diuiſionem, quod *Luneborch* & tota *Prouincia* a Luneborch vſque ad fluuium *Seuene*, & ab eo loco, vbi Seuena influit *Albiam*, quidquid eſt vltra *Albiam* vſque ad mare, & vſque ad *Slauiam* proprietatis, & citra *Albiam* ab eo loco, vbi *Seuena* propius

eſt *Danlo*, vſque Danlo, & a Danlo vſque *Witenghe*, a Witen-
vſque *Swibeke*, a Swibeke vſque *Wadenberch*, a Wadenberge
agersleue, a Wagersleue vſque in montem, qui dicitur *Hart*
eke, in partem fratris noſtri *Wilhelmi* ceſſerunt. Preterea quic-
proprietatis a terminis predictis verſus orientem, quod pater
oſſederat, *Wilhelmi* eſt. Hec ſunt nomina Vrbium: Leuwen-
Blankenborch, Regenſtein, Heymeborch, Heddiſakkere, Da-
, Berghe, Luchow, Dannenberg, Brome, Nienwalde.
omnis *proprietas, que eſt in Marchia*, & tota proprietas Hal-
en, & proprietas tota in Nendorp, & omnes Miniſteriales, qui
efatos terminos commorantur, preter Iordanem & Iuſarium &
m.

s rei teſtes ſunt:

piſcopus Paderburnenſis Bernardus & Hartbertus Hilden-
ſemenſis Epiſcopus.

erbertus Abbas Werdinenſis.

idekindus Abbas Corbienſis.

imon Comes de Tekeneburch.

ernardus Comes de Wilpa.

enricus Comes de Stumpenhuſen.

ermannus de Lippia.

onradus de Dicka. (ab aggere.)

enricus de Danne.

onradus de Willere.

imon Aquenſis. (ſc. Praepoſitus.)

iſterialis quoque noſtri:

udolphus de Eſebeke & Baldewinus frater eius.

aſilius de Oſterode.

ridericus de Volkmarode.

ylardus de Oberghe.

udolphus de Bortuelde.

ttrauenus de Rothorp.

artwicus de Willeſtorp.

artungus de Rodinkerchen.

erwicus de Vttenſe.

ſunt hec apud Paderburne Anno Dominice Incarnationis MCCIII.
ndictione quinta. Preſidente Romane Eccleſie Papa Innocentio
iius nominis terio. Regnante ſereniſſimo Domino *Ottone quar-*
, *Romanorum Rege & ſemper Auguſto.*

No CCCLIII.

Digitized by Google

No. CCCLIII.

Wilhelmus de Luneburg confirmat donationem quorundam bonorum, a Burchardo Abbate S. Michaëlis in Luneburg Lunenſi Monaſterio datorum. Anno 1204.

Ex autographo Lunenſi.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *WILLEHELMVS de Luneburch, filius Ducis Saxoniae*, omnibus, qui hoc inſpexerint, ſalutem. Quoniam praeſentis temporis homines ad malum proni ſunt, ita vt in verbis fides & in pactis ſtabilitas non poſſit inueniri; ideo vtile duximus annotare, & memoriae poſterorum noſtrorum tranſmittere, quicquid diſcretorum virorum communis ſtabiliuit conſenſus. Vniuerſitati igitur veſtrae notum eſſe volumus, quod Dominus Burchardus, Abbas ſancti Michahelis in Luneburch, cum conſenſu Fratrum ſuorum, & noſtra permiſſione, quaedam bona, quae ſibi per multa tempora vacauerunt, Dalthorp ſcilicet & Cachelſtorp, cum omnibus appendiciis Eccleſiae beati Bartholomaei in Lune ad adminiſtrationem dominarum donauit. Nos vero deuotionem iam dicti conſiderantes & laudantes, ad petitionem ipſius & Fratrum ſuorum, aduocatiam & omne ius, quod in eisdem bonis habuimus, praefatae eccleſiae reliquimus, hoc tamen excepto, vt, ſi caedes in iam dictis bonis perpetrata fuerit, vel lis exorta, ad nos & haeredum noſtrorum id ſpectare debeat iudicium.

Huius rei teſtes ſunt:

Tanko Prior.
Eckehardus Senex.
Marquardus Sacerdos.
Hunerus Sacerdos.
Otto Dapifer.
Wernerus Marſcalcus.
Wernerus frater Dapiferi, & alii quam plures vrbani de Luneburch.

Factum eſt hoc anno Dominicae Incarnationis milleſimo, ducenteſimo quarto. Indictione ſexta. Regnante glorioſo Domino noſtro Ottone, Romanorum inclito Rege, anno electionis ſuae ſeptimo, menſe Nouembrio, ſexto Kalendas Decembris.

Vt autem haec donatio rata & inconuulſa permaneat, & poſtmodum in irritum non poſſit reuocari, hanc cartam inde conſcribi fecimus, & ſigilli noſtri impreſſione corroborari.

No. CCCLIV.

Digitized by Google

No. CCCLIV.

nocentius PP. III. rogatus a Wilhelmo, Du- Henrici filio, vſum infulae reſtituit Abbati Burchar- do Luneburgenſi, a Domina quadam impeditum. Anno 1206.

Ex apographo Luneburgico.

NNOCENTIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio, Abbati ſancti Michaëlis in *Lunenburg* ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Certa multorum inſinuatione didicimus, quod Mona- um tuum huiusmodi priuilegium ab Apoſtolica Sede meruit optinere, ꞁbbas ipſius in ſollempnioribus feſtis *Infula* vteretur, &, cum neceſſe t, benediceret ſacras veſtes; ſed malignitate cuiuſdam *Domine*, que *ro* de *Luneburg* ante tempora iſta preſedit, idem priuilegium prefato naſterio eſt ſubtractum. Nos igitur, ad inſtantiſſimas preces Nobilis , *Wilhelmi de Luneburg, filii quondam Bauariae & Saxoniae Ducis Hen-* autoritate tibi preſentium indulgemus, vt preſcripta dignitate licenter s, ſicut anteceſſores tui antiquis temporibus vtebantur, ita tamen, er eam nullum Dyoceſano Epiſcopo in iure ſuo preiudicium genere- Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre *indul-* ie infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc nptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum i & Pauli, Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Datum Rome apud S. Petrum, VI. Kal. Octobr. Pontificatus Noſtri anno Octauo.

No. CCCLV.

ilhelmus Dux liberrimam Abbatum ele- tionem Monaſteriis Luneburgenſibus permiſſam eſſe fatetur. Anno 1368. Ex apographo Luneburgico.

W*ILHELMVS Dei gracia Dux de Brunſuich & Luneborch*, tenore preſentium recognoſcimus, publice proteſtando, quod Monaſteria & Conuentus Monaſteriorum, Abbatiarum & :imonialium, in noſtro Ducatu Luneburgenſi, habent & habere ıeuerunt ab antiquo, liberam electionem in Abbates & Prepoſitos, requiſitione noſtra & conſenſu. Et nos & Anteceſſores noſtri :onſueuimus, nec conſueuerunt, nec potuimus, nec debuimus, nec eſſores noſtri debent vel poſſunt electos, dummodo ydonei ſint, :re, vel quomodolibet reprobare; ſed conſueuerunt nobis & Ante- :ibus noſtris perſone electe preſentari, ne inutiles & extranei Mo-

naſteriis

naſteriis noſtris preficiantur, ex quibus conſueuit Eccleſiis dampnum & *graue Priuilegium commune* generari.

Datum in Caſtro Noſtro *Tzell*, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octauo, ipſo die beati Valentini Martyris, Noſtro ſub Sigillo.

No. CCCLVI.

Willehelmi de Luneburg donatio ad Monaſterium Lunenſe ex Salinis Luneburgicis.

Anno 1205. Ex autographo.

IN nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *WILLEHELMVS de Luneburg, filius Domini Henrici Ducis Saxonie.* Omnibus qui hoc ſcriptum inſpexerint. Ad reintegrationem memorie vtilis inoleuit conſuetudo, vt id confirmaretur in ſcripto, quod publicus proborum virorum ſtabiliret aſſenſus. Quoniam igitur preſentis etatis generatio hoc ſibi habet innatum vicium, vt facta diſcretorum hominum feliciter inſtituta vsquequaque ſoleat obfuſcare, ideo noticie poſterorum noſtrorum transmittimus, quod nos & omnes, qui proprietatem in Sulta habere dinoſcuntur, graciam ſummi iudicis nobis comparare volentes, ad ſupplementum prebende dominarum in Lune, ob redemptionem animarum noſtrarum, vt peccatorum veniam, quam ſemper optauimus, earum pia & aſſidua oratione optinere mereamur, de ſincera cordis noſtri voluntate & heredum noſtrorum compromiſſione, conceſſimus in perpetuum, vt ſingulis fluminibus iam dictarum dominarum quadraginta vrne de communi Sulta adderentur. Statuimus quoque vt prepoſitus earundem dominarum poteſtatem habeat committendi eadem bona ſine omni conuentione, quae in vulgari *vorebure* dicitur, interpoſita, homini, quem ſibi & eccleſie cognouerit vtiliorem. Huius donationis teſtes ſunt:

Dominus Burchardus Abbas Sancti Michahelis in Luneborch.
Otto Dapiſer.
Wernerus Marſcalcus.
Sigebandus Pincerna.
Luderus Camerarius.
Olricus Vultur.
Wernerus frater Dapiſeri, & Geuehardus frater ſuus.
Heinricus Puer.

Ciues vero: Heinricus Snebare. Wigradus Aduocatus. Eilwardus Diues. Helmuicus Sothmeſter. Albertus Sothmeſter.

Inſuper milites: Dominus Lampertus Vultur.
Heinricus de Algoderſtorp, & alii quamplures.

Factum eſt hoc anno Domini milleſimo, ducenteſimo quinto. Indictione ſeptima, preſidente ſacroſancte Romane Eccleſie ſummo Pontifice Innocentio, huius nominis tercio.

Vt autem hec donatio rationabiliter a prudentibus viris inſtituta poſtmodum ob inuidiam non valeat in irritum reuocari, hanc cartam communi conſenſu eorum, qui bona in Sulta habent, inde fecimus conſcribi, & impreſſione ſigilli noſtri inſigniri.

No. CCCLVII.

Eiusdem priuilegia pro noua ciuitate Löwenſtedt ad Albim fluuium, data aſſenſu Coniugis Helenae & filii Ottonis, coram teſtibus illuſtribus. Anno 1209.

Ex autographo.

In nomine ſancte & indiuiduc Trinitatis. *WILELMVS de Luneburch* omnibus in perpetuum. Ad vtilitatis cautelam ſpectare dinoſcitur, vt ea, que nobis mediantibus iuſte & racionabiliter fuerint ordinata, ſiue inſtituta, ſecundum vota poſtulantium ab obliuionis interitu ſcripto noſtro roborentur. Noticie igitur tam preſencium quam futurorum iuxta fidelium transmittimus, quod nos ciuitatem nouam, *Lowenſtat* nominatam, in fundo & proprietate noſtra edificari ſtatuimus, tale ius libertatis eidem conferentes, quale libere ciuitates habere ſolent: quale etiam *Bardewig, dum eſſet in ſtatu ſuo*, dinoſcitur habuiſſe. Sane ipſius, quod in vulgari dicitur *Wigbelede*, limes protenditur verſus Orientem vltra Albium; ad Occidentem vſque ad locum, qui dicitur Schalkesberg. In Septentrionali plaga vſque Vitecowe. In Auſtrali parte vſque ad Sclauicum Blekede. Incolis vero iam dicte ciuitatis contulimus de proprietate noſtra ad paſtum porcorum terciam arborem in Verdebergo; vltra Albiam communia paſcua cum Slauis; in nemore in Berſeam & Stapeliz idem ius, quod nos in eis habuimus. Paſcua autem pecorum ſunt de Blekeda vſque Schalkesberg; de Schalsberg vſque Angerenſtegen; de Angerenſtegen vſque Kershereuorde; de Kerſchereuorde vſque Vitecowe, exceptis pratis ad allodia noſtra pertinentibus. Preterea dedimus ipſis ius, quod habuimus in prato dicto Teltowe. (*)

Hec itaque ordinatio facta eſt, dilecta *coniuge noſtra HELENA*, & *filio noſtro OTTONE* conpromittentibus; venerabili quoque Verdenſi Epi-

*) Quod ſitum eſt trans Albim fluuium riuulum.
inter villas Pandekoe & Gunze ad Sudam

Epiſcopo *Iſone*, nec non *hominibus noſtris* ſcientibus & conſentientibus, hiis ſcilicet:

Comite Henrico de Dannenberg, & filio ipſius Vulrado.
Bernardo Comite de Welepa.
Wernero, Vlrico, Henrico, Ottone, Comitibus de Luchowe.
Waltero de Baldenſele, &
Friderico de Oſterwalde.

Affuerunt & miniſteriales noſtri: Anno Dapiſer.
Henricus Puer.
Luder Cammerarius.
Sigebandus. Manegoldus. Wille.
Bernardus Saltator.
Iohannes de Dolnere.
Paridamus & frater eius Tridericus.
Tridericus de Komene, & frater eius Helmericus, & alii plures.

Acta ſunt hec anno Dominice Incarnacionis Milleſimo ducenteſimo VIIII. Indictione XI. Preſidente ſacroſancte Romane Eccleſie Papa Innocentio: *Regnante ſereniſſimo Romanorum Rege Ottone ſemper Auguſto.*

Vt autem a nullo ſucceſſorum noſtrorum conlate libertatis memoria ſubtrahatur; preſentem kartam impreſſione ſigilli noſtri muniuimus, vt preſcripte ciuitati noſtre ius ſuum integrum conſeruet & illibatum.

Datum *Luneborgh* V. Kal. Septembris.

Sigillum appenſum ſiſtit Leonem gradientem, *qualem in tabula aeri inciſa ſupra exhibuimus.*

No. CCCLVIII.

Ottonis Strenui priuilegium Blekedenſe. Anno 1310. Ex veteri Cod. Luneburg. MSct.

In nomine Domini Amen! Dei gratia *OTTO Dux de Brunſuic. & de Luneburg.* diſcretis viris & ſibi dilectis, Otto Grawerock, Thiderico Greuniges, Nicolao Piſtori & Reynhart Sutori, conſulibus modernis in *Blekede* & ipſorum poſteris in perpetuum, ſalutem in domino & ſyncerum affectum omnis boni. Solent auaritiae caecitas & dominandi ambitionis improbitas, quorundam animos occupantes, eos in illam temeritatem impellere, vt, quae ſibi a iure interdicta nouerint, conentur exqui-

itis fraudibus vſurpare. Eapropter, cupientes futuris obuiare
ous, vobis, nunc & futuris temporibus *Blekede* commorantibus,
ɔeditius muniendo ipſum oppidum noſtrum vacare valeatis ipſi,
& ſingulis veſtrum *ius ciuitatis* noſtrae *Blekede* perpetuo donamus
idoneis, menſuris, modiis, vlnis, libris & cuiuslibet alterius ge-
iuris. Sane quidem donamus etiam vobis libere vſum nemorum,
ım, pratorum, paludum, lignorum infertilium, quomodo eis
ıt anteceſſores veſtri primitus *Blekede* commorantes, & vltra (Al-
de paſcuis porcorum veſtrorum, quos in propriis aedibus veſtris
is intra diſterminationes *Blekede* oppidi memorati. Ceterum au-
vt liberior facultas vobis ſit muniendi vos, eximimus vos & veſtros
os ex nunc & per quinquennium immediate ſequens ab omnibus
onibus, petitionibus ac onere precariae liberos & ſolutos. Per-
ıtes etiam, quod pro exceſſu minori, qui dicitur *Wedde* in iudi-
ıſtri aduocati facto, perſoluatis tantum quatuor ſolidos, prout apud
ıctenus eſt conſuetum. Vt autem vobis haec donatio libertatis
e a nobis & a noſtris haeredibus illaeſa in perpetuum & rata maneat,
& poſteris veſtris, vt praemittitur, praeſens ſcriptum noſtrum inde
ctum ſigilli noſtri appenſione munitum duximus concedendum.
ıeſentes fuerunt fideles noſtri:

Conradus & Conradus ſenior & iunior de Boldenſele.
Wilke de Stadis.
Georgius Longus.
Hinricus Ribe: *Milites.*
Henricus de Lintloë tunc Aduocatus noſter in *Blekede.*
Ioannes de Biſcopinge Aduocatus noſter in (Luneburg.)
Wedekindus *noſter Notarius.*
Iacobus de Pomerio noſter Capellanus.
tum *Blekede* Anno M. CCCX. in ſeptimana Paſchae.

No. CCCLIX.

ıelmi de Luneburg donatio duorum man-ı & trium arearum in Tundersleue facta Eccleſiae tae Mariae in Magdeburg, pro progenitoribus, fratribus, vxore & filio. Anno 1211. Ex veteri apographo.

WILHELMVS de Lunenborch &c. Vniuerſis, ad quos hoc ſcriptum peruenerit, ſalutem in perpetuum. Geſtorum ſe-riem prouida veterum vigilantia ad hoc literis mandare con-ſueuit,

ſueuit, vt, quod humana non valet retinere memoria, preſentibus & futuris, tanquam memoriale demonſtraret ſcriptura. Notum igitur facimus vniuerſitati fidelium, quod nos, eterne benedictionis memoriam nobis noſtrisque comparare cupientes, cum tribus areis duos manſos, ſitos in *Tundersleue*, quos Lutwardus, noſter miniſterialis, de manu noſtra tenens poſſidet, & ipſe & vxor eius, quoad vixerint tempore poſſidebunt, ad petitionem dilecti noſtri Magiſtri Henrici, Eccleſie beate Marie in Magdeburg, cum omni integritate contulimus, ea videlicet ratione, vt apud dicte Eccleſie Conuentum progenitores noſtri, ſimiliter & fratres noſtri, orationum communionem obtineant. Nobis quoque & vxori noſtre & *filio*, plena fraternitate collata, poſt huius vite terminum, talis impendatur memoria, qualis vnicuique fratrum de ipſo collegio ſolita eſt procurari.

Huius autem donationis teſtes ſunt:

Miniſteriales noſtri: Wernerus Dapifer.

Alericus de Dunſtide.

Olricus Vultur.

Antonius & Fredericus de Edentorp.

Wernerus de Merwede.

Lutwardus de Tundersleue.

Geuerhardus.

Rodericus, & frater eius Henricus.

Henricus de Hedesacker, & frater ipſius Geringus.

Paridammus, & frater ipſius Fridericus.

Ludolphus & Hermannus, & alii quam plures.

Acta ſunt hec, Anno Dominice Incarnationis M. CC. XI. Indictione XIV. Preſidente S. Romane Eccleſie Papa Innocentio. Regnante Sereniſſimo Romanorum Imperatore & ſemper Auguſto *Ottone*.

Vt autem huiusmodi donatio rata & inconuulſa permaneat, contra omnem calumniam & obliuionis nebulam, iuſſimus hanc paginam teſtimonialem ſigilli noſtri impreſſione communiri.

No. CCCLX.

Helena vxor Domini Wilhelmi de Luneburg quatuor manſos in Hagene emit venditos a Burchardo Abbate Luneburgico. Anno 1214. Ex autographo Luneburg.

BVRCHARDVS Dei gracia Monaſterii beati Michahelis in Luneburg dictus Abbas. Vniuerſis ad quos preſens ſcriptum peruenerit,

nerit, ſalutem & ſinceram in Xriſto dilectionem. Ad noticiam omnium cupio peruenire, quod *Domina mea, HELENA, vxor Domini Willehelmi in Luneborg*, quatuor Manſos in Hagene, iam dicto Monaſterio pertinentes, meo aſſenſu accedente & cooperante, meis quoque fratribus approbantibus tale factum, pecunia ſua ſibi comparauit in perpetuum poſſidendos. Huius vendicionis teſtes ſunt:

Marquardus Prior.
Otto. Richardus. Hunerus. Iohannes. Bertholdus. Hermannus. Alardus. & alii quam plures.
Miniſteriales quoque:
Wernerus Dapifer.
Geuehardus. Brudericus & frater ſuus Heinricus.
Vlricus de Bluchere.
Ludolfus Paruus.
Fridericus de Etendorpe.
Fridericus de Lutwardeshuſen, & alii quam plures.

Ne igitur huiusmodi vendicionis Contractus, ab aliquo Succeſſorum meorum, aut per improbitatem alterius cuiuslibet impoſterum valeat recindi, ad firmitatis cautelam, hanc preſentem teſtimonialem paginam duobus ſigillis Monaſterii & meo communiui. Anno ſcilicet Incarnationis milleſimo ducenteſimo quarto decimo.

No. CCCLXI.

Rudolfi I. Regis diploma, quo profitetur, Dietericum de Horſt Comiciam liberam inter Angelbeke & Wiſſeram fluuios ab Imperio in feudum obtinere.

Anno 1279. Ex autographo membranaceo ſigillato.

Nos *RVDOLFVS Dei gracia Romanorum Rex ſemper Auguſtus.* Ad vniuerſorum ſacri Romani Imperii fidelium noticiam preſencium ſerie volumus peruenire, quod nos ſimpliciter recognoſcimus & publice profitemur, induſtrium & diſcretum virum, *Dietricum*, militem, dictum *de Horſt*, Comiciam liberam inter Angelbeke & Wiſſeram fluuios ab Imperio hactenus feodali titulo tenuiſſe, eumque adhuc debere Comiciam eandem in feodum a nobis & Imperio obtinere. Propter quod vniuerſis & ſingulis Imperii fidelibus firmiter precipiendo mandamus, ne quis predictum D. in Comicia predicta & iuribus eidem attinentibus preſumat aliqualiter impedire. Quod qui forte facere preſumpſerit, grauem Maieſtatis Regie offenſam ſe nouerit incurſurum. In

cuius

Digitized by Google

cuius teſtimonium preſentem literam eidem D. tradidimus, Maieſtatis noſtre ſigilli munimine roboratam.

Datum Wienn. VI. Kalend. Febr. Indictione VI. Anno Domini M°. CC. LXXIX°. Regni vero noſtri anno VI°.

Locus ſigilli appendentis, quod Regem monſtrat in ſolio ſedentem: cuius ſigilli pars dimidia ſupereſt.

No. CCCLXII.

Modus, quo Ioh. Henricus Hoffmannus hoc diploma immutatum, & ad Henricum Comitem in Hoya detortum, tranſtulit in librum ſuum Mſct. *Ehren-Kleinod* dictum. Anno 1279.

NOS *RVDOLFVS Dei gracia Romanorum Rex ſemper Auguſtus.* Ad vniuerſorum Sacri Romani Imperii fidelium noticiam preſencium ſerie volumus peruenire, quod nos ſimpliciter recognoſcimus & publice profitemur, *nobilem Virum*, *Henricum Comitem in Hoya*, Comiciam liberam inter Angelbeke & Wiſſeram fluuios, ab Imperio hactenus feodali titulo tenuiſſe, eumque adhuc debere Comiciam eandem in feodum a nobis & Imperio obtinere. Propter quod vniuerſis & ſingulis Imperii fidelibus firmiter precipiendo mandamus, ne quis predictum H. in Comicia predicta & iuribus eidem attinentibus preſumat aliqualiter impedire. Quod qui forte facere preſumpſerit, grauem Maieſtatis Regie offenſam ſe nouerit incurſurum. In cuius teſtimonium preſentem literam eidem H. tradidimus, Maieſtatis noſtre ſigilli munimine roboratam.

Datum Wienn. VI. Kalend. Febr. Indictione VII. Anno Domini M°. CCLXXIX°. Regni vero noſtri anno VI°.

No. CCCLXIII.

Helenae Dominae de Luneburg commutatio portionis ſalinariae cum Alberto de Reineuelde. Anno 12 . . Ex autographo.

HELENA Domina de *Luneborg*. Omnibus ad quos hoc ſcriptum peruenerit, ſalutem. Notum volumus eſſe vniuerſis tam preſentibus, quam futuris, quod Dominus Albertus de Reineuelde dedit nobis vnum Wicſchepel ſalis, quod habuit in domo, que

ocati r Deginge, & accepit a nobis in recompenſatione illius vnum chep l in domo Erteringe, quod poſtea de conſenſu & conſilio o con ulit eccleſie in Lune in concambio aliorum bonorum. Ne r hanc commutationem a nobis & Domino Alberto predicto rationa- ter fact n aliquis ſucceſſorum noſtrorum valeat immutare, iuſſimus anc teſti onialem paginam ſigillo noſtro communiri.

No. CCCLXIV.

Eaden Helena Duciſſa ſexaginta marcis Io- hanni bati Luneburgico perſolutis chorum ſalis e ſa li Luneburgica emit. Anno 12 . . Ex Diplomatar. Luneburg Mſct.

O IBVS Chriſti fidelibus preſentem paginam inſpecturis I. D ratia Abbas in Luneborg, ſalutem & orationes in Domin otum ſit omnibus tam futuris, quam preſentis temporis fi libus. od nos de generali Conuentus noſtri conſenſu *Domine noſ Duciſſe* *LENE*, vnum Wiſchepel ſalis in domo, que Ekberd nominatı pro LX. marcis argenti venundantes, thelonium, quod dam Ciu noſtri pheodali iure ſibi hactenus vſurpabant, per hanc mam pec ie ad libertatem Eccleſie noſtre reduximus.

Cuius rei teſtes ſunt:

G eſcalcus. Henricus. Hartmannus Aduocatus. Ale der de Werden.

Ne q s igitur imposterum huic ordinationi noſtre contradicat, ſe em paginam ſigillis noſtris fecimus roborari.

FINIS TOMI TERTII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digi[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

image
not
available

Digitized by Google

image
not
available